P. M. FRANCISCI

SOARES

LVSITANI, VLYSSIPONENSIS,

E SOCIETATE IESV,

IN COLLEGIO CONIMBRICENSI PRIMARIÆ Cathedræ Sacræ Theologiæ Professoris, & in Tribunali Sancti Officij Causarum Fidei Qualificatoris, ac Censoris,

CVRSVS PHILOSOPHICI TOMVS QVARTVS

CONTINENS VNIVERSAM DOCTRINAM in Aristotelis Metaphysicam.

AD EXCELLENTISSIMVM D.

D. GEORGIVM MASCAREGNAS Marchionem Montaluanum, &c.

Nunc primùm in lucem prodit.

CONIMBRICAE,

In celeberrimo Artium Collegio,

Typis PAVLI CRAESBEECK, Anno Domini 1651.

EXCELLENTISSIMO D.
D. GEORGIO MASCAREGNAS
MARCHIONI MONTALVANO,
COMITI DE CASTELNOVO,
E SECRETIORIBVS REGIÆ MAIESTATIS
DE STATV REGNI CONSILIIS:
Supremo Portugalliæ Ex-gubernatori,
Primo Brasiliæ Ex-pro-regi,&c.

CVIVS
In rebus publicis Vigilantiam,
In domesticis Moderationem,
In fouendâ Pace Solertiam,
In ferendo Bello Peritiam,
In pugnando Virtutem,
In superando Felicitatem,
Et si suspicit animus, non capit calamus:

QVEM
Natura edidit ad Magna,
Fortuna auxit ad Maiora,
Merita euexêre ad Maxima:

In QVO
Coniurant amicé
Cum Humanitate Auctoritas,
Cum Benignitate Æquitas,
Cum Affabilitate Maiestas:

CVIVS
Si Prudentiam pendas, Fabium dices;
Si Constantiam, Regulum;
Si Integritatem, Fabritium;
Si Consulatus, Marium;
Si Felicitatem, Syllam;
Si cuncta, MONTALVANVM habes:

Spectan-

Spectandum omnibus,
Imitandum paucis,
Vincendum nullis:
CVRSVM PHILOSOPHICVM,
Seu potius PHILOSOPHIÆ CVRRVM,
Quatuor TOMIS,
Quatuor veluti volubilem ROTIS,
Virtute ad ASTRA viam
Per inuia, per ardua, per aduerſa,
Quà magna patet Europa, quà aperta America,
Et nouus Orbis,
Per immenſum Oceanum, per Syrtes Africanas,
Inueniente,
Conſilio, & Induſtriâ,
Labore, & Conſtantiâ,
Triumphaturo
De Fortunâ, de Tempore, de Inuidiâ:
Æternitatis amaranthum, & Immortalitatis palmam
Accepturo
Animi robore, & Fortitudine,
Morum integritate,
Pietate, & Religione,
AVVNCVLO SVO
Siſtit
In TROPHÆVM de obliuione:
Et poſt dexteræ oſculum
FRANCISCVS SOARES
In Poſteritatem
D. C. Q.

LECTORI

LECTORI

ADest iam totius Philosophici Cursûs optata meta, imò & corona, Metaphysica. Iure enim suo cætera coronat, quam velut Scientiarum Reginam in Hieroglyphicis ritè coronauit Antiquitas. Implicitus dexterâ serpens, tractabili veneno, sceptrum agebat, quò pateret ingeniosa solertia, prudens industria. Ad pectus Solem flammâ innoxiâ ipsa explicabat Metaphysica, scientijs lucem omnibus latura, non æstum: vt à quâ splendorem reliquæ fænerantur, Solemque suum sua Sidera norunt. Quà latissimè Ens patet in Obiectum cedit Metaphysicæ: quidquid enim aut est, aut fuit, aut erit, aut esse potuit eius ambitu continetur. Quæ capacitas! Amplior Cælo ipso Metaphysices sphæra est. Quæ tantùm amplectitur, capit Cælum: etiam quæ nō capit, quodque superius Cælo est, submisitque oculis distantia Sidera, amplectitur Metaphysica: &, vt verbo dicam, ambit Deum. Patet inde quale ei cum Beatitudine sit comercium, cùm Deum videat. Multis deliciæ, diuitiæ alijs, non paucis honor Naturalem finxit Beatitudinem. Hanc mihi vna quidem format, quà Deum respectat, Metaphysica. Eam verò tibi hîc, Amice Lector, affero politiorem, quam potui, offeróque libenter. Veterum hîc sensa omnia, Recentiorúmque sensus nouos, & acumina, vt puto, reperies, ita planò, plenóque breuitatis stylo, vt nihil desit, nisi falsus mei fuerim animi; eâque Doctorum lectione, vt supra numerum videri possint, cùm non Auctores solùm, sed & manu-scripta nostræ Societatis euoluerim (quæ aut Lusitania, aut Hispania, aut Italia, aut Germania, aut Gallia tulerunt in hæc secula) indefessò planè, morosóque studio, & supra septimum annum castigato. Hæc, si placeat, Bone Lector, tibi in studia cedat Metaphysica: Deo in honorem, & gloriam. Ita hâc vnâ mei laboris metâ fruar. Id pretij, ac hederæ mihi satis.

Vale.

IUDICIUM P. M. PETRI PEYXOTO SOCIETATIS IESU, in Collegio Artium Academiæ Conimbricensis olim Philosophiæ Professoris, nunc in eodem Collegio Sacrarum Literarum Interpretis, & Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, &c.

EA tandem, quâ fide debui, quâ curâ potui quartum, & vltimum huiusce *Cursus Philosophici* Tomum de Metaphysicâ, Auctore P. M. Francisco Soares Vlysiponensi è nostrâ Societate Conimbricæ Theologię Professore Primario, & legi, & legisse semel satis non fuit. Nihil in eo me offendisse fateor, quod Fidei Orthodoxæ Dogmata, vel leuissimè offenderit, sana omnia, & quæ inoffenso currunt pede, nisi fortasse crediderim Tomum agente pennâ altè volare. Suo sanè Operi Auctor, Soarius Vlysiponensis, semper sui similis (hoc illi satis ad laudem) coronidem imposuit Metaphysicâ insuper additâ. Et quidem iure merito: hæc enim Metaphysica sic illustrata corona est, tot gemmis distincta, quot titulis. Hoc censeo, hoc testor. Conimbricæ, in Regio Artium Collegio Societatis IESV. Postridie Kalendas Ianuarij. Anno Domini M.DCXXXXIX.

Petrus Peyxoto.

CENSURA P. M. PAVLINI RIBEYRO Societatis IESU, olim in Collegio Artium Academiæ Conimbricensis Philosophiæ Professoris, nunc in eodem Collegio sacræ Theologiæ Magistri, &c.

AD Cursûs Philosophici metas venit tandem Soares Lusitanus, semper sui similis, semper æqualis. Sola deerat Metaphysica, vt Idæam omnium literarum daret absolutissimam. Suo hîc viuunt sudore Philosophia, & Theologia, securæ ambæ á periculis. Video hîc Soarium multa perficere, alios multa conari; illum posse, alios velle. Siquis in posterum post se sequi vestigia tentauerit, longè pótiùs adoret, vt longo, etsi proximus interuallo, qualem dederit Cursum fortuna, sequatur. Poterant Philosophi de Lusitano, vt jam Theologi de Hispano Soario conqueri, quòd nihil reliquum alijs fecerit, in quo suam ipsi generositatem ingenij valeant experiri. Illud admirabile prorsus, & prodigij simile, quòd felicitatem doctrinæ ita cum facilitate sociat, vt quamuis amicè coniurent, alterius tamen dignitas cum alterâ certet de primatu. Quia veró Censorem ago, & non assentatorem, illud spem vltra, & desideria in hoc opere desiderari arbitror, nædum aliquem, qui reliquas sibi partes venustiores redderet; at tam selectam, & constantem opinionum seriem, ita præstantem, & placidè labentem stylum, pulchra adeò ex omni eruditione, & varietate lumina, & ornamenta contemplor, vt quocunque miseris oculum, id tibi occurrat, quòd eminere posset, si non inter paria legeretur. Quarè prodeat in Orbis plausum augustum adeó Scientiarum Monumentum, non tardiùs daturum lucem, quám accepturum, in cuius me laudes effusus darem, si Cursus hic Solaris, seu, quod idem est, Soarij Cursus tam humili egêret laudatore. Vnum hoc, præque omnibus vnum, & vltimũ operis testimonium ære perennius Æternitati consecratum velim: Cursum feliciter consumauit, & fidem integram, inuiolatamque seruauit Lusitanus Soares: ergo, me iudice, accipiet laudis, & gloriæ coronam. Conimbricæ, in Collegio Societatis IESV, 2. Ianuarij 1649.

Paulinus Ribeyro.

Facultas P. Prouincialis Societatis IESU.

PEtrus da Rocha Prouincialis Societatis IESV in Lusitaniâ, potestate mihi factâ á Reuerendo admodum Patre nostro Generali Vincentio Carrafa, facultatem concedo, vt *Quartus Tomus Cursus Philosophici* à Patre Francisco Soares eiusdem Societatis compositus, & ab aliquibus huius Prouinciæ Patribus grauibus, & doctis viris recognitus, & approbatus, typis mandari possit. Vlysipone 3. Februarij. Anno 1649.

Petrus da Rocha.

APPRO-

APPROBATIONES, ET FACVLTATES
Sanctæ Inquisitionis,& Ordinarij.

Censura P.M.Fr.Emmanuelis Caldeyra Sacri Ordinis Eremitarum D. Augustini in Sacra Theologia Doctoris,& Qualificatoris S.Inquisitionis,&c.

SVpremi Sanctæ Inquisitionis Senatûs imperio hosce egregios, ac patrissantes Metaphysices Tractatus à Sapientissimo, & Religiosissimo P.M.Francisco Soares è Societate IESV Sacræ Theologiæ Lectore Primario conditos iucundè peruolui: iucundam, absolutam, & vtilem continent doctrinam. Quare iure censeo publici iuris fiant. In Conuentu Sanctæ Mariæ de Gratiâ Vlysiponensi, pridie Ianuarij Reparationis nostræ anno 1649.

Doctor Fr.Emmanuel Caldeyra Qualificator.

Censura P.M.Fr.Antonij à Plagis Seraphici Ordinis D. Francisci Sacræ Theogiæ Magistri Emeriti,& S.Inquisitionis Qualificatoris,&c.

QVartum hunc Tomum in Metaphysicam Aristotelis, septem amplectentem Tractatus, Auctore R. P. Francisco Soares è Societate IESV, in Celebri Conimbricensi Collegio Sacræ Theologiæ Prælectore recognoui, vt mihi á supremo Sanctæ Inquisitionis Concilio præcipitur: nihil continet contra Fidem, aut bonos mores: ideo eum, & luce, & laude censeo dignissimum. Vlysipone,in Seraphici Patris Conuentu 5.Ianuarij anno 1649.

Fr, Antonius à Plagis Qualificator,

Facultas Sanctæ Inquisitionis.

VIstas as informaçoens podese imprimir este quarto Tomo do Curso Philosophico, Autor o Padre Francisco Soares Qualificador do Sancto Officio, & depoys de impresso tornará ao Concelho pera se conferir com o Original, & se dar licença pera correr, & sem ella nam correrá. Lisboa 9.de Feuereyro de 1649.

Fr. Ioam de Vasconcellos. — *Pero da Sylua de Faria.*
Francisco Cardoso de Tornes. — *Pantaleam Rodrigues*
Diogo de Sousa. — *Pacheco.*

Facultas Ordinarij.

POdese imprimir. Coimbra 18. de Feuereyro de 1649.

Pedro de Magalhaẽs.

Facultas Regij Senatûs.

QVe se possa imprimir o liuro de que se trata, vistas as licenças do Sancto Officio, & do Ordinario,que offerece: & nam correrá sem tornar à mesa pera se taxar. Lisboa 28. de Feuereyro de 1649.

Coelho. — *Ribeyro.*

Accessere aliæ facultates requisitæ.

SERIES, ET ORDO TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, SECTIONVM, AC Paragraphorum, qui in hoc quarto Tomo continentur.

TRACTATVS I.

De Antepradicamentis.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.

De diuisione Entis in Diuinum, & Creatum.

§. 4.

DISPVTATIO IV.

De diuisione Entis in decem Prædicamenta.

§. 5.

§.4.

TRACTATVS V.

De Relatione.

DISPVTATIO I.

De Relatione in communi.

DISPVTATIO II.

De Speciebus Relationis.

funda-

TRACTATVS VI.

De Actione, & Passione.

DISPVTATIO I.

De Actione.

DISPVTATIO II.

De Passione.

TRACTATVS VII.

De quatuor vltimis Prædicamentis.

DISPVTATIO I.

De Vbi, & Situ.

§.6

DISPVTATIO II.

De Duratione, & Habitu.

IN METAPHYSICAM ARISTOTELIS TRACTATVS SEPTEM.

PRIMVS agit de Antepraedicamentis. Secundus de Substantiâ. Tertius de Quantitate. Quartus de Qualitate. Quintus de Relatione. Sextus de Actione, & Passione. Septimus de quatuor vltimis Praedicamentis.

TRACTATVS I.

DE ANTEPRAEDICAMENTIS.

AMPLEXVS Disputationes quatuor. Prima differit de Ente in communi. Secunda, de primâ Entis diuisione in Diuinum, & Creatum. Tertia, de alterâ diuisione in Substantiã, & Accidens. Quarta, de vltimâ, ac celeberrimâ in decem Praedicamenta.

DISPVTATIO I.

De Ente in communi.

DIVISA in Sectiones quinque. Prima disputat de conceptu Entis. Secunda de illius Causis, & proprietatibus. Tertia, de Vno, *quod est prima Entis proprietas. Quarta de* Vero. *Quinta de* Bono.

SECTIO I.

De conceptu Entis in communi.

1 VIDENDVM inprimis, Quid veniat nomine *Entis*? Auicenna apud D. Thom. *4. Metaph. com. 3.* dixit *Ens* esse aliquid accidentale rebus, consentire videtur D. Thom. *quodlibeto 2. a. 3.* vbi docet Ens de solo Deo prædicari essentialiter. Auicen. D.Thom.

2 Sed distinctione opus est. Nam Ens bifariam potest sumi. Primò prout significatur participio verbi *sum*, in quantùm, *sum*, idem est atque *existo*; & tunc idem est *Ens*, atque *existens*; & in hoc sensu prædicatur de rebus creatis accidentaliter; de solo Deo essentialiter. Secundò potest sumi prout significatur non participio, sed nomine, *Ens*; & idem est, atque *essentia*, siue alioqui existat, siue non existat. In hoc secundo sensu *Ens*, siue *essentia* potest explicari, aut per negationem: aut per affirmationem: priori modo *essentia*, siue Ens dicitur illud, *Quod in se nullam inuoluit contradictionem, aut repugnantiam ad existendum à parte rei*: posteriori modo dicitur illud, *Quod potest, seu aptum est realiter existere*. Ita P. Soares *in Metaphys. disp. 2. sect. 4.* non dissentit P. Compton. ibidem *d. 1. s. 1. n. 1.*

§. I.

Vtrùm Ens habeat vnum conceptum, & rationem obiectiuam?

3 PRima difficultas: Vtrùm Ens habeat vnum conceptum, & rationem obiectiuam? Negare videtur D.Thom. *1. p. q. 13. art. 5. & q. 7. de Potentia art. 7. & q. 2. de Veritate art. 11.* quatenus inquit vocibus, quæ sunt communes Deo, & creaturis, non correspondere vnam rationem obiectiuam, sed plures. Certè negat Caietan. Soncin. Hispal. Heruæus, Flandria, & P. Pereira, quos citat, non tamen sequitur P. Soar. *disp. 2. sect. 2. num 4.* Quibus accedit P. Vasq. *1. p. disp. 22. num. 6. & disp. 114. num. 5. & 6.* Bañes *1. p. q. 13. a. 6.* P. Rub. *tract. de Analog. num. 37.* Eorum fundamentum est primò, quia Ens est analogum: at verò analogum non habet vnam rationem, sed plures simpliciter. Secundò, quia Ens in communi non præscindit à differentijs, seu modis Entium in particulari: ergo est multiplex, & tot, quot sunt ipsæ differentiæ, seu modi Entium. D.Thom. Caietan. Soncin. Hispal. Herue. Flandr. P. Pereira P. Soar. P. Vasq. Bañes P. Rubius

4 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò: Ens in communi non habet rationem, & conceptum obiectiuum omninò vnum. Ita D. Tho. Scot. & alij Auctores, quos statim referemus. Probatur, quia Ens in communi includit essentialiter differentias, & modos Entium in particulari, vt inferiùs ostendã; sed hi sunt plures: ergo Ens non habet rationẽ omninò vnam. D.Thom. Scot.

5 Dico secundò: Ens habet conceptum obiectiuum aliquo modo vnum, qui expressè non dicit Deum, neque Creaturam, neque Substantiam, neque Accidens; sed hæc omnia per modum vnius, quatenus sunt inter se aliquo modo similia, & conueniunt in essendo. Ita D. Thom. apud P. Aleman. *4. p. Sum. Philosoph. q. 3. a. 3.* Scot. Iauel. Sot. Capreol. & P. Ponsi. quos citat, & sequitur P. Soar. *d. 2. s. 2. n. 5. & 8.* P. Hurt. *in Met. d. 2. à §. 19.* P. Tellez *d. 5. s. 1. n. 2.* P. Arriaga *in Log. d. 11. n. 9.* P. Ouied. *in Met. controu. 1. punct. 1 n. 2.* P. Compton. *in Logica d. 4. s. 1. n. 2.* D.Thom. P. Alema. Scot. Iauel. Sot. Capreol. P. Ponsi. P. Soares P. Hurt. P. Tellez P. Arriaga P. Ouiedo P. Cōpton.

6 Et probatur, quia auditâ hac voce, *Ens*, vnum quid mente concipimus, quod neque est Deus expressè cognitus, neque Creatura, neq; Substantia, neque Accidens, sed aliquid his omnibus cōmune. Et confirmatur primò, quia aut illa omnia exprimerentur copulatiuè, hoc est, simul sumpta: aut disiunctiuè, ita vt exprimatur vnum, vel aliud: sed in primis vox *Ens*, non exprimit omnia copulatiuè; sin minùs hęc propositio, *Quantitas est Ens*, foret falsa; efficeret enim hunc sensum: *Quantitas est Deus, Creatura, Substantia, &c.* Sed neque exprimit disiunctiuè; tunc enim idem esset dicere: *Quantitas est Ens*, ac dicere: *Quantitas est aliquod Ens, Substantia, vel Accidens*: hoc autem dici non potest; sin minùs prædicatum *Ens* æquè primò, & æquè essentialiter cōueniret Deo, & Creaturis. Confirmatur secundò, quia quoties aliquot attributa sequuntur eandem rationem dispersam per plures entitates, omnes in eâ possunt concipi per modum vnius, vt discurrenti per singula patebit; sed aliquot attributa, nempe *Vnum, Verum, & Bonum* sequuntur rationem *Entis* dispersam per entitates particulares: ergo omnes in eâ possunt concipi per modum vnius. Confirmatur tertiò, quia nisi ratio *Entis* foret vna, non posset esse obiectum Scientiæ, qualis est Metaphysica.

7 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo distinguendo Minorem: Analogum nō habet rationem omninó vnam, concedo: non habet rationem aliquo modo vnam,

vnam, nego Minorem. Ad secundum distinguo Antecedens: Ens in communi non præscindit perfectè, & vniuocè, concedo: non præscindit analogicè, & imperfectè, nego Antecedens.

§. 2.

Vtrùm Ens includatur formaliter in differentijs?

8 Secunda difficultas: Vtrùm Ens includatur formaliter in differẽtijs, seu modis Entium in particulari? Negat Scotus *in 1. dist. 3. §. Ad quæstionem igitur*, & *dist. 8 q. 2. & in 2. dist. 3. q. 6.* Quem sequuntur nonnulli recentiores Magistri. Primò, quia modus Entis distinguitur virtualiter ab Ente. Probo hoc, quia illa distinguuntur virtualiter, quibus diuersi correspondent conceptus: at verò ita se habent Ens, & modus Entis. Secundò, quia si modus Entis, v.g. perseitas, includeret Ens, ipsa perseitas foret Substantia. Probo hoc, quia constaret Ente, & modo talis Entis, ex quibus duobus constituitur Substantia: at verò perseitas non est Substantia; sin minùs hæc propositio foret identica: *Perseitas est Substantia; Substantia est perseitas*. Tertiò, quia Ens descendit ad differentias mediantibus Generibus subalternatim positis; sed differentię sunt extra Genera: ergo non participant rationem Entis. Quartò, quia Ens non includitur formaliter in suis proprietatibus: ergo neque in suis differentijs. Quintò, quia alioqui Ens esset prius, & posterius quolibet Genere sibi inferiori, v.g. Animal; esset prius ratione Generis superioris, nimirum Substantiæ, in quã includitur, & est priùs Animali; posterius ratione differentiæ, v.g. Rationalis, in quo etiam includitur, & est posterius ipso Animali. Sextò, quia vel duæ differentiæ conueniunt in Ente, vel non; si non conueniunt: ergo non sunt Ens; si conueniunt, per aliquid aliud differant, necesse est. Septimò, quia re verâ cùm concipio differentiam Entis, non concipio Ens; possum enim dubitare, Vtrùm talis differentia possit existere à parte rei; ac proinde, vtrùm sit Ens: ergo conceptus differẽtiæ, de quâ sum certus, distinguitur à conceptu Entis, de quo dubito.

Scot.

9 Si obijcias his Magistris, illam differentiam vel esse Ens, vel non Ens: si primum, habetur intentum: secundum dici non potest, quia differentiæ constituunt Ens per se; negatio autem non potest constituere Ens per se. Respondent differentiam formaliter neque esse Ens, neque non Ens, identicè esse Ens. Quod optimè intelligi potest ad eum modum, quo Natura in statu solitudinis formaliter neque est diuisa, neque indiuisa, identicè est diuisa: & gradus Substantiæ contractus in corpore prout ab illo virtualiter distinguitur, neque est diuisibilis, neque indiuisibilis formaliter, sed indifferens ad vtrunque. Tandem Relationes Diuinæ formaliter, neque sunt Ens à se, neque Ens ab alio; identicè sunt Ens à se: similiter ergo differentiæ Entis formaliter neque sunt Ens, neque non-Ens, sed differentiæ Entis; identicè sunt Ens.

§. 3.

Præfertur resolutio affirmatiua.

10 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentiũ rationẽ Entis includi formaliter in differentijs, seu modis Entis in particulari. Ita Aristoteles expressè *3. Met. text. 10.* D. Thom. Caiet. Socin. Sot. & alij, quos citat, & sequitur P. Suar. *d. 2. s. 5. n. 16.* P. Fons. *4 Met. q. 4. c. 2. s. 3.* P. Tellez *d. 51. s. 1. n. 8.* P. Arriaga *in Log. d. 11. n. 32.* P. Ouied. *in Met. controu. 1. punct. 4. n. 5.* P. Hurtad. *in Met. d. 2. §. 35.* qui §. 36. dicit mirari se esse hominem, qui de hoc dubitet, neque Scotum cõtrarium tenuisse, sed solùm velle Ens non includi vniuocè in suis differẽtijs. Subscribit nouissimè P. Compton. *in Log. d. 40 s. 4. n. 1.*

Aristot. D. Thom. Caiet. Socin. Sot. P. Suarez P. Fons. P. Tellez P. Arriaga P. Ouiedo P. Hurt. P. Cõpton.

11 Probatur resolutio, quia vt constat ex proximè dictis, Ens est illud, *quod aptum est realiter existere*; sed differentiæ v.g. perseitas, quæ est differentia Substantiæ, est apta realiter existere, & de facto existit in Substantiâ existẽte: ergo est Ens. Respondent recentiores Magistri distinguendo Cõsequentiã: Perseitas est Ens formaliter, nego; identicè, concedo. Sed cõtrà, quia illud formale perseitatis est aptum realiter existere: ergo est Ens. Et confirmatur primò efficaciter, quia Ens coincidit cũ essẽtiâ reali, vt constat ex *n. 2.* sed illud formale differentiæ habet aliquã essentiam realem. Probo hoc, quia habet definitionẽ realẽ, sine quâ intelligi nõ potest: ergo est Ens. Secũdò à posteriori, quia differentiæ habent aliquẽ effectum realẽ; sunt enim radices proprietatũ realium, realiter cõplent, constituunt, & distinguũt Ens reale: ergo habent aliquam entitatem realem; hæc enim optimè colligitur ab effectibus realibus. Tertiò, quia illud esse formale differẽtiarum est verum, & intelligibile: ergo est Ens; hoc enim reciprocatur cum *Vero*, vt ex inferiùs dicendis constabit.

12 Dices: Bené potest intelligi vna res, quę neque sit Ens, neque nõ-Ens, ad eũ modũ, quo

Natura in statu solitudinis optimè intelligitur secundùm se, neque vt diuisa, neque vt indiuisa, & Relationes Diuinæ intelligũtur, neq; vt Ens á se, neque vt Ens ab alio: itẽ gradus Substantiæ cõtractus in corpore intelligitur secũdùm suũ esse formale, neque vt diuisibilis, neque vt indiuisibilis: ergo idẽ dicendũ de differentiâ, quæ optimè poterit intelligi, neque vt Ens, neque vt non-Ens. Respondeo, negando posse differentiam sic intelligi; non enim potest intelligi sine suá essentiâ reali: essentia autem realis coincidit cum Ente, vt patet ex *n.* 2. De Naturâ sumptâ secundùm se in statu solitudinis, item de Relationibus Diuinis, & de gradu Substantiæ contracto in corpore, & his similibus, est longè diuersa ratio, quia hæc omnia habent suas essentias, penès quas possunt intelligi, v.g. Natura secundùm se in statu solitudinis habet suam essentiam, secundùm quam potest intelligi præscisiuè ab eo, quod sit diuisa, vel indiuisa: item Relationes Diuinæ habent suam essentiam relatiuam secundùm quam possunt intelligi præscindendo ab eo, quòd sint Ens á se, vel ab alio. Et idem dicendum de gradu Substantiæ contracto in corpore, cùm etiam habeat suam essentiam, secundùm quam potest cõcipi præscisiuè ab eo, quod sit diuisibilis, aut indiuisibilis: aliter se res habet in differentiâ respectu Entis, nam hæc nõ potest intelligi sine suâ aliquali essentiâ, hæc autem coincidit cum Ente, vt constat ex dictis.

§. 4.

Argumenta soluta.

13 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit quòd modus Entis distinguitur virtualiter ab Ente) respõdeo distinguendo Antecedens: Modus Entis distinguitur virtualiter ab Ente distinctione mutuâ, nego Antecedens: distinctione nõ mutuâ, & imperfectâ, cõcedo Antecedẽs. Hæc duo solũ distinguũtur, distinctione, vt vocãt, *includentis ab incluso*; nã licèt modus Entis non includatur expressè in Ente, & secundùm hanc expressionẽ aliquo modo distinguatur ab illo; tamen Ens includitur formaliter in modo Entis; nam modus Entis, cum sit tale Ens, expressè includit Ens.

14 Ad secundum (quâtenus asserit quòd si perseitas includeret Ens, foret Substantia) dico perseitatem esse Substantiam vt *quo*, non vt *quod*, hoc est, est ratio formalis, quâ ipsa Substantia constituitur. Ad quod nõ requiritur, vt optimé notat P. Soar. cit. *sect.* 6. *n.* 12. quòd in Substantiâ ex parte obiecti distinguantur illa duo, nimirum perseitas, & Ens, satis est quòd distinguantur ex parte conceptuum magis, vel minùs expressorum, & quòd altero conceptuum concipiatur Substantia, vt *quo*, altero, vt *quod*, ad eum modum, inquit P. Soar. quo concipitur *Deus*, & *Deitas*; neque enim ex parte obiecti in Deo aliqua reperitur distinctio, aut cõpositio rationis ex Deitate cũ Deo; nã hæc aliqualẽ inuolueret imperfectionẽ: tota distinctio, & cõpositio fit penes conceptus magis, vel minus expressos, altero enim concipimus Deum vt *quo*, altero Deum vt *quod*, ita se res habet in Substantiâ, cuius perseitas ex parte obiecti nõ distinguitur ab Ente, tota distinctio, & compositio fit penes conceptus magis, vel minùs expressos. Et hæc distinctio ex parte conceptuum, satis est ne illa propositio sit identica, *Perseitas est Substantia*, *Substantia est perseitas*, quemadmodum satis est, ne hæ sint identicæ, *Deitas est Deus*, *Deus est Deitas*.

P. Soar.

15 Ad tertium, nego rationem Entis descendere ad differentias mediantibus gradibus subalternatim positis; descendit ad differentias mediantibus conceptibus magis expressis, vt fiet manifestum ex inferiùs dicendis de contractione Entis ad sua inferiora.

16 Ad quartum concedo proprietates Entis non esse Ens, sed aut negationem diuisionis, in quâ consistit *Vnum*, quod est prima Entis proprietas: aut connotationem Entis ad intellectum, in quâ consistit *Verum*, quod est secunda Entis proprietas: aut connotationem eiusdem Entis ad voluntatem, in quâ consistit *Bonum*. Non sunt autem hæ proprietates Ens, quia aut consistunt in negatiuo, vt videre est in *Vno*: aut si est *Verum*, & *Bonum* non dicunt intellectum, aut voluntatem in recto, sed *ad intellectum*, & *ad voluntatem* in obliquo, quod non est dicere *Ens*, sed *ad Ens*: differentiæ veró cùm habeant aliquam essentiam (hæc autem coincidat cum Ente) sint ipsæ differẽtiæ Ens, necesse est.

17 Ad quintũ, dico nullum esse inconueniens, quòd Ens secundùm diuersos cõceptus magis, vel minùs expressos concipiatur modó priùs, modó posteriús aliquo Genere sibi subdito, ac inferiori; modò, inquam, priùs, cõceptu magis cõfuso, ac generali; modò posteriùs, cõceptu magis expresso, & in particulari.

18 Ad sextum, respondeo duas differentias inter se partim conuenire, partim differre penes cõceptus magis, ac minùs expressos; conueniunt in conceptu minùs expresso, & solius Entis in communi; differunt per conceptus magis expressos talis, ac talis Entis in particulari.

Ad

19 Ad septimum occurrendum, cũ certus sum de conceptu differentiæ, & dubito, An sit Ens, idẽ esse dubitare, An talis cõceptus sit Ens, ac An detur talis cõceptus. Itaque ego nõ dico Ens includi in cõceptu differentiæ, qui nõ datur, sed includi in cõceptu differentiæ, qui datur; & si certus sum hunc dari, hoc est, non implicare, nec repugnare existere á parte rei, non possum dubitare esse Ens, quia hunc conceptũ dari; & non repugnare idem est, ac esse Ens.

§. 5.

De contractione Entis ad sua inferiora.

20 Tertia difficultas: Quo pacto Ens ad inferiora contrahatur? Ratio dubitandi est, quia non apparet per quid, v. g. Substantia, & Accidens contrahant Ens; nam illud, quod cõtrahit aliquã rationẽ cõmunem debet addere aliquid supra illã. Substãtia verò, aut Accidẽs nihil addũt supra Ens, cũ ipsę differentię etiam sint Ens. Scot. suprà cit. dicebat differẽtias nõ esse Ens, ac proinde has addi supra rationẽ Entis in cõmuni. Verũ hanc sententiã hactenus refutauimus. Socin. 4. *Met q.* 1. *ad* 2. & *q.* 19 *ad* 7. iterũ *l.* 5. *q.* 14. existimat differentias, & modos entiũ in particulari esse negationes, aut entia rationis; ac proinde hæc addi supra Ens in cõmuni, per illaque cõstitui tale Ens, nẽpe Substantiã, & Accidens. Sed cõtrà, quia Substantia, & Accidens sunt talia Entia realia: ergo nõ possunt cõstitui in esse talis Entis realis per aliquid negatiuũ, aut rationis.

21 Alij contendunt Ens in cõmuni cõtrahi ad particularia per modum talis Entis, v. g. cõtrahi ad Substantiã per perseitatẽ; vnde, inquiunt, Substantia cõponitur metaphysicè ex Ente, & tali Ente, nẽpe perseitate. Sed (quidquid sit de cõtractione Entis ad Substantiam) quæro ab his Auctoribus, Quomodò cõtrahitur Ens ad perseitatẽ? Respõdent contrahi per aliũ modũ; nam etiam in perseitate est Ens, & modus talis Entis. Sed cõtrà, quia ille modus etiam est tale Ens, ac proinde etiam contrahit Ens: quæro igitur, An illud contrahat per aliũ modum? & sic in infinitum.

22 Respondent nõnulli Ens non contrahi ad perseitatẽ per aliũ modũ; est enim perseitas formaliter contractio; ac proinde non indiget aliã, iuxta illud Principiũ, *Quod est formaliter tale non indiget alio, vt sit tale.* Sed cõtrà, quia ratio Entis, quæ est in perseitate, nõ est formaliter perseitas, imó ab illã distinguitur virtualiter, vt gradus cõmunis ab inferiori, & vt Ens á tali Ente: ergo debet ad illã cõtrahi per aliquẽ modũ à se distinctũ; & de illo modo redit eadem quæstio; nã etiã in illo est ratio Entis distincta á tali Ente: ergo debet cõtrahi per aliquid á se distinctum, & sic in infinitum. Quàm magna sit hęc difficultas patet ex dictis.

§. 6.

Probatur resolutio.

23 Nihilominus duplici Conclusionẽ resoluẽda videtur proposita cõtrouersia. Dico primò: Contractio Entis ad sua inferiora non fit per aliquam compositionem metaphysicam ex parte obiecti, Entis, & talis Entis. Ita D. Thom. *q. de Verit. a.* 1. & alij, quos citat, & sequitur P. Soar. *disp.* 2. *sect.* 6. *n.* 7. Et probatur, quia compositio solùm datur inter partes distinctas distinctione mutuã, ac perfectã; sin minús vna pars bis includeretur in composito, semel ratione sui, & iterum ratione totius, in quo includitur, v. g. si homo veniret in compositionem cũ Materiã, Materia bis includeretur in tali composito, semel ratione sui, & iterum ratione hominis, in quo includitur: sed tale Ens non distinguitur ab Ente distinctione mutuã, & perfectã (probo hoc, quia formaliter includit ipsum Ens): ergo non potest venire in compositionem cum illo. Et confirmatur primò, quia si admitteretur compositio Entis, & talis Entis, etiam in tali Ente admittenda foret alia compositio, nam etiam illud est Ens, & tale Ens; & sic in infinitum. Confirmatur secundò, quia alioqui Genera summa non forent simplicia, sed composita ex Ente, & tali Ente: quod tamen est contra commune Philosophorum.

24 Dico secundò: Contractio Entis ad sua inferiora fit per conceptus magis expressos. Quod sic declaro: Concipio v. g. Ens in cõfuso, non exprimendo hoc, vel illud, sed solũ Ens in communi: illud abstraho. Concipio deinde Ens magis expressè, quàtenus existit per se: illud contraho ad Substantiam. Concipio Ens adhuc magis expressè exigens indiuisibilitatẽ: illud contraho ad Substantiam spiritualem: & sic de cæteris descendendo vsque ad vltimam differentiam indiuiduantem per conceptus magis, vel minùs expressos.

25 Hæc doctrina est ex D. Tho. loco proximè cit. quam sequitur, & optimè declarat P. Soar. similiter proximè cit. P. Tellez *d.* 51. *s.* 1. *n.* 8. Et probatur, quia hoc modo explicatur quomodò fiat contractio Entis ad sua inferiora absque vllo incõueniẽte. Et declaratur primò, quia hàc viã effugitur processus in infinitum; cùm ex parte obiecti nulla admittatur cõpositio, de quã possit redire eadẽ quæstio. Secũdó, quia saluatur quomodó Genera sũma sint simplicia. Tertiò, quia per huiusmodi expressionẽ cõceptuũ cõtrahũt optimi Theologi, & ab-

Margin notes: Scotus. Socin. D. Thom. P. Soarez. D. Thom. P. Soar. P. Tellez.

& abstrahunt prædicata Diuina, in quibus nulla admittitur compositio ex parte obiecti ob imperfectionem, quam omnis compositio
P.Soares inuoluit, vt benè notat P.Soar. cit. *n.22.* ergo eodem modo debet contrahi, & abstrahi Ens defectu compositionis ex parte obiecti.

SECTIO II.

De causis, & proprietatibus Entis.

26 PRIMA difficultas est de causis Entis. Et quæri solet, Vtrùm Ens habeat aliquas causas? Quot sint? &, Quæ sit vnius cuiusque ratio, & causalitas? Verùm de his latè egimus *in Phys. toto tract.2.*

§. 1.

Vtrùm Ens habeat aliquas proprietates?

27 SEcunda difficultas: Vtrùm Ens, in quātùm Ens, habeat aliquas proprietates, & passiones? Et, vt clariùs procedamus, aduertendū est proprietatem nihil aliud esse, quàm conceptum secūdarium proprium, & specialem alicuius rei. Diuiditur in rigorosam, & non rigorosam: Ad rigorosam quatuor requiruntur conditiones: prima, vt sit entitas realis: secunda, vt distinguatur ex naturâ rei á subiecto: tertia, vt reciprocetur cum illo, & dicatur ad conuertentiam: quarta, vt sit extra subiectum, hoc est, quòd non includatur in illo. Proprietas non rigorosa alio nomine dicitur attributum, seu passio, & est illa, quæ concipitur per modum proprietatis rigorosæ, talis tamen non est defectu alicuius conditionis: & ita se habent attributa Diuina, quæ quidem concipiuntur per modum proprietatum, tales tamen non sunt defectu distinctionis. His positis

Scotus 28 Scotus *in 1. dist. 3. q.3.* existimat Ens habere proprias, ac rigorosas proprietates à se realiter distinctas, quæ neque ipsum formaliter includant, neque in illo formaliter includantur, ad eum modum, quo, vt ipse ait, differentiæ neque formaliter includunt Ens, neque in illo formaliter includuntur. Cum Scoto cōsentiunt aliqui Thomistæ, negant tamen tales proprietates formaliter non esse Ens.

29 Sed distinctione opus est. Dico primò: Ens, in quantùm Ens, non habet pro-
D.Thom. prietates rigorosas, Ita D.Thom. apud P.Aleman. *4. p. Sum. Philosoph. q.11. a.1.* Caietan. P.Alema.
Sot. Iauel. Soncin. & alij, quos citat, & sequitur P.Soar. *d. 3. s.1. n.4.* & 8. P.Fonsec. Caiet.
4. Met. c.2. q.3. P. Hurt. *in Met. d.3. à §.5.* P. Sot.
Tellez cit. *sect.2. n.1.* P.Arriaga *in Met. d.1.* Iauell.
sect.2. P. Compton. *in Metaphysic. disp.1. sect.1.* Soncin.
num. 5. Et probatur vno verbo, quia aut pro- P.Soar.
prietates Entis sunt entitates reales: aut non. P.Fonseca
Si sunt entitates reales, non sunt proprietates P.Hurt.
rigorosæ; quia hæ non debent includi in sub- P.Tellez
iecto: huiusmodi autem proprietates, cum sint P.Arriaga
Entia, includuntur in Ente, quod est earum P.Cōpton.
subiectum. Si non sunt entitates reales, etiam non sunt proprietates rigorosæ; nam hæ, vt patet ex primâ conditione, debent esse entitates reales.

30 Dico secundò: Ens habet aliquas proprietates non rigorosas, & vt vocant, attributa. Hæc est eorundem Doctorum. Et probatur, quia dantur aliquot prædicata de conceptu secundariò Entis, quæ concipiuntur ad instar proprietatum illius, & cum illo reciprocantur: huiusmodi sunt *Vnum, Verum, Bonum.* Vtrùm verò hæ proprietates includant Ens? &, Vtrùm addant aliquid supra illud? dicemus inferiùs agēdo de singulis in particulari.

§. 2.

Vtrùm proprietates Entis sint tantùm tres?

31 TErtia difficultas: Vtrùm Entis proprietates sint tātum tres, nec plures, nec pauciores? Videtur esse plures. Primò, quia non solùm *Vnum, Verum, & Bonum,* sed etiam prædicata *Res, & Aliquid* reciprocantur cum omni Ente. Secundò, quia *durare, & esse alicubi,* etiam reciprocantur cum omni Ente. Tertió, quia de omni Ente verum est quòd sit *actu, vel potentia: finitum, vel infinitum.* Quartó, quia de omni Ente verum est, quòd sit *amabile:* quòd sit *intelligibile*: ergo hæc omnia constituēt plures Entis proprietates.

32 Nihilominus tenenda contraria resolutio asserentium proprietates Entis esse tres.
Vnum, Verum, & Bonum, nec plures, nec paucio- Aristot.
res. Ita Aristotel. *4. Met. c.2.* D.Thom. apud D.Thom.
P.Alemanum *4. p. Summ. Philosoph. q.11 a.2.* P. P.Alema.
Soar. *d.3. s.2.* P.Fonsec. *4. Met. c. 2. q. 5. sect. 1.* P.Soares
P.Hurt. *in Met. d.3. §.54.* P.Arriag. *in Met. d.* P.Fons.
1. n.24. P.Tellez vbi proximè *n.2.* Resolutio P.Hurt.
habet duas partes: prima est, quòd illæ tres P.Arriaga
proprietates *Vnum, Verum, Bonum,* sint distin- P.Tellez
ctæ: secunda, quód præter illas non reperiatur alia. Prima probatur, quia *Vnum* dicit negationem diuisionis; *Verum* connotat intellectum;

ctum; *Bonum* connotat voluntatem: hæc autem sunt diuersa. Et declaratur, quia eorum contraria sunt diuersa; nam Vnitas opponitur multitudini; Veritas falsitati; Bonitas malitiæ: quæ omnia sunt diuersa. Secunda pars non aliter meliùs probari potest, quàm defendendo nullam aliam proprietatem esse assignabilem. Et hoc cõstabit ex solutione eorum, quæ pro parte contrariâ adducuntur.

33 Ad primum, respondeo prædicatum *Res* comparatione Entis posse sumi dupliciter: primò prout idem significat atque *Ens*; & tunc clarum est non esse proprietatem Entis; siquidem cum illo coincidit: proprietas verò debet supponere subiectum, cuius est proprietas. Secundò, potest *Res* sumi prout abstrahit ab existentiâ, & sic potest comparari cum Ente prout Ens significat existentiam, ac dicit *rem existentem*: & in hoc sensu *Res* est de primario, licèt inadæquato; conceptu Entis, ac proinde non eius proprietas. Dixi *non adæquato*, quia Ens in hâc acceptione includit duo, nimirum *rem*, & *existentiam*. Prædicatum, *aliquid*, similiter potest sumi dupliciter: primò, prout idem significat atque *Ens*; & in hoc sensu non est eius proprietas, vt patet ex dictis. Secundò, prout significat *aliud quid*, & dicit de formali distinctionem ab alio, seu negationem identitatis cum alio. Verùm hæc negatio aut includitur formaliter in *Vno*, quod definitur *Indiuisum in se, & diuisum à quouis alio*: aut certè ad illius explicationem spectat; vnde ad illud commodiùs reuocatur.

34 Ad secundum, respondeo *durationem*, & *præsentiam alicubi* conuenire Enti solùm contingenter, sicut competit ipsa existentia, quam sequuntur, & ratione cuius competunt ipsi Enti.

35 Ad tertium respondeo, primò, nos non loqui de proprietatibus complexis, qualia sunt *esse actu, vel potentia*; *finitum, vel infinitum* respectu Entis; solùm loquimur de proprietatibus simplicibus. Respondeo secundò, *esse actu, vel potentia*; *finitum, vel infinitum*, esse potiùs diuisiones Entis illud contrahentes, quã eius proprietates, vt patet.

36 Ad quartum, dico denominationes *amabilis*, & *intelligibilis* reuocari ad *Bonum*, & ad *Verum*. Non nego cum P. Soar. cit. *n*. 12. posse excogitari aliquas denominationes, quæ aliquomodo sint proprietates Entis; diximus tamen illas tantùm tres versari in scholis, & vsu Philosophorum esse receptas, & esse sufficientes ad explicandam naturam Entis, talesque, vt ad eas cætera possint reuocari. *P. Soares*

§. 3.

Quem ordinem proprietates Entis seruent inter se?

37 QVarta difficultas: Quẽ ordinẽ seruent inter se proprietates Entis? Proprietates Entis possunt inter se comparari, aut quòad perfectionem, aut quòad prioritatem. Dico primò: *Vnum* est prius *Vero*, & *Bono*. Ita cum Aristotel. D. Thom. apud P. Aleman. 4. *p. Sum Philosoph. q.* 11. *art.* 3. Soncin. Iauel. quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.* 3. *s.* 2. *n.* 8. P. Hurtad. *in Met. disp.* 7. *§.* 1. P. Compton. cit. *n.* 8. Et probatur, quia *Vnum* est proprietas absoluta, *Verum* respicit intellectum, & *Bonum* voluntatem: at verò absoluta sunt priora respectiuis. Dices; etiam *Vnum* prout dicit diuisionem ab alio importat habitudinem ad illud. Respondeo primò, hanc diuisionem ab alio esse secundariam in *Vno*: de eius primariâ ratione solùm est, quòd sit indiuisum in se; vnde Deus vnus foret, etiamsi nullum aliud Ens foret possibile. Respondeo secundò, dato quòd *Vnum* aliquo modo respiciat aliud, illud respicere abstractiuè solùm secundùm rationem Entis; *Verum* autem, & *Bonum* respiciunt aliud secundùm rationem talis Entis, intellectus scilicet, & voluntatis: at veró in quolibet Ente prior est ratio Entis, quàm talis Entis. *Aristot. D. Thom. P. Aleman. Soncin. Iauell. P. Soares P. Hurt. P. Compt.*

38 Dico secundò: *Verum* est prius *Bono*. Ita D. Thom. apud P. Aleman. cit. P. Soar. cit. *n.* 8. P. Hurt. similiter citatus. Probatur primò, quia *Verum* dicit ordinem ad intellectum; *Bonum* ad voluntatem: intellectus autem est prior voluntate. Secundò, quia *Bonum* fundatur in *Vero*, ideò enim sanitas est bona, quia est vera. *D. Thom. P. Aleman. P. Soar. P. Hurt.*

39 Dico tertiò: Nulla harum proprietatum est aliâ perfectior. Ita P. Soar cit. *n.* 9. Et probatur, quia aut possunt considerari secundùm suum esse formale, quod addunt supra Ens: aut secundùm suum esse fundamentale, quod consistit in ipso Ente. Primo modo, cùm non sint Ens, nullam habent perfectionem dictam in recto; hæc enim recurrit cum Ente. Secundo modo, omnes proprietates habent omninò eandem perfectionem; omnes enim dicunt, & afficiunt idem Ens. Quòd si sumantur secundùm id, quod dicunt in obliquo, perfectius erit *Verum*, quàm *Bonum*; quia *Verum* connotat intellectum, *Bonum* verò voluntatem: intellectus autem est perfectior voluntate. Vtrumque scilicet, *Verum*, & *Bonũ* erit perfectius *Vno*, quia illud aut nihil con-

notat, aut connotat gradum communissimum Entis, qui quidem est imperfectior gradu magis contracto.

SECTIO III.

De Vno, *quod est prima Entis proprietas.*

40 PRIMA difficultas: Vtrùm *Vnum* consistat in positiuo: an potiùs in negatiuo? Nōnulli existimant *Vnum* addere supra Ens aliquid positiuum distinctum ex naturâ rei ab ipso Ente, in eoque cōsistere. Ita Auicen. *l.7.Metaph.c.2.* Scot. 4 *Met.q.2.* & *in 2. dist.3.q.2.* Antonius Andreas 4.*Met. q.* 3. Alij opinantur *Vnum* addere quidem supra Ens aliquid positiuum, non tamen ex naturâ rei, sed solùm virtualiter distinctum à naturâ, & essentiâ ipsius Entis. Ita D. Bonauent. *in* 1. *dist.*23.*a.*1.*q.* 1. Alexand. de Ales 1.*p. q.*13. *memb.* 1.& 2. Sot. *in Log. c. de Propri. q.* 2. *ad* 2. P. Vasq. 1.*p. d.*128. *c.*2. P. Ouied. *in Met. controuers.*3. *punct.* 1. *à n.*21. P. Hurt. *in Met. d.* 4. §.16. Probatur, quia Deus per suam entitatem est vnus à parte rei: ergo idem dicendum de Ente. Secundó, quia punctum per suā entitatē est indiuisibile. Probo hoc, quia per suā entitatem distinguitur á lineâ; distinguitur autem ab eâ in eo, quòd illa sit diuisibilis; ipsum veró punctum indiuisibile. Tertió, quia indiuisio Entis compositi est vnio positiua: ergo indiuisio Entis simplicis erit vnitas positiua. Quartò, quia vnitas opponitur negationi ipsius vnitatis, ab eâque negatur: ergo est quid positiuum; neque enim datur negatio alterius negationis. Quintò, quia *Vnum* dicit perfectionem; suscipit magis, & minùs; hæc autem sunt propria Entis positiui; nam negatio, neque est perfectio, neque suscipit magis, & minùs. Sextó, quia si consisteret in negatiuo: aut negaret aliquid positiuum; & hoc non, quia Ens nullum positiuum excludit: aut negaret aliquid negatiuum; & hoc etiam nō, quia non datur negatio negationis.

[Margin: Auicen. Scot. Ant. And. D. Bonau. Alexand. Sot. P. Vasq. P. Ouiedo P. Hurt.]

41 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium *Vnum*, prout est proprietas Entis, addere supra illud solam negationem, in eâque consistere. Ita cum Aristot. D. Thom. apud P. Aleman. 4.*p. Sum. Philosoph. q.*12. *a.*4. Capreol. Caietan. Durand. Gabr. Gregor. Henric. Socin. Iauell. Iandun. quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.* 4. *s.*1. *n.*6. P. Fonsec. 4.*Met. c.* 2. *q.* 5. P. Gil. *tom.* 1. *l.* 2. *tract.*3. *c.*4. *n.*4. P. Fassol. 1.*p. q.*12. *dub.*7. & 8. P. Tellez *disp.*1. *sect.* 2. *n.*1. P. Arriag. *in Met. disp.*1. *n.*38. Et probatur, quia aut *Vnum* adderet aliquid positiuum rationis: aut aliquid positiuum reale. Non primum, tum quia nullum conuenienter potest fingi, nisi fortè aliqua relatio; *Vnum* autem non est respectiuum: tum quia vnitas Entis datur á parte rei independēter ab operatione intellectûs. Non item addit aliquid positiuum reale; nam hoc aut foret extrinsecum; aut intrinsecum ipsi Enti: non extrinsecum, quia nullum apparet, à quo Ens denominetur *Vnum*: non intrinsecum, quia vel hoc distingueretur ex naturâ rei, vel virtualiter ab ipso Ente: quocunque dato illud positiuum intrinsecum etiam foret Ens, & fieret vnum per aliam entitatem, & hæc per aliam, & sic in infinitum. Confirmatur hæc doctrina, quia præciso ab vno Ente omni positiuo realiter, aut virtualiter distincto ab eius essentiâ, adhuc tale Ens intelligitur *Vnum* per solam negationem diuisionis in se, & á quouis alio: ergo in hâc negatione consistit vnitas.

[Margin: Aristot. D. Thom. P. Aleman. Capreol. Caiet. Durand. Gabr. Gregor. Henric. Socin. Iauell. Iandun. P. Soares P. Fons. P. Gil. P. Fassol. P. Tellez P. Arriaga]

§. I.

Argumenta soluta.

42 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quātenus dicit Deum per suam entitatem esse vnum) respondeo distinguendo Antecedens: Deus per suam entitatem est vnus fundamentaliter, cōcedo: formaliter, nego Antecedens (& idem dicendum de Ente.) Est, inquam, Deus vnus fundamentaliter, non formaliter per suam entitatem ad eum modum, quo Petrus per suam entitatem est fundamentaliter diuersus à Paulo: & duæ albedines per suas entitates sunt fundamentaliter similes; formaliter non, nisi per relationem.

43 Ad secundum (quātenus asserit punctum per suam entitatem esse indiuisibile) respondeo punctum posse sumi dupliciter: primó, secundum suam indiuisibilitatem positiuam, & sibi essentialem: secundó, secundùm indiuisibilitatem negatiuam, quæ fundatur in positiuâ. Prima est de essentiâ pūcti: secūda est eius proprietas logica. Pari passu philosophari potes in vnitate Entis, nam hæc etiam potest sumi dupliciter: primò, secundùm suum esse positiuum, quod, cùm sit Ens, non potest esse eius proprietas, cùm hæc debeat esse extra subiectum, cuius est proprietas: secundò, potest vnitas sumi secundùm suū esse negatiuū, quod in positiuo fundatur, hoc est, extra Ens, ac proinde potest esse eius proprietas.

Ad

44 Ad tertium (quâtenus dicit quòd indiuisio Entis compositi est vnio positiua: ergo etiam indiuisio Entis simplicis erit vnitas positiua) concedo id de vnione, & nego de vnitate. Diuersa ratio est, quia vnio est pars compositi, seu Entis per se; ac proinde debet esse positiua: vnitas verò non est pars, sed proprietas Entis; ac proinde debet esse extra illud, quod intelligi non potest, nisi ipsa vnitas sit non-Ens.

45 Ad quartum (quâtenus dicit vnitatem opponi negationi ipsius vnitatis: & inde infert esse aliquid positiuum) respondeo distinguendo Antecedens: Vnitas fundamentalis opponitur negationi, ab ipsâque negatur, concedo Antecedens: vnitas formalis opponitur negationi indiuisionis, nego Antecedens. Itaque vnitas potest sumi vel fundamentaliter, vel formaliter: primo modo, est quid positiuum, & forma negata negationis vnitatis: secundo modo, est quædam negatio remouens diuisionem materialem, & positiuam.

46 Ad quintum (quâtenus asserit *Vnum* dicere perfectionem; suscipere magis, & minùs) respondeo dicere perfectionem, & suscipere magis, & minùs non formaliter ratione sui, sed materialiter ratione fundamenti. Instabis: *Verum* addit supra Ens connotationem ad intellectum, *Bonum* connotationem ad voluntatem: ergo etiam *Vnum* addet connotationem ad negationem, quæ connotatio, cùm sit positiua, dicendum erit, *Vnum* consistere in positiuo. Scio hâc ratione ductos plures Magistros contrariam sententiam tenere. Respondeo tamen negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia *Verum* consistit in veritate sumptâ in concreto, *Bonum* in bonitate similiter sumptâ in concreto; veritas autem non est intellectus, sed conformitas, seu connotatio ad intellectum; similiter bonitas non est voluntas, sed connotatio ad illam: at verò vnitas est indiuisio, seu negatio diuisionis, in hâc igitur sumptâ in concreto collocãdum est *Vnum*. Et confirmatur, quia album substantiuum non consistit in connotatione ad albedinem, sed in ipsâ albedine sumptâ in concreto; similiter nigrum non consistit in connotatione ad nigredinem, sed in ipsâ nigredine sumptâ in concreto: ergo etiam *Vnum* non consistit in connotatione ad vnitatem, sed in ipsâ vnitate sumptâ in concreto.

47 Ad sextum (quâtenus dicit non apparere quodnam positiuum neget *Vnum*: & inde infert non esse quid negatiuum) respondeo *Vnum* negare, & excludere pluralitatem materialem, seu positiuam, non confusè, sed expressè sumptam. Neque obstat quód omnia entia includantur in Ente: non enim includuntur in illo sumpta sub conceptu expresso, sed sub conceptu confuso, v. g. Substantia, & Accidens non includuntur in Ente sub conceptu expresso Substantiæ, vel Accidentis, sed sub conceptu confuso Entis: sic etiam pluralitas positiua includitur in Ente sumpta sub conceptu confuso Entis, non sumpta sub conceptu expresso pluralitatis.

§. 2.

Quid neget Vnum: *& quotuplex sit?*

48 Secunda difficultas: Quid neget *Vnum*? Tres sunt formæ, seu diuisiones, de quibus potest esse dubitatio, nimirum *diuisio in se, diuisio à se, & diuisio à quouis alio*. Verùm *in Log. tract.* 3. *à n.* 17. ostendimus vnitatem formalem, quæ est proprietas Entis, negare *diuisionẽ in se*: cæteris duabus diuisionibus respondere alias duas negationes distinctas, quæ vnitatem formalem consequuntur, & illam quasi proprietates logicæ, ac inseparabiles comitantur. Videatur locus citatus.

49 Tertia difficultas: Quotuplex sit *Vnum*? Hæc erat huius loci propria, illam tamẽ resoluimus, & latè declarauimus *in Log. tract.* 3. *à n.* 101. vbi totâ *Disputatione* de Vnitate Vniuersalis egimus de Vnitate formali numerali, & præcisionis, ad quæ omnia me remitto.

§. 3.

Vtrùm Vnum *substantiuum dicat in recto solam negationem?*

50 Quarta difficultas: Vtrùm *Vnum* dicat in recto solam negationẽ, an etiam subiectum? Non est quæstio de *Vno* adiectiuo; hoc enim dicit in recto subiectum, nimirum Ens, & in obliquo vnitatem, seu negationem, ad eum modum, quo album sumptum adiectiuè dicit in recto habens albedinem, & in obliquo, nimirum in accusatiuo, ipsam albedinem, vt est manifestum, & *tractatu sequenti* ostendemus. Solùm loquimur de *Vno* substantiuo, & hoc præter negationem dicere etiam in recto ipsum subiectum, nempe Ens, videntur existimare Soncin. Iauell. Fland. Iand. Capreol. & Sot. quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.* 4. *s.* 1. *n.* 3. & 7. P. Vasq. 1. *p. d.* 128. *n.* 1. P. Valent. ibidem *q.* 10. *art.* 1. *punct.* 1. P. Arriag. cit. *n.* 3. Eorum fundamentum est, quia *Vnum* non dicitur vniuocè de *Vno*, quod est proprietas Entis realis; & de *Vno*, quod est proprietas Entis rationis;

Soncin. Iauell. Fland. Iand. Capreol. Sot. P. Soarez P. Vasq. P. Valent. P. Arriaga

rationis; & tamen vtrunque dicit eandem negationem: ergo signum est, quòd præter illam vtrunque etiam dicat in recto ipsum Ens.

51 Nihilominus dicendum *Vnum* sumptum substantiuè dicere in recto solam negationem: subiectum in obliquo. Ita D. Thom. & Caiet. quos citat, & sequitur P. Fonsec. *c.* 2. *q.* 5. *f.* 5. P. Gil. *tom.* 1. *l.* 2. *tract.* 3. *c.* 2. *n.* 10. & iterum *c.* 4 *n.* 4. Probatur, quia album substantiuè idem est, ac albedo in subiecto, seu connotans subiectum: vnde patet dicere albedinem in recto, subiectum verò in obliquo: ergo idem dicendum de *Vno* sumpto substantiuè, nam *Vnum* substātiuum est vnitas in subiecto. D. Thom. Caiet. P. Fons. P. Gil.

52 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondeo, *Vnum* reale, & *Vnum* rationis distingui specie per diuersa subiecta, quæ dicunt in obliquo; nam *Vnum* reale dicit in obliquo Ens reale, & *Vnum* rationis dicit in obliquo Ens rationis. Et notandum est mutationem in ijs, quæ dicuntur in obliquo, inducere discrimen essentiale, vt patet in *albo* substantiuo, quod distinguitur essentialiter ab *albedine* per id, quod album addit in obliquo: & sic dicendū de quolibet concreto substantiuo, quod per id, quod dicit in obliquo, distinguitur essentialiter á suo abstracto. De hoc pleniùs *tract. sequenti.*

SECTIO IV.

De Vero, *quod est secunda Entis proprietas.*

53 VERITAS triplex est in significando, in cognoscendo, & in essendo. Veritas *in significando* est illa, quæ datur in vocibus, in scriptis, & in conceptibus, quatenus sunt Signa. De hac latè *in Logica*. Veritas *in cognoscendo*, alio nomine dicitur *formalis*, & consistit in conformitate cognitionis cum suo obiecto. De hac etiam *in Logica*. Veritas *in essendo*, quæ Metaphysicæ, & huius loci propria est, alio nomine dicitur *transcendens*, & consistit in conformitate rei cum cognitione; per hanc *Socrates* est verus homo; *Christus Dominus* verus homo, & verus Deus; *Aurum* verum aurum &c.

(*?*)

§. I.

Quid sit Veritas transcendens?

54 PRima difficultas: Quid sit, & in quo consistat Veritas transcendēs, seu conformitas illa rei cum intellectu? Quatuor sunt opiniones. Prima asserit consistere in aliquo reali absoluto à parte rei, vel saltem virtualiter distincto ab ipso Ente. Ita Capreol. Soncin. Iauel. & alij Thomistæ apud P. Soar. paulò inferiùs citandum. Secunda sententia docet Veritatem transcendentem consistere in aliquâ relatione aut reali, vt aliqui asserunt apud P. Soar. aut rationis, vt malunt Durand. & Caietan. quos citat, & sequitur P. Fonsec. 4. *Met. c.* 2. *q.* 6. *sect.* 2. P. Molina 1. *p. q.* 16. *d.* 2. P. Vasq. ibidem *d.* 77. *c.* 4. Tertia sententia contendit Veritatem consistere in solâ negatione Entis ficti: per hanc, inquiunt, aurum est verum aurum, & non fictum. Ita sentire videtur Aureol. apud Capreol. *in* 1. *dist.* 13. *q.* 3. Hanc expresse tenet P. Compton. *in Met. d.* 3. *sect.* 1. *n.* 2. Quarta sententia tenet Veritatem consistere in solâ denominatione extrinsecâ desumptâ á cognitione verâ, quæ sicut in quātùm cognitio denominat rem cognitam, ita in quantùm vera denominat rem veram. Ita Caietan. 1. *p. q.* 16. *a.* 6. *in fine*. Eam probabilem existimat P. Vasq. vbi suprá *d.* 77. *c.* 4. Capreol. Soncin. Iauel. P. Soar. Durand. Caiet. P. Fonseca P. Molina P. Vasq. Aureol. Capreol. P. Compt. Caiet. P. Vasq.

55 Nihilominus neutra harum opinionum nobis placere potest. Vt omnes meliùs reijciantur, & quid nobis hac in re tenendum sit, commodiùs aperiatur. Dico primò: Veritas secundùm id, quod addit supra Ens non consistit in aliquo absoluto realiter, vel virtualiter distincto ab ipso Ente. Ita plures Doctores, quos paulò inferiùs subijciemus. Probatur primò, quia præciso illo absoluto distincto, adhuc Ens manet verum, & non falsum in ordine ad intellectum. Secundò, quia illud absolutum distinctum etiam foret Ens: & consequenter verum per aliquid aliud distinctum, & sic in infinitum.

56 Dico secundò: Veritas transcendēs non est aliqua relatio siue realis, siue rationis. Non realis primò, quia Veritas formalis non consistit in relatione cognitionis ad obiectū: ergo Veritas transcendens non consistet in relatione obiecti ad cognitionem. Secundò, quia in Deo datur Veritas transcendens, non tamen aliqua relatio realis, quâ dicatur verus. Tertiò, quia relatio realis requirit existentiam extremorum: Veritas autē datur antequam cognitio existat. Non est etiam relatio rationis, quia Veritas non est Ens rationis, nec depen-

dae

det ab operatione intellectûs: imó licèt nullum posset concipi, aut fingi Ens rationis, adhuc Deus esset verus, & aurum verum.

57 Dico tertiò: Veritas transcendens non est negatio Entis ficti. Hæc est eorundem Auctorum. Et probatur primò, quia Veritas formalis cõsistit in conformitate positiuâ cognitionis cum obiecto: ergo etiam Veritas transcendens consistet in conformitate positiuâ obiecti ad cognitionem. Secundò, quia Falsitas est negatio *Veri*, ad eum modum, quo malitia est negatio *Boni*: ergo *Verum* consistit in aliquo positiuo; sin minùs dabitur negatio alterius negationis, quod fieri non posse ostẽdimus in *Log. tract.4. à n.* 39. Tertiò, quia per solam negationem Entis ficti non intelligitur Ens verum; nam lignum habet negationem auri ficti, seu aurichalci: & tamen non est verum aurum.

58 Dico quartó: Veritas transcendens non est sola denominatio extrinseca desumpta á cognitione verâ. Ita Aristoteles 2. *Met. t.* 4. D.Thom. 1. *contra Gentes cap.* 60. Auicenn. *in Met. tract.* 1. *c.* 6. & *tract.* 1. *c.* 6. D.August. *lib de vera Relig. c.* 36. D.Anselm. *Dialogo de Verit. cap.* 12. & alij quos citat, & sequitur P.Soar. *in Met. d.* 8. *f.* 7. *à n.* 21. Et probatur, quia sola extrinseca denominatio non potest esse alicuius proprietas; hæc enim debet prouenire ab intrinseco, & fluere ab essentiâ, in quâ radicatur; sed Veritas est proprietas Entis: ergo non potest consistere in solâ denominatione extrinsecâ. Et confirmatur, quia id, quod est perfectius Ens, est perfectius verum Veritate rei, seu transcendentali, vt loquitur D.Thom. *q. de Veritate art.* 4. ergo hæc Veritas non consistit in solâ denominatione extrinsecâ; sin minùs omnia vera essent æqualia.

Aristot. *D.Thom.* *Auicen.* *D.Aug.* *D. Ansel.* *P.Soar.* *D.Thom.*

59 Dico quintò: Veritas transcendens consistit in conformitate rei ad vocem, seu cõceptum possibilem, v.g. aurum est verum aurum, quia est conforme huic voci possibili, seu conceptui *aurum*, & aurichalcum est verum aurichalcum, quia est conforme huic voci, seu conceptui *aurichalcum*, & est falsum aurum, quia non est conforme huic voci, seu conceptui *aurum*: sic etiam Ens est verum, quia est cõforme huic voci, seu conceptui *Ens*, & chimæra non est verum Ens, quia non est conformis huic voci, seu conceptui *Ens*. Hæc est doctrina D. August. asserentis: *Verum est id, quod ita se habet, vt videtur cognitori, si velit, et possit cognoscere.* Hæc etiam est doctrina D.Thom. Caiet. & aliorum, quos citant, & sequuntur P. Hurt. *in Met. d.* 7. *n.* 15. & 16. P. Vasq. 1. *p. d.* 77. *c.* 4. & 5. P. Arriaga *in Met. d.* 1. *n.* 100. P. Tellez *disp.* 51. *sect.* 2. *n.* 5. P. Ouied. *in Metaph. controuers.* 3. *punct.* 3. Et probatur in primis exemplo Veritatis formalis, quæ consistit in conformitate cognitionis cum obiecto: ergo Veritas transcendens consistet in conformitate rei cum cognitione. Deinde, quia positâ, vel sublatâ hâc conformitate intelligitur poni, aut tolli Veritas transcendens.

D.Aug. *D.Thom.* *Caiet.* *P.Hurt.* *P.Vasq.* *P. Arriaga* *P. Tellez* *P.Ouiedo*

60 Quæres primó, In quo consistat, & quid addat hæc conformitas supra Ens? Respondeo cõsistere in connotatione ad intellectum; & supra Ens, quod dicit in recto; addere in obliquo intellectum, seu *ad intellectum*, hoc est, non addit intellectum, sed *ad intellectum*. Quod plures non intelligunt, quia non aduertunt discrimen, quo distinguuntur *intellectus*, & *ad intellectum*; seu intellectus in recto, & intellectus in obliquo, hoc enim est *ad intellectum*.

61 Quæres secundò, An sit solùm in ordine *ad intellectum* Diuinum; an etiam in ordine *ad intellectum* creatum? Respondeo principaliùs esse in ordine *ad intellectum* Diuinum: minùs principaliter in ordine *ad intellectum* creatum. Ita D.August. *lib.* 2. *soliloquiorum c.* 5. D. Anselm. *Dialogo de Veritate cap.* 9. D.Thom. 1 *p. q.* 16 *a.* 1. & 1. *contra Gentes c.* 60. P. Soar. cit. *à n.* 26 P. Hurt. cit. *f.* 17.

D. Aug. *D. Ansel.* *D.Thom.* *P.Soar.* *P.Hurt.*

62 Dices: Si nullus foret possibilis intellectus neque Diuinus, neque creatus, adhuc Ens esset verum: ergo Veritas transcendens non est per ordinem ad intellectum. Respondeo in eo euentu Ens non esse, nec intelligi verum Veritate transcendentali formali, sed solùm fundamentali.

§. 2.

Vtrùm Veritas transcendens sit conformitas cum cognitione in ratione cogniti ad cognoscentem: an in ratione mensurati ad mensuram?

63 Secunda difficultas: Vtrùm Veritas transcendens, seu conformitas rei ad intellectum, sit in ratione mensurati ad mẽsuram, seu in ratione effectûs ad causam exẽplarem: an potiùs in ratione cogniti ad cognoscentem? Videtur esse in ratione mensurati ad mensuram, seu effectûs ad causam exemplarem. Primò, quia Ideæ Diuinæ sunt causæ exemplares & mensuræ omnium rerum creatarum: Veritas autem transcendens est in ordine ad Ideas Diuinas. Secundò, quia si esset solùm in ratione cogniti ad cognoscentẽ, etiã Ens rationis foret verũ, quia etiã conformatur intellectui in ratione cogniti ad cognoscentẽ.

Nihilo-

64 Nihilominus dicendum videtur esse in ratione cogniti ad cognoscentem. Ita P. Soar. cit. sect. 7. n. 30. P. Hurt. d. 7. §. 16. Et probatur, quia in Deo non potest alia Veritas intelligi, cùm nulla in eo detur ratio mensurati, seu effectûs; & tamen in eo intelligitur summa, & perfectissima ratio Veritatis. In rebus quidem creatis reperiuntur illæ rationes mensurati ad mensuram in ordine ad Ideas Diuinas, & ad cognitionem practicam ipsarum creaturarum, per accidens tamen se habēt ad Veritatem, quia quamuis nō darentur adhuc creaturæ, ratione conformitatis cogniti ad cognoscentem haberent Veritatem.

P. Soarez
P. Hurt.

65 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo negando Veritatē transcendentem esse in ordine ad Ideas Diuinas; nam Veritas Diuina est perfectissima: & tamen non est in ordine ad illas.

66 Ad secundum, respondeo *Verum* dicere in recto Ens reale; cùm autem conformitas cogniti ad cognoscentem, quæ in Ente rationis reperitur, nullo modo dicat Ens reale, nullo etiā modo dici potest Veritas transcendēs.

§. 3.

Vtrùm Veritas transcendens coincidat cum intelligibilitate?

67 Tertia difficultas: Vtrùm Veritas transcendens sit idem, ac intelligibilitas? Videtur coincidere cum illâ, quia positâ, & sublatâ intelligibilitate ponitur, & tollitur Veritas transcendens.

68 Nihilominus distinctione opus est: nam intelligibilitas potest sumi dupliciter. Primó, pro non repugnantiâ, quam res habet, vt intelligatur. Secundò positiuè pro fundamento illius, nimirum pro conformitate rei ad intellectum: & hoc modo adhuc sumi potest, aut in ordine ad cognitionem, prout præscindit á verâ, vel falsâ: aut in ordine ad cognitionem veram, attingentem scilicet obiectū, prout in se est. His positis

69 Dico primó: Veritas transcendens distinguitur ab intelligibilitate sumptâ negatiuè. Hæc Conclusio est omnium communis. Et probatur primó, quia Veritas, cùm sit conformitas, dicit adæquationem positiuam. Secundò, quia idcircò non repugnat rem intelligi, quia est vera. Tertió, quia Veritas formalis consistit in conformitate positiuâ cognitionis ad obiectum: ergo Veritas transcendens consistet in cōformitate positiuâ obiecti ad cognitionem.

70 Dico secundó: Veritas transcendens distinguitur ab intelligibilitate positiuâ sumptâ primo modo, hoc est, in ordine ad cognitionem, prout præscindit á verâ, vel falsâ. Hæc Conclusio est manifesta: & probatur, quia res non conformatur cum cognitione falsâ: Veritas autem consistit in conformitate.

71 Dico tertiò: Veritas transcendens coincidit cum intelligibilitate positiuâ sumptâ secundo modo. Et probatur, quia illâ positâ, aut sublatâ intelligitur primarió poni, vel tolli Veritas transcendens: ergo recurrunt.

§. 4.

Quo sensu obiectum ordinetur positiuè ad cognitionem: & quo sensu solùm negatiuè per non repugnantiam?

72 An autem hæc Veritas transcendens, seu intelligibilitas positiua; sit aliqua ordinatio per modum appetitûs positiui ad suum cognosci? Affirmat P. Arriaga cit. n. 107. Et id probat ex productione specierum ab obiecto; nam si obiecta ex suâ intrinsecâ ratione non peterent posse cognosci, non illis fuisset á naturâ indita virtus productiua specierum, quibus positiué exigunt cognosci. Et confirmatur, quia omnis actus positiuus est ab aliquâ potentiâ positiuâ: at veró species sunt actualis quædam intelligibilitas positiua: ergo proueniunt ab aliquâ intelligibilitate positiuâ sumptâ per modum appetitûs, seu potentiæ. P. Arriaga

73 Dicendum tamen videtur non esse aliquam ordinationem per modum appetitûs positiui, sed solùm Ens, cui est connexa intelligibilitas negatiua, seu non repugnantia, vt cognoscatur. Ita P. Ouied. *in Met. controuers.* 3. *punct.* 3. *n.* 11. P. Hurt. *in Met. d.* 7. *s.* 1. Probatur primó, quia hic appetitus est superfluus; & sufficit Ens, cui sola non repugnantia sit annexa: non sunt autem admittendæ nouæ entitates absque necessitate. Secundò, quia præciso illo appetitu, adhuc Ens manet verum, & vt tale intelligitur per solam non repugnantiam annexam. P. Ouiedo P. Hurt.

74 Neque primum fundamentum P. Roderici de Arriaga contrarium suadet. Nam obiectum potest considerari dupliciter: primò, quàtenus causa cognitionis, seu in ratione *principij motiui*; & sic non est dubium ordinari ad cognitionem, positiuè in genere causę efficientis, & fundare relationem realē; est enim vera causa. Secundó potest considerari, quàtenus terminus cognitionis, seu in ratione *principij terminatiui*, cui non repugnat cognosci; & sic

& sic non ordinatur positiuè ad cognitionem per modum appetitûs. Veritas transcendens non competit obiecto sumpto sub ratione *principij motiui*, seu productiui, sed illi sumpto sub ratione *principij terminatiui*. Et hoc est clarum, quia creaturæ sunt veræ in ordine ad cognitionem Diuinam; cùm tamen ad illam non habeant se productiuè, sed solùm purè terminatiuè. Ex dictis patet solutio ad secundum; dicendum enim est species, quæ producuntur ab obiecto non promanare ab illo, vt à principio terminatiuo, sed vt à principio motiuo: Veritas verò transcendens, vt constat ex dictis, subsequitur obiectum sumptum in ratione *principij terminatiui*, non *motiui*.

§. 5.

Vtrùm in eodem conceptu distinguatur Veritas formalis & transcendens?

75 QVarta difficultas: Vtrùm in eodem actu intellectûs distinguatur Veritas formalis à transcendente? Videtur non distingui, quia idcircò distinguerentur, quia Veritas formalis est in ordine ad obiectum; transcendens verò in ordine ad aliam cognitionem: atqui transcendens non est in ordine ad aliam cognitionem. Probo hanc Minorem, quia illa alia cognitio esset in ordine ad aliam, & sic in infinitum, quod non est admittendum.

76 Nihilominus dicendum videtur Veritatem formalem in eodem actu intellectûs distingui à transcendente. Ita P. Soares citat. *disp. 8. sect. 8 num. 7. & 8.* Probatur primò, quia Veritas formalis est in ordine ad obiectum; transcendens in ordine ad intellectum. Secundò, quia Veritas formalis de se est separabilis à cognitione; hæc enim propositio, *Petrus currit*, quæ contingenter est vera, potuit esse falsa: Veritas autem transcendens est proprietas inseparabilis: ergo distinguuntur. P. Soares

77 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondeo negando Veritatem transcendentem non esse in ordine ad aliam cognitionem; neque enim processus ille, qui arguitur est alicuius momenti; nam veritas transcendens solùm est in ordine ad cognitionem possibilem; nullum enim est inconueniens, quòd sint possibiles cognitiones non tot, quin plures in infinitum. Adde quòd Veritas transcendens primariò est in ordine ad cognitionem Diuinam, quæ cùm sit perfectissimè reflexa supra se ipsam, non est in ordine ad aliam.

§. 6.

De Falsitate.

78 QVinta difficultas: Quid sit Falsitas? Et quæri potest primò, In quo consistat? Respondeo consistere in difformitate rei ad cognitionem, hoc est, in carentiâ conformitatis. Et probatur, quia Malitia consistit in carentiâ rectitudinis debitæ: ergo Falsitas consistet in carentiâ conformitatis.

79 Quæri potest secundò, Vtrùm Falsitas detur in rebus, an in solis, nudisque conceptibus? Nonnulli existimant dari in rebus, quia oppositorum eadem est ratio; sed in rebus datur Veritas: ergo etiam Falsitas. Secundò, quia monstra habent intrinsecam Falsitatem: item hypocrita est iustus falsus: & aurichalcum est aurum falsum.

80 Nihilominus dicendum videtur Falsitatem non dari in rebus, sed in solis, nudisque conceptibus. Ita Aristotel. D. Thomas, Albert. M. Appollinaris, Ægid. Ferrar. & alij, quos citat, & sequitur P. Soars *in Metaphys. disp. 9. sect. 1. à num. 5* P. Fonsec. *4. Metaphys. cap. 2. q. 6 sect. 1.* P. Hurtad. *in Metaphys. disp. 7. §. 21.* P. Vasq. *1. p. disp. 77. num. 22.* Et probatur, quia in omnibus rebus datur Veritas transcendens: ergo in nullâ dari potest Falsitas; sin minùs in eodem subiecto daretur forma negata, & eius negatio. Dices: In conceptibus datur Veritas transcendens, & simul Falsitas, si ab obiectis difformentur. Respondeo dari Veritatem transcendentem, & simul Falsitatem formalem, quæ duo, cùm sint respectu diuersorum, non opponuntur: aliter dicendum de Veritate transcendenti, & simul de Falsitate transcendenti. Aristot. D. Thom. Albert. M. Apoll. M. Ægid. Ferrar. P. Soar. P. Fonsec. P. Hurt. P. Vasq.

81 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo illud Proloquium, *Oppositorum eadem est ratio*, solum esse verum in contrarijs, non in contradictorijs; sin minùs in Socrate, in quo est homo, dari posset eius oppositum non-homo. Ad secundum, respondeo negando monstra habere intrinsecam Falsitatem transcendentem; sunt enim de se nata gignere veram sui existimationem. Item hypocrita est verus hypocrita, & aurichalcum est verum aurichalcum: dici poterit hypocrita falsus iustus occasionaliter;

& aurichalcum similiter aurum falsum occasionaliter: nos verò loquimur de Falsitate trascendenti.

82 Quæri potest tertiò, Vtrùm Falsitas sit passio Entis? videtur esse passionem Entis, quia idcircò Veritas est illius passio, quia omne Ens potest verè cognosci: at verò etiam potest falsó cognosci.

83 Tenenda tamen resolutio negatiua cum communi apud P. Ouied. *in Metaph. controuers. 3. punct. 3. num. 9* (P. Ouiedo) Probatur, quia non datur in Ente, quâ tali, sed in solis, nudisque conceptibus: vnde solùm extrinsecè denominat res falsas, ad eum modum, quo ipsi conceptus solùm extrinsecè denominant res cognitas: proprietates verò debent esse intrinsecæ, vt constat ex suprà dictis *num.* 58. Secundó, quia falsum non dicit Ens reale in rectò, imó fictum, chimæricum, & rationis: loquimur autem de proprietate Entis realis; prout distinguitur ab Ente rationis. Tertiò, quia proprietas debet explicare aliquam perfectionem, quam certè explicat verum, & non explicat falsum. Quartó, quia alioquì Deus diceretur falsus; siquidem potest falsó cognosci. Ex dictis patet solutio ad fundamentum opinionis contrariæ.

SECTIO V.

De Bono, *quod est tertia Entis proprietas.*

84 NOn est dubium dari in rebus *Bonitatem*, constat hoc ex 1. *Genes. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè Bona*. (Genes. 1.) Illam admittit Aristoteles 1. *Ethicorum cap. 1.* (Aristot.) vbi definit, *Bonum* esse id, *quod omnia appetunt*. Videndum primo loco est, Quid sit *Bonitas*? Deinde, Quibus modis consideretur? Tertiò, In quo consistat *Bonitas* transcendens? Quartò, Vtrùm coincidat cum appetibili? Vltimó de Malitiâ, quæ est *Bonitati* opposita, sermo erit.

§. I.

Quid sit: & quot modis consideretur Bonum?

85 PRima difficultas: Quid: & quotuplex sit *Bonum*? Primum intelligi non potest, nisi prius explicetur secundum. Respondeo igitur *Bonum* esse triplex. Primum dicitur *Perfectum*, secundum *Conueniens alteri*: tertium *amabile*. Ita D. Thom. 1. p. q. 5. (D. Thom.) P. Molin. ibid. *d. vnica*, (P. Molina) P. Vasquez *disp.* 23. (P. Vasq.) P. Soar. *in Met. d.* 10. (P. Soares) P. Valent. *tom.* 1. *d.* 1. *q.* 6. (P. Valent.) P. Hurt. *in Met. d.* 7. *s.* 3. (P. Hurt.)

86 Perfectum dicitur illud, *cui nihil debitum deest, nec indebitum abundat, aut superfluit*. Diuiditur in *Perfectum simpliciter*, & in *Perfectum secundùm quid*. Perfectum simpliciter est illud, *cui nihil abundat, nec deest in vllo genere perfectionis sibi debitæ*. Perfectum secundùm quid est illud, *cui aliquid abundat, vel deest in aliquo genere, licèt in alijs generibus non desit*. Hoc, licèt secundùm quid sit bonum, & perfectum ratione perfectionum, quas habet in alio genere, simpliciter non est *Bonum*, sed Malum: hinc effluxit illud commune Philosophorum Axioma: *Malum ex defectu cuiusque, Bonum non nisi ex integra causa*. In hoc sensu dicitur malus equus, cui aliqua deest perfectio, nempe pernicitas, elegantia, coma, aut cauda: item dicitur mala manus, quæ sexto digito abundat. Perfectum simpliciter, aut tale est necessarió, cui scilicet nihil indebitum superfluere, aut debitum deesse poterit: & hoc conuenit soli Deo, qui solus in hoc sensu dicitur *Bonum*, iuxta illud, *Non est bonus nisi solus Deus*. (Marci 10. 18.) Aut tale est contingenter, cui scilicet saltem per Diuinam potentiam auferri potest aliquid debitum, aut superaddi indebitum: & hoc competit rebus creatis.

87 Conueniens alteri dicitur illud, *quod alij, seu in ordine ad aliud amatur*. Hoc rursùm triplex est: *Honestum, Iucundum, & Vtile*. Honestum dicitur illud, quod alij honestatem parit. Diuiditur in morale, & physicum. Morale est quod alij conuenit iuxta regulas rectæ rationis: physicum præscindit à regulis rectæ rationis. Iucundum, seu delectabile est illud, quòd alteri iucunditatem, & delectationem importat. Vtile illud, quod alteri vtilitatem præstat. De his latè *in Physic. tract. 2. à num.* 715.

88 Amabile non est respectiuum in ne alteri, seu in ordine ad alterum amatur; sed appetitur in se, quatenus est sibi conueniens præscindendo ab eo, quod alteri conueniat. Solùm dicit respectum ad appetitum: in ordine ad aliud dicitur absolutum, & per hoc distinguitur à Conueniente: nam Conueniens præterquan quòd respiciat appetitum, etiam respicit aliud, cui est conueniens.

Quid

§. 2.

Quid sit Bonum transcendens?

89 SEcunda difficultas: Quid sit Bonum: & in quo consistat Bonitas transcendens? In primis suppono non consistere in aliquo intrinseco siue relatiuo, siue absoluto; siue realiter, siue virtualiter distincto ab Ente. Ita P. Soar. *in Metaph. disp.* 10. *sect.* 1. & patet ex his, quæ in simili diximus agendo de Veritate *n.* 55. Tota dubitatio est, Vtrùm consistat in perfecto: an potiùs in conueniente: an in amabili? Tres sunt opiniones: prima asserit *Bonitatem* transcendentem consistere in perfecto. Ita P. Vasq. 1 *p. disp.* 33. *cap.* 5. P. Comptonus citat. *sect.* 2. *num.* 3. eius fundamentum est, quia perfectum dicitur de omni Ente, & cum illo reciprocatur. Secunda opinio contendit *Bonitatem* transcendentem consistere in conueniente. Ita P. Soar. *disp.* 10. *sect.* 1. *num.* 14. P. Arriaga cit. *num.* 116. Et fundamentum est, quia conueniens dicitur de omni Ente: & cum illo reciprocatur: dicitur, inquam, de omni Ente, quia Deus est *Bonum*, seu conueniens creaturis; Substantia accidentibus; accidentia Substantiæ: in ò etiam actus praui, & erronei sunt boni suis effectibus, & habitibus, quos producunt: Qualitas torquens Dæmones, de quâ poterat esse maior dubitatio, est optima ad torquendum.

P. Soares

P. Vasq.
P. Cōpton.

P. Soar.
P. Arriaga

90 Nihilominus probabilior videtur tertia sententia asserentium *Bonitatem* transcendentem consistere in amabili, seu appetibili, prout distinguitur á conueniente. Ita Aristoteles 1. *Ethicor. cap* 1. D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 1. Caietan. ibidem, P. Valent. *tom.* 1. *q.* 16. *punct.* 3. P. Hurt. *in Met. d.* 6. §. 41. P. Molin. 1. *p. d.* 5. *q. vnic.* P. Fons. 4. *Metaph. c.* 2. *q.* 7. *sect.* 5. Hæc resolutio, vt meliùs intelligatur, & declaretur,

Aristot.
D. Thom.
Caiet.
P. Valent.
P. Hurt.
P. Molina
P. Fons.

91 Dico primò. *Bonum* transcendens non consistit in perfecto. Probatur, quia perfectum non distinguitur ab Ente; aut enim supra illud addit ipsius partes essentiales: aut accidentales. Non essentiales, quia hæ non supponunt Ens, imó illud constituunt; & sunt ipsum Ens. Non accidentales, quia hæ in primis non dantur in omni Ente; v. g. in Deo, qui tamen est summè *Bonus*. Deinde illis præcisis, adhuc Ens in suâ essentiâ intelligitur *Bonum*. Adde, quód ipsæ partes accidentales etiam sunt Ens; ac proinde etiam bonæ per additionem aliarum partium accidētalium, & sic in infinitum.

92 Dico secundó. *Bonum* transcendens non consistit in conueniente respectiuo alterius. Probatur, quia si vnum tantùm Ens in ordine ad solum appetitum foret possibile, satè non esset conueniens alteri: & tamen esset *Bonum*. Declaratur hoc in Deo, qui etiam si nulla foret possibilis creatura, cui ipse respectiuè foret conueniens, adhuc in eo daretur summa bonitas transcendens in ordine ad appetitum Diuinum.

93 Dico tertiò. *Bonum* transcendens consistit in amabili, seu appetibili absoluto. Et probatur, quia ita se habet *Verum* ad Intellectum, ac *Bonum* ad appetitum, seu Voluntatem; atqui *Verum* transcendens consistit in intelligibili positiuo: ergo *Bonum* transcendens consistet in appetibili, seu amabili. Et confirmatur, quia sicut intelligibile; ita & amabile conuenit omni Enti, cum eoque reciprocatur.

94 Ex dictis patet solutio ad fundamentum primæ opinionis P. Vasq. & ad fundamentum secundæ opinionis P. Soarij. Ad primum enim dicendum est, quod perfectum non distinguitur ab Ente, si perfectum dicit partes essentiales; si autem dicit partes accidentales, non conuenit Deo. Ad secundum dicendum est conueniens alteri non reciprocari cum omni Ente in euentu, quo vnum tantùm foret possibile.

95 Ex dictis colliges in quo *Bonitas* consistat, & quid addat supra Ens. Dicendum enim est consistere in connotatione ad appetitum, & supra Ens, quod dicit in recto, addere in obliquo voluntatem, seu *ad voluntatem*, hoc enim est dicere voluntatem in obliquo.

96 Obijcies, *Bonum*, cùm sit obiectum appetitûs, est prius illo: ergo non potest consistere in connotatione illius: connotatio enim supponit rem, quam connotat. Respō. *Bonū* esse prius appetitu sumpto in recto, quod stare potest cum eo, quód ordinetur ad illum sumptum in obliquo; & sic illum supponat. De quo alibi pleniùs.

§. 3.

Aliæ quæstiones solutæ.

97 QVæres primò, Vtrùm *Bonum* trāscendens coincidat cum appetibili negatiuè: an potiùs positiuè sumpto? Nam sicut diximus intelligibile posse sumi dupliciter; primó, negatiuè pro non repugnātiâ, vt intelligatur; secundó, positiuè pro fundamento illius, hoc est, pro cōformitate rei ad Intellectū: ita appetibile potest

sumi negatiuè pro non-repugnantiâ, vt appetatur: secundò positiuè pro fundamento illius negationis, hoc est, pro conuenientiâ rei ad appetitum. Respondeo *Bonum* transcendens consistere in appetibili secundo modo sumpto. Ita P.Soar. *d.*10. *s.* 1. *n.*18. P. Hurt. *in Met. d.*7. *s.*43. P.Fonsec. 4. *Met. c.*2. *q.*7. *s.*5. *concl.* 2. Patres Conimbr. *in libr. Ethicor. q.*1. *a.*2. Et probatur primò exemplo Veritatis, quæ non cōsistit in intelligibili sumpto negatiuè, vt constat ex dictis *n.* 69. sed in fundamento illius. Secundò, quia illa appetibilitas negatiua supponit positiuam; ideò enim res est appetibilis, quia est bona.

P.Soares P.Hurt. P.Fons. Patres Conimb.

98 Quæres secundò, Vtrùm *Bonum* transcendens connotet appetitum innatum, an elicitum? Respondeo connotare appetitum elicitum. Ita P.Hurt. *in Met. d.*7. *s.*41. Probatur, quia *Verum* est per ordinem ad actum elicitum intellectûs: ergo & *Bonum* per ordinem ad actum elicitum appetitûs, seu voluntatis. Antecedens ostenditur, quia *Verum* consistit in cōformitate; conformitas autem non est inter obiectum, & potentiam, sed inter obiectū, & actum: ergo non est per ordinem ad intellectum sumptum in actu primo, sed per ordinē ad illum sumptum in actu secundo.

P.Hurt.

99 Quæres tertiò, Vtrùm *Bonum* transcendens coincidat cùm Fine? Respondeo negatiuè cum P.Soar. *d.* 10. *s.* 2. Et probatur, quia Finis dicit rationē causæ in ordine ad aliquod Medium, vel actionē, quæ propter ipsum fiat: hāc autem habitudinem non dicit *Bonum* trāscendens. Quod sic ostendo; nam *Bonum* est appetibile à Deo: non tamen est causa finalis respectu illius; nec ordinatur ad eius actionem ad intrà, cùm nulla in Deo causalitas reperiatur. Et confirmatur, quia ratio Finis est aliquid consequens ipsum *Bonum*; ideò enim potest attrahere, & mouere appetitum, quia est *Bonum*.

P.Soar.

100 Quæres quartò, An *Bonitas* transcendens, seu amabilitas positiua sit aliqua ordinatio per modum appetitûs positiui ad suum appeti, seu amari? Affirmat P.Arriaga cit. à *n.* 117. Dicendum tamen nobis est, consistere in Ente, cui annexa est solla amabilitas negatiua, seu non-repugnantia vt ametur. Probatur exemplo Veritatis, quam *n.*73. diximus non cōsistere in aliquâ ordinatione positiuâ, sed in solo Ente, cui annexa est intelligibilitas negatiua: eodem autem modo se habet Bonitas ad appetitum, ac Veritas ad intellectum.

P.Arriaga

§. 4.
De Malitiâ.

101 Tertia difficultas: Quid sit Malum? De Malo agunt latè Theologi cum D. Thom. 1.2. Quæri hîc potest primò, Quid, & quotuplex sit? Respondeo esse *id, quod omnia fugiunt*. Non dicit solùm ens reale, sed etiam entia rationis, & negationes in recto. Totidem modis consideratur, quot *Bonum*, cuius oppositum est; vnde triplex esse potest: primum opponitur perfecto, & dicitur *imperfectum*, secundùm opponitur conuenienti, & dicitur *disconueniens*: tertium opponitur amabili, & dicitur *odibile*.

D.Thom.

102 Quæri potest secundò, Vtrùm Malum sit in rebus? Celebris est Manichæorum, & Priscillianistarum hæresis asserentium esse quasdam creaturas in se malas, quę non creantur á Deo, qui est summè Bonus, sed ab alio principio summé Malo. Hunc errorem latè impugnant D.Thom. apud P. Aleman. 4. *p. Sum. Philosoph. q.* 20. *a.* 8. D. Augustin. *lib.* 11. *de Ciuit. c.*9. D. Dionysius *c.* 4. *de Diuinis nominib.* D. Basil. *in Const. Monast. c.* 3. D.Gregor. Nissen. *hom.* 2. *in Cant.* D. Damascen. *lib.* 2. *de Fide cap.* 4. D. Athan. *orat. contra idola*, D. Nazianzen. *orat.* 38. D. Epiphan. *haresi* 24. & 66. D. Chrysost. *hom.* 2. *in Acta.* D. Iustin. *q.* 46. 73. *ad Gentes*, D. Ambros. *lib. de Isaac, & anim. c.* 7. D. Hieronym. *Matth.* 27. *Isai.* 18. D. Fulgentius *de Fide ad Petrū c.* 21. D. Bernardus *hom.* 6. *Aduentus*, D. Leo *epist.* 93. *c.* 6. & alij plures, quos citat, & sequitur P.Soar. *d.* 11. *s.* 1. *n.* 3. Conuincitur falsitatis primò, ex Sacrâ Paginâ asserēte: *Vnum* esse omnium rerum principium, idque summè *Bonum*: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Item ex illo 1. *Genesis*: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: ergo nullum datur Ens, cuius entitas sit mala.

D.Thom. P.Aleman. D.Aug. D.Dionys. D.Basil. D.Greg. D.Dama. D.Athan. D.Naziā. D.Epiph. D.Chrys. D.Iustin. D.Ambr. D.Hieron. D.Fulgen. D.Bern. D.Leo P.Soar.

103 Quæri potest tertiò, Vtrùm Malum sit passio Entis? Respondeo negatiuè cum P. Soar. *d.* 11. *s.* 4. *n.* 2. Probatur primò, quia Malum nullam exprimit perfectionem Entis: passio autem debet aliquam explicare. Secundò, quia non est reciprocum cū Ente. Probo hoc, tum quia non omne Ens est Malum; nam Deus est perfectissimum Ens, non tamen Malum: tum, quia non omne Malum est Ens; nam ipsa malitia est quoddam Malum, non tamen Ens. Tertiò, quia in nullo Ente reperitur, cùm omne sit transcendentaliter, & physicè bonum, vt patet ex dictis.

DISPVTATIO II.

De diuisione Entis in Diuinum, & Creatum.

PARTITA in sectiones octo. In primâ quæritur, Rectène habeat huiusmodi diuisio? In secundâ disseritur de primo diuisionis membro, nimirum de Ente Diuino. In tertiâ de vltimo constitutiuo Naturæ Diuinæ? In quartâ de inclusione Naturæ Diuinæ in Attributis: & Attributorum in Naturâ Diuinâ: & inter se? In quintâ, Quo pacto Existentia Diuina distinguatur ab Essentiâ ipsius Dei? In sextâ agitur de altero diuisionis membro, nimirum de Ente Creato? In septimâ de Existentiâ Entis Creati? In octauâ de dependentiâ Entis Creati à Diuino.

SECTIO I.

Rectène habeat diuisio Entis in Diuinum, & Creatum?

104 PRIMA difficultas: Vtrùm diuisio Entis in Diuinum, & Creatum sit omnium prima, ac principalior? quod idē est, ac quærere, Vtrùm Ens in hæc duo membra immediatiùs diuidatur, quàm in alia? Negant Scot. *Quodlibet. 5. in solutione vltimi argumenti*, & Lycheтus *in 2. dist. 1. q. 4.* & 5. quâtenus asserit Ens prius, & immediatius diuidi in perfectum, & non perfectum. Perfectum, inquiunt, subdiuiditur in perfectum simpliciter, & secundùm quid. Nomine Entis non perfecti intelligit Scotus Relationes, quæ, vt ipse opinatur, nullam dicunt perfectionem. Scot. Lychet.

105 Sed probabilior est contraria resolutio asserentium Ens priùs, & principaliùs diuidi in Diuinum, & Creatum. Ita P. Soar. *d. 28. s. 1. n. 4.* Et probatur, quia illa diuisio est prior, ac principalior, quæ fit in membra magis distantia, ac diuersa: sed nulla æquè distant, ac Diuinum, & Creatum. Probo hanc Minorem, quia hæc duo distant infinitè. P. Soares

106 Dices: Hæc diuisio non est in membra magis diuersa, quàm si fieret in *finitum*, & in *infinitum*; in *Ens a se*, & in *Ens ab alio*; in *necessarium*, & *contingens*; in *Ens per essentiam*, & *per participationem*; in *increatum*, & *creatum*; in *actum purum*, & *potentialem*; cùm hæc omnia distent distantiâ infinitâ: ergo illa diuisio non est omnium prima, ac principalior. Respondeo diuisiones adnumeratas non esse diuersas, sed tantùm quasdam nostræ diuisionis explicationes, cùm omnes coincidant cum diuisione Entis in Diuinum, & Creatum.

107 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondeo Scotum, & Lychetum supponere falsum dari illud membrum Entis non perfecti, cùm omne Ens, siue absolutum, siue relatiuum eo ipso, quód est Ens habeat aliqualem perfectionem. De Relationibus id specialiter ostendemus suo in loco *tract. 5.*

§. 1.

Detur ne aliquod Ens medium inter Diuinum, & Creatum?

108 SEcunda difficultas: Vtrùm diuisio sit adæquata? Scot. & Lychet. proximè citati dicunt non esse adæquatam. Primó, quia actus Dei liberi nec sunt Ens Diuinum, nec Creatum: non Diuinum, quia sunt contingentes, ac proinde poterant non esse; Ens autem Diuinum nō potest non esse: non sunt Ens Creatum, quia existunt ab æterno; nulla verò Creatura existit ab æterno, vt docet Fides. Secundò, quia Christus Dominus nec est Ens Diuinum, cùm inceperit esse in tempore; nec Ens Creatum, cùm includat Suppositum Diuinum. Tertiò, quia Relationes Diuinæ nec sunt Ens Diuinum, cùm Scot. Lychet.

non sint infinitæ simpliciter: nec sunt Ens Creatum, cùm existant ab æterno: ergo diuisio non est adæquata.

109 Nihilominus dicendum videtur diuisionem esse adæquatam. Ita P. Soar. *in Met. d.18. sect. 2. n.7.* Et probatur, quia omne Ens, aut est ab alio per causalitatem; & sic est Creatum: aut non est ab alio per causalitatem; & sic est Diuinum. Et confirmatur, quia nullum assignabitur Ens, quod non sit, aut Diuinum, aut Creatum: & hoc non aliter meliùs probari potest, quàm soluendo argumenta, quæ referuntur pro contrariâ parte.

P. Soares

110 Ad primum, respondeo actus Dei liberos quòad suum esse intrinsecum, esse Ens Diuinum, nec distingui ab ipso Deo: quòad determinationem ad extrinsecum esse ipsum obiectum liberum dictum in obliquo ab æterno volitum, aut cognitum: nec vllum est inconueniens quòd Ens Creatum existat ab æterno obiectiuè: inconueniens esset, si ab æterno existeret realiter.

111 Ad secundum, respondeo Christum Dominum prout est Ens per se sumi posse dupliciter: primò, in quantùm Deus: secundò, in quantùm homo. In quantùm Deus, est Ens Diuinum, in quantùm homo, est Ens Creatum. Nec obstat quòd in quantùm homo includat Subsistentiam Verbi; nam quidquid sit de tali inclusione, illud compositum incipit esse in tempore, & factum fuit à Deo per causalitatem, & dependentiam.

112 Ad tertium de Relationibus Diuinis, possumus procedere in duabus sententijs. Prima P. Soarij, & aliorum asserentium Relationes Diuinas includere Essentiam: & in hâc opinione non est dubium Relationes Diuinas esse Ens Diuinum. Secunda asserentium Relationes Diuinas non includere Essentiam: & in hâc adhuc Relationes sunt Ens Diuinum, quia non sunt ab alio per causalitatem; quidquid autem non est ab alio per causalitatem est Ens Diuinum.

P. Soar.

§. 2.

Vtrùm Ens vniuocè diuidatur ad Diuinũ, & Creatum?

113 TErtia difficultas: Vtrùm diuisio sit vniuoca? Affirmant Scot. *in 1. dist. 3. q. 1.* & 3. & *in 3. dist. 8. q. 2.* Rada *1. tom. controuers. 21.* Faber *theoremat. 95.* Merinero *in Logic. c. 1. Categor. d. 2. q. 3.* Anton. Andreas, Trombeta, & reliqui Scotistæ apud Masium *in Met. s. 1. in cap. 6. q. 2.* Eandem sententiam ex Nominabilibus defendunt Gregor. Ocham. Gabr. quos citant, & sequuntur P. Arriaga *in Logic. d. 11. àn. 13.* P. Ouied. *in Met. controuers. 1. puncto 8.* Probatur, quia Vniuoca sunt ea, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ omninò eadem: sed Deus habet idem nomen Entis cum Creaturis: deinde participat eãdem eius rationem cum illis. Tota inæqualitas, quæ alioquì reperitur in Deo, & Creaturis, videtur esse ex parte differentiarum.

Scot. Rada Faber Merinero Ant. And. Trombeta Masium Gregor. Ocham. Gabri. P. Arriaga P. Ouied.

114 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium prædictam diuisionem non esse vniuocam. Ita cum Aristotel. & Boët. D. Thom. apud P. Alemanum *4. p. Sum. Philosoph. q. 3. art. 1.* Caietan. Capreol. Ferrar. & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *in Met. disp. 28. sect. 3. n. 2.* & 10. P. Fonsec. *4. Met. c. 2. q. 1. s. 4* P. Fassol. *1. p. q. 3. a. 5. n. 18.* P. Hurt. *in Log. d. 9. §. 44.* P. Vasq. *1. p. d. 21.* P. Gil. *l. 2. tract. 4. c. 7. 8.* & 9. Patres Conimbricens. *in Log. c. 5. de substantia q. 1. art. 2.* P. Rub. *in Log. q. 2. de Substantia n. 31.* & 46. P. Valent. *1. p. d. 1. q. 3. punct. 5.* Et probatur primò, quia Vniuocum debet præscindere à differentijs, seu quasi differentijs suorum inferiorum; sin minùs eius ratio erit in se multiplex, & non omninò eadem, vt patet ex dictis *in Log. tract. 4. n. 112.* atqui Ens non præscindit à differentijs Entis Diuini, & Creati. Probo hoc, quia ipsæ differentiæ etiam sunt Ens. Secundò, quia ratio Entis descendit ad Diuinum, & Creatum per priùs, & posteriùs; siquidem priùs, & indepẽdenter reperitur in Deo; posteriùs, & dependenter à Deo in Creaturis. Hanc rationem infrà *n. 292.* commodiùs prememus, & declarabimus. Ex dictis patet responsio ad fundamentum opinionis contrariæ.

Aristot. Boet. D. Thom. Caietan. Capreol. Ferrar. P. Soar. P. Fons. P. Fassol. P. Hurt. P. Vasq. P. Gil. Patres Conimbr. P. Rubius P. Valent.

§. 3.

Vtrùm diuisio sit æquiuoca, an analoga?

115 QVæres tamen primò, Vtrùm diuisio sit æquiuoca, an analoga? Esse æquiuocam sentit Rabbi Moyses, quem citat, non tamen sequitur D. Thom. *q. 7. de Potentia Dei art. 8.* citari etiam potest pro hâc sententiâ Aureol. *in 1. dist. 2. q. 1.* Et probatur, quia Analoga seruant aliquam proportionem inter se; dicũtur enim *Ea, quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ aliquo modo eadem*: at verò inter Deum, & Creaturas nulla seruatur proportio, imò distantia, & improportio infinita.

Rabbi Moyses D. Thom. Aureol.

116 Nihilominus dicendum diuisionem esse analogam. Ita cum Aristotel. D. Thom. apud P. Aleman. proximè, & alij, quos citant, & se-

Aristot. D. Thom. P. Aleman.

P. Fons. P. Soares P. Fassol. P. Hurt. & sequuntur P. Fonsec. 4. *Met. c. 2. q. 1. sect. 3.* P. Soar. *d. 28. s. 3. n. 10.* P. Fassol. & P. Hurt. suprà citati. Probatur, quia Æquiuoca sunt *Ea, quorum nomen commune, ratio verò substantiæ omninò diuersa*, hoc est, nullam seruans proportionem sub illo nomine, quod solùm casu, & fortuitò sortiuntur idem, vt patet in homine Gallo, & gallo aui sub hoc nomine *Gallus*: atqui Deus, & Creaturæ seruant aliquam proportionem sub hoc nomine *Ens*. Probo Minorem; quia vtrunque, nimirum Deus, & Creatura habent idem nomen Ens à consilio; & propter proportionem, quam in illo habent; nam vtrunque est Ens, hoc est, vtrunque habet eundem conceptum, cui annexæ sunt illæ tres celebres proprietates, *Vnum*, *Verum*, *Bonum*. Vtrùm verò hæc analogia sit attributionis, an proportionis? Respondeo vtranque sub diuersâ formalitate inueniri: proportionis, quia ratio Entis in Deo, & Creaturis proportionaliter inuenitur: attributionis, quia Ens Creatum dependet á Diuino.

117 Ad fundamentum contrarium, respondeo distinguendo Minorem: Inter Deum & Creaturas nulla seruatur proportio vniuoca, concedo Minorem: nulla analoga, nego Minorem; seruatur enim proportio Entis, quæ aliqualis est, licèt non vniuoca.

§. 4.

Vtrùm aliquod Attributum Diuinum conueniat vniuocè cum aliquo prædicato Creato?

118 QVæres secundò, Vtrùm saltem aliquod Attributum Diuinum conueniat vniuocè cum aliquo Ente creato, v. g. Intellectus Diuinus, & Creatus in Intellectu prout in communi præscindit ab vtroque: Voluntas Diuina, & Creata in Voluntate prout similiter in communi præscindit ab vtraque. Affirmat, præter Auctores superiùs allegatos, etiam P. Hurt. cit. *in Log. d. 9. s. 46.* P. Hurt. Primò, quia Intellectus Creatus non dependet à Diuino sumpto formaliter, & præcisiuè, sed á sola Omnipotentiâ. Secundò, quia Intellectus in communi prout præscindit á Diuino, & Creato non includit differentias singulares, cùm hę non sint intellectus, sed differentiæ illius.

119 Sed adhuc tenenda resolutio negatiua. Et probatur, quia in nullius Attributi, seu perfectionis Diuinę serie pręter Ens (quod quidem est commune Diuino, & Creato) inuenitur aliud prædicatum commune ipsi perfectioni Diuinæ, & Creatæ: V. g. in serie, quâ descendit, & constituitur Intellectus Diuinus, non est nisi *Ens à se, Substantiale, Spirituale, Viuens, Intellectiuum*. Vides quomodò in hâc serie nihil sit commune Diuino, & Creato? Intellectus Creatus aliâ descendit, & constituitur serie valdè diuersâ, in quâ est, *Ens ab alio, accidentale, Quale, Potentiale, Spirituale*, tandem *Intellectus*. Quòd si compares hunc Intellectum Creatum, qui est in hâc serie, cum illo Intellectu Diuino, qui est in aliâ, dicendum est differre totâ serie, & in nullo gradu conuenire, nisi in gradu *Entis*, in quo diximus solùm conuenire analogicè, eò quód *Ens* non præscindat á differentijs. Itaque hi duo Intellectus non conueniunt nisi in *Ente*, nō quòd ambo, nō sint spirituales, & ambo Intellectus, sed quòd sint Intellectus, & Spiritus valdè diuersi, descendentes ab Ente lineâ, ac serie valdè diuersâ, & se solùm tangentes in gradu *Entis*, qui solus est communis vtrique. Ex quo patet solutio ad fundamenta opposita.

120 Obijcies. Intellectus Diuinus, & Intellectus Creatus conueniunt in aliquo præter gradum *Entis*, nimirum in eo quòd ambo sint Intellectus, & in eo quód ambo sint Spiritus. Respondeo non conuenire in aliquo gradu communi vtrique, quem ambo participent; participant enim diuersos spiritus, & diuersos gradus Intellectûs in diuersis lineis, & diuersis seriebus constitutos. Solùm conueniunt in aliquo proportionaliter; ambo enim sunt spiritus, licèt spiritualitate participatâ diuersâ; ambo Intellectus, licèt ratione Intellectûs diuersâ.

SECTIO II.

De Ente Diuino, quod est primum diuisionis membrum.

121 PRIMA difficultas: Vtrùm lumine naturali demonstrari possit Deum esse? Hæc erat huius loci propria, illam tamen resoluimus *in Phys. tract. 2. n. 327.* vbi agendo de Causâ Primâ efficiente, illam dari naturali lumine demonstrauimus: id etiam ostendimus in eâdem *Phys. tractat. 6. à n. 29.* vbi ex Motu, & Mobili conclusimus cum Aristotele dari oportere primum Motorem.

122 Secunda difficultas: Vtrùm naturali lumine demonstrari possit Deum esse Vnum? Ocham. Gabr. Ocham. Gabr. & alij in 1, existimant id non esse

esse naturali lumine demonstrabile. Eorum fundamentum est, quia omnis naturalis ratio, quæ demonstrare posset Deum esse *Vnum* in Essentiâ, etiam demonstrare posset esse *Vnum* in Personâ; atqui nulla potest dari demonstratio conuincens Deum esse *Vnum* in Personâ; cùm contrarium sit verum, & de Fide: ergo etiam nulla dari potest, quæ demonstret Deum esse *Vnum* in Essentiâ. Augetur secundò difficultas, quia vnitas est priuatio: omnis autem priuatio est imperfectio, quæ Deo non potest competere.

123 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium demonstrari posse lumine naturali *Vnum* tantùm dari Deum. Fuit hæc maximè celebris inter Philosophos antiquos, quorum principes Socratem, Platonem, Aristotelem, Ciceron. Pythagor. Sophoclem, Euripid. & Orpheum referunt Paulus Orosius *l. 6. historiæ c. 1.* Iustin. *l. de Monarchia*, Lactantius *l. 1. Diuinarum Institutionum à c. 5.* Arnobius *l. 3. contra Gentes*, Euseb. *l. 11. de præparatione Euangelij c. 9.* Tertullian. *in Apologetico à c. 10.* D. August. *l. 4. de Ciuitate* à principio, vbi *c. 11.* dicit Philosophos ferè omnes de Vnitate Dei rectè sensisse, quamuis plures Deos vt virtutes, & partes vnius Dei colerent. Hanc veritatem communiter demonstrant Scholastici cum D. Thom. *1. p. q. 11. art. 3.* eam ex professo tractant Alexand. de Ales, Albert. Magn. D. Bonau. Ægid. Henricus, Richard. Heruæus, Scotus, Mayron. Aureol. Adam. Ahiancens. Bassol. Maior, Castro, & alij quos latè citat, & sequitur P. Fassol. *q. 11. a. 3. n. 2.* P. Soar. *in Met. disp. 30. sect. 10. n. 8.* Quibus subscribit P. Arriaga *in 1. p. tom. 1. disp. 2. a n. 36.* P. Hurt. *in Met. d. vlt. a n. 1.*

Socrat. Plato. Aristot. Cicero. Pythagor. Sophocl. Euripid. Orphe. Paul. Oros. Iustin. Lactant. Arnob. D. Euseb. Tertull. D. Aug. D. Thom. Alexand. Albert. M. D. Bonau. Ægid. Henric. Richard. Herua. Scot. Mayron. Aureol. Adam. Ahanc. Bassol. Maior Castro P. Fassol. P. Soares P. Arriaga P. Hurt. D. Thom.

124 Tres celebriores circumferuntur huius veritatis Demonstrationes. Prima traditur à D. Thom. loco cit. & aptari potest sic: Quia si essent plures Dij, nullus haberet totam perfectionem essendi. Probo hoc, quia Deus A, & Deus B, differrent quidem inter se per aliquam perfectionem, quam vnus haberet, & alius non haberet: & quod inde sequitur, Deus A, careret perfectione, quam habet Deus B, & Deus B, careret perfectione, quã habet Deus A: ergo nullus eorum haberet totam perfectionem, & per consequens nullus eorum esset Deus. Hæc ratio non militat in Personis; neque enim illæ sunt infinitæ simpliciter in omni genere, sed qualibet in suo, Paternitatis scilicet, aut Filiationis; ac proinde benè possunt differre, & esse plures.

125 Secunda Demonstratio est eiusdem D. Thom. & conficitur hoc modo: Implicat multiplicari id, quod est essentialiter singulare; vnde Socrates non potest multiplicari; homo maximè: sed Natura Diuina est essentialiter singularis, quia singularitas est perfectio Naturæ; & Natura Diuina, cùm sit essentialiter perfectissima, & infinita includit essentialiter omnem suam perfectionem: ergo includit essentialiter singularitatem. De Personis est diuersa ratio, quia licèt Persona Diuina essentialiter includat singularitatem, non eam includit in omni genere; ac proinde potest dari alia Persona singularis in alio genere.

D. Thom.

126 Tertia Demonstratio desumitur ab Aristot. *12. Met.* quia, vt ipse ait, non benè Vniuersum gubernaretur á pluribus Dijs: diuersos diuersa iuuant, *Non est bonum*, inquit Aristoteles, *pluralitas principatuum*: Vnus ergo princeps, Vnus Deus. Hæc ratio etiam non valet in Personis, quæ sunt Vna Natura, Vnus Intellectus, Vna Voluntas, Vna Omnipotentia, Vnus Creator, Vnus Princeps, & Vnus Deus.

127 Ad primum patet solutio ex dictis. Ad secundum, respondeo *Vnum* non esse priuationem alicuius perfectionis debitæ: sola hæc autem est imperfectio, & Deum dedecet.

SECTIO III.

De vltimò constitutiuo Naturæ Diuinæ.

128 PRIMA difficultas: Quid sit vltimum cõstitutiuum Naturæ Diuinæ sumptæ quasi physicé, & á parte rei? Natura Diuina potest considerari dupliciter: primò, secundùm omne id, quod essentialiter includit á parte rei: secundò, metaphysicé prout per nostros conceptus inadequatos est radix suarũ proprietatũ; Natura enim metaphysicè cõsiderata dicitur á nascendo, & est radix, à quà enascuntur eius proprietates, & attributa.

129 Si Natura Diuina consideretur primo modo, hoc est, physicè, seu quasi physicè, certum existimo vltimò constitui per existentiam á se in omni genere perfectionis simpliciter simplicis. Ita communiter Theologi cum Magistro *in 1. dist. 8. lit. F.* D. Thom. *1. contra Gentes c. 23. & 45.* Albert. Altisiodor. Durand. Heruæ. Baccon. Capreol. Cisterciensis, Hispal. Francisc. á Christo, Abul. D. Anton. Caietan. Ferrar. Ocham. Adam. Castro, & alij, quos citãt, & sequuntur P. Gil. *l. 2. tract.*

Magister D. Thom. Albert. Altisiodor. Durand. Herue. Baccon. Capreol. Cisterciens. Hispal. Francisc. a Christo Abulens. D. Anton. Caiet. Ferrar. Ocham. Adam. Castro P. Gil.

P. Præposi. P. Martin. P. Alarc. P. Recup. P. Arriaga

tract. 1. c. 6. n. 6. P. Præpositus 1. p. q. 3. a. 4. n. 5. P. Martinon d. 2. de Deo num. 58. P. Alarcon tract. 2. de Scientia Dei d. 1. P. Iulius Cæsar Recupitus l. 2. de Essentia Dei d. 14. P. Arriaga 10. 1 in 1 p. d. 16. vbi n. 22. cōcludit Naturā Diuinā cōstitui per subsistentiā à se. Verū subsistētia à se in meis principijs idē est atque existētia perfectissima à se; nō enim distinguo in Deo subsistentiam absolutam ab existentiā, sed dico subsistentiam absolutam includi in existentiā Diuinā, & esse de eius formali, ac primariā ratione, vt sequenti tract. 2. expendam agendo de subsistentiā Diuinā absolutā. Probatur vno verbo communis resolutio, quia Deus includit omnem puram perfectionem, idque modo perfectissimò, qualis est essentialis: at veró omnis pura perfectio consistit in actualitate, seu existentiā á se in omni genere perfectionis simpliciter simplicis, vt per se manifestum est.

130 Ex dictis colliges minùs benè aliquos Modernos in suis manu-scriptis opinari Naturam Diuinam physicè, & á parte rei vltimó constitui Intellectione, quia, inquiunt, illud prædicatum est physicè vltimò constitutiuum cuiusque rei, quod est physicé primò distinctiuum talis rei ab omnibus alijs, & est radix, ob quam cætera prædicata distincta adueniunt tali rei: sed in primis Intellectio Diuina in Deo est primum prædicatum physicè distinctum ab omnibus alijs; distinguitur enim physicè ab Amore, & etiam á Relationibus: nam distinctio á parte rei reperitur in ijs, quæ à parte rei admittunt prædicata contradictoria; impossibile enim est idem de eodem simul affirmari, & negari à parte rei: at verò Intellectio, & Amor Diuinus admittunt prædicata contradictoria; nam Verbum Diuinum procedit per Intellectionem, non verò per Amorem; & Spiritus Sanctus procedit per Amorem, non verò per Intellectionem: item Intellectio, & Relationes admittunt prædicata contradictoria; nam Intellectio communicatur, non veró Paternitas &c. ergo Intellectio in Deo est primum prædicatum physicè distinctum ab Amore, & à Relationibus. Deinde est radix ob quam hæc conueniant Deo; nam Pater ideó generat, & ideò amat, ac producit Spiritum Sanctum, quia intelligit.

131 Verùm hæc, vt dixi, procedunt minùs benè. Primó, quia in hâc opinione, & modo dicendi Amor Diuinus videtur esse accidens physicum, siquidem aduenit Naturę iam in suo esse constitutæ per Intellectionem, à quâ ipse Amor est physicé distinctus: nam illud est accidens, quod non est constitutiuum, sed aduenit rei iam in suo esse constitutæ. Secundó, quia hic modus dicendi admittit in Deo distinctionem physicam à parte rei, quæ videtur destruere physicam simplicitatem, & inducere multiplicitatem, & compositionem physicam à parte rei, quod infrà pleniùs prosequemur. Vtrùm verò Intellectio saltem sit constitutiua Naturæ Diuinæ considerata per nostros conceptus metaphysicé? statim dicemus.

§. 1.

Quodnam sit vltimum constitutiuum Naturæ Diuinæ per nostros conceptus metaphysicè spectatæ?

132 Secunda difficultas: Quodnam sit vltimum constitutiuum Naturæ Diuinæ, prout est radix virtualiter, & metaphysicè distincta suarum proprietatum? Hæc est grauissima, & in quâ plures circumferuntur sententiæ. Prima asserit Deum vltimò constitui per rationem Substantiæ supernaturalis, quâtenus hæc est primum analogatum in ordine ad quod cætera supernaturalia talia dicuntur. Ita nonnulli recentiores Magistri.

133 Secunda sententia tenet Deum vltimò constitui per gradum Infinitatis: traditur á Toletan. q. 1. Prologi a. 2. conclus. 2. & a. 4. ad 1. Argentin. q. 1. ad 1. Tertia sententia docet Deum vltimó constitui per rationem Actûs puri, & Entis á se. Ita P. Gil. lib. 2. de Attributis tract. 1. c. 12. P. Albertin. 14. ex Prædicam. Relation. dubitat. 2. P. Recupit. de Deo lib. 2. d. 14. Quarta sententia contendit Deum vltimò constitui per Intellectiuum actuale, hoc est, per Intellectionem: traditur ab Aureol. Ferrar. & alijs, quos citat, & sequitur P. Fassol. q. 4. art. 2. a n. 51. P. Soar. in Met. disp. 30. sect. 15. num. 14. P. Erice 1. p. d. 3. c. 3. & P. Arriaga in 1. p. tom. 1. disp. 47. n. 62. Quinta sententia existimat Deū vltimò constitui per Intellectiuum potentiale, hoc est, per Intellectum sumptum in ratione potentiæ in actu primo. Ita P. Arrub. 1. p. d. 28. c. 3.

Toletan. Argent. P. Gil. P. Albertin. P. Recupit. Aureol. Ferrar. P. Fassol. P. Soares P. Erice P. Arriaga P. Arrub.

134 Sed neutra harum opinionum videtur sufficiens. Dicendum existimo Deum vltimò constitui per Intellectiuum radicale, hoc est, per Rationale Diuinum. Ita P. Molin. in 1 p. q. 2. art. 3. & q. 27. art. 5. d. 2. P. Vasq. q. 13. art. 2. n. 30. & disp. 119. c. 3. P. Turrian. 2. 2. d. 2. de obiecto Fidei dub. 1. P. Ruiz tom. de Trinit. d. 8. sect. 5. 6. 7. & 8. & in tom. de Scientia d. 8. sect. 6. Ægid. Lusit. lib. 5. de Beatitud. q. 5. art. 4. 6. 5. à n. 103. P. Granad. d. 3. sect. 2. & alij, quos citat, & sequitur P. Alarc. tract. 2. disp. 1. c. 1.

P. Molina P. Vasq. P. Turrian. P. Ruiz. Ægid. P. Granad. P. Alarc.

c. 5. n. 2. & 3. pro explicatione huius sententiæ, & commodiori totius difficultatis resolutione instituendi, & explicandi sunt tituli sequentes.

§. 2.

Natura Diuina non vltimò constituitur per Supernaturalitatem: aut per Infinitatem.

135 Dico primò. Deus non vltimó constituitur per rationem *Substantiæ Supernaturalis*. Probatur primò, quia non omnis Substantia Supernaturalis est Deus: ergo ratio Substātiæ Supernaturalis non est cōstitutiua Dei. Antecedens ostenditur, quia in hâc opinione quodlibet Attributum Diuinum est Substantia Supernaturalis; nō tamen quodlibet est Natura Diuina, sed eius Attributum: itaque Æternitas, vel Immensitas, quæ est Substantia Supernaturalis, non est Natura Diuina: ergo neque Ens Substantiale Supernaturale erit Natura Diuina; & quod inde fit ratio Substantiæ Supernaturalis non est constitutiua Naturæ Diuinæ. Secundó probatur, quia si per possibile, vel impossibile Deus nō esset Substantia Supernaturalis, vt non esse plures opinantur, adhuc esset Deus.

136 Dico secundò. Deus non vltimò cōstituitur per Infinitatem. Hęc assertio est contra Toletan. & Argent. ostenditur tamen. Primò, quia idcircò Infinitas esset vltimò constitutiuum Naturæ Diuinæ, quia esset primum illius distinctiuum à creaturis; dicunt enim Toletan. & Argent. illud esse vltimò constitutiuum alicuius naturæ, quod est primum eius distinctiuum; atqui Infinitas non est primum distinctiuum, quia supponit *Ens à se*, per quod Ens Diuinum distinguitur ab *Ente ab alio*, seu creato: supponit, inquam, *Ens à se*, quia in Deo post gradum *Entis* statim intelligitur gradus *Entis a se*, qui est radix Infinitatis; ideò enim Deus est infinitus, quia est Ens à se. Secundò, quia quodlibet Attributum Diuinum est infinitum, non tamen quodlibet est Natura Diuina: ergo hæc non constituitur Infinitate. Itaque ratio constitutiua Naturæ est illa, quâ positâ statim Natura intelligitur constituta: at verò positâ Infinitate in quolibet Attributo, non quodlibet intelligitur Naturá Diuina. Quód si dicas, Infinitatem in omni genere, prout includit omnia Attributa, esse vltimó constitutiuum Naturæ Diuinæ: id perperam assumis: quia quæstio est de constitutiuo Naturæ Diuinæ prout distinguitur ab Attributis. Tertiò probatur, quia Finitas non est constitutiuum Entis ab alio, sed tantùm quid illud consequens: ergo neque Infinitas erit constitutiua Entis à se, sed tantùm quid illud consequens.

§. 3.

Natura Diuina non vltimò constituitur per rationem Entis á se.

137 Dico tertiò. Deus non vltimó cōstituitur per rationē *Entis à se*. Hæc assertio est contra P. Gil. P. Albertin. & contra P. Recupitum Probatur tamen primó, quia quodlibet Attributum est Ens á se: non tamen quodlibet est Naturá Diuiná. Itaque si *aseitas*, seu ratio *Entis à se*, esset constitutiua Naturæ Diuinæ, eâ positâ intelligeretur Natura Diuina: at verò in quolibet Attributo ponitur, non tamen quodlibet est Natura Diuina: sicut ergo sola Æternitas á se, & sola Immensitas á se, non est Natura Diuina, ita solum Ens á se non erit Natura Diuina.

138 Secundò probatur, quia præter rationem *Entis à se* dantur in Deo aliæ rationes illâ posteriores constitutiuæ Naturæ, cuiusmodi sunt ratio *Substantiæ*, ratio *Spiritus*, ratio *Viuentis*, & ratio *intellectiui*: ergo ratio *Entis à se* non est vltima. Et confirmatur, quia aliás ratio *Substantiæ*, ratio *Spiritus*, ratio *Viuentis*, & ratio *intellectiui* non essent prædicata constitutiua Naturæ Diuinæ, sed eius proprietates illi aduenientes iam in suo esse constitutæ.

139 Et declaratur, quia de ratione Substantiæ est aut esse primam radicem eorum, quæ sunt in composito, vt contendit P. Arriaga *in Met. d. 4. s. 6.* aut saltem primariò intendi à naturâ, & non propter aliud, vt infrá ostendam *n. 314.* quo pacto non se habent proprietates, quæ intenduntur propter aliud, nimirum propter naturam: ergo de ratione gradûs Substantiæ est esse constitutiuum, & non aduenire per modum proprietatis. Dices, hoc esse de ratione Substantię Physicæ: non tamē de conceptu Substantiæ Metaphysicæ. Sed contrá primò, quia non assignabis alium conceptum Substantiæ Metaphysicæ. Secundò, quia qui dicunt Substantiam esse primam radicem eorum, quæ sunt in composito, aut intendi propter se, & non propter aliud, loquūtur de conceptu Substantiæ Metaphysicæ prout scilicet distinguitur ab alijs gradibus Entis, Viuentis, &c. P. Arriaga

140 Obijcies primò illud *Exodi 3. Ego sum, qui sum*; vbi Deus per existentiam á se declarat Moysi suam essentiam. Respondeo Deum ibi declarare suam essentiam Physicam, quæ, vt constat ex dictis *n. 129.* consistit Exod. 3.

in

in existentia à se in omni genere perfectionis simpliciter simplicis: nos verò loquimur de essentia Metaphysicè spectata per nostros cōceptus per comparationem, & similitudinem ad Naturam creatam.

141 Obijcies secundò. Formale constitutiuum alicuius naturæ debet habere tres cōditiones; prima est, vt sit prius speciale in tali natura; secunda, vt sit proxima radix proprietatum; tertia, vt sit nobilius cæteris prædicatis, quæ in tali natura reperiuntur: atqui hæ tres conditiones soli competunt aseitati. Probo hanc Minorem; quia in primis aseitas post ratione Entis (quæ non est specialis Deo) statim intelligitur in illo. Deinde est proxima radix proprietatum; nam ex eo quòd Deus sit *Ens a se* est Infinitus, Sapiens, Omnipotens. Tandem hæc ratio est cæteris nobilior; siquidem est radix omnium perfectionum nobilissimarum. Respondeo tamen negando Minorem, & dicendo illas tres conditiones competere soli Intellectiuo radicali.

142 Competit prima, nimirum quòd sit primum speciale. Ad cuius intelligentiam, aduerte in Deo, antequam deueniatur ad ipsius vltimam constitutionem, posse cōsiderari alia plura constituta; primum in ratione *Entis a se*; secundum in ratione *Entis a se substantialis*, tertium in ratione *Entis a se substantialis Spiritualis*; quartum in ratione *Entis a se Spiritualis substantialis viuentis*; quintum in ratione *Entis a se spiritualis, substantialis, viuentis intellectiui*: & per hoc vltimum constituitur Deus, quia illo posito primò intelligitur Deus. Ante illius aduētum intelligebatur quidem *Ens a se*, hoc tamen adhuc non erat Deus: intelligebatur *Ens a se substantiale*, sed neque hoc erat Deus: intelligebatur *Ens a se substantiale, spirituale, & viuens*; sed hoc adhuc non erat Deus: vbi primùm intelligitur Intellectiuum Diuinum, intelligitur Deus: vnde patet quòd solum Intellectiuum Diuinum est prius speciale Dei: cætera omnia prædicata, quæ illud antecedunt, sunt quidem priora; & certè specialia *Entis a se*, & *Entis a se substantialis*, non tamen specialia Dei; siquidem dantur antequam hic intelligatur.

143 Secunda conditio, nempe *esse proximam radicem proprietatum* etiam conuenit soli Intellectiuo radicali Diuino, á quo nascitur prima proprietas Naturæ Diuinæ, quę consistit in Intellectu; Intellectus enim debetur intellectiuo radicali. Tertia conditio, nempe quòd sit nobilius cæteris prædicatis, quæ in Deo reperiuntur, etiam competit soli Intellectiuo radicali; nam si aliquod prædicatum Diuinum potest dici nobilius quoad nos, certè id est Intellectiuum, cùm illi competat nobilissima operatio, qualis est intellectio.

§. 4.

Natura Diuina non vltimò constituitur per Intellectionem: aut Intellectum.

144 Dico quartò, Deus non vltimò constituitur per Intellectiuum actuale, hoc est, per Intellectionē. Hæc assertio est cōtra P. Soar. P. Fasol. & alios suprà citatos. Probatur primò ex D. Basil. 1. contra *Eunomium*, ibi: *Quonam pacto*, inquit, *non irridendus, si creandi Virtutem, aut Prescientiam Substantiam* (hoc est essentiam) *Esse dicat?* Secundò ratione, quia priùs intelligitur esse rei, quàm eius operari; hoc enim nascitur ex illo; atqui Intellectio est operatio: ergo supponit Naturam Diuinam vltimò constitutam in suo esse. D. Basil.

145 Objicies primò locum D. Thom. 1. p. q. 14. art. 1. ad 1. & iterum a. 4. vbi *Essentia Dei*, inquit, *est ipsum intelligere*: consonant alia loca Sanctorum Patrum. Respondeo illos loqui de essentia Diuinâ, prout est á parte rei, & includit omnem actualitatem á se simpliciter simplicem, de quo nos in primâ difficultate: in hac autem secundâ loquimur Metaphysicè de vltimo constitutiuo Naturæ Diuinæ, prout hæc per nostros inadæquatos conceptus distinguitur ab Attributis. D. Thom.

146 Instabis: Cæteri gradus metaphysici vnâ exceptâ cognitione includuntur in alijs Attributis, nimirum gradus *Entis a se*, *Substantialis*, & *Spiritualis*; nam etiam Omnipotentia est *Ens a se, substantiale, spirituale*; atqui quæstio procedit de eo, per quod Natura Diuina distinguitur ab eius Attributis: ergo hoc collocandum est in cognitione. Respondeo gradum Intellectiui Diuini, in quo collocamus vltimum constitutiuum Naturæ Diuinæ non includi in Attributis.

147 Objicies secundò. Essentia Diuina debet vltimò constitui gradu perfectissimo, ad eum modum, quo essentia hominis constituitur gradu similiter perfectissimo, qualis est Rationalis: cognitio autem actualis est gradus perfectissimus. Respondent aliqui primò negando Minorem; dicunt enim omnes gradus Diuinos esse æquales in perfectione. Respondeo secundo, & meliùs Intellectiuum Diuinum esse nobilius quoad nos cognitione actuali; siquidem hæc producitur ab illo tanquam à fonte, & radice, quę quoad nos est nobilior suis proprietatibus.

148 Objicies tertiò. In hac solâ opinione asserentium Intellectionem Diuinam esse differentiam, seu quasi differentiam distinctiuam,

ctiuam, & constitutiuam Dei optimè intelligitur, quomodò Verbum Diuinum sit imago Patris, non verò Spiritus Sanctus: in hâc, inquam, solâ id intelligitur, quia cùm Pater Æternus primariò intendat communicare Verbo suam cognitionem: hæc autem sit Natura Diuina, bené sequitur solum Verbum, & non Spiritum Sanctum esse naturalem imaginem, quia soli Verbo primariò intenditur communicari Natura. Hoc argumentum est meré Theologicum, & eius solutio Theologorum propria. Responderi tamen potest hoc loco etiam in nostrâ opinione optimè intelligi quomodò Verbum Diuinum sit imago Patris, non verò Spiritus Sanctus. Et ratio est, quia Verbum Diuinum procedit per cognitionem; cognitionis autem proprium est esse imaginem: Spiritus Sanctus procedit per amorem, qui cùm sit operatio Volũtatis formaliter, quà talis non est imago.

149 Dico quintò. Deus non vltimò constituitur per Intellectiuum potentiale, hoc est, per Intellectum Diuinum sumptum in ratione potentiæ, & in actu primo. Hæc assertio est contra P. Arrub. suprà citatum. Et probatur, quia idcircò Intellectus esset vltimum constitutiuum Naturæ Diuinæ, quia est prima radix primæ operationis, nempe cognitionis Diuinæ: sed non est radix primæ operationis. Probo hoc, quia prior est emanatio, quâ ipse Intellectus censetur metaphysicè emanare à Naturâ.

§. 5.

Natura Diuina vltimò constituitur per Intellectiuum radicale.

150 DIco sextò. Deus vltimò constituitur per Intellectiuum radicale, hoc est, per Rationale Diuinum. Traditur à P. Molin. P. Vasq. P. Turrian. P. Ruiz. Ægid. P. Granad. & P. Alarc. suprá citatis. Probatur primò, quia Natura Diuina debet vltimò constitui per id, quod est prima radix primæ proprietatis. Probo hoc, quia cùm Natura dicatur á nascendo, hoc est, illud, à quo enascuntur proprietates, debet sumi in ordine ad illas, & vltimò constitui per id, quo posito enascitur prima proprietas: at veró Intellectiuum, seu Rationale Diuinum est id, á quo posito enascitur prima proprietas, hoc est Intellectus Diuinus. Probatur secundò, quia nisi vltimum constitutiuum Naturæ consisteret in Rationali Diuino, non benè diceretur homo factus ad imaginem Dei. Probo hoc, quia illud solùm dicitur imago alterius, quod ab illo procedit simile ei in gradu specifico; neque enim satis est similitudo in gradu generico; sin minùs vermis, qui ex homine gignitur, diceretur illius imago, cùm sit illi similis in gradu animalis, & viuentis; atqui homo dicitur factus ad imaginem Dei, vt constat ex Sacrâ Scripturâ: ergo vltimum constitutiuum, & quasi differentia specifica Dei est eius Rationale Diuinum, cui homo secundùm suam differentiam, & Rationale humanum est similis. Totus iste discursus desumitur ex D. August. 14. *de Trinit.* c. 8. & ex D. Thom. 1. *p.* q. 3. *ar.* 2. Tertió probatur, quia Naturæ Intellectiuæ constituuntur per tale Intellectiuum, nimirum Natura humana per Intellectiuum humanũ, hoc est, per Rationale; Natura Angelica per Intellectiuum Angelicum: atqui Natura Diuina etiam est Intellectiua: ergo constituetur per tale Intellectiuum, hoc est, per Intellectiuum Diuinum, cui videlicet debetur Intellectus attingens omne intelligibile ex eo quod sit intelligibile.

P. Molina
P. Vasq.
P. Turria.
P. Ruiz.
Ægid.
P. Grana.
P. Alarc.
D. Aug.
D. Thom.

SECTIO IV.

De mutuâ inclusione Naturæ Diuinæ in Attributis: & Attributorum in Naturâ Diuinâ: & inter se.

151 QVÆ sub hoc titulo occurrunt difficultates non supra Theologum naturalẽ, qualem Metaphysicus profitetur. Prima: An Natura Diuina includat formaliter Attributa? Secunda: An Attributa includant formaliter Naturam: aut se inuicem.

§. 1.

An Natura Diuina includat formaliter Attributa?

152 PRima difficultas petit: An Natura Diuina includat formaliter Attributa? Affirmant P. Recupitus 1. *p.* *l.* 3. *q.* 10. P. Amic. 1 *p.* *d* 3. *n.* 54. P. Soar. *in Met.* *d.* 30. *s.* 6. *à n* 4. & *lib.* 1. *de Essentia Dei c.* 11. P. Granad. *tom.* 1. *tract.* 2. *d.* 7. P. Molin. *q.* 28. *a.* 2. *d.* 4. P. Ruiz. *d.* 8. *s.* 5. P. Arrub. *d.* 10. *c.* 13. qui pro hâc parte allegant Magistrum, & D. Thom. Quibus cum Scoto, & alijs pluribus accedunt P. Valent. q. 12. *puncto* 6. *quæstiuncula* 2. *ad* 1. & P. Martinon *disp.* 3. *de Deo num.* 51. Probatur

P. Recup.
P. Amic.
P. Soares
P. Granad.
P. Molina
P. Ruiz.
P. Arrub.
Magist.
D. Thom.
P. Valent.
P. Martin.

D. August. Probatur primò, ex D. Augustin. *lib. de Cognit. veræ vitæ cap. 7.* ibi: *Dei Spiritum est Essentia inuisibilis totam Sapientiam, totam Æternitatem simul essentialiter possidens.* Item ex D. Anselm. *in* D. Ans. *Monol. cap. 15.* ibi: *Quidquid de Natura Diuina dicitur non qualis, aut quanta: sed magis quid sit demonstratur.* Afferri solent alia loca, in quibus Sancti Patres expressè docent Naturam Diuinam includere formaliter Attributa.

153 Probatur secundó ratione, quia si Natura Diuina non includeret formaliter Attributa, hæc respectu illius forent accidentia Metaphysica; siquidem essent extra constitutionem Dei; non enim constituerent eius Personas; vt faciunt Relationes: neque Naturam, siquidem forent extra illam. Tertió, quia Natura Diuina essentialiter includit omnem perfectionem simpliciter simplicem; est enim Ens perfectissimum, quo non potest excogitari aliud perfectius: Attributa veró sunt perfectiones simpliciter simplices. Quartò, quia si Attributa essent extra Essentiam, admittenda foret aliqualis compositio in Deo ex ipsâ Naturâ, & Attributis.

§. 2.

Prima Conclusio.

154 Nihilominus distinctione opus est. Nam dupliciter possumus considerare Essentiam Diuinam: primò, á parte rei, prout in se est, in totâ suâ amplitudine: secundò per intellectum, ac metaphysicè prout est radix Attributorum consistens in Intellectiuo radicali Diuino, quod, vt constat ex proximè dictis, est vltimum constitutiuum ipsius Naturæ Diuinæ.

155 Dico primò. Natura Diuina sumpta á parte rei prout adæquatè in se est, in totâ suâ amplitudine includit formaliter Attributa. In hâc resolutione concordo cum P. Recup. P. Amic. P. Soar. & alijs suprá allegatis; & in eo sensu accipio Magistrũ, & D. Thom. Probatur primò, ex D. August. suprá relato, & alijs Sanctis Patribus, quatenus docent Attributa includi formaliter in Naturâ. Et notandum est malè explicari prædicta testimonia ab aliquibus Modernis, qui dicunt D. Augustinum, & alios Sanctos Patres solùm velle Attributa includi identicè in Naturâ Diuinâ. Malè, inquam, quia D. Augustin. & alij Sancti Patres expressè loquuntur de inclusione formali, vt patet ex locis allegatis *num.* 152.

P. Recupit. P. Amic. P. Soares Magistr. D. Thom. D. Aug.

156 Secundó probatur resolutio, quia Essentia Diuina sumpta in totâ suâ amplitudine est actualitas à se in omni genere perfectionis simpliciter simplicis, vt liquet ex dictis *num.* 129. ergo formaliter est Misericordia, Sapientia, Iustitia, Omnipotentia, & sic de cæteris. Neque dicas, satis esse quòd sit radix horum omnium; nam perfectiùs est quòd sit actualitas Sapientiæ, quàm solùm eius radix; nam actualitas est perfectio radicis: at verò Essentia Diuina est formaliter Ens perfectissimum, quo perfectius intelligi, & excogitari non potest. Tertiò probatur eadem resolutio, quia alioquì Attributa forent accidentia, vt patet ex proximè dictis.

157 Objicies primó. Natura Diuina á parte rei non includit formaliter Relationes: ergo neque Attributa. Respondeo esse diuersam rationem, quia Relationes non sunt perfectiones simpliciter simplices; Attributa veró maximè: perfectiones autem, quæ non sunt simpliciter simplices, non possunt includi formaliter in Naturâ, alioquì destruerent eius simplicitatem; quod in Relationibus est manifestius; nam, cùm hæc distinguãtur realiter, si ingrederentur Essentiam vt eius partes constitutiuæ, sanè tollerent illius simplicitatem.

158 Objicies secundó. Proprietates formaliter sunt extra Naturam, vt patet in proprietatibus Entis, quæ sunt extra ipsum Ens: at verò Attributa sunt proprietates Naturæ Diuinæ. Respondeo distinguendo Minorem: Attributa sunt proprietates Naturæ Diuinæ sumptæ á parte rei in totâ suâ amplitudine, nego Minorem; sic enim sunt de Essentiâ ipsius Naturæ: sunt proprietates Naturæ Diuinæ sumptæ per intellectum, ac metaphysicè prout est radix ipsorum Attributorum, concedo Minorem.

§. 3.

Secunda Conclusio.

159 Dico secundò. Natura Diuina sumpta inadæquatè per intellectum, ac metaphysicè, prout solùm est radix Attributorum, illa formaliter non includit. Ita plures ex antiquis, quos latè allegant, & sequuntur P. Vasquez *disp.* 119. *cap.* 2. P. Alarcon *disp.* 2. *cap.* 10. *num.* 3. P. Fassol. 1. *p. q.* 4. *art.* 2. *dub.* 1. P. Fonsec. 7. *Metaph. cap.* 8. *q.* 2. *sect.* 7. P. Gil. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 6. P. Salas 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *d.* 3. *sect.* 7. *num.* 32. P. Arriag. *tom.* 1. *in* 1. *p. tract. de Scient. Dei d.* 16. *num.* 15. P. Mæratius *d.* 4. *s.* 1. & 2.

P. Vasq. P. Alarc. P. Fassol. P. Fonsec. P. Gil. P. Salas P. Arriaga P. Marat.

160 Primum fundamentum desumitur ex testimo-

testimonijs Sanctorum Patrum asserentium Attributa Diuina non esse de Essentiâ Dei, sed extra illam, ac circa illam considerari per modum accidentium; atqui talia non sunt à parte rei considerata Naturâ in totâ suâ amplitudine, vt constat ex primâ Conclusione: ergo talia sunt sumptâ Naturâ per intellectû, ac metaphysicè, prout est radix ipsorum Attributorum. Maior ostenditur primò, ex D. Augustin. *lib.* 15. *de Trinitat. cap.* 6. ibi: *Si dicam Immortalis, Iustus, Spiritus, horum nouissimum videtur significare Substantiam: caetera huius Substantiae qualitates.* Secundò, ex D. Cyril. *lib.* 11. *Thes.* ibi: *Non omnia, quae in Deo sunt, & de Deo dicuntur Substantiam, hoc est, Essentiam significant: reliquum est igitur, vt voce, modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus.* Tertiò, ex D. Damasc. *lib.* 1. *de Fide cap.* 4. ibi: *Si Iustum, si Bonum, si quid tale dixeris non Naturam dicis Dei, sed quae extra Naturam sunt.* Quartò, ex D. Basilio *lib.* 1. *contra Eunomium.* ibi: *Quo pacto non irridendus si creandi Virtutem, aut Praescientiam, Substantiam esse dicat.* Alia plura testimonia vide apud P. Gil. & P. Alarc. locis citatis.

D. Aug. D. Cyril. D. Dama. D. Basil. P. Gil P. Alarc.

161 Secundum fundamentum consistit in hâc ratione, quia Attributa metaphysicè, ac per intellectum concipiuntur emanare à Naturâ, vt à radice: ergo non possunt non esse extra illam. Et hoc est euidens, quia ea, quae á parte rei procedunt à suâ radice, vel principio, à parte rei sunt extra illud; sin minùs idem procederet à se ipso, & consequenter esset prius, & posterius se ipso: ergo etiam ea, quae per intellectum, ac metaphysicè procedunt á suâ radice, vel principio, metaphysicè, & per Intellectum sunt extra illud.

162 Respondetur primò ab Aduersarijs Attributa considerari dupliciter: per modum subsistentis, & per modum adiacentis: primo modo sunt de Essentiâ Dei: secundo, ab illo emanant, suntque illius proprietates. Sed contrà, quia Attributum per modum subsistentis, & per modum adiacentis non est duplex, sed vnum, idemque diuerso modo sumptum: at verò non potest intelligi quomodò idē procedat á se ipso.

163 Respondent secundò, Attributa sumpta implicité includi in Naturâ: sumpta veró explicitè considerari circa illam per modum proprietatis. Sed contrá primò, quia Attributum sumptum implicitè, & explicitè non sunt duo, sed vnum tantùm; neque enim admittitur in Deo duplex Omnipotentia, vna implicita, alia explicita: at veró, vt diximus, idem non potest intelligi procedere à se ipso. Secundò, quia quando vnum praedicatum includitur formaliter, licèt implicitè, non potest absolutè negari de subiecto, v. g. quia in animali includitur formaliter, licèt implicitè, gradus Substantiae, non potest de animali absolutè negari, quòd existat per se. Et huius ratio est, quia negatio, cùm sit malignantis Naturae, absolutè prolata remouet formam omnibus modis; atqui Attributa absolutè negantur de Naturâ, vt constat ex testimonijs Sanctorum Patrum relatis in nostro primo fundamento: ergo non includuntur in eâ formaliter etiam implicitè.

164 Neque dicas, sequi ex hâc doctrinâ Attributa á parte rei non esse de Essentiâ Dei, quia scilicet absolutè negantur esse de illius Essentiâ. Non, inquam, hoc dicas, quia quandó Attributa negantur esse de Essentiâ, hoc solùm procedit in genere Metaphysico, in quo Attributa nullo modo sunt de Essentiâ Dei, quidquid sit de illis sũptis in alio genere Physico, seu quasi Physico.

165 Obijcies. Passiones Entis sunt implicitè Ens; & tamen sumptae explicitè ab illo emanant, & sunt extra illud: ergo idem dicendum de Attributis respectu Naturae. Respondeo passiones Entis, aut consistere in negatiuo, vt *Vnum*; & hoc neque implicitè, neque explicitè est Ens: aut consistere in connotationibus, vt *Verum*, quod consistit in connotatione ad Intellectum; & *Bonum*, quod consistit in connotatione ad Voluntatem. Huiusmodi autem connotationes possunt cõsiderari aut secundùm id, quod dicunt in recto; quo pacto sunt ipsum Ens, & non eius proprietas: aut secundùm id, quod dicunt in obliquo; & hoc modo neque implicitè, neque explicitè sunt Ens, sed *ad Ens*, hoc est, *ad Intellectum*, & *ad Voluntatem*.

§. 4.

Argumenta soluta.

166 Neque obstant fundamenta opinionis contrariae proposita initio huius difficultatis. Ad primum D. Augustini, & aliorum dicentium Attributa esse de Essentiâ Dei, respondeo eos loqui de Attributis in ordine ad Naturam sumptam á parte rei prout in se est in totâ suâ amplitudine, quo pacto diximus in primâ Cõclusione Attributa esse de Essentiâ Dei: in secundâ veró loquimur de Attributis in ordine ad Naturam sumptam per intellectum prout

est

est radix Metaphysica suarum proprietatum, & ipsorum Attributorum.

167 Ad secundum (quatenus dicit si Attributa non includuntur in Naturâ sequi esse accidentia) P. Arriaga *tom.* 1. *in* 1 *p. tract. de Scientia Dei disp.* 16. *num.* 8. non veretur admittere accidentia Logica, ac Metaphysica in Deo. Sed re verá ratio accidentis inhærentis inuoluit imperfectionem intrinsecam, ac positiuam, quæ non minùs Deum dedecet, etiamsi accidens solùm sit Metaphysicū, quàm dedecet Intellectum Diuinum cognitio virtualis opinatiua, & intrinsecè formidolosa, aut coniecturalis, vel Fidei obscuræ; quæ licèt virtuales sint, sunt imperfectiones á Deo maximè alienæ. Assero igitur cum P. Amic. 1. *p. d.* 3. *n.* 61. non esse in Deo admittenda accidentia Logica, seu Metaphysica: neque contrarium conuincitur ex eo, quòd Attributa sint extra Naturam; vt enim non sint accidentia respectu illius, satis est, quòd eam formaliter constituant á parte rei, vt pleniùs diximus in Materiâ *de Trinitate*.

168 Ad tertium, dico Naturam Diuinam per intellectum, ac Metaphysicè sumptam includere formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem intra suum genus Naturę, ac radicis, non verò illas, quæ spectant ad aliud genus, nimirum proprietatum: at veró Attributa sunt perfectiones in alio genere, nimirum proprietatum.

169 Instabis primò cum P. Recupit. & P. Martinon suprá cit. Natura creata est finita in omni genere: ergo Natura Diuina debet esse infinita in omni. Respondeo Naturam Diuinam in genere Naturæ, seu radicis esse infinitam simpliciter, quia est radix omnium perfectionum, quæ omnes in illâ sunt radicaliter: in genere proprietatis neque est finita, neque infinita; siquidem proprietas non est: finitas autem, vel infinitas sequitur esse rei.

170 Instabis secundò cum P. Amico: Natura Diuina sumpta á parte rei includit essentialiter Attributa, vt constat ex primâ Conclusione: ergo etiam illa includet sumpta per intellectum. Et hoc ostenditur primò, quia intellectus neque tollit, neque ponit essentiam diuersam: at veró Natura Diuina ante operationem intellectûs includit in suâ essentiâ Attributa. Secundò, quia intellectus non potest concipere rem absque suâ essentiâ: Attributa verò ante considerationem intellectûs sunt de essentiâ Naturæ.

171 Respondeo Naturam Diuinam adæquatè sumptam in totâ suâ amplitudine tum à parte rei, tum per intellectum includere formaliter Attributa; aliter dicendum de illâ sumptâ per nostros inadæquatos conceptus, prout nimirum sistit in ratione radicis, ac principij Metaphysici suarum proprietatum per analogiam ad proprietates creatas. Vnde prima argumenti confirmatio nihil concludit, quia intellectus, quando considerat Naturam Diuinam vt radicem, neque tollit, neque ponit Essentiam diuersam, sed considerat eandem, inadæquatè tamen, ac præcisiuè sistendo in ratione radicis, respectu cuius Attributa sunt proprietates, licèt alioquí respectu Dei adæquatè sumpti sint Essentia. Secunda confirmatio etiam non concludit, quia intellectus non concipit Deum adæquatè sine Attributis, sed concipit Naturam sine illis sumptam per modum radicis, quo pacto Attributa in illâ non includuntur.

172 Ad quartum, in primis dicendum est plures Doctores admittere in Deo compositionem virtualem, eos, & eorum fundamenta retulimus in *Physic. tractat.* 2. *num.* 163. & in horum Doctorum opinione argumentum nullam habet vim: in opinione veró aliorum, quos ibidem *num.* 164. citauimus, & vt digniùs de Deo loquentes amplexi fuimus, dicendum est Naturam, & Attributa solùm distingui in ordine ad effectus, & perfectiones creatas, quibus correspondent, non in ordine ad compositionem; nam in ordine ad hanc, aut habent se negatiuè, hoc est, vnum non est extra aliud; aut positiuè per conceptum magis expressum, quo omnia inter se, & cum Naturâ considerantur per modum vnius, eiusdemque. Vide locum cit.

§. 5.

An Attributa includant formaliter Naturam: aut se inuicem?

173 Secunda difficultas: An Attributa includant formaliter Naturam? aut se inuicem? Attributa possunt considerari dupliciter: primò, per conceptus inadæquatos, prout distinguuntur inter se, & á Naturâ, vt à radice, á quâ emanant: secundò, quodlibet á parte rei per conceptum adæquatum in totâ suâ amplitudine.

174 Quæritur primó, Vtrùm Attributa, quatenus per nostros conceptus inadæquatos distinguuntur á Naturâ, & inter se, illa, & se

P.Soares P.Amic. P.Recupit. P.Ruiz. P.Arrub. P.Molina P.Granad.

& se inuicem formaliter includant? Pro parte affirmatiuâ contendunt P. Soar. suprà cit. *c.* 12. & 13. P. Amic. citatus *num.* 123. P. Recupitus *q.* 11. & 12. P. Ruiz *d.* 13. P. Arrub. *d.* 10. *c.* 14 vbi suprà, P. Mol. *q.* 28. *a.* 2. *d.* 4. P. Granado *tr.* 2. *d.* 7.

175 Probatur primò, quia Attributa, etiam prout à nobis considerantur, concipiuntur vt perfectiones simpliciter simplices infinitæ in omni genere; concipiuntur enim modo perfectissimo ex parte obiecti: taliter autem non conciperentur, nisi includerent formaliter omnem perfectionem in omni genere saltem implicitè. Secundò probatur specialiter includere Essentiam, quia Essentia Dei consistit in ratione Entis à se: sed quodlibet Attributum concipitur vt Ens à se saltem implicitè. Tertiò probatur specialiter includere se inuicem, quia inter Attributa Diuina, sicut datur summa perfectio, ita debet dari summa identitas, ac simplicitas: at verò summa identitas, ac simplicitas est illa, quâ omnia Attributa formaliter sunt vnum, & vnum omnia.

§. 6.

Concluditur Attributa sumpta per nostros conceptus inadæquatos non includere formaliter Naturam: aut se inuicem.

D.Thom. P.Vasq. P.Gil. P.Becan. P.Turrian. P.Alarc. Ægid. P.Martin.

176 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio. Eam tenent D. Thom. & alij plures, quos referunt, & sequuntur P. Vasq. *disp.* 119. *cap.* 2. P. Gil. vbi suprà *cap.* 7. & 8. P. Becan. *de Essentia Dei cap.* 2. *q.* 5. P. Turrian. *disp.* 3. *dubit.* 4. P. Alarc. *de Trinitat. d.* 3. *cap.* 13. Ægid. Lusitan. *lib.* 5. *de Beatitud. q.* 8. *art.* 1. P. Martinon *disp.* 7. *de Deo num.* 64. Quòd Attributa non includant formaliter Naturam probatur: quia quá proprietates sunt, emanant à Naturâ: ergo prout sic non illam includunt; sin minùs conciperentur procedere à se ipsis. Quòd verò non se ad inuicem includant, ostenditur: quia alioqui Intellectus esset formaliter Voluntas, & è contra; & quod inde sequitur verum esset dicere Verbum Diuinum formaliter procedere per Voluntatem, & Spiritum Sanctum per Intellectum.

177 Respondent aduersarij Verbum Diuinum solùm procedere per Intellectum, & Spiritum Sanctum per Voluntatem secundùm id, quod Intellectus, & Voluntas dicunt explicité. Non satisfaciunt, quia Verbum Diuinum procedit per Intellectũ sumptum secúndùm suam Essentiam, & Spiritus Sanctus per Voluntatem sumptã similiter secundùm suam Essentiam; sin minùs neque Verbum Diuinum procederet per Intellectum, neque Spiritus Sanctus per Voluntatem; siquidem neque illud procederet per quidditatem Intellectûs, neque iste per quidditatem Voluntatis: sed Intellectus in suâ quidditate includit implicitè Voluntatem, & Voluntas Intellectum: ergo Verbum Diuinũ procederet per Voluntatem, & Spiritus Sanctus per Intellectum.

178 Occurrunt, Verbum Diuinum procedere per Voluntatem sumptam implicité, non explicité: & similiter Spiritum Sanctum per Intellectum sumptum implicitè, non explicité. Sed contrà est primò, quia absolutè posset dici Verbum Diuinum procedere per Voluntatem, & Spiritum Sanctum per Intellectum. Probo hoc, quia Intellectus absolutè posset dici Voluntas, & Voluntas absolutè posset dici Intellectus. Et id ostenditur, quia quoties prædicatum est de essentiâ alicuius subiecti, absolutè potest dici de illo, quantumuis in eo solùm implicitè includatur, vt patet in exemplo Substantiæ, quæ solùm implicitè includitur in animali, & tamen absolutè dicitur de illo: at verò Intellectus includitur formaliter, licèt implicité, in Voluntate, & é contrà.

Secundò, quia falsum esset dicere Verbum Diuinum non procedere per Voluntatem; & Spiritum Sanctum non procedere per Intellectum. Probo sequelam, quia quando prædicatum formaliter, licét implicitè, includitur in subiecto, non potest absolutè de illo negari, vt videre est in eodem exemplo Substantiæ, quæ quia formaliter, licét implicitè, includitur in animali, nequit absolutè de eo negari; atqui Verbum Diuinum procedit per Intellectum, in quo formaliter, licèt implicitè, includitur Voluntas, & Spiritus Sanctus procedit per Voluntatem, in quâ formaliter, licèt implicitè, includitur Intellectus: ergo non posset absolutè negari Verbum Diuinum procedere per Voluntatem, & Spiritum Sanctum per Intellectum: quod tamen est contra Concilia.

179 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit Attributa, etiam prout à nobis considerantur, concipi vt perfectiones simpliciter simplices) respõdeo Attributa

buta cõcipi á nobis vt perfectiones simpliciter simplices infinitas in suo genere, hoc est, Misericordia concipitur vt infinita in genere Misericordiæ, non in genere Iustitiæ; Iustitia concipitur vt infinita in genere Iustitiæ, non in genere Misericordiæ, & sic de cæteris. Dices, quodlibet Attributum debere cõcipi modo perfectissimo. Respondeo debere concipi modo perfectissimo intra suum genus, & Essentiam; non in genere, & Essentiâ non suâ.

180 Ad secundum (quâtenus dicit quodlibet Attributum esse Ens á se: ergo quodlibet esse Naturam Diuinam) respondeo solùm Intellectiuum Diuinum esse vltimó constitutiuum Naturæ Diuinæ sumptæ metaphysicè per modum Naturæ, ac radicis, vt constat ex dictis *n.* 150.

181 Dices: Quòd est Ens á se, formaliter includit omnes perfectiones simpliciter simplices; ideò enim Deus illas omnes formaliter includit, quia est Ens à se: sed quodlibet Attributum est Ens á se: ergo quodlibet omnia formaliter includit. Aliqui dicunt non quodlibet Attributum esse formaliter Ens á se, sed solùm identicè. Ego addo, neque in conflato ex Æternitate, vel ex Immensitate, & Ente á se includi formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, sed solùm radicaliter; neque enim includuntur formaliter ratione Æternitatis, vel Immensitatis, vt patet ex dictis: sed neque ratione Entis à se, nam ratio Entis á se non est formaliter Sapientia, Intellectus, Voluntas, Omnipotentia, Immensitas, Æternitas, sed solùm horum radix. Deus includit formaliter omnes perfectiones, quia est Ens á se in omni genere actualitatis, seu perfectionis simpliciter simplicis: non ita Æternitas, sed solùm in genere Æternitatis: Immensitas solùm in genere Immensitatis.

182 Ad tertium, concedo inter Attributa, & Essentiam Diuinam debere admitti summam simplicitatem, & identitatem, quæ stare potest cum diuisione formali Attributorum ab Essentiâ, & inter se: assero tamen cum illâ non posse stare, quòd omnia Attributa formaliter sint vnum, & vnum omnia ob incommoda in nostro fundamento suprá relata.

(?)

§. 7.

Resoluitur neque sumpta à parte rei includere formaliter Naturam: aut se inuicem.

183 QVæritur secundó, Vtrùm Attributa sumpta á parte rei includant formaliter Naturam: & se inuicem? Pro parte affirmatiuâ facit primò auctoritas Sanctorum Patrum, quos latè adducit P. Recupit. suprá citatus, docentes quodlibet Attributum Diuinum esse omnia, imò ipsum Deum. Vnum præ cæteris adduco D. Anselm. *in Monol. cap. 16.* ibi: *Idem est quodlibet vnum Attributorum, quod omnia simul, siue singula, cúm dicitur Iustitia, vel Essentia idem significant, quod alia, vel omnia simul.* Probatur secundó, quia quantumuis Natura Diuina sumpta per Intellectum non includat formaliter Attributa, tamen sumpta adæquatè à parte rei illa formaliter includit, vt constat ex dictis *num.* 155. ergo idem dicendum de Attributis respectu Naturæ: & inter se. *P. Recupit.* *D. Anselm.*

184 Nihilominus probabilior est contrária resolutio existimantium Attributa sumpta adæquatè à parte rei non includere formaliter Naturam: aut se inuicem. Ita Scot. & alij, quos citat, & sequitur Ægid. Lusitan. *lib. 5. de Beatitud. q. 8. art. 2. §. 2.* Et pro eâdem stare videntur P. Vasq. P. Gil, P. Becan. P. Turrian. & P. Alarc. suprá citat. quâtenus absolutè negant Attributa includere formaliter Naturam: aut se inuicem. Fundamentum vno verbo est, quia in contrariâ sententiâ sequitur Verbum Diuinum procedere per Voluntatem, & Spiritum Sanctum per Intellectum. Et hoc ostenditur, quia Verbum Diuinum procedit à parte rei per Intellectum, & Spiritus Sanctus á parte rei per Volũtatem; sed Intellectus á parte rei formaliter est Voluntas; & Voluntas á parte rei formaliter est Intellectus: ergo Verbum Diuinum procedit per Voluntatem formaliter á parte rei, & Spiritus Sanctus per Intellectum. *Scot.* *Ægid. Lusit.* *P. Vasq.* *P. Gil* *P. Becan* *P. Turrian* *P. Alarc.*

185 Ad primum fundamentum opinionis contrariȩ deductum ex testimonijs Sãctorum Patrum (quâtenus dicunt quodlibet Attributum esse omnia, imó ipsum Deum) respondeo ea loca debere intelligi de inclusione identicâ, nõ de formali, ad eum modum, quo de Relationibus Diuinis dicimus includere Naturam inclusione identicâ, non formali.

186 Instabis: ex testimonio D. August.

q.*de Trinitate*, ibi: *Deus eo ipso quo est, viuit, & eo quo viuit, intelligit; & eo quo intelligit, potest*, quæ verba non possunt explicari in sensu identico; nā dicens, *eo ipso quo est, viuit*, loquitur in sensu formali; nam existentia est de conceptu vitæ Diuinæ: ergo etiam quæ sequuntur debent intelligi in sensu formali. Respondeo adhuc illa verba intelligi in sensu identico; nam D. Augustin. loco citat. solùm intendit probare Deum esse omninó simplicem à parte rei, quod præstat ostendendo omnia, quibus constat, esse omninò idem á parte rei. Respondere potest secundò D. August. loco cit. solùm velle omnia Attributa esse de Essentiâ Dei sumptâ adæquatè, & à parte rei, non tamen Naturam, & omnia Attributa esse de Essentiâ cuiusque.

187 Ad secundum, concedo Naturam Diuinam á parte rei includere formaliter Attributa, & nego illa á parte rei includere formaliter Naturam, aut se inuicem. Diuersa ratio est, quia Natura Diuina adæquatè sumpta est essentialiter Ens simpliciter infinitum in omni genere, quo non potest excogitari aliud perfectius: at veró tale non esset, si intra eius Essentiam desideraretur aliqua perfectio. Aliter dicendum de Attributis, quia quodlibet est solùm essentialiter infinitum in suo genere, non in genere non suo: aliud genus spectat ad aliud Attributum, & illud constituit.

SECTIO V.

De Existentiâ Entis Diuini.

188 PRIMA difficultas: Vtrùm Existentia sit de Essentiâ Dei? Negat Mayronius *in* 1. *dist*.2.*q*.1.*a*.2. Mirandulanus ibidem *conclus*.8. Tromb. quem citat, & sequitur Bargius ibidem §. *Quia illa*, & alij, quos citat, non tamen sequitur Bassol. *in* 1. *dist*.8.*q*.1.*art*.2. Probatur primò, quia alia est quæstio, *An sit, & existat Deus*: alia, *Quid sit*: ergo alia est forma, quâ Deus existit: alia quâ est hoc aliquid. Secundó, quia Existentia est communis Deo, & Creaturis: Deus autem nullum habet prædicatum essentiale commune Creaturis, iuxta illud *Sap*.14. *Incommunicabile nomen lignis, & lapidibus imposuerunt*. Tertiò, quia si Existentia foret de Essentiâ Dei, esset vltimū constitutiuum illius contra id, quod resoluimus *n*.150.

Mayron. Mirand. Tromb. Bargius Bassol.

Sap. 14.

§. I.

Concluditur Existentiam Dei esse de eius Essentiâ.

189 NIhilominus probabilior est cōtraria resolutio asserentiū Existentiam esse de Essentiâ Dei. Ita D. Thom. 1.*p*.*q*.3.*a*.4. Albert. M. Ferrar. Caiet. D. Bonau. Ægid. Henric. Richard. Scot. Hispalensis, Soncin. Bassol. D. Damasc. D. Hilar. D. Hieron. D. Ambros. Lippom. Rabban. Rupert. D. August. D. Bernard. & D. Dionys. quos latè allegant, & sequuntur P. Gil. *lib*.2. *tract*.1.*c*.5.*n*.3. P. Soar. *lib*.2. *de Essentia Dei c*.3. P. Fassol. *q*.3.*a*.4.*n*.3. P. Granad. 1.*p*. *tract*.2. *d*.2. Caspensis *tom*.1. *tract*. *de Attrib. disp*.3.*n*.13. P. Martinon *d*.2. *de Deo n*.57. P. Arriaga *de Trinitate d*.49.*n*.3. P. Alarcon *tract*.5.*d*.5.*c*.4.

190 Et probatur primò, quia Essentia Diuina, aut sumitur adæquatè prout est à parte rei; & sic constituitur actualitate, seu Existentiâ in omni genere perfectionis simpliciter simplicis, vt constat ex dictis *n*. 129. aut sumitur inadæquaté per nostros conceptus; & sic siue consistat in ratione Entis á se, siue in Intellectiuo Diuino, consistit in his sumptis perfectissimè: ergo prout actu sunt, hoc est, prout existunt.

191 Secundó probatur, quia si Existentia non esset de Essentiâ, conciperetur vt proprietas emanans ab illâ: non autem potest cōcipi emanare à Naturâ non existente: iam ergo includitur in Naturâ ipsa Existentia, seu, quod idem est, non potest non concipi includi in Naturâ.

D.Thom. Albert.M. Ferrar. Caiet. D.Bonau. Ægid. Henric. Richard. Scot. Hispal. Soncin. Bassol. D.Damasc. D.Hilar. D.Hieron. N.Ambr. Lippom. Rabban. Rupert. D.Aug. D.Bern. D.Dionys. P.Gil. P.Soares P.Fassol. P.Granad. Caspens. P.Martin. P.Arriaga P.Alarc.

192 Non placet hæc ratio P. Granado suprà cit. *d*.2.*s*.2.*n*.7. vbi dicit solas veras, & reales emanationes requirere Existentiam ex parte principij, non verò emanationes virtuales Metaphysicas. Sed contrá, quia emanationes reales supponunt in principio Existētiam realem: ergo emanationes per rationem supponent in principio Existentiam per rationē; nam emanationes per rationem concipiuntur ad instar emanationum realium. Itaque ad emanationes reales principium debet præsupponi realiter existens: ergo ad emanationes rationis principium debet concipi per rationem existens.

193 Ex dictis sequitur non solam Existētiam vtcunque, sed sumptam in actu exercito esse de Essentiâ Naturæ Diuinæ; debet enim esse de eius Essentiâ sumptâ modo perfectissimo: & sic est sumpta in actu exercito. Dices; Ergo à prædicatis Diuinis non potest

concipi

concipi aliqua ratio communis; nam ratio cōmunis non existit in actu exercito: ergo non potest in eâ includi ratio prædicati particularis; hæc enim est existens in actu exercito. Respondeo non esse opus quòd prædicatum commune habeat omnes denominationes essentiales, quæ includuntur in eius singularibus, quando hæ nō cōpatiuntur cum tali statu communi: sic differentia indiuiduans in communi non est singularis, sed communis, cùm tamen eius particularia sint essentialiter singularia: item Existentia creata in actu exercito abstracta ab existentijs in actu exercito, ipsa non est in actu exercito, eius verò particulari a, maximé; quia nimirum hæ denominationes non compatiuntur cum statu communi: & sic se habet denominatio *exerciti* in prædicato Diuino in communi; hæc enim non compatitur cum prædicato communi; vnde solùm reperitur in prædicatis Diuinis singularibus.

194 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quâtenus dicit illas quæstiones, *An Deus sit*: & *Quid sit* esse diuersas) respondeo cum D. Thomâ loco citato quæstionem, *An Deus sit*, quâtenus distinguitur ab hâc, *Quid sit*, solùm significare veritatem intellectûs, hoc est, verum esse quód Deus existat.

195 Ad secundum (quâtenus asserit nullum prædicatum Diuinum essentiale esse cōmune Deo, & Creaturis) dico Existentiam esse communem Deo, & Creaturis, sed non eodem modo; nam Deo conuenit essentialiter, & á se, Creaturis veró contingenter, & per participationem ab alio. Deinde distinguo hoc modo: Nullum datur prædicatum essentiale vniuocum commune Deo, & Creaturis, concedo Minorem: nullum datur prædicatum analogum, nego Minorem; nam prædicatum *Ens* dicitur de Deo, & Creaturis.

196 Ad tertium (quâtenus asserit si Existentia esset de Essentiâ Dei esse eius vltimum constitutiuum) respondeo Existentiam á se in omni genere perfectionis simpliciter simplicis esse á parte rei vltimum constitutiuum Naturæ Diuinæ, vt diximus *n.* 129. per intellectum verò, & metaphysicè quóad nos vltimum constitutiuum Naturæ Diuinæ consistit in eo, quod est proxima radix primæ proprietatis quòad nos: hæc veró radix consistit in Intellectiuo Diuino, ab illo enim censetur emanare prima proprietas, nimirum Intellectus, vt explicauimus *n.* 150.

(·?·)

§. 2.

Vtrùm Existentia distinguatur virtualiter á Naturâ Diuinâ?

197 Secunda difficultas: Vtrùm Existentia Diuina distinguatur à Naturâ, ad eum modum, quo Rationale distinguitur ab homine, licèt sit de eius Essentiâ? Affirmant Aureolus *in* 1. *dist.* 8. *q.* 1. *a.* 4. *proposit.* 3. & *q.* 4. *a.* 2. §. *Est ergo*, Mayronius, Mirād. Trombeta, Bargius, & alij suprá, quos cum P. Vasquez citat, & sequitur P. Granad. 1. *p. controuers.* 1. *tract.* 2. *d.* 2. *à n.* 6. P. Arriaga *in Met. d.* 2. *num.* 72. quia potest concipi Existentia à se, quin concipiatur gradus Intellectiui, qui est constitutiuus Naturę Diuinæ. Negant è contrá D. Thom. 1. *p. q.* 3. *a.* 4. P. Soar. *de Incarn. d.* 11. *s.* 1. & *in Sum. lib.* 1. *c.* 2. *à num.* 5. item *in Met. d.* 31. *s.* 6. *n.* 15. P. Fassol. *q.* 3. *a.* 4. *n.* 7. P. Tellez *d.* 51. *n.* 12.

Aureol. Mayron. Mirand. Trombeta Bargius P. Vasq. P. Granad. P. Arriaga D. Thom. P. Soar. P. Fassol. P. Tellez

198 Ego respondeo cum distinctione. Et dico primó. Existētia Dei adæquata nō distinguitur ab eius Essentiâ. Hæc assertio probatur ex dictis *num.* 129. vbi ostendimus Essentiam Dei consistere in actualitate, seu Existentiâ in omni genere perfectionis simpliciter simplicis: vnde patet recurrere cum illâ. Si autem Essentia Diuina sumatur prout consistit in Ente á se, vel in gradu Intellectiui, etiam dicendum est consistere in horum actualitate, vt liquet ex dictis *n.* 190. ac proinde prædictam actualitatem non distingui ab illis, quia actualitas rei non distinguitur ab ipsâ re in actu, sed omninò coincidit cum illâ, vt ex inferiùs dicendis *n.* 246. clariùs patebit.

199 Dico secundò: Existentia Dei inadæquata distinguitur ab eius Essentiâ. V. g. Existentia gradûs Spiritûs, vel Intellectiui Diuini distinguitur à totâ Naturâ Diuinâ. Probatur, quia Natura Diuina præter quemlibet horum graduum includit alios: ergo quilibet, eiusque Existentia distinguitur à totâ Naturâ, sicut gradus Rationalis á toto homine.

SECTIO VI.

De Ente Creato, quod est alterum diuisionis membrum.

200 IN S Creatum, hoc est, *Ens ab alio, & per causalitatem* potest cōsiderari, vel quóad

 essen-

essentiam, vel quòad existentiam: in hâc Sectione loquimur de illo sumpto quòad essentiam: de eius existentiâ disputabimus in sequenti. Essentia Entis Creati potest sumi dupliciter: primó, in esse possibili prout antecedit existentiam: secundò, in esse actuali prout est coniuncta cum existentiâ. Videndum primo loco, Quid sint Essentiæ rerum antequam existant? Secundo, Per quid constituantur in esse actuali?

§. 1.

Vtrùm Essentiæ rerum antequam existant sint aliquid positiuum?

201 PRima difficultas: Vtrùm Essentiæ rerum antequam existant consistant in aliquo positiuo. Celebris est opinio asserentium consistere in aliquo positiuo actuali. Ita sentire videtur Diuus Thomas, item Henric. Ægid. Caiet. Capreol. Alpharrabius, Auicen. & alij, quos citat, & sequitur P. Albertin. *d.* 1. *de Prædicamento Substantiæ q.* 1. *conclus.* 1. Quibus subscribere videtur P. Arriaga *in Met. d.* 11. *n.* 10. quâtenus asserit possibile dicere in recto aliquid positiuum. Accedunt P. Tellez *disp.* 50. *sect.* 1. *n.* 4. P. Fasol. 1. *p. q.* 3. *de simplicit. Dei a.* 4. *in com. n.* 1. & P. Santa Cruz *in Log. p.* 2. *d.* 4. *q.* 5. *s.* 2. §. *Et sanè.* Et probatur primò, quia Creatura antequâ existat cônectitur cum Omnipotentiâ, & terminat cognitionem Diuinam: hoc verò præstare non potest, nisi habeat aliquod esse. Secundò, quia prædicata essentialia possunt ab æterno affirmari de Essentiâ: veritas autem fundatur in aliquo esse. Tertiò, quia res creatæ antequam existant ponuntur in Prædicamento: at verò sola entia positiua ponuntur in Prædicamento. Et confirmatur, quia res creatæ antequam existant, collocantur sub eodē Genere, & Specie, quo quando existunt. Probo hoc, quia rosa, quæ non dum existit est eiusdem speciei cum rosâ existente; & Antichristus eiusdem speciei cum Petro existente: negatio verò non potest esse eiusdem speciei cū re positiuâ. Quartò, quia Essentiæ rerū sumptæ in esse possibili sunt aliquid creabile: negatio verò, aut Ens rationis non est aliquid creabile. Quintò, quia communiter distinguitur in creatis triplex esse *essentiæ, existentiæ,* & *veritatis*, seu *propositionis*, vt videre est apud D. Thom. *in* 1. *dist.* 33. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 1. ergo seclusâ existentiâ adhuc Essentia retinet suum esse. Sextò, quia in quolibet possibili datur quædam non repugnantia ad existendum: hæc autem debet fundari in aliquo positiuo.

D. Thom. Henric. Ægid. Caiet. Capreol. Alpharra. Auicen. P. Albert. P. Arriaga P. Tellez P. Fasol. P. S. Cruz D. Thom.

§. 2.

Plena quæstionis resolutio.

202 NIhilominus distinctione opus est. Nā Essentiæ rerum antequam existant considerari possunt tripliciter: primò, pro esse, quod habent in Omnipotentiâ Diuinâ, à quâ possunt produci, & collocari in esse existentię actualis: secundò, pro esse actuali, quod modó in se habent antequam existant: tertiò, pro esse obiectiuo, quod modò non habent, sed possunt habere si actualiter á Deo producantur. His positis.

203 Dico primò. Essentiæ rerum antequam existant consideratæ primo modo pro esse, quod habent in Omnipotentiâ Diuinâ, sunt aliquid positiuum. Hæc conclusio est manifesta, quia Essentiæ rerum hoc modo consideratæ non distinguūtur à virtute ipsius Omnipotentiæ, in quâ continentur, hoc est, sunt ipsæ continentiæ; seu Eminentiæ formales Omnipotentiæ Diuinæ: hæ veró sunt positiuæ, & actualiter existentes.

204 Dico secundó. Essentiæ rerum secundo modo spectatæ ante existentiam nullum habent esse positiuum actuale. Ita expressé Aristotel. 9. *Met. c.* 3. D. Thom. *q.* 3. *de Potent. a.* 5. *ad* 2. Scot. *in* 1. *dist.* 35. *Ad ista*, & *dist.* 36. *ad* 2. & *in* 2. *dist.* 1. *q.* 1. *a.* 2. & *in quodlibetis q.* 1. & 14. *a.* 2. Heru. Soncin. & Capreol. quos citat, & sequitur P. Fonsec. 5. *Met. c.* 5. *q.* 4. *sect.* 4. & *l.* 9. *c.* 1. *q.* 3. P. Vasq. 1. *p. d.* 182. *cap.* 3. *n.* 14. & *tom.* 1. *in* 3. *p. d.* 72. *c.* 3. P. Ouied. *in Met. controuers.* 2. *punct.* 1. *n.* 5. P. Hurtad. *in Met. d.* 8. §. 15. P. Soar. *in Met. d.* 31 *s.* 2. vbi dicit hanc resolutionem esse de Fide. Et certè Vualdens. *l.* 1. *de doctrina Fidei antiquæ c.* 8. adnumerat inter errores Wiclefi quod dixerit creaturas habere ab æterno aliquod esse reale distinctum ab esse Dei.

Aristot. D. Thom. Scot. Herue. Soncin. Capreol. P. Fonsec. P. Vasq. P. Ouiedo P. Hurt. P. Soares Waldens.

205 Et probatur primò, quia si Essentiæ rerum antequam existant, & ab æterno habent aliquod verum esse actuale, aut hoc esse est creatum á Deo: aut non. De fide est non esse creatum; nihil enim creatum est ab æterno, vt definitur in *Cap. Firmiter de Sum. Trinitate.* & consonat illud *Genesis* 1. *in principio creauit Deus*, & c. Deinde etiam de Fide est illud Ens non esse increatum; sin minùs esset Ens à se, quod est proprium solius Dei iuxta illud *Exodi* 3. *Ego sum, qui sum*, vt ibi explicant D. Hilar. D. Aug. D. Dionys. & alij Sancti Patres, quos suprá retulimus.

Concil. Lateran. Genes. 1. Exod. 3. D. Hilar. D. Aug. D. Dionys.

206 Et confirmatur primò, quia si illud esse foret increatum, Creaturæ non illud acciperent

perent à Deo; ac proinde possent gloriari habere aliquid ex se, quod nō acceperint à Deo: hoc autem est contra illud Pauli 1. *ad Corinth.* 2. *n.* 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quia gloriaris quasi non acceperis?*

1. *ad Corinth.* 2. *n.* 4.

207 Confirmatur secundò, quia nullum Ens actu distinctum à Deo potest esse non factum ab ipso Deo, iuxta illud *Ioann.* 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Vnde rectè inferunt Sancti Patres quidquid à Deo factum non est, aut esse Deum, aut nihil, vt ex D. Iustino, D. Ciryllo, & D. Augustino refert P. Soar. citat. *in Met. d.* 31. *sect.* 2. *n.* 3. Neque dicas, Essentias rerum antequam existant esse à Deo factas exemplariter, non effectiuè. Non, inquam, hoc dicas, quia causa exemplaris non causat actualiter nisi per actionem efficientis, quam dirigit: vnde nulla dari potest causalitas exemplaris, vbi nulla reperitur causalitas efficientis, vt diximus *in physica tract.* 2. *n.* 791.

Ioann. 1.
D. *Iustin.* D. *Cyril.* D. *August.* P. *Soar.*

208 Probatur secundò eadem resolutio, quia habere esse reale actuale in rerum naturâ nihil aliud est, quàm existere; sed Creaturæ nō existunt ab æterno, vt est de Fide, & ipsa experientia ostendit; videmus enim res incipere esse in tempore: ergo Creaturæ nullum habent esse reale actuale ab æterno. Et confirmatur primò, quia posse non esse, non est actu non esse; & posse mori, non est actu mori: ergo posse esse, non est actu esse. Secundò, quia post mortem, & corruptionem Socratis non est actu eius Essentia in rerum naturâ: ergo neque erat actu ante ipsius generationem. Consequentia est optima, quia non desinit esse per corruptionem nisi id, quod incipit esse per generationem. Antecedens verò ostenditur, quia Essentia Socratis coalescit ex eius corpore, & Animâ vnitis: at verò post mortem hæ partes non manent vnitæ, sed separatæ. Tertiò, quia si Essentiæ rerum essent ab æterno aliquid actu reale, etiam earum existentiæ essent ab æterno aliquid reale actu. Probo hoc quia existentiæ etiam habent suas proprias, & partiales essentias: ergo hæ etiam ab æterno forent aliquid actu reale; & quod inde sequitur Essentiæ ab æterno actu existerent.

209 Dico tertiò. Essentiæ rerum tertio modo consideratæ ante existentiam, tametsi non habeant aliquod esse positiuum actuale, habent esse positiuum possibile, v. g. Socrates antequam existat non est homo actualis, sed possibilis, nullum habet esse actu, sed potest illud habere: & in hoc distinguitur possibile ab impossibili, quia licèt vtrumque nullum habeat esse actuale, res possibilis illud potest habere; res verò impossibilis, v. g. chimæra illud non potest habere. Conclusio habet duas partes: primam, Essentias rerum non habere esse positiuum actuale, & hæc patet ex dictis: secundam, habere esse positiuum possibile. Et hæc est euidens, quia habere esse positiuum possibile, est posse habere esse positiuum actuale: & rerum Essentiæ in eo cōsistunt, quòd possint habere esse positiuum actuale. Et sanè hęc est doctrina Aristotel. 9. *Met. c.* 3. D. Thom. D. Anselm. Ocham. Aureol. quos citat, & sequitur P. Soar. *d.* 31. *sect.* 3. *n.* 8. P. Hurtad. *in Met. d.* 8. *n* §. 15. P. Fonsec. P. Vasq. P. Ouied. & alij suprà citati. Et certè in hoc sensu loquuntur D. Tho. Ægid. Caiet. Capreol. Alpharra. & Auicen. citati pro contrariâ sententiâ suprà: vnde re verâ pro illâ solùm stant alij ibi allegati.

Aristot. D. *Thom.* D. *Ans.* *Ocham.* *Aureol.* P. *Soarez* P. *Hurt.* P. *Fonseca* P. *Vasq.* P. *Ouiedo* *Scot.* *Ægid.* *Caiet.* *Capreol.* *Alpharra.* *Auicen.*

§. 3.

Vnde desumatur denominatio possibilis?

210 Quæres, Vnde desumatur, quòd res dicatur possibilis? Respondeo dupliciter posse rem dici possibilem: primò, extrinsecè, ab Omnipotentiâ Diuinâ, à quâ ipsa res produci potest: secundò, intrinsecè ex eo quòd ipsa res non repugnet, hoc est, ex eo quòd ex eius existentiâ non verificentur duo contradictoria.

211 Itaque res possibilis, loquendo de hâc possibilitate intrinsecâ, dicit in recto ipsam entitatem possibilem, quæ videlicet non repugnat, ex cuius nimirum existentiâ non sequitur, quod verificentur duo contradictoria; in obliquo dicit ipsam non repugnātiam, hoc est, negationem, quæ negatur sequi ab existētiâ talis rei verificari duo contradictoria. Ita P. Soar. *in Met. d.* 3. *sect.* 2. & *d.* 12. *n.* 38. P. Alarc. *tr.* 2. *d.* 3. *c.* 2. *n.* 3. P. Vasq. 1. *p. d.* 65. *c.* 4. & *d.* 104. & *d.* 182. *c.* 2. *n.* 9. P. Valent. *q.* 14. *punct.* 7. P. Erice *d.* 5. *c.* 2. Basil. Legionensis *in quodlib. q.* 8. *Scholastica c.* 7. *relect.* 5. P. Ouied. *in Met. controuers.* 2. *punct.* 1. P. Arriag. *in Met. d.* 2. *n.* 19. P. Martinon *d.* 22. *de Deo n.* 16.

P. *Soarez* P. *Alarc.* P. *Vasq.* P. *Valent.* P. *Erice* *Basil. Leg.* P. *Ouiedo* P. *Arriaga* P. *Martinon*

212 Dices: Totum hoc, quod concedimus Enti possibili, etiam reperitur in re existente; nam etiam res existens dicit in recto Ens, & in obliquo non repugnantiam: ergo non benè explicamus rem possibilem per id, quod etiam competit rei existenti. Respondeo rem existentem etiam esse possibilem; si enim esset impossibilis, non existeret: nil ergo mirum quòd ei competat id, quod habet res possibilis; siquidem ipsa est possibilis. Habet preterea res existens quòd sit existens, seu quòd

quòd sit extra causas, quod solùm habet existens, quá existens; & quo caret res possibilis, quá possibilis.

§. 4.
Argumenta soluta.

213 QVod reliquum est, ad fundamẽta proposita *n*. 201. respondeamus. Ad primum (quâtenus dicit Essentias rerum ante existentiam connecti cum Omnipotentiâ, & terminare Diuinã cognitionem) respondeo ita esse, verùm ad id non requiri quód habeant esse positiuum actuale, sed sufficere quòd habeant esse positiuum possibile, secundùm quod, vt possibiles, connectuntur cum Omnipotentiâ, cognoscuntur á Deo, & terminant eius cognitionem.

214 Ad secundum (quâtenus asserit prædicata essentialia ab æterno verificari de Essentiâ, veritatem autem consistere in aliquo esse positiuo) respondeo distinguendo Maiorem: Prædicata essentialia ab æterno verificantur de essentiâ sumptâ secundùm id, quod est actu ante existentiam, nego Maiorem: sũptâ secundùm id, quod potest esse, concedo Maiorem: veritas autem fundatur in aliquo positiuo actuali, vel possibili.

215 Ad tertium (quâtenus dicit rerum Essentias antequam existant poni in Prædicamento: in Prædicamento autem solùm collocari res positiuas) respondeo distinguendó Maiorem: Res creatæ antequam existant ponuntur in Prædicamento secundùm id, quod actu sunt, nego Maiorem: secundùm id, quod possunt esse, concedo Maiorem. Et similiter dicendum non secundùm id, quod actu sunt; sed secundùm quod esse possunt collocari sub eodem Genere, & Specie, quo quando existunt.

216 Instabis: Res possibiles dicuntur absolutè poni in Prædicamento, & collocari sub eodem Genere, vel Specie, quo quãdo existũt: ergo secundùm id, quod sunt; & non secundùm id, quod possunt esse; sin minùs posset Socrates iam nunc dici absolutè Beatus, quia talis esse potest. Respondeo prædicata contingentia, qualis est Beatitudo, non posse affirmari de subiecto ante existentiam; secùs prædicata necessaria: at veró Essentiæ rerum, licét contingenter existant, necessarió possunt existere.

217 Ad quartum (quâtenus dicit Essentias rerum antequam existant esse aliquid creabile: ergo aliquid positiuum, nam negatio non est creabilis) eadem applicanda est solutio, & distinctio, dicendumque Essentias rerum, antequam existant, esse aliquid creabile, non secundúm id, quod actu sunt; sed secundùm id, quod esse possunt. Ad quintum, concedo in quâlibet Creaturâ distingui posse illud triplex esse *Essentiæ*, *Existentiæ*, *& Veritatis*; verùm esse Essentiæ in solâ Creaturâ actuali est aliquid actuale: in Creaturâ possibili solùm est aliquid possibile.

218 Ad sextum (quâtenus contendit in quolibet possibili reperiri quandam non repugnantiam) totum concedendum est: verùm hæc non fundatur in aliquo positiuo actuali, sed in aliquo positiuo possibili, quod subsequitur vt eius proprietas.

§. 5.
Per quid Essentiæ rerum formaliter constituantur in esse positiuo actuali?

219 SEcunda difficultas: Per quid Essentiæ rerum formaliter constituantur in esse positiuo actuali? Aliqui sentiunt constitui formaliter per aliquid distinctũ ab existentiâ. Et certè ita tenentur sentire Capreol. Caiet. Ferrar. Soncin. Iauell. & alij Thomistæ, quos inferiùs subijciemus, opinantes Essentiam in actu distingui ex naturâ rei à suâ existentiâ. Nam in hâc opinione Essentia in actu est aliquid positiuum ex naturâ rei distinctum ab existentiâ: ergo constituitur in esse positiuo actuali per aliquid distinctum ab existentiâ. Quód autem idem etiam tenendũ sit in opinione aliorum existimantium Essentiam distingui solúm virtualiter ab existẽtiâ, ostenditur. Primó, quia illud esse distinctum ab existentiâ, est aliquid positiuum actuale: ergo constituitur tale per aliquid distinctum ab existentiâ. Secundó, quia si Essentia in actu formaliter constitueretur per existentiam, non posset venire in compositionem cum illâ. Probo hoc, quia eam includeret, & consequenter vna pars esset totum, quod est contra rationem partis: at veró compositio ex naturâ, & existentiâ non potest negari, cùm sit receptissima inter omnes Philosophos. Tertió, quia Essentia creata, quæ est in actu, est indifferens ad existendum, vel non existendum; sin minùs esset æqué necessaria, ac Natura Diuina: at veró non esset indifferens, sed essentialiter determinata, si formaliter constitueretur per existentiam. *Capreol. Caiet. Ferrar. Soncin. Iauell.*

220 Nihilominus dicendum videtur Essentiam formaliter constitui in esse positiuo actuali per existentiam. Ita P. Soar. *in Metaph. d.* 31. *P. Soar.*

n. 31. f. 4. Et probatur primò, quia huic esse Essentiæ actualis competunt formaliter omnia, quæ competunt existentiæ: ergo hæc formaliter includitur in illo. Antecedens ostenditur, quia in primis illud esse Essentiæ actualis non est æternum, sed temporale: non est necessarium, sed contingens: confertur Creaturæ per efficientiam, & causalitatem actualē Creatoris; quæ omnia sunt propria existentiæ, vt est manifestum. Secundò, & à priori, quia esse existentiæ nihil aliud est, quàm illud, quo formaliter, & immediatè aliqua Essentia cōstituitur extra causas, & desinit esse nihil, incipiendo esse aliquid; sed ita se habet esse, quo Essentia formaliter, & immediatè constituitur in suâ actualitate: ergo Essentiæ formaliter constituuntur in esse actuali per existentiam.

221 Ad ea, quæ pro parte contraria adducuntur. Dico in primis Essentiam non distingui ex naturâ rei ab existentiâ, vt ex inferiùs dicendis constabit. Deinde ad primum (quâtenus dicit illud esse distinctum ab existentiâ esse aliquid positiuum actuale) respondeo illud esse, quod in re actuali concipitur distinctum ab existentiâ solùm identicè esse actuale ratione existentiæ, cum quâ est idem; formaliter non est aliquid actuale, sed indifferens vt actu sit, vel non sit.

222 Ad secundum (quâtenus dicit si Essentia in actu constitueretur per existentiā, non posse venire in compositionem cum illâ) respondeo Essentiam in actu sumi posse dupliciter: primò reduplicatiuè, prout formaliter includit actualitatem, seu existentiam: secundò specificatiuè, prout solùm identicè eam includit. Primo modo non potest venire in compositionem cum existentiâ; siquidem eam includit, & est ipsa existentia, vt optimè in argumento conuincitur: secundo modo distinguitur virtualiter ab existentiâ, nec eam formaliter includit; vnde potest venire in compositionem virtualem cum illâ. Distinguitur, inquam, virtualiter ab existentiâ, quia diuersum conceptum formamus de Essentiâ hominis, diuersum de eius actualitate, seu existentiâ: primus repræsentat animal rationale præscindendo ab eo, quòd actu existat, vel non existat: secundus repræsentat eius existentiam, seu actualitatem, & positionem extra causas.

223 Ad tertium (quâtenus asserit Essentiam creatam, quæ est in actu, esse indifferentem ad existendum) respondeo Essentiam creatam, quæ est in actu sumptam specificatiuè esse indifferentem ad existendum, vel non existendum: sumptâ verò reduplicatiuè prout formaliter includit existentiam, non esse indifferentem, sed omninò determinatam ad existendum. Differet tamen adhuc Essentia creata à Diuinâ in eo quòd creata specificatiuè sumpta sit indifferens ad existendum: Diuina verò omninò determinata.

SECTIO VII.

De Existentiâ Entis Creati.

224 TRIA in hâc Sectione nobis consideranda veniunt. Primum, Quid sit Existentia Entis creati? Secūdum, Quomodò distinguatur à naturâ, seu essentiâ? Tertium, quod est valdè controuersum, Vtrùm vna natura possit existere per existentiam alienam?

§. I.

Quid sit Existentia Entis Creati?

225 PRima difficultas: Quid sit Existentia Entis creati? Aliqui existimant Existentiam Entis creati neque esse Substantiam, neque Accidens, esse tamen aliquid positiuum. Ita Bañes in 1. editione 1. partis. Bañes Hanc tamen opinionem ipse posteá retractauit in 2. Alij dicunt Existentiam Entis creati esse aliquod eius accidens de Prædicamento Durationis. Probatur primò, quia existere nihil aliud videtur esse, quàm durare. Secundò, quia Existentia aduenit contingenter Enti creato: quod autem contingenter aduenit est accidens. Ita nonnulli Thomistæ cum Auicen. Auicen. lib. 5. suæ Metaph. quem videtur sequi D. Tho. D. Thomæ quodlibet. 2. art. 3. citans Commentatorem 5. Metaphys.

226 Nihilominus hæc declaratione indigent. Dico primò: Existentia Entis creati aut est Substantia, aut Accidens. Ita D. Thom. D. Thom. q. 5. de Potent. a. 4. ad 3. Capreol. dist. 8. q. 1. con- Capreol. clus. 3. Caiet. de Ente, & Essentia c. 4. P. Suar. tom. Caiet. 3. in 3. p. d. 49. sect. 4. §. Sed quæres, P. Hurtad. P. Suarez in Met. d. 8. §. 61. Probatur primò, quia, vt in- P. Hurta frà n. 287. ostendemus, diuisio Entis in Substantiam, & Accidens est adæquata. Secundò, quia sequeretur contra Concilium Tridentinum in Eucharistiâ aliquid manere præter accidentia, nempe eorum Existentiam, quæ non est accidens: sequeretur, inquam, manere, quia sola substantia desinit esse. Tertiò, quia aut Existentia est aliquid inhærens Essentiæ; aut non: si primum, est Accidens: si secundum, est Substantia.

Dico

D. Thom. Capreol. Caiet. P. Hurt. P. Soar.

227 Dico secundò. Existentia Entis creati non est aliquod eius accidens. Certè ita sentit D. Thom. Capreol. & Caiet. proximè citati, P. Hurt. §. 62. P. Soar. *in Met. d.* 31. *sect.* 7. *n.* 2. Probatur primò, quia si esset accidens; inhæreret in Essentiâ, hoc enim de naturâ omnis accidentis est: atqui non potest inhærere in Essentiâ. Probo hoc, quia subiectum inhæsionis præsupponitur existens: ante Existentiam veró non potest intelligi Essentia præexistens. Secūdò, quia omnis Substantia creata actualiter existens esset Ens per accidens, vt pote quæ coalesceret ex Substantiâ, & Accidente. Tertió, quia Existentia est vltimum complementum Essentiæ: complementum verò debet esse eiusdem generis cum re, quam complet. Quartó, quia sequeretur in Eucharistiâ manere existentiam panis; nam iuxta Concilium Trident. sola eius Substantia desinit esse.

D. Thom. P. Soar.

228 Dico tertió. Existentia Entis creati est ipsa eius entitas extra causas. Ita cum D. Thom. & alijs suprà citatis P. Soar. *in Metaph. d.* 31. *sect.* 6. *n.* 23. Et probatur, quia positâ entitate naturæ creatæ extra suas causas, præcisâ per intellectum quâlibet aliâ entitate, vel modo ab eâ distincto intelligimus existere naturam creatam; & è contrà sublatâ entitate naturæ extra causas, & positâ qualibet aliâ realitate, vel modo non intelligimus existere naturam creatam: ergo Existentia nihil aliud est, quám ipsa naturæ entitas extra causas.

229 Ad primum fundamentum asserentium Existentiam Entis creati esse aliquod accidens in eo inhærens, respondeo Existentiam esse aliquid diuersum á duratione, imó præsupponi ad illam; nam duratio aduenit rei existenti, & priùs intelligitur res existere, quā durare, vt in Prędicamento Durationis latiùs explicabimus.

230 Ad secundum, dico ea sola esse accidentia, quæ contingenter adueniunt rei existenti in suo esse vltimo, & completo; sin minùs Anima, & eius vnio, quæ in resurrectione contingenter adueniet Materiæ, esset accidens: at verò Existentia non aduenit rei existenti, imò eam constituit.

§. 2.

Quomodò Existentia ab Essentiâ distinguatur?

231 SEcunda difficultas: Quænam distinctio intercedat inter Essētiam, & Existentiam Entis creati? Celebris est opinio asserentium distingui ex naturâ rei. Videtur esse D. Thom. 1. *p. q.* 3. *art.* 4. & *contra Gentes c.* 52. & alijs in locis. Certè eam tenet Capreol. Caiet. Ferrar. Soncin. Iauell. Ægid. Albert. M. Auicen. Flandria, Scotus cum suâ scholâ, Henric. Sotus, & alij, quos latè refert, & sequitur P. Albertin. *in Prædicamento Substantiæ d.* 2. *q.* 1. *n.* 29. Accedunt P. Molin. 1. *p. q.* 3. *a.* 4. *d.* 2. P. Fonsec. 4. *Met. c.* 2. *q.* 4. P. Gil. *l.* 1. *tract.* 4. *c.* 6. *n.* 2. Patres Conimbric. 1. *Physicor. c.* 9. *q.* 6. *art.* 2. & 1. *de Gene. c.* 4. *q.* 5. *art.* 3. Cursus Thomist. 1. *Phys. q.* 7. *a.* 4. Probatur primò, quia Essentia est in potentiâ ad existendum: nihil autem est in potentiâ ad se ipsum. Secundò, quia Ens creatum componitur à parte rei ex Essentiâ, & Existentiâ; sin minùs esset tam simplex, ac ipse Deus, cuius proprium est esse suâ Existentiâ: at veró non datur compositio ex naturâ rei, nisi vbi datur distinctio ex naturâ rei. Tertiò, quia diuerso modò prædicatur Essentia, diuerso Existentia; siquidē illa prædicatur *quidditatiuè*, hæc verò *in quale contingenter*: ergo distinguuntur ex naturâ rei. Quartò, quia Essentia potest separari ab Existentiâ, vt patet in morte Socratis, in quâ quidem admittitur Existentia, non autem Essentia. Quintò quia Essentia est ab æterno: Existentia verò in tempore.

D. Thom. Capreol. Caiet. Ferrar. Soncin. Iauell. Ægid. Albert. Auicen. Flandr. Scot. Henric. Sot. P. Albert. P. Molina P. Fons. Patres Conimbr. Cursus Thomist.

232 Sextò, Essentia, cùm sit ab æterno non producitur: Existentia veró maximè. Septimò, quia existere hodie non est existere heri, aut cras: Essentia veró, quæ est hodie est Essentia, quæ erat heri, & erit cras. Octauó, quia negari non potest Essentiā, & Existentiā distingui; nam Forma dicit respectū transcēdentalem ad Materiam possibilem non verò ad Materiam existentem; similiter Materia dicit respectum transcendentalem ad Formā possibilem, non veró ad Formam existentem; Item Scientia Visionis, & Scientia Simplicis Intelligentiæ distinguuntur, quia prima terminatur ad Existentiam, secunda solùm ad Essentiam. Tandem, quia Essentia, & Subsistentia distinguuntur: ergo etiam Essentia, & Existentia. Vtrùm verò Existentia distinguatur realiter, an potiùs modaliter? Thomistæ contendunt distingui realiter. Scot. verò, P. Albertin. P. Molina, P. Fonseca, P. Gil. & Patres Conimbricens. citat. distinctione modali sunt contenti.

§. 3.

Concluditur non distingui à parte rei.

233 NIhilominus probabilior videtur contraria resolutio asserētium Existentiam creatam non distingui ab

Essen-

Alexand. Aureol. Henric. Godofred. Gerard. Durand. Gabr. Heruæus Gregor. Anton. Lychetus Aquila. Palatius Niphus P. Suar. P. Hurt. P. Amic. P. Tellez P. Tolet. P. Granad. P. Vasq. P. Valent. P. Rub. P. Perer. P. Arriaga P. Alarc. P. Ouiedo P. Martin. P. Compton.

Essentia vllo modo ex naturâ rei, sed solùm per rationem. Ita Alexand. de Ales, Aureol. Henric. Godofred. Gerard. Durand. Gabr. & cæteri Nominales, Heruæus, Gregor. Anton. Andr. Lychet. Aquila, Palat. Niphus, & alij plures, quos laté allegat, & sequitur P. Suar. *in Metaphys. disp.* 31. *sect.* 1 *à num.* 12. & magis ex professo *sect.* 6. Accedant P. Hurtad. *in Metaphys. d.* 8.. §. 34. & 51. P. Franciscus Amicus *in suo Cursu Theol. tom.* 2. *disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 74. P. Tellez *disp.* 51. *sect.* 2. P. Toletus 9. *Physicor. textu* 70. *q.* 13. P. Granad. *controuers.* 1. *tract.* 2. *disp.* 2. *num.* 1. P. Vasq. *tom.* 2. *in* 1. *p. d.* 179. *num.* 6. P. Valentia *tom.* 1. *d.* 1. *q.* 3. *punct.* 4. P. Rubius 1. *Physicor. tract.* 1. *q.* 4. *num.* 6. P. Pereira 6. *Physic. cap.* 4. P. Arriag. *in Metaphys. disp.* 2. *sect.* 3. P. Alarcon *tract.* 6. *d.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. P. Ouied. *in Met. controuers.* 2. *punct.* 1. P. Martinô *d.* 4. *de Deo n.* 4. P. Compton. *in Met. d.* 5. *s.* 1. *n.* 5.

234 Probatur primò, quia, vt constat ex dictis *num.* 228. Existentia rei nihil aliud est quàm ipsa eius entitas actualis, seu extra causas: atqui res non distinguitur ex naturâ rei à suâ entitate. Hæc Minor est magis clara, quàm vt probatione indigeat; nam hæc res nihil aliud est, quàm hæc entitas. Secundò, quia Essentia realis prout ex naturâ rei distinguitur à quâcumque aliâ entitate etiam producitur à Deo; atqui productio, cùm sit quædam actio physica non potest terminari nisi ad rem existentem; ergo Essentia realis actualis se ipsâ existit formaliter à parte rei. Tertiò, quia si Essentia distingueretur ex naturâ rei ab Existentiâ, saltem Essentia posset existere separata ab Existentiâ, quod est absurdum. Quartò, quia nulla res distinguitur ex naturâ rei ab eo, per quod formaliter constituitur extra suum contradictorium: at verò Ens actuale constituitur extra suum contradictorium, nempe extra nihil, per Existentiam; ergo nullum Ens actuale distinguitur ex naturâ rei à suâ Existentiâ. Quintò, quia absque necessitate admittitur talis distinctio, vt ex solutione ad argumenta contraria fiet manifestum.

D. Thom. P. Suar.

235 Neque D. Thom. contrarium opinatus est, vt optimè notat P. Suar. *de Incarn. d* 36 *sect.* 2. §. *Iuxta doctrinam hanc.* Quod si loco citato pro opinione contrariâ dixit Existentiam distingui à naturâ à parte rei, de Existentiâ completâ, hoc est, de Subsistentia, & non de Existentiâ, prout illam in præsenti consideramus, locutus est.

§. 4.

Argumenta soluta.

236 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit Essentiam esse in potentiâ ad existendum: nihil autem esse in potentiâ ad se ipsum) respondeo distinguendo Maiorem: Essentia est in potentiâ Logicâ ad existendum, concedo Maiorem: est in potentiâ physicâ à nego Maiorem. Est, inquam, in potentiâ Logicâ ad eum modum, quo Vniuersale est in potentiâ Logicâ vt sit in suis inferioribus, à quibus non distinguitur ex naturâ rei. Adde, quòd si argumentum valeret, etiam probaret Existentiam existere per aliam Existentiam à se distinctam ex naturâ rei: quo dato hæc alia existeret per aliam, & sic iretur in infinitum: probaret, inquam, Existentiam existere per aliam, quia ipsa Existentia etiam est in potentiâ ad existendum: nemo hoc negat, siquidem omnis Existentia potest existere, imò quæ existit, actu existit: ab actu verò ad potentiam benè valet argumentatio.

237 Ad secundum (quatenus dicit Ens creatum componi à parte rei ex Essentiâ, & Existentiâ) nego talem compositionem. Neque inde sequitur Ens creatum esse tam simplex, ac ipse Deus. Primò, quia Existentia non est de Essentiâ Entis creati: est autem de Essentiâ ipsius Dei. Secundò, quia nullum est Ens creatum, quod non componatur, aut componat vt forma, vel subiectum respectu alicuius perfectionis distinctæ ex naturâ rei: solus Deus neque componitur, neque componit cum aliquo distincto ex naturâ rei in ratione formæ, vel subiecti.

238 Ad tertium (quatenus asserit naturam prædicari essentialiter, & in quid: Existentiam veró contingenter) totum concedo: verùm ex eo solùm colligitur distinctio virtualis inter Naturam, & Existentiam; nam etiam relationes in opinione Aduersariorum prædicantur contingenter, & tamen in eorum sententiâ solùm virtualiter distinguuntur à Naturâ, quæ prædicatur essentialiter, & in quid: item Duratio prædicatur contingenter de Existentiâ: & tamen solùm distinguitur virtualiter ab illâ.

239 Ad quartum (quatenus dicit Essentiam actualem posse separari ab Existentiâ) respondeo non posse; nam quando amittitur Existentia, etiam amittitur Essentia actualis: solùm manet Essentia in esse possibili

se possibili, quae non est aliquid reale actuale, sed solùm aliquid reale possibile; ac proinde secundùm id, quod est actu, cùm actu nihil sit, distinguitur à se sumptâ in esse actuali tanquam non Ens ab Ente, distinctione ex naturâ rei: secùs dicendum de possibili, non secundùm id, quod est, sed secundùm id, quod potest esse; sic enim est illud idem, quod esse potest: illud, inquàm, idem quòad entitatem, licèt ab eo distinguatur quòad denominationem; non enim dicitur esse actu in rerum naturâ, nisi post Existentiam actualem.

240 Ad quintum (quâtenus dicit Essentiam esse ab aeterno: Existentiam veró in tempore) eadem applicanda est solutio, dicendumque Essentiam actualem, hoc est, sumptam in esse actuali positiuo, non esse ab aeterno, sed incipere esse in tempore, quidquid sit de illâ sumptâ in esse negatiuo, & puro nihili actuali.

241 Ad sextum (quâtenus asserit Essentiam, cùm sit ab aeterno, non produci: Existentiam veró maximé) respondeo Essentiam solùm in esse possibili esse ab aeterno: in esse actuali esse in tempore, & eodem modo produci, quo Existentia. Ad septimum, (quâtenus dicit existere hodie, & existere heri distingui: eandem verò Essentiam, quae est hodie, esse cras) respondeo existere hodie, & existere cras distingui non per conceptum Existentiae, quâtenus haec dicit rem extra causas, sed per diuersas temporis differentias, quae connotantur, & dicuntur in obliquo: sic etiam habere Essentiam hodie, & habere Essentiam cras; item habere Essentiam Conimbricae, & habere Essentiam Vlyssippone distinguuntur, sed non per diuersos conceptus Essentiae, sed per diuersa connotata.

242 Ad octauum (quâtenus asserit respectum transcendentem respicere terminum possibilem, & non existentem: similiter Scientiam Simplicis Intelligentiae respicere res possibiles; Scientiam veró Visionis res existentes) respondeo id verum esse: attamen assero inde solùm colligi rem possibilem, & rem actualem solùm differre quòad denominationem, & non quòad entitatem: solùm, inquam, quòad denominationem, quia re verâ est eadem entitas, sed non denominatur actu existens, nisi post Existentiam actualem.

243 Ad vltimum (quâtenus dicit Essentiam, & Subsistentiam distingui: ergo idē dicendum de Essentiâ, & Existentiâ) respondeo esse diuersam rationem de Existentiâ, ac de Subsistentiâ; nam Existentia est de intrinseco conceptu Essentiae actualis, vt constat ex nostro fundamento, vnde patet ab illâ non distingui ex naturâ rei: Subsistentia verò non est ita de intrinsecâ ratione Essentię actualis, sed potiùs eius terminus, ac complementum; quod proinde magis distinctum esse valet.

§. 5.

Quo sensu Essentia, & Existentia distinguantur virtualiter?

244 QVaeres, Vtrùm Essentia actualis distinguatur ab Existentiâ per rationem ratiocinatam cum fundamento in re, &, vt vocant, virtualiter: an solùm per rationem ratiocinantem, & sine fundamento in re? Et possumus comparare Existentiam cum Essentiâ actuali; aut sūptâ specificatiuè, & secundùm se; aut sumptâ reduplicatiuè, quà actualis est.

245 Dico primò: Si Existentia comparetur cum Essentiâ actuali specificatiuè sūptâ, & secūdùm se, distinguitur ab illâ virtualiter cū fundamento in re. Haec resolutio est cōmunis omniū, qui negant distinctionem ex naturâ rei inter Naturam, & Existentiam. Probatur, quia possumus formare diuersos conceptus inadaequatos, alterum de Naturâ, de Existentiâ alterum. Probo hoc, quia quando vnum praedicatum est alteri contingens, possumus concipere vnum sine alio; atqui Existentia est contingens respectu Essentiae actualis specificatiuè sumptae, & secundùm se: ergo possumus concipere vnam sine aliâ. Et confirmatur primò, quia vno conceptu possumus concipere Essentiam, quâtenus est ratio, cur Creatura collocetur sub certo Genere, vel Specie praescindendo ab eo, quòd existat, vel non existat: deinde alio conceptu possumus concipere eius Existentiam, quâtenus est ratio cur Creatura sit extra causas. Confirmatur secundó, quia Existentia concipitur vt modus: Essentia verò vt realitas. Tertiò, quia Essentia concipitur vt potentia; Existentia verò vt eius actus: at veró haec omnia distinguūtur virtualiter. *P. Suare.*

246 Dico secundò: Existentia non distinguitur perfectè ab Essentiâ actuali reduplicatiuè sumptâ. Ita P. Suar. *in Metaph. d. 31. sect. 6. num. 21.* Durand. Gabr. & D. August. quos citat, & sequitur P. Hurtad. *in Metaphys. disp. 8. §. 53.* Quibus cum Aureol. Lychero, & alijs subscribūt P. Arriag. cit. *d. 2. s. 4.* P. Ouie. cit. *Durand.* *Gabr.* *D. Aug.* *P. Hurt.* *Aureol.* *Lychet.* *P. Arriaga* *P. Ouied.*

cit. controuers. 2. puncto 3. num. 4. Et probatur, quia Existentia includitur in Essentiâ actuali, quâ actuali, non minùs quám albedo includitur in albo: ergo non distinguitur ab illâ distinctione perfecta Antecedens ostẽditur, quia Essentia constituitur actualis per Existentiam non minùs, quàm lapis constituitur albus per albedinem. Vide P. Soar. citat. num. 24.

§. 6.

Vtrùm vna Natura possit existere per Existentiam alienam?

247 TErtia difficultas: Vtrùm vna Natura possit existere per Existentiam alienam? Affirmant cõmuniter Thomistæ cum D. Thom. 3. p. q. 16. art. 2. Caietan. Medin. Durand. Soncin. Iauel. Sot. Vallesius. Heruæus, & Zabarella ibidem, Capreol. in 3. dist. 6. Ferrar. contra Gentes c. 33. & 41. Henric. quodlib. 3. q. 2. Dionys. Carthus. in 2. dist. 6. q. 5. & alij. Probatur primò, quia humanitas Christi Domini existit per Existentiam Verbi. Secundò, quia Materia prima existit per Existentiam Formæ. Tertiò, quia Existentia distinguitur ab Essentiâ ex naturâ rei: ergo Deus poterit auferre ab Essentiâ propriam Existentiam, & conferre alienam, ad eum modum, quo potuit auferre propriam Subsistentiam, & conferre alienam.

(D. Thom. Caiet. Medin. Durand. Soncin. Iauell. Sot. Vallef. Herua. Zabarel. Capreol. Ferrar. Henric. Carthus.)

248 Sed probabilior videtur contraria resolutio asserentium vnam Naturam non posse existere per Existentiam alienam. Ita Altisiodor. Albert. M. Scot. Gabr. Almayn. D. Bonauent. Paludan. & alij, quos latè allegat, & sequitur P. Soar. de Incarnat. disp. 36. sect. 1. & in Metaph. d. 31. s. 12. à n. 9. P. Fonsec. 8. Metaph. c. 1. q. 1. s. 3. P. Vasq. tom. 1. in 3. p. d. 71. cap. 2. P. Tolet. 1. Physic. text. 70. q. 13. §. Et mihi. P. Valent. in 3. p. q. 17. punct. vnico §. Atque hoc. Pezan. ibidẽ d. 1. conclus. 1. P. Mol. ibidẽ d. vnica. P. Raguza to. 1. d. 127. § 2. P. Becan. de Incarn. c. 4. q. 2. n. 4. Lorca ibidẽ d. 47. n. 12. P. Albertin. tom. 2. q. 10. circa 10. Corollarium ex Prædicamento Substantiæ, P. Tannerus d. 1. q. 6. dub. 3. num. 96. P. Petrus Hurtad. in Physica d. 2. §. 56. P. Gasp. Hurtad. de Incarnat. d. 12. diffic. 1. P. Arriag. in Met. d. 11. num. 42. P. Tellez disp. 51. sect. 2. num. 18. & 30. Pro cuius explicatione, aduertendum est quæstionem posse primò procedere de creaturâ carente propriâ Existentiâ: & quæritur, Vtrùm eâ depositâ possit existere per alienam? Hæc aliena potest esse, aut Creata, aut Diuina. Secundò loco videbimus, Vtrùm Natura retentâ propriâ Existẽtiâ possit existere per alienam?

(Altisiod. Albert. Scot. Gabr. Almayn. D. Bona. Paludan. P. Soar. P. Fonseca. P. Vasq. P. Tolet. P. Valent. Pezan. P. Molina. P. Raguz. P. Becan. Lorca. P. Alberti. P. Tanner. P. Petrus Hurt. P. Gasp. Hurt. P. Arriaga. P. Tellez.)

249 Dico primò: Creatura carens propriâ Existentiâ non potest existere per alienam creatam. Probatur, quia aut talis Creatura carens propriâ Existẽtiâ est à parte rei aliqua entitas actualis: aut non. Si primum, includit propriam Existentiam, omnis enim natura constituitur in esse actuali per suam Existentiam, vt patet ex dictis num. 220. Si non est aliqua entitas actualis, non potest realiter vniri Existentiæ alienæ. Probo hoc, quia vnio realis non potest dari nisi inter extrema, quæ sint entitates actuales. Dices, esse entitatem actualem, & constitui in esse actuali per Existentiam alienam. Sed contrà, quia aut distinguitur à parte rei ab Existentiâ alienâ; aut non: si distinguitur, quæro, Vtrùm sic distincta sit aliqua entitas actualis; aut non: si primum, includit Existentiam; si secundum, est purum nihil, ac proinde non potest terminare vnionem realem. Dices, non distingui ab Existentiâ alienâ. Sed contrà, quia esset idem cum aliâ Creaturâ diuersâ; nam ambæ essent idem in eâdẽ Existentiâ: quæ verò sunt idem in vno tertio sunt idem inter se.

250 Dico secundò: Creatura carens propriâ Existentiâ nec potest existere per Existentiam Diuinam. Probatur primò, quia non potest dari vnio realis ad id, quod nihil est: Creatura verò carens propriâ Existentiâ nihil esset actuale. Secundò, quia aut talis vnio reciperetur in Creaturâ: aut in Existentiâ Diuinâ. Non in Creaturâ, quia hæc carens propriâ Existentiâ nihil est actuale: id autem, quod nihil est, non potest esse subiectum vnionis realis. Non in Existentiâ Diuinâ, cùm hæc non possit recipere, & habere rationem subiecti, aut potentialitatis respectu alicuius formæ intrinsecæ, vt constat ex ijs, quæ diximus tract. 2. in Physic. n. 144.

251 Et confirmatur, quia si aliqua Creatura carens propriâ Existentiâ existeret per Existentiam Diuinam, hæc esset humanitas Christi Domini, vt Aduersarij contendunt: sed humanitas Christi Domini non existit per Existentiam Verbi. Et hoc probatur primò ex VII. Synodo actione 6. ibi: Humanitas existens contradistinguitur ab hypostasi Verbi Diuini; & ex Damascen. lib. 3. de Fide cap. 3. vbi asserit Verbum Diuinũ assumpsisse humanitatem, nec Substantiam, nec Existentiam priuatam: & c. 11. & 12. vbi asserit humanitatem habuisse Existentiam in Verbo, non per Verbum. D. Damasc.

252 Probatur secundò, quia humanitas Christi Domini habuit entitatem actualem distin-

distinctam à Verbo: ergo etiam Existentiam distinctam, cùm hæc nihil aliud sit, quàm entitas actualis, vt constat ex dictis *num.* 228. Antecedens verò ostenditur, quia humanitas Christi Domini habuit vitam distinctam à Verbo vtpotè mortalem: Verbum verò immortalem. Item humanitas Christi habuit intelligere, vt velle, distinctum à Verbo: ergo etiam entitatem, & Existentiam distinctam.

253 Tertiò, quia si humanitas Christi Domini existeret per Existentiam Verbi, hæc, quatenus actuat ipsam Materiam, & Animam, haberet rationem formæ, quod non est dicendum. Quartó, quia Angeli, & homines naturaliter intuebantur Existētiam Christi Domini: Existentia autem Verbi non est naturaliter visibilis Visione intuitiuâ. Quintó, quia humanitas Christi Domini non esset aliquid creatum, & productum à Deo; creatio enim terminatur ad Existentiam: ibi verò nulla interueniret nisi Diuina, quæ non potest esse terminus creationis. Sextò, quia Beatissima Virgo nō esset vera Mater Christi Domini; nam generatio terminatur ad Existentiam Filij: at veró generatio creata non potest terminari ad Existentiam Diuinam.

§. 7.

Argumenta soluta.

254 OBijcies primó contra secundam Conclusionem, celebrem quandam auctoritatem Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani VI. Synodo *act.* 11. vbi de humanitate Christi Domini loquens, *In ipso Verbo*, inquit, *& non in se habuit Existentiam vnam cum Verbo*. Et paulò infrá, *esse vnum*, inquit, *sortitur natura duplex, & vnum permanere seruauit*. Item illud D. Damascen. *lib.* 3. *de Fide cap.* 22. vbi dicit, *Carnem Verbo vnitam esse, imò potiùs in eo extitisse, at personalem cum Deo identitatem habuisse*. Similia verba, & loca adduci possunt ex eodem D. Damasceno. & D. Leone. — *Sophron.* — *D. Dama.* — *D. Leo*

255 Ad primum locum Sophronij respōdeo primò cum P. Soar. *de Incarn. d.* 36. *sect.* 1. §. *Obijcitur*, illam vltimam particulam *cum Verbo*, additam esse ab Aduersarijs; non enim ita habetur in textu. Reliqua verba efficiunt hunc sensum: *Humanitas Christi Domini nunquam in se, hoc est, extra Verbum, habuit Existentiam, sed semper illam habuit in Verbo*. Efficiunt, inquam, hunc sensum, quia Patriarcha, & Sancta Synodus sermonem facit hoc loco contra Hæreticos, qui dicebant humanitatem Christi Domini priùs tempore extitisse in rerum naturâ, quam fuerit vnita Verbo: contra hos asserit Patriarcha humanitatem Christi Domini nunquam extitisse extra Verbum. Responderi potest secundò cum eodem P. Soar. citato à §. *Dico secundò*, Existentiam humanitatis Christi Domini quòad suum vltimum terminum, & complementum perfici per Subsistentiam Verbi; & in hoc sensu dici potest, quòd humanitas Christi Domini habeat eandem Existentiam, hoc est, eandem Subsistentiam cum Verbo. — *P. Soar.* — *P. Soar.*

256 Ad secundum locum eiusdem Sophronij, respondeo cum eodem P. Soar. citat. illa verba, *esse vnum sortitur natura duplex*, efficere hunc sensum: *Natura duplex, hoc est, Diuina, & humana sortitur esse vnum non Existentiæ, & entitatiuum, sed personale*, cùm vtraque Natura subsistat in eâdem Subsistentiâ, & Personâ Verbi. Ad alia loca D. Damasceni, & D. Leonis eadem applicanda est expositio; dicendūque Sanctos Patres locutos esse de eodem esse non entitatiuo, & Existentiæ, sed Personali, & Subsistentiæ.

257 Obijcies secundò. Si humanitas Christi Domini haberet Existentiam creatam, hæc generaretur à Beatâ Virgine, & quod inde sequitur, eius Maternitas, & Generatio vltimó terminaretur ad talem Existentiam creatam; ac proinde Beatissima Virgo esset Mater solius humanitatis, & non Dei, quód est contra Fidem. Respondeo Maternitatem, & Generationem Beatæ Virginis vltimò terminari ad Existentiam humanitatis in concreto, & non in abstracto sumptæ: vnde homo, hoc est, humanitas in concreto cum Supposito Verbi est, & dicitur Deus: Beatissima Virgo, quæ fuit vera Mater illius hominis, fuit vera Mater Dei, ad eum modum, quo occisores Christi Domini, quorum interfectio fuit terminata ad illum hominem, fuerunt verè occisores Dei, quia ille homo ratione Suppositi erat verè Deus.

258 Ad fundamenta opinionis contrariæ relata *num.* 247. patet solutio ex dictis. Ad primum (quàtenus dicebat humanitatem Christi Domini existere per Existentiam Verbi) respondeo non existere per Existentiam Verbi. Neque D. Thomas contrariam sententiam vnquam expressit; quod si aliquando dixit humanitatem Christi Domini habere idem esse cum Verbo, non de esse Existentiæ incompleto, sed de esse completo Subsistentiæ, & Personali, fuit locutus, vt eruditissimè ostendit P. Soar. *de Incarn. d.* 36. *sect.* 2. §. *Iuxta doctrinam hanc*. — *D. Thom.*

Ad se-

259 Ad secundum (quâtenus dicit Materiam primam existere per Existentiam Formæ) respondetur Materiam primam non existere per Existentiam Formæ; sed habere aliquam existentiam sibi propriam, & intrinsecam, vt cum Scot. & eius Scholâ, P. Valent. P. Suar. Patribus Conimbr. P. Tolet. P. Molin. P. Pereir. P. Fonsec. P. Rub. P. Arriaga, P. Tellez, P. Ouiedo, P. Amico, imò & cum D. Thom. ostendimus *in Phys. tr.* 1. *à n.* 67.

Scot. P. Valent. P. Soares. Patres Conimb. P. Tolet. P. Molina. P. Pereira. P. Fonseca. P. Rub. P. Arriaga. P. Tellez. P. Ouiedo. P. Amic. D. Thom.

260 Ad tertium, nego Existentiam distingui à naturâ vllo modo à parte rei, vt constat ex *num.* 233. Inde admisso quòd Natura possit subsistere per Subsistentiam alienam, nego posse existere per Existentiam alienam. Diuersa ratio est; quia Natura distinguitur à suâ Subsistentiâ à parte rei: vnde Deus poterit illi auferre propriam, & conferre alienam; aliter philosophandum de propriâ Existentiâ, cùm hæc solùm per rationem distinguatur à Naturâ.

§. 8.

Quid de Naturâ retentâ propriâ Existentiâ: An scilicet possit simul existere per alienam?

261 Mirans dubium est; An Natura retentâ propriâ Existentiâ possit simul existere per alienam? Affirmant nobiles Recentiores. Primò, quia in eo nulla apparet contradictio. Secundò, quia in bonâ opinione, licèt Natura distinguatur solùm virtualiter à propriâ Subsistentiâ, potest eâ retentâ simul subsistere per alienam: ergo similiter retentâ propriâ Existentiâ virtualiter distinctâ poterit existere per Existentiam alienam. Tertiò, quia non repugnat quòd entitas actualis simul existat essentialiter, id est, per propriam Existentiam, & simul contingenter per Existentiam alienam. Sic Intellectus per se est essentialiter qualis, & simul contingenter per conceptum: item Vniuersale est essentialiter Vniuersale, & simul contingenter per abstractionem: & secunda Species est essentialiter talis, & simul contingenter per abstractionē. Quartò, quia Anima Rationalis per suam Essentiam est independens à corpore: at retentâ eâ independentiâ potest diuinitùs fieri dependens contingenter. Hæc prædicti Recentiores.

262 His non obstantibus, tenenda resolutio negatiua cum Doctoribus allegatis *num.* 248. Et probatur primò, quia ita se habet esse Existentiæ respectu entitatis actualis, ac esse Essentiæ respectu entitatis possibilis (argumentor contra supradictos Recentiores, qui nobiscum admittunt Existentiam esse de Essentiâ entitatis actualis, & dicunt omninò recurrere cum illâ) sed nulla entitas possibilis potest esse per Essentiam alienam: ergo nulla entitas actualis potest esse per Existentiam alienam. Itaque nulla entitas possibilis, retento proprio esse Essentiæ, potest simul esse per esse Essentiæ alienæ: ergo nulla entitas actualis, retento proprio esse Existentiæ, potest simul esse per esse Existentiæ alienæ. Et confirmatur, quia Existentia non est minùs de Essentiâ entitatis actualis, quàm ipsa Essentia. V. g. Existentia non est minùs de Essentiâ humanitatis actualis Christi Domini, quàm gradus animalis rationalis: sed non potest esse humanitas retentâ propriâ Essentiâ per humanitatem, vel aliam Essentiam alienā: ergo non potest esse humanitas actualis per actualitatem, seu Existentiam alienam.

263 Secundò probatur, quia de facto humanitas Christi existeret per Existentiam Verbi, quod volebant Thomistæ, & nos á *n.* 251. refutauimus. Sequela ostenditur, quia de facto Vnio hypostatica, & si non sit facta ad Existentiam Naturæ Diuinæ absolutam, est facta ad Existentiam Verbi relatiuam. Item Materia prima erit existens per Existentiam Formæ: & accidentia existent per Existentiam subiecti; ac proinde accidentia actualia habebunt Existentiam substantialem, quod nō minùs repugnat quàm habere Essentiam substantialem: item Materia prima informata Animâ Rationali habebit Existentiam spiritualem, quod non minùs repugnat, quàm habere Essentiam spiritualem. Vide quæ diximus *in Phys. tract.* 1. *à n.* 90. Ex dictis patet de ratione existendi esse constitui per propriam Existentiam in actu: sicut de ratione essendi est constitui per propriam Essentiam in potentiâ.

264 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quâtenus dicit nullam apparere contradictionem in eo quòd aliqua Natura, retentâ propriâ Existentiâ, simul existat per alienam) respondeo contradictionem patere ex dictis: nam de conceptu, & ratione existendi est constitui per propriam Existentiam in actu: sicut de conceptu, & ratione essendi est constitui per propriam Essētiam in potentiâ.

265 Ad secundum (quâtenus dicit Naturam virtualiter distinctam à propriâ Subsistentiâ posse, eâ retentâ, subsistere per alienam: ergo etiam, retentâ propriâ Existentiâ, existere per alienam) respondeo in primis eam doctrinam de Naturâ virtualiter distinctâ à suâ

Subsistentiã esse falsam, vt sequenti tractat. 21 ostendam. Deinde eâ datâ adhuc est diuersa ratio de Existentiâ, quia de ratione subsistendi non est constitui per propriam Subsistentiam: de ratione autem existendi est constitui per propriã Existentiã. Et huius diuersa ratio est, quia, vt diximus, Existentia non est minùs de Essentiâ entitatis actualis, quàm ipsa Essentia: vnde sicut repugnat entitatẽ actualem esse per Essentiam alienam, ita repugnat existere per Existentiam alienam: at verò Subsistentia non est de Essentiâ entitatis actualis; vnde non repugnat quòd entitas actualis subsistat per Subsistentiam alienam.

266 Ad tertium (quàtenus dicit non repugnare, quòd entitas actualis simul existat essentialiter per propriam Existentiam, & simul contingenter per alienam) patet solutio ex dictis; diximus enim propriam Existentiam non esse minùs de conceptu existendi, quàm propria Essentia: vnde sicut res non potest constitui in esse Essentiæ per Essentiam alienam, ita non potest constitui in esse Existentiæ per Existentiam alienam. Intellectus non dicitur qualis in esse Essentiæ per conceptum: & sic non potest dici qualis in esse Existentiæ: item Vniuersale non dicitur tale in esse Essentiæ per abstractionem: nec similiter secunda Species per abstractionem dicitur Species in esse Essentiæ: sicut ergo res actualis non potest dici constitui in esse Essentiæ per Essentiam alienam, ita non potest constitui in esse Existentiæ per Existentiam alienam.

267 Ad quartum (quàtenus asserit Animam Rationalem licèt per suam Essentiam sit independens à corpore, posse retentâ tali Essentiâ, fieri contingenter dependens: ergo etiam Natura, retentâ propriâ Existentiâ, poterit contingenter existere per Existentiam alienam) respondeo in primis eam doctrinam de Animâ Rationali esse falsam, vt ostendimus *in Phys. tract. 1. à n. 268.* & infrà *n. 292.* agendo de impossibilitate Substantiæ inhærentis pleniùs ostendemus. Deinde, datâ tali doctrinâ, adhuc est specialis deformitas in eo quòd vna Natura existat per Existentiam alienam; nam, vt dixi, sicut res actualis non potest esse per Essentiam alienam, ita non potest existere per Existentiam alienam; nam Existentia non est minùs de ratione entitatis actualis, quàm ipsa Essentia, vt patet ex dictis.

(✝)

SECTIO VIII.

De dependentiâ Entis Creati à Diuino.

268 Potest esse sermo aut de Ente creato sumpto in esse Existentiæ actuali: aut de illo sumpto in esse possibili antequàm existat. Et quatuor hoc loco difficultates se se offerunt. Prima: Vtrùm rerũ Essentiæ sumptæ in esse Existentiæ actuali dependeant à Deo? Secũda: Vtrùm ab illo dependeant sumptæ in esse possibili, antequàm existant? Tertia: Vtrùm sint æquè necessariæ in suo esse possibili, ac ipse Deus in suo esse actuali? Quarta: Vtrùm sint respectus transcendentes ad Omnipotentiam Diuinam, ita vt si hęc per impossibile non daretur, illæ desinerent esse possibiles? quod alijs terminis quæri solet, Vtrùm Creaturæ ideò sint possibiles, quia possunt produci à Deo: an potiùs è contra ideò possint produci à Deo, quia sunt possibiles.

§. 1.

Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse existentiæ actuali dependeant à Deo?

269 Prima difficultas: Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse existentiæ actuali dependeant à Deo? De hoc latè egimus *in Phys. tract. 2. à n. 332.* vbi ostendimus Creaturas sumptas in esse Existentiæ actuali depẽdere immediatè à Deo tam in suo esse, quàm in suo operari. Et certè in hâc resolutione cõsentiunt omnes Theologi, Magister *in 1. dist. 37.* D. Thom. *1. p. q. 8. a. 1.* & *q. 104. a. 1.* & *3. contra Gentes à c. 65.* D. Bonau. Alens. Gregor. Heruæus, Henric. Vdalr. Ex Sanctis Patribus D. August. D. Nazianz. D. Dionys. D. Greg. Mag. D. Anselm. D. Iustin. D. Damasc. Ex Philosophis antiquis Auctor *libri de Mund.* Trimegist. Plato, Aristotel. Plotinus, Proclus, Seneca, & alij, quos latè allegant, & sequuntur Patres Conimbric. *2. Physicor. c. 7. q. 10. a. 2.* P. Soar. *in Met. d. 21. s. 1.* Vide quæ diximus loco citato *in Phys.* vbi de hoc plenè.

Magist. D. Thom. D. Bona. Alens. Gregor. Herue. Henric. Vdalr. D. Aug. D. Nazian. D. Dionys. D. Gregor. D. Ans. D. Iustin. D. Damas. Trimegist. Plato Arist. Plotin. Proclus Seneca Patres Conimbr. P. Soar.

§. 2.

Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse possibili antequàm existant, dependeant à Deo?

270 Secunda difficultas: Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse possibili antequàm

tequàm existant, dependeant á Deo? Videntur dependere á Deo depēdentiâ actuali, quia Deus ab æterno mensurat rerum essentias, eas regulando, ac præscribendo tales, quales sunt possibiles: ergo dependent ab illo, vt á causâ exemplari dependentiâ actuali. Ita P. Albert. *tom. 2. de Prædicamento Substantiæ d. 1. q. 2.* referēs Henric. Ægid. Capreol. & alios.

P. Alberti. Henric. Ægid. Capreol.

271 Nihilominus declaratione opus est. Dico primó: Creaturæ sumptæ in esse possibili antequàm existant, non dependent á Deo vt á causâ actuali. Hæc resolutio est D. August. D. Thom. & omnium communis apud P. Ouied. *in Met. controuers. 2. n. 5.* Et probatur, quia Creaturæ antequàm existant, non sunt aliquid positiuum actuale; vt constat ex *num. 204.* ergo á nullâ causâ actuali possunt pendere. Et confirmatur, quia causa in actu requirit effectum in actu. Et huius ratio á priori est, quia causa constituitur in actu per causalitatē; hæc enim nequit cōsistere sine suo termino, & effectu actuali, cuius est modus; atqui Creaturæ antequàm existant nō sunt effectus, aut aliquid positiuum actuale: ergo non possunt terminare causalitatem, & consequenter neque causam actualem.

D. Aug. D. Thom. P. Ouiedo

272 Dico secundò: Creaturæ antequàm existant, dependent à Deo, vt á causâ possibili, seu potentiali. Hæc resolutio etiam est manifesta; nam Creaturæ sunt aliquid possibile, & creabile: ergo dependent ab aliquâ causâ possibili, seu potentiali. Et declaratur, quia, vt se habet effectus actualis ad causam producētem, seu actualem, ita se habet effectus possibilis ad causam productiuam, seu potentialem; atqui Creaturæ in esse existentiæ actuali dependent à Deo, vt á causâ producente, & actuali: ergo in esse possibili ante existentiam dependent á Deo, vt á causâ productiuâ, seu potentiali.

273 Ad rationem adductam pro parte contrariâ (quâtenus nostræ primæ resolutioni obstare videtur) respondeo distinguendo Antecedens: Deus ab æterno mensurat rerum essentias, in illas influendo esse actuale, nego Antecedens: in illas influendo esse possibile, concedo Antecedens. Et ratio est manifesta, quia causalitas causæ exemplaris fundatur in causalitate causæ efficientis: hæc verò ab æterno nulla est actualis: ergo neque illa.

§. 3.

Vtrùm Creaturæ in suo esse possibili sint æquè necessariæ, ac ipse Deus in suo esse actuali?

274 Tertia difficultas: Vtrùm Creaturæ in suo esse possibili sint æquè necessariæ, ac ipse Deus in suo esse actuali? Affirmare videntur Durand. Capreol. Caiet. & cæteri Thomistæ, necnon P. Molin. P. Valent. P. Ericē. P. Granad. P. Ruiz. P. Salas, Ægid. Lus. & P. Arriag. quos allegauimus *in Phys. tr. 2. n. 462.* quâtenus dicunt Deum esse relatum transcendens ad Creaturas; nam relatum transcendens, non est magis necessarium, quàm eius terminus, siquidē hoc per possibile, vel impossibile sublato, destrueretur & illud.

Durand. Capreol. Caiet. P. Molinā. P. Valent. P. Ericē. P. Granad. P. Ruiz. P. Salas Ægid. Lus. P. Arriaga.

275 Nihilominus dicendum nobis est cū D. Thom. Ferrar. Henric. Scot. Greg. Deça, P. Vasq. Basilio, P. Arrub. P. Fassol. P. Ripal. P. Hurt. P. Alarcon, & alijs, quos *in Phys. tr. 2. n. 464.* allegauimus, Deum esse magis necessariū, quàm Creaturas. Et probatur, quia Deus non est relatum transcendens ad Creaturas, vt loco citato ostendimus; imò Creaturæ sunt relatum transcendens ad Deum, vt statim ostēdemus; sed id, quod est relatū transcendens ad aliud, cùm sit propter illud, ab eoque dependeat, est minùs necessariū, quàm illud: constat hoc tum ex D. Ansel. *in Monologio c. 1.* ibi: *Omne, quod propter aliud est, minus est eo, quod per se est*: tum ex illo communi Philosophorum Principio *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.* Huic doctrinæ subscribit P. Martinon *disp. 22. de Deo num. 17.*

D. Thom. Ferrar. Henric. Scot. Gregor. Deça P. Vasq. Basil. P. Arrub. P. Fassol. P. Ripald. P. Hurt. P. Alarc. D. Anselm. P. Martinon

276 Neque dicas, quòd ambo sint necessaria, Deus, & Creaturæ: in ijs autem, quæ sūt necessaria, vnum non est magis necessarium, quàm aliud. Non, inquam, hoc dicas, nam in ijs, quæ sunt necessaria, vnum potest esse magis necessarium, aliud minùs. Et hoc ostenditur primó, quia Conclusio est minùs certa, & necessaria, quàm Præmissæ, á quibus dependet in suo fieri, & conseruari. Secundò, quia inter peccata, & mala vnum potest esse magis malum, aliud minùs; inter falsa vnum potest esse magis falsum, aliud minùs; inter contingentia vnum potest esse magis contingens, aliud minùs; nam magis contingens est te fore Iudicem tui oppidi, quàm Papam: ergo similiter inter necessaria vnum potest esse, & intelligi magis necessarium, quàm aliud.

277 Ad ea, quæ pro parte contrariâ adducuntur, respondeo Deum non esse relatum transcendens ad Creaturas, sed omninò futurum esse, etiamsi per impossibile nullæ darentur Creaturæ possibiles, vt cum Doctoribus citatis latè ostendimus *in Phys. tr. 2. n. 478.*

§. 4.

Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse possibili, sint relatum transcendens ad Omnipotentiam?

278 QVarta difficultas: Vtrùm Creaturæ sint relatum transcendẽs ad Omnipotentiam, ita vt si per impossibile hæc non daretur, desinerent esse possibiles? Videtur Creaturas non esse relatum transcendens ad Omnipotentiam, imò illam antecedere, & esse aliquo modo priores illâ. Probatur primò, quia prius est rẽ esse intelligibilẽ, quàm posse intelligi á Deo: ergo etiam priùs est esse possibilẽ, quàm posse fieri á Deo. Secundò, quia priùs est rem, v. g. chimæram esse impossibilem, quám non posse produci á Deo: ergo priùs erit rem esse possibilem, quám posse produci á Deo. Consequentia est optima, quia iuxta Aristotelem, si negatio est causa negationis, eius affirmatio opposita est causa affirmationis: ergo si negatio possibilitatis in re impossibili est ratio, cur Deus non possit facere talem rem, affirmatio possibilitatis in re possibili erit ratio, cur Deus possit facere talem rem.

279 Nihilominus distinctione opus est. Nam Omnipotentia Diuina, vt sæpè notauimus, & cum P. Vasq. & P. Erice tradit P. Ouiedo *in Met. controuers.* 10. *punct.* 5. *n.* 10. sumi potest dupliciter: primó, secundùm suum cõceptum primarium, & absolutum, quâtenus est virtus quædam fœcundissima potens producere quidquid non implicat, si aliquod fuerit: secundó, potest sumi secundùm suum cõceptum secundarium, & respectiuum ad hoc, vel ad illud possibile, quod non implicat.

P. Vasq. *P. Erice* *P. Ouiedo*

280 Dico primó. Creaturæ sumptæ in esse possibili, antequám existant sunt priores Omnipotentiâ sumptâ secundùm suum conceptum respectiuum, & secundarium. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 25. *a.* 3. P. Molin. ibidem §. *Omnipotentiam*, P. Vasq. 1. *p. disp.* 104. *c.* 4. P. Soar. *in Met.* d. 31. *sect.* 6 P. Erice 1. *p. d.* 5. *cap.* 2. P. Ouied. proximè *n.* 10. Et probatur, quia respectus, seu relatio supponit terminum; sed Omnipotentia respectiuè sumpta est respectus ad possibilia: ergo illa supponit. Et confirmatur ex proximè dictis primó, quia prius est rem esse intelligibilem, quàm Scientiam Diuinam respectiuè sumptam terminari ad illam. Secundò, quia priùs est chimæram esse impossibilem, quàm Omnipotentiam non terminari ad illam: ergo priùs erit rem esse possibilẽ, quám Omnipotentiâ terminari ad illã.

D. Thom. *P. Molina* *P. Vasq.* *P. Soares* *P. Erice* *Ouiedo*

281 Dico secundò. Creaturæ sunt posteriores Omnipotentiâ sumptâ secundùm suũ conceptum primarium, & absolutum. Ita Patres Conimbr. 2. *Physicor. c.* 7. *q.* 17. *art.* 1. P. Soar. *in Met. d.* 20. *sect.* 5. *n.* 32. P. Hurt. *in Physic. d.* 12. §. 8. P. Vasq. 1. *p. d.* 104. *c.* 4. *n.* 11. P. Albert. *q.* 2. *de Prædicam. Substantia*, P. Ouied. cit. *n.* 10. P. Fonsec. 9. *Met. c.* 1. *q.* 3. *f.* 3. & *l.* 3. *c.* 5. *q.* 1. *f.* 4. P. Martinon cit. *d.* 22. *de Deo n.* 17. & omnes Philosophi quâtenus communi consensu dicunt Creaturas pendere essentialiter á Deo, ita vt si ille per impossibile non daretur, omnes per locum intrinsecum redderentur impossibiles. Et probatur, quia omne Ens creatum est essentialiter Ens ab alio, & per participationem; in hoc enim distinguitur Ens creatum ab increato: ergo essentialiter supponit Deum, vt eius primam causam, & fontẽ totius esse.

Patres Conimbr. *P. Soar.* *P. Hurt.* *P. Vasq.* *P. Alberti.* *P. Ouied.* *P. Fonsec.* *P. Martin.*

282 Ex dictis colliges primò, Deum, & eius Omnipotentiam non esse relatum transcendens ad Creaturas possibiles, sed eas sumptam secundùm suum esse intrinsecum, & absolutum omninò antecedere, quod latè ostendimus *in Physic. tract.* 2. *a n.* 464. Colliges secundó, Creaturas sumptas in esse possibili esse relatum transcendens ad Omnipotentiam sumptam secundùm suum esse primarium, & absolutum, eâque omninó posteriores. Colliges tertió, tales Creaturas esse priores Omnipotentiâ sumptâ secundùm suum conceptũ secundarium, & respectiuum. Et in hoc sensu videntur procedere rationes, quæ fiunt pro parte contrar â *n.* 278.

283 Obijcies primò. Relatum transcendens dependet essentialiter á suo termino: sed Creaturæ non dependent essentialiter à Deo. Probo hanc Minorem, quia pendent mediante actione, quæ cùm distinguatur ex naturâ rei ab ipsis Creaturis, potest ab illis tolli; ac proinde non est illis essentialis. Respondeo Creaturas dupliciter pendere á Deo; primò, vt á termino; secundò, vt á causâ: non est dubium primam dependentiam á Deo, vt á termino esse Creaturis immediatam, & essentialem. Adde cum P. Soar. *in Met. d.* 20. *sect.* 5. *n.* 32. & P. Hurt. *in Physica d.* 22. §. 8. dependentiam Creaturarum á Deo, vt à causâ etiam esse essentialem: verum quidem est, quòd hæc, aut illa actio non postuletur essentialiter; aliqua tamen essentialiter postulatur ad eum modum, quo hoc, aut illud Vbi non postulatur necessarió á Creaturâ existente, aliquod tamen necessariò postulatur.

P. Soares *P. Hurt.*

284 Obijcies secundò. Creaturæ antequam existant, nihil sunt: ergo non possunt referri transcendentaliter ad aliquid. Et confir-

firmatur primò, quia respectus transcendentalis actualiter dependet: quod autem actualiter nihil est, non potest actualiter dependere ab aliquo. Secundò, quia id, quod nihil est, non potest denominari aliquid; sed Creaturæ antequàm existant nihil sunt: ergo non possunt denominari possibiles ab Omnipotentiâ.

285 Respondeo in primis, argumentum nullam habere vim, si procedat de Creaturis sumptis in esse existentiæ actuali prout per nostros inadæquatos conceptus virtualiter distinguuntur à suis existentijs. Sed, quia videtur procedere de Creaturis sumptis in esse possibili antequàm existant, respondendum est nos non dicere Creaturas antequàm existant esse respectus actuales, sed esse respectus eo modo, quo sunt Entia: sunt entitates possibiles; ita etiam sunt respectus possibiles. Vnde patet responsio ad primam, & ad secundam confirmationem; non enim dicimus Creaturas, antequàm existant, & sint entia actualia, dependere actualiter, aut denominari aliquid actualiter, sed dependere potentialiter, & denominari aliquid possibile.

DISPVTATIO III.

De diuisione Entis in Substantiam, & Accidens.

SEPTEM amplexa Sectiones. In primâ quæritur, Rectène habeat huiusmodi diuisio? In secundâ agitur de Substantiâ, quæ est primum diuisionis membrum? In tertiâ de possibilitate Substantiæ inhærentis. In quartâ de possibilitate Substantiæ supernaturalis. In quintâ de possibilitate aliarum Substantiarum. In sextâ de Accidente, quod est secundum diuisionis membrum. In septimâ comparantur Substantia & Accidens inter se.

SECTIO I.

Rectène habeat diuisio Entis in Substantiam, & Accidens?

286 PRIMA difficultas: Vtrùm diuisio sit adæquata? Videtur nô esse adæquata. Primò, quia Modi Substantiæ, neque sût Substantia, neque Accidens: non Substantia, quia sunt Modi illius; Modus verò debet esse extra rem, cuius est Modus: non Accidens, quia identificantur cum Substantiâ faciendo cum illâ vnum per se. Similiter Modi Accidentium, neque sunt Substantia, quia faciunt vnum per se cum Accidentibus; neque Accidens, quia sunt Modi illius: Modus verò, vt diximus, debet esse extra rem, cuius est Modus. Secundò probatur specialiter in Actione creatiuâ Angeli, quæ neque est Substâtia, cùm spectet ad Prædicamentum Accidentis; neque Accidens, siquidem identificatur cum Substantiâ. Tertiò, Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ, neque est Substantia, cùm identificetur, cum Accidentibus faciendo cum illis vnum per se; neque Accidens, quia est formalis ratio existendi per se: hæc verò omninò opponitur rationi Accidentis.

§. I.

Concluditur diuisionem esse adæquatam.

287 NIhilominus dicendum diuisionem esse adæquatam. Hæc resolutio supponitur ab omnibus Metaphysicis, & traditur expresè à P. Soar. *d.* 32. *sect.* 1. *à n.* 4. à Patribus Conimbricens. *in Log. q.* 1. *de Antepradicament. a.* 1. §. *Quod igitur.* Et probatur, quia diuisio, quæ traditur per conditiones cõtradictorias est adæquata: sed hæc ita se habet. Probo Minorem, quia aut Ens existit per se; aut non, si primum est Substantia, & definitur *Ens per se existens*: si non existit per se, est Accidens, & definitur *Ens existens in alio*. *P. Soar. Patres Conimbr.*

288 Ad primum fundamentum opinionis contra-

contrariæ, respondeo tria esse Modorum genera, quæ faciunt ad præsens institutum; primum est eorum, qui spectant ad integritatem Substantiæ, eamque constituunt; cuiusmodi sunt Actiones substantiales, Vniones, Subsistentiæ, &c. secundum genus est eorum, qui spectant ad integritatem Accidentium, eaque constituunt; cuiusmodi sunt Actiones accidentales, Inhærentiæ, Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ, &c. tertium est illorum, qui nō spectant ad integritatem alicuius Substantiæ, vel Accidentis realis, sed illis aduenìunt iam in suo esse constitutis; huius generis sunt Figura, Vbi, Situs, Duratio, &c. Modi primi generis sunt Substantiæ eiusdem Ordinis, & Prædicamenti cum illâ; siquidem eam constituunt: Modi secundi generis sunt Accidentia eiusdem Ordinis, & Prædicamenti cū suis realitatibus, quas integrant, & constituunt. Neque opus est, quòd Modi sint extra Genus, & Prædicamentum suæ realitatis, satis est quòd non sint realitates. Modi tertij generis sunt Accidentia, non quidem eiusdem Generis, & Prædicamenti cum suis realitatibus (siquidem illis adueniunt iam in suo esse constitutis) sed alteriùs Generis, & Prædicamenti, vt videre est in Figurâ respectu Quantitatis, in Vbicatione, Situ, & Duratione respectu suorum subiectorum. Sunt, inquam, Accidentia, quia talia sunt ea omnia, quæ adueniunt, & accidunt rebus iam in suo esse constitutis.

289 Ad secundum de Actione creatiuâ Angeli, respondeo Actionem creatiuam Angeli sumi posse dupliciter; primò respectu agentis, cui aduenit iam in suo esse constituto; & in hoc sensu est Accidens extrinsecum de Prædicamento Actionis: secundó, respectu termini, quâtenus est via ad illum, & cum illo identificatur, ac facit vnum per se; & in hoc sensu est Substantia. Dices: Actio quâtenus via non constituit Angelum; siquidem est prior illo: omnis enim via est prior suo termino. Respondeo cum P. Soar. cit. *disp*. 32. *sect*. 1. *n*. 17. distinguendo Antecedens: Actio non constituit Angelum in facto esse, concedo Antecedens: non constituit illum in fieri, nego Antecedens. Ad rationem veró Modi Substantialis, inquit P. Soar. citat. satis est quòd constituat Substantiam in fieri; nam re ipsâ fieri termini nihil aliud videtur esse, quàm ipse terminus in esse imperfecto, & incompleto. Responderi potest secundò, Actionem non esse priorem suo termino prioritate *in quo*, sed prioritate *à quo*, prout *in Physic*. declarauimus *tr*. 2. *n*. 40. at vero prioritas *à quo* non tollit quominùs actio sit constitutiua sui termini, & eiusdem ordinis cum illo.

P. Soares

290 Ad tertium de Modo Accidentium Sacræ Eucharistiæ, respondeo illum esse Accidens. Ad eius confirmationem, dicendum est rationem Accidentis cōsistere in eo, quòd vel per se possit inhęrere, vel sit eiusdem ordinis cum eo, quod possit inhærere, ad eum modum, quo illa distinguuntur realiter, quæ vel per se possunt existere separata, vel identificantur cum rebus, quæ possunt existere separatæ; vnde Vniones, Formæ, & Materiæ, licét per se non possint existere separatæ, distinguuntur tamen realiter, quia identificantur cum partibus physicis, quæ possunt existere separatæ: Modus autem Accidentium Sacræ Eucharistiæ, licèt per se nunquam possit inhærere, identificatur tamen, & est eiusdem ordinis cum ipsis Accidentibus, quæ possunt inhęrere.

291 Dices: Ex hâc doctrinâ sequitur, quód Vbicatio Substantiæ sit Substātia. Probo hoc, quia identificatur cum Substantiâ; non enim datur maior ratio cur Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ sequatur realitatem, cum quâ identificatur, & cuius est Modus, Vbicatio verò Substantiæ non sequatur Substantiam, cum quâ identificatur, & cuius est Modus. Mirum est quantùm torqueat hæc instantia nonnullos recentiores Magistros. Respondeo tamen negando sequelam. Diuersa ratio est, quia diuerso modo identificatur Vbicatio cū Substantiâ: diuerso identificatur Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ cum ipsis Accidentibus; Vbicatio enim non est eiusdem Ordinis, & Pręedicamenti cum Substantiâ. Et huius ratio est, quia Vbicatio Substantiæ non spectat ad integritatem, & cōstitutionem ipsius Substantiæ, imó illi aduenit iam in suo esse constitutę. Modus verò Accidentium Sacræ Eucharistiæ est eiusdem Ordinis, & Pręedicamenti cum illis. Et huius ratio est, quia spectat ad integritatem, & constitutionem eorum: solus autem Modus, qui spectat ad integritatem, & constitutionem suæ realitatis, cuius est Modus, sequitur eius Prædicamentum, & Genus.

§. 2.

Vtrùm diuisio sit vniuoca?

Scot. Gabr. Ocham. Gregor. D.Bonau. Tromb. P.S.Cruz P. Arriaga

292 SEcunda difficultas: Vtrùm diuisio sit vniuoca? Scot. *in* 1. *dist*. 3. *q*. 1. & *in* 3. *dist*. 8. *q*. 2. Gabr. *in* 1. *dist*. 2. *q*. 4. Ocham. Gregor. D.Bonau. & Tromb. ibidem (quibus accedūt P. Sancta Cruz *in sua Logic*. *p*. 2. *d*. 5. *q*. 8. *sect*. 7. P. Arriag. *in Logic*. *d*. 11. *à sect*. 2. cum pluribus Recentioribus nostræ

P. Ouiedo

nostræ Societatis) & P. Ouiedo *in Met. controuers. 1. punct. 7.* opinantur diuisionem Entis in Substantiam, & Accidens esse vniuocam. Et probatur, quia vniuoca sunt ea; *quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ per nomen importata omninò eadem*: sed Substantia, & Accidens habent idem nomen Entis: deinde participant eandem rationem Entis: tota inæqualitas, quæ alioqui in Substantiâ, & Accidente reperitur; videtur habere se ex parte differentiarum, quo pacto se habet inæqualitas hominis, & formicæ in animali.

Aristot. D. Thom. Auerroes Alexand. Porphyr. Alb Mag. Ammon. P. Soares P. Fonsec. Patres Conimbr. P. Vasq. P. Rub. P. Tellez. P. Hurt. P. Comp.

293 Nihilominus dicendum diuisionem esse analogam: Ita Aristotel. 4. *Metaphys. t. 2. & 7. & 1. Ethic. c. 6.* D. Thom. apud P. Aleman. *4. p. q. 3. a. 1.* Auerroes, Alexan. Prophyrius, Albert. M. & Ammonius; quos citat, & sequitur P. Soar. in *Met. d. 32. s. 1. n. 3.* P. Fons. 4 *Met. c. 4. q. 1. s. 7.* Patres Conimb. *q. 1. de Æquiuocis a. 2.* P. Vasq. *to. 2. in 1. p. d. 114. c. 2. n. 6.* P. Rub *in Logic. c. 4. de Prædicam. subst. q. 4. §. Ratio igitur*, P. Tellez *d. 52. s. 1. n. 1.* P. Hurtad. *in Logic. d. 9. sect. 4.* P. Compton. ibidem *d. 4. s. 5 n. 1.*

294 Primum fundamentum est: quia Vniuocum debet præscindere á differentijs suorum inferiorum; sin minùs eius ratio erit in se multiplex, & non omninò eadem: atqui Ens non præscindit á differentijs, seu quasi differentijs Substantiæ, & Accidentis. Patet hoc; quia ipsæ differentiæ etiam sunt Ens: Ens autem secum abstrahit quidquid est Ens. Totus discursus est manifestus.

295 Dices: Si Ens includeret differentias, seu quasi differentias, nimirum rationem existendi per se, & existendi in alio; non posset affirmari de Substantiâ; quia Substantia nõ existit in alio: sed neque de Accidente, quia Accidens non existit per se; ergo Ens non includit differentias. Respondeo illas includere formaliter, non tamen expressè: non est autem necesse, quòd prædicatum secundùm omne id, quod includit formaliter, verificetur de subiecto, satis est quòd de illo verificetur sumptum secundùm id, quod dicit expressè. Et hoc vel ipse P. Arriaga, & alij Aduersarij non possunt non concedere: nam in eorum opinione, cùm non admittant præcisiones obiectiuas, in homine in communi includuntur formaliter plures homines singulares sumpti secundùm conceptum confusum; cùm tamen non secundùm plures verificetur de quolibet singulari.

296 Instabis: Ergo similiter Ens secundùm id, quod dicit expressè, non includit differentias; ac proinde saltem secundùm id, quod dicit expressè, erit vniuocum. Respondeo nos loqui de Vniuocis prout definiuntur ab Aristotele; Aristoteles autẽ requirit quód Vniuocorum ratio sit omninò eadem: parum ergo refert quòd in Ente non exprimantur dummodò in eo sint rationes diuersæ.

297 Secundum fundamentum: quia Substantia, & Accidens non habent differentias propriè dictas; hæ enim debebant esse extra Ens: in Substantiâ verò, & Accidente nõ possunt reperiri differentiæ, quæ sint extra Ens: ad Vniuocum autem requiruntur differentiæ; vt constat ex ijs, quæ diximus in *Logic. tract. 4. num. 111.*

298 Tertium fundamentum adduci solet: quia participatio per prius, & posterius tollit vniuocationem; at verò Substantia, & Accidens participant rationem Entis per prius; & posterius: Substantia priùs, & independẽter ab Accidente; accidens posteriùs, & depẽdenter à Substantiâ. Sed contra hoc vltimum fundamentum, quod est minùs facile, plura fieri possunt argumenta.

§. 3.

Argumenta soluta.

299 OBijciês primò. Multa dependent inter se, quæ tamen conueniunt vniuocè; nam in opinione, quæ asserit Formam non esse causam Materiæ, Forma dependet à Materia, Materia non dependet à Formâ; & tamen conueniunt vniuocè in Naturâ incompletâ: item actus dependent à potentijs: Voluntas ab Intellectu: visio albedinis ab ipsâ albedine: & tamen omnes conueniunt vniuocè in Qualitate: ergo idem dicendum de Substantiâ, & Accidente, licèt hoc dependeat ab illâ.

300 Respondeo tunc solùm dependentiam tollere vniuocationem, quandò habet se ex parte rei communis participatæ; non verò quandò habet se ex parte differentiarum: id exemplis adductis dependentia non habet se ex parte rei communis participatæ, sed ex parte differentiarum: At verò dependentia, quæ visitur in Accidente à Substantiâ, cùm sit Ens; etiam includitur in ipso Ente; ac proinde etiã habet se ex parte illius.

301 Aliter explicari potest hæc dependentia ex parte rei communis hoc modo: quia tunc videtur dari ex parte rei cõmunis; quandò ipsa ratio communis, quæ in vno inuenitur, semper extra illud reperitur ab eo dependens; & ita videre est in ratione Entis, quæ extra Substantiam semper inuenitur dependens ab illâ; & extra Deum semper inuenitur ab illo

dependens

se possibili, quæ non est aliquid reale actuale, sed solùm aliquid reale possibile; ac proinde secundùm id, quod est actu, cùm actu nihil sit, distinguitur à se sumptâ in esse actuali tanquam non Ens ab Ente, distinctione ex naturâ rei: secùs dicendum de possibili, non secundùm id, quod est, sed secundùm id, quod potest esse; sic enim est illud idem, quod esse potest: illud, inquam, idem quòad entitatem, licèt ab eo distinguatur quòad denominationem; non enim dicitur esse actu in rerum naturâ, nisi post Existentiam actualem.

240 Ad quintum (quâtenus dicit Essentiam esse ab æterno: Existentiam veró in tempore) eadem applicanda est solutio, dicendumque Essentiam actualem, hoc est, sumptam in esse actuali positiuo, non esse ab æterno, sed incipere esse in tempore, quidquid sit de illâ sumptâ in esse negatiuo, & puro nihili actuali.

241 Ad sextum (quâtenus asserit Essentiam, cùm sit ab æterno, non produci: Existentiam veró maximé) respondeo Essentiam solùm in esse possibili esse ab æterno: in esse actuali esse in tempore, & eodem modo produci, quo Existentia. Ad septimum, (quâtenus dicit existere hodie, & existere heri distingui: eandem verò Essentiam, quæ est hodie, esse cras) respondeo existere hodie, & existere cras distingui non per conceptum Existentiæ, quâtenus hæc dicit rem extra causas, sed per diuersas temporis differentias, quæ connotantur, & dicuntur in obliquo: sic etiam habere Essentiam hodie, & habere Essentiam cras; item habere Essentiam Conimbricæ, & habere Essentiam Vlyssippone distinguuntur, sed non per diuersos conceptus Essentiæ, sed per diuersa connotata.

242 Ad octauum (quâtenus asserit respectum transcendentem respicere terminum possibilem, & non existentem: similiter Scientiam Simplicis Intelligentiæ respicere res possibiles; Scientiam veró Visionis res existentes) respondeo id verum esse: attamen assero inde solùm colligi rem possibilem, & rem actualem solùm differre quòad denominationem, & non quòad entitatem: solùm, inquam, quòad denominationem, quia re verâ est eadem entitas, sed non denominatur actu existens, nisi post Existentiam actualem.

243 Ad vltimum (quâtenus dicit Essentiam, & Subsistentiam distingui: ergo idē dicendum de Essentiâ, & Existentiâ) respondeo esse diuersam rationem de Existentiâ, ac de Subsistentiâ; nam Existentia est de intrinseco conceptu Essentiæ actualis, vt constat ex nostro fundamento, vnde patet ab illâ non distingui ex naturâ rei: Subsistentia verò non est ita de intrinsecâ ratione Essentiæ actualis, sed potiùs eius terminus, ac complementum; quod proinde magis distinctum esse valet.

§. 5.

Quo sensu Essentia, & Existentia distinguantur virtualiter?

244 QVæres, Vtrùm Essentia actualis distinguatur ab Existentiâ per rationem ratiocinatam cum fundamento in re, &, vt vocant, virtualiter: an solùm per rationem ratiocinantem, & sine fundamento in re? Et possumus comparare Existentiam cum Essentiâ actuali; aut sūptâ specificatiuè, & secundùm se; aut sumptâ reduplicatiuè, quà actualis est.

245 Dico primò: Si Existentia comparetur cum Essentiâ actuali specificatiuè sūptâ, & secūdùm se, distinguitur ab illâ virtualiter cū fundamento in re. Hæc resolutio est cōmunis omniū, qui negant distinctionem ex naturâ rei inter Naturam, & Existentiam. Probatur, quia possumus formare diuersos conceptus inadæquatos, alterum de Naturâ, de Existentiâ alterum. Probo hoc, quia quando vnum prædicatum est alteri contingens, possumus concipere vnum sine alio; atqui Existentia est contingens respectu Essentiæ actualis specificatiuè sumptæ, & secundùm se: ergo possumus concipere vnam sine aliâ. Et confirmatur primò, quia vno conceptu possumus concipere Essentiam, quâtenus est ratio, cur Creatura collocetur sub certo Genere, vel Specie præscindendo ab eo, quòd existat, vel non existat: deinde alio conceptu possumus concipere eius Existentiam, quâtenus est ratio cur Creatura sit extra causas. Confirmatur secundó, quia Existentia concipitur vt modus: Essentia verò vt realitas. Tertiò, quia Essentia concipitur vt potentia; Existentia veró vt actus: at veró hæc omnia distinguūtur virtualiter.

246 Dico secundò: Existentia non distinguitur perfectè ab Essentiâ actuali reduplicatiuè sumptâ. Ita P. Suar. *in Metaph. d. 31. sect. 6. num. 24.* Durand. Gabr. & D. August. quos citat, & sequitur P. Hurtad. *in Metaphys. disp. 8. §. 53.* Quibus cum Aureol. Lychero, & alijs subscribūt P. Arriag. cit. *d. 2. s. 4.* P. Ouied. cit.

P. Suarez. Durand. Gabr. D. Aug. P. Hurt. Aureol. Lychet. P. Arriag. P. Ouied.

citi controuers. 2. puncto 3. num. 4. Et probatur, quia Existentia includitur in Essentiâ actuali, quâ actuali, non minùs quàm albedo includitur in albo: ergo non distinguitur ab illâ distinctione perfecta Antecedens ostēditur, quia Essentia constituitur actualis per Existentiam non minùs, quàm lapis constituitur albus per albedinem. Vide P. Soar. citat. num. 24.

§. 6.

Vtrùm vna Natura possit existere per Existentiam alienam?

247 TErtia difficultas: Vtrùm vna Natura possit existere per Existentiam alienam? Affirmant cōmuniter Thomistæ cum D. Thom. 3. p. q. 16. art. 2. Caietan. Medin. Durand. Soncin. Iauel. Sot. Vallesius, Heruæus, & Zabarella ibidem, Capreol. in 3. dist. 6. Ferrar. contra Gentes c. 33. & 41. Henric. quodlib. 3. q. 2. Dionys. Carthus. in 2. dist. 6. q. 5. & alij. Probatur primò, quia humanitas Christi Domini existit per Existentiam Verbi. Secundò, quia Materia prima existit per Existentiam Formæ. Tertiò, quia Existentia distinguitur ab Essentiâ ex naturâ rei: ergo Deus poterit auferre ab Essentiâ propriam Existentiam, & conferre alienam, ad eum modum, quo potuit auferre propriam Subsistentiam, & conferre alienam.

D. Thom. Caiet. Medin. Durand. Soncin. Iauell. Sot. Vallef. Herua. Zabarel. Capreol. Ferrar. Henric. Carthus.

248 Sed probabilior videtur contraria resolutio asserentium vnam Naturam non posse existere per Existentiam alienam. Ita Altisiodor. Albert. M. Scot. Gabr. Almayn. D. Bonauent. Paludan. & alij, quos latè allegat, & sequitur P. Soar. de Incarnat. disp. 36. sect. 1. & in Metaph. d. 31. s. 12. à n. 9. P. Fonsec. 8. Metaph. c. 1. q. 1. s. 3. P. Vasq. tom. 1. in 3. p. d. 71. cap. 2. P. Tolet. 1. Physic. text. 70. q. 13. §. Et initio. P. Valent. in 3. p. q. 17. punct. vnico §. Atque hoc. P. Pezan. ibidē d. 1. conclus. 1. P. Mol. ibidē d. vnica. P. Raguza to. 1. d. 127. § 2. P. Becan. de Incarn. c. 4. q. 2. n. 4. Lorca ibidē d. 47. n. 12 P. Albertin. tom. 2. q. 10. circa 10. Corollarium ex Prædicamento Substantiæ, P. Tannerus d. 1. q. 6. dub. 3. num. 96. P. Petrus Hurtad. in Physica d. 2. § 56. P. Gasp. Hurtad. de Incarnat. d. 12. diffic. 1. P. Arriag. in Met. d. 11 num. 42. P. Tellez disp. 51. sect. 2. num. 18. & 30. Pro cuius explicatiōne, aduertendum est quæstionem posse primò procedere de creaturâ carente propriâ Existentiâ: & quæritur, Vtrùm eâ depositâ possit existere per alienam? Hæc aliena potest esse, aut Creata, aut Diuina. Secundò loco videbimus, Vtrùm Natura retentâ propriâ Existētiâ possit existere per alienam?

Altisod. Albert. Scot. Gabr. Almayn D. Bona. Paludan. P. Soar. P. Fonseca P. Vasq. P. Tolet. P. Valent. Pezan. P. Molina P. Raguz. P. Becan. Lorca P. Albertin. P. Tanner. P. Petrus Hurt. P. Gasp. Hurt. P. Arriaga P. Tellez.

249 Dico primò: Creatura carens propriâ Existentiâ non potest existere per alienam creatam. Probatur, quia aut talis Creatura carens propriâ Existētiâ est à parte rei aliqua entitas actualis: aut non. Si primum, includit propriam Existentiam; omnis enim natura constituitur in esse actuali per suam Existentiam, vt patet ex dictis num. 220. Si non est aliqua entitas actualis, non potest realiter vniri Existentię alienæ. Probo hoc; quia vnio realis non potest dari nisi inter extrema, quæ sint entitates actuales. Dices, esse entitatem actualem, & constitui in esse actuali per Existentiam alienam. Sed contrà, quia aut distinguitur à parte rei ab Existentiâ alienâ; aut non: si distinguitur, quæro, Vtrùm sic distincta sit aliqua entitas actualis; aut non: si primum, includit Existentiam: si secundum, est purum nihil, ac proinde non potest terminare vnionem realem. Dices, non distingui ab Existentiâ alienâ. Sed contrà quia esset idem cum aliâ Creaturâ diuersâ; nam ambæ essent idem in eâdē Existentiâ: quæ verò sunt idem in vno tertio sunt idem inter se.

250 Dico secundò: Creatura carens propriâ Existentiâ nec potest existere per Existentiam Diuinam. Probatur primò, quia non potest dari vnio realis ad id, quod nihil est: Creatura verò carens propriâ Existentiâ nihil esset actuale. Secundò, quia aut talis vnio reciperetur in Creaturâ: aut in Existentiâ Diuinâ. Non in Creaturâ, quia hæc carens propriâ Existentiâ nihil est actuale: id autem, quod nihil est, non potest esse subiectum vnionis realis. Non in Existentiâ Diuinâ, cùm hæc non possit recipere, & habere rationem subiecti, aut potentialitatis respectu alicuius formæ intrinsecæ, vt constat ex ijs, quæ diximus tract. 2. in Physic n. 144.

251 Et confirmatur, quia si aliqua Creatura carens propriâ Existentiâ existeret per Existentiam Diuinam, hæc esset humanitas Christi Domini, vt Aduersarij contendunt: sed humanitas Christi Domini non existit per Existentiam Verbi. Et hoc probatur primò ex VII. Synodo actione 6. ibi: Humanitas existens contradistinguitur ab hypostasi Verbi Diuini; & ex Damascen. lib. 3. de Fide cap. 3. vbi asserit Verbum Diuinū assumpsisse humanitatem, nec Substantia, nec Existentia priuatam: & c. 11. & 12. vbi asserit humanitatem habuisse Existentiam in Verbo, non per Verbum. D. Damas.

252 Probatur secundò, quia humanitas Christi Domini habuit entitatem actualem distinctam

distinctam á Verbo: ergo etiam Existentiam distinctam, cúm hæc nihil aliud sit, quám entitas actualis, vt constat ex dictis *num.* 228. Antecedens verò ostenditur, quia humanitas Christi Domini habuit vitam distinctam á Verbo vtpotè mortalem: Verbum verò immortalem. Item humanitas Christi habuit intelligere, vt velle, distinctum á Verbo: ergo etiam entitatem, & Existentiam distinctam.

253 Tertiò, quia si humanitas Christi Domini existeret per Existentiam Verbi, hæc, quâtenus actuat ipsam Materiam, & Animam, haberet rationem formæ, quod non est dicendum. Quartó, quia Angeli, & homines naturaliter intuebantur Existētiam Christi Domini: Existentia autem Verbi non est naturaliter visibilis Visione intuitivâ. Quintó, quia humanitas Christi Domini non esset aliquid creatum, & productum á Deo; creatio enim terminatur ad Existentiam: ibi verò nulla interueniret nisi Diuina, quæ non potest esse terminus creationis. Sextò, quia Beatissima Virgo nō esset vera Mater Christi Domini; nam generatio terminatur ad Existentiam Filij: at veró generatio creata non potest terminari ad Existentiam Diuinam.

§. 7.

Argumenta soluta.

254 Obijcies primó contra secundam Conclusionem, celebrem quandam auctoritatem Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani VI. Synodo *act.* 11. vbi de humanitate Christi Domini loquens, *In ipso Verbo*, inquit, *& non in se habuit Existentiam vnam cum Verbo.* Et paulò infrá, *esse vnum*, inquit, *sortitur natura duplex, & vnum permanere seruauit.* Item illud D. Damasceni. *lib.* 3. *de Fide cap.* 22. vbi dicit, *Carnem Verbo vnitam esse, imò potius in eo extitisse, at personalem cum Deo identitatem habuisse.* Similia verba, & loca adduci possunt ex eodem D. Damasceno. & D. Leone.

Sophron.

D. Dama.

D. Leo

255 Ad primum locum Sophronij respōdeo primò cum P. Soar. *de Incarn. d.* 36. *sect.* 1. §. *Obijcitur*, illam vltimam particulam *cum Verbo*, additam esse ab Aduersarijs; non enim ita habetur in textu. Reliqua verba efficiunt hunc sensum: *Humanitas Christi Domini nunquam in se, hoc est, extra Verbum, habuit Existentiam, sed semper illam habuit in Verbo.* Efficiunt, inquam, hunc sensum, quia Patriarcha, & Sancta Synodus sermonem facit hoc loco contra Hæreticos, qui dicebant humanitatem Christi Domini priùs tempore extitisse in rerum naturâ, quam fuerit vnita Verbo: contra hos asserit Patriarcha humanitatem Christi Domini nunquam extitisse extra Verbum. Responderi potest secundò cum eodem P. Soar. citato á §. *Dico secundò*, Existentiam humanitatis Christi Domini quòad suum vltimum terminum, & complementum perfici per Subsistentiam Verbi; & in hoc sensu dici potest, quòd humanitas Christi Domini habeat eandem Existentiam, hoc est, eandem Subsistentiam cum Verbo.

P. Soar.

P. Soar.

256 Ad secundum locum eiusdem Sophronij, respondeo cum eodem P. Soar. citat. illa verba, *esse vnum sortitur natura duplex*, efficere hunc sensum: *Natura duplex, hoc est, Diuina, & humana sortitur esse vnum non Existentiæ, & entitatiuum, sed personale*, cùm vtraque Natura subsistat in eâdem Subsistentiâ, & Personâ Verbi. Ad alia loca D. Damasceni, & D. Leonis eadem applicanda est expositio; dicendūque Sanctos Patres locutos esse de eodem esse non entitatiuo, & Existentiæ, sed Personali, & Subsistentiæ.

257 Obijcies secundò. Si humanitas Christi Domini haberet Existentiam creatam, hæc generaretur à Beatâ Virgine, & quod inde sequitur, eius Maternitas, & Generatio vltimó terminaretur ad talem Existentiam creatam; ac proinde Beatissima Virgo esset Mater solius humanitatis, & non Dei, quòd est contra Fidem. Respondeo Maternitatem, & Generationem Beatæ Virginis vltimò terminari ad Existentiam humanitatis in concreto, & non in abstracto sumptæ: vnde homo, hoc est, humanitas in concreto cum Supposito Verbi est, & dicitur Deus: Beatissima Virgo, quæ fuit vera Mater illius hominis, fuit vera Mater Dei, ad eum modum, quo occisores Christi Domini, quorum interfectio fuit terminata ad illum hominem, fuerunt verè occisores Dei, quia ille homo ratione Suppositi erat verè Deus.

258 Ad fundamenta opinionis contrariæ relata *num.* 247. patet solutio ex dictis. Ad primum (quâtenus dicebat humanitatem Christi Domini existere per Existentiam Verbi) respondeo non existere per Existentiam Verbi. Neque D. Thomas contrariam sententiam vnquam expressit; quod si aliquando dixit humanitatem Christi Domini habere idem esse cum Verbo, non de esse Existentiæ incompleto, sed de esse completo Subsistentiæ, & Personali, fuit locutus, vt eruditissimè ostendit P. Soar. *de Incarn. d.* 36. *sect.* 2. §. *Iuxta doctrinam hanc.* D. Thom.

Ad se-

259 Ad secundum (quatenus dicit Materiam primam existere per Existentiam Formæ) respondetur Materiam primam non existere per Existentiam Formæ; sed habere aliqualem existentiam sibi propriam, & intrinsecam, vt cum Scot. & eius Scholâ, P. Valent. P. Suar. Patribus Conimbr. P. Tolet. P. Molin. P. Pereir. P. Fonsec. P. Rub. P. Arriaga, P. Tellez, P. Ouiedo, P. Amico, imò & cum D. Thom. ostendimus in Phys. tr. 1. à n. 67.

Scot. P. Valent. P. Soarez Patres Conimb. P. Tolet. P. Molina P. Pereira P. Fonseca P. Rub. P. Arriaga P. Tellez P. Ouiedo P. Amic. D. Thom.

260 Ad tertium, nego Existentiam distingui à naturâ vllo modo à parte rei, vt constat ex num. 253. Inde admisso quòd Natura possit subsistere per Subsistentiam alienam, nego posse existere per Existentiam alienam. Diuersa ratio est; quia Natura distinguitur à suâ Subsistentiâ à parte rei: vnde Deus potest illi auferre propriam, & conferre alienam; aliter philosophandum de propriâ Existentiâ, cùm hæc solùm per rationem distinguatur à Naturâ.

§. 8.

Quid de Naturâ retentâ propriâ Existentiâ: An scilicet possit simul existere per alienam?

261 Magis dubium est, An Natura retentâ propriâ Existentiâ possit simul existere per alienam? Affirmant nobiles Recentiores. Primò, quia in eo nulla apparet contradictio. Secundò, quia in bonâ opinione, licèt Natura distinguatur solùm virtualiter à propriâ Subsistentiâ, potest eâ retentâ simul subsistere per alienam: ergo similiter retentâ propriâ Existentiâ virtualiter distinctâ poterit existere per Existentiam alienam. Tertiò, quia non repugnat quòd entitas actualis simul existat essentialiter, id est, per propriam Existentiam, & simul contingenter per Existentiam alienam. Sic Intellectus per se est essentialiter qualis, & simul contingenter per conceptum: item Vniuersale est essentialiter Vniuersale, & simul contingenter per abstractionem: & secunda Species est essentialiter talis, & simul contingenter per abstractionē. Quartò; quia Anima Rationalis per suam Essentiam est independens à corpore: at retentâ eâ independentiâ potest diuinitùs fieri dependens contingenter. Hæc prædicti Recentiores.

262 His non obstantibus, tenenda resolutio negatiua cum Doctoribus allegatis num. 248. Et probatur primò, quia ita se habet esse Existentiæ respectu entitatis actualis, ac esse Essentiæ respectu entitatis possibilis (argumentor contra supradictos Recentiores, qui nobiscum admittunt Existentiam esse de Essentiâ entitatis actualis, & dicunt omninò recurrere cum illa) sed nulla entitas possibilis potest esse per Essentiam alienam: ergo nulla entitas actualis potest esse per Existentiam alienam. Itaque nulla entitas possibilis, retento proprio esse Essentiæ, potest simul esse per esse Essentiæ alienæ: ergo nulla entitas actualis, retento proprio esse Existentiæ, potest simul esse per esse Existentiæ alienæ. Et confirmatur, quia Existentia non est minùs de Essentiâ entitatis actualis, quàm ipsa Essentia. V. g. Existentia non est minùs de Essentiâ humanitatis actualis Christi Domini, quàm gradus animalis rationalis: sed non potest esse humanitas retentâ propriâ Essentiâ per humanitatem, vel aliam Essentiam alienā: ergo non potest esse humanitas actualis per actualitatem, seu Existentiam alienam.

263 Secundò probatur, quia de facto humanitas Christi existeret per Existentiam Verbi, quod volebant Thomistæ, & nos á n. 251. refutauimus. Sequela ostenditur, quia de facto Vnio hypostatica, & si non sit facta ad Existentiam Naturæ Diuinæ absolutam, est facta ad Existentiam Verbi relatiuam. Item Materia prima erit existens per Existentiam Formæ: & accidentia existent per Existentiam subiecti; ac proinde accidentia actualia habebunt Existentiam substantialem, quod nō minùs repugnat quàm habere Essentiam substantialem: item Materia prima informata Animâ Rationali habebit Existentiam spiritualem, quod non minùs repugnat, quàm habere Essentiam spiritualem. Vide quæ diximus in Phys. tract. 1. à n. 70. Ex dictis patet de ratione existendi esse constitui per propriam Existentiam in actu: sicut de ratione essendi est constitui per propriam Essentiam in potentiâ.

264 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quatenus dicit nullam apparere contradictionem in eo quòd aliqua Natura, retentâ propriâ Existentiâ, simul existat per alienam) respondeo contradictionem patere ex dictis jam de conceptu, & ratione existendi est constitui per propriam Existentiam in actu: sicut de conceptu, & ratione essendi est constitui per propriam Essētiam in potentiâ.

265 Ad secundum (quatenus dicit Naturam virtualiter distinctam à propriâ Subsistentiâ posse, eâ retentâ, subsistere per alienam; ergo etiam, retentâ propriâ Existentiâ, existere per alienam) respondeo in primis eam doctrinam de Naturâ virtualiter distinctâ à suâ

Subsistentiā esse falsam, vt sequenti tractat. 21 ostendam. Deinde eā datā adhuc est diuersa ratio de Existentiā, quia de ratione subsistendi non est constitui per propriam Subsistentiam: de ratione autem existendi est constitui per propriā Existentiā. Et huius diuersa ratio est, quia, vt diximus, Existentia non est minùs de Essentiā entitatis actualis, quàm ipsa Essentia: vnde sicut repugnat entitatē actualem esse per Essentiam alienam, ita repugnat existere per Existentiam alienam: at verò Subsistentia non est de Essentiā entitatis actualis; vnde non repugnat quòd entitas actualis subsistat per Subsistentiam alienam.

266 Ad tertium (quàtenus dicit non repugnare, quòd entitas actualis simul existat essentialiter per propriam Existentiam, & simul contingenter per alienam) patet solutio ex dictis; diximus enim propriam Existentiam non esse minùs de conceptu existendi, quàm propria Essentia: vnde sicut res non potest constitui in esse Essentiæ per Essentiam alienam, ita non potest constitui in esse Existentiæ per Existentiam alienam. Intellectus non dicitur qualis in esse Essentiæ per conceptum: & sic non potest dici qualis in esse Existentiæ: item Vniuersale non dicitur tale in esse Essentiæ per abstractionem: nec similiter secunda Species per abstractionem dicitur Species in esse Essentiæ: sicut ergo res actualis non potest dici constitui in esse Essentiæ per Essentiam alienam, ita non potest constitui in esse Existentiæ per Existentiam alienam.

267 Ad quartum (quàtenus asserit Animam Rationalem licèt per suam Essentiam sit independens à corpore, posse retentā tali Essentiā, fieri contingenter dependens: ergo etiam Natura, retentā propriā Existentiā, poterit contingenter existere per Existentiam alienam) respondeo in primis eam doctrinam de Animā Rationali esse falsam, vt ostendimus in Phys tract.1. à n.268. & infrà n.292. agendo de impossibilitate Substantiæ inhærentis pleniùs ostendemus. Deinde, datā tali doctrinā, adhuc est specialis deformitas in eo quòd vna Natura existat per Existentiam alienam; nam, vt dixi, sicut res actualis non potest esse per Essentiam alienam, ita non potest existere per Existentiam alienam; nam Existentia non est minùs de ratione entitatis actualis, quàm ipsa Essentia, vt patet ex dictis.

(∴)

SECTIO VIII.

De dependentiā Entis Creati à Diuino.

268 Potest esse sermo aut de Ente creato sumpto in esse Existentiæ actuali: aut de illo sumpto in esse possibili antequàm existat. Et quatuor hoc loco difficultates se se offerunt. Prima: Vtrùm rerū Essentiæ sumptæ in esse Existentiæ actuali dependeant à Deo? Secūda: Vtrùm ab illo dependeant sumptæ in esse possibili, antequàm existant? Tertia: Vtrùm sint æquè necessariæ in suo esse possibili, ac ipse Deus in suo esse actuali? Quarta: Vtrùm sint respectus transcendentes ad Omnipotentiam Diuinam, ita vt si hęc per impossibile non daretur, illæ desinerent esse possibiles? quod alijs terminis quæri solet, Vtrùm Creaturæ ideò sint possibiles, quia possunt produci à Deo: an potiùs è contra ideò possint produci à Deo, quia sunt possibiles.

§. 1.

Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse existentiæ actuali dependeant à Deo?

269 Prima difficultas: Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse existentiæ actuali dependeant à Deo? De hoc latè egimus in Phys. tract.2. à n.332. vbi ostendimus Creaturas sumptas in esse Existentiæ actuali depēdere immediatè à Deo tam in suo esse, quàm in suo operari. Et certè in hāc resolutione cōsentiunt omnes Theologi, Magister in 1. dist. 37. D. Thom. 1. p. q.8. a.1. & q.104. a. 1. & 3. contra Gentes à c.65. D. Bonau. Alens. Gregor. Heruæus, Henric. Vdalr. Ex Sanctis Patribus D. August. D. Nazianz. D. Dionys. D. Greg. Mag. D. Anselm. D. Iustin. D. Damasc. Ex Philosophis antiquis Auctor libri de Mund. Trismegist. Plato, Aristotel. Plotinus, Proclus, Seneca, & alij, quos latè allegant, & sequuntur Patres Conimbric. 2. Physicor. c.7. q.10. a.2. P. Soar. in Met. d.21. s.1. Vide quæ diximus loco citato in Phys. vbi de hoc plenè.

Magist. D. Thom. D. Bonau. Alens. Gregor. Heruæ. Henric. Vdalr. D. Aug. D. Nazia. D. Dionys. D. Gregor. D. Ans. D. Iustin. D. Dama. Trismegist. Plato Arist. Plotin. Procl. Senec. Patres Conimbr. P. Soar.

§. 2.

Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse possibili antequàm existant, dependeant à Deo?

270 Secunda difficultas: Vtrùm Creaturæ sumptę in esse possibili antequàm

P. Alberti. Henric. Ægid. Capreol.

tequám existant, dependeant á Deo? Videntur dependere á Deo dependentiâ actuali, quia Deus ab æterno mensurat rerum essentias, eas regulando, ac præscribendo tales, quales sunt possibiles: ergo dependent ab illo, vt á causâ exemplari dependentiâ actuali. Ita P. Albert. *tom. 2. de Prædicamento Substantiæ d. 1. q. 2.* referens Henric. Ægid. Capreol. & alios.

D. Aug. D. Thom. P. Ouiedo

271 Nihilominus declaratione opus est. Dico primó: Creaturæ sumptæ in esse possibili antequám existant, non dependent á Deo vt á causâ actuali. Hæc resolutio est D. August. D. Thom. & omnium communis apud P. Ouied. *in Met. controuers. 2. n. 5.* Et probatur, quia Creaturæ antequám existant, non sunt aliquid positiuum actuale; vt constat ex *num. 204.* ergo á nullâ causâ actuali possunt pendere. Et confirmatur, quia causa in actu requirit effectum in actu. Et huius ratio á priori est, quia causa constituitur in actu per causalitatê; hæc enim nequit cõsistere sine suo termino, & effectu actuali, cuius est modus; atqui Creaturæ antequám existant nõ sunt effectus, aut aliquid positiuum actuale: ergo non possunt terminare causalitatem, & consequenter neque causam actualem.

272 Dico secundò: Creaturæ antequám existant, dependent à Deo, vt á causâ possibili, seu potentiali. Hæc resolutio etiam est manifesta; nam Creaturæ sunt aliquid possibile, & creabile: ergo dependent ab aliquâ causâ possibili, seu potentiali. Et declaratur, quia, vt se habet effectus actualis ad causam producentem, seu actualem, ita se habet effectus possibilis ad causam productiuam, seu potentialem; atqui Creaturæ in esse existentiæ actuali dependent à Deo, vt á causâ producente, & actuali: ergo in esse possibili ante existentiam dependent á Deo, vt á causâ productiuâ, seu potentiali.

273 Ad rationem adductam pro parte contrariâ (quâtenus nostræ primæ resolutioni obstare videtur) respondeo distinguendo Antecedens: Deus ab æterno mensurat rerum essentias, in illas influendo esse actuale, nego Antecedens; in illas influendo esse possibile, concedo Antecedens. Et ratio est manifesta, quia causalitas causæ exemplaris fundatur in causalitate causæ efficientis: hæc verò ab æterno nulla est actualis: ergo neque illa.

§. 3.

Vtrùm Creaturæ in suo esse possibili sint æquè necessariæ, ac ipse Deus in suo esse actuali?

Durand. Capreol. Caiet. P. Molina. P. Valent. P. Erice. P. Granad. P. Ruiz. P. Salas. Ægid. Lus. P. Arriaga.

274 Tertia difficultas: Vtrùm Creaturæ in suo esse possibili sint æquè necessariæ, ac ipse Deus in suo esse actuali? Affirmare videntur Durand. Capreol. Caiet. & cæteri Thomistæ, necnon P. Molin. P. Valent. P. Erice, P. Granad. P. Ruiz. P. Salas, Ægid. Lus. & P. Arriag. quos allegauimus *in Phys. tr. 2. n. 462.* quâtenus dicunt Deum esse relatum transcendens ad Creaturas; nam relatum transcendens, non est magis necessarium, quàm eius terminus, siquidê hoc per possibile, vel impossibile sublato, destrueretur & illud.

D. Thom. Ferrar. Henric. Scot. Gregor. Deça. P. Vasq. Basil. P. Arrub. P. Fassol. P. Ripald. P. Hurt. P. Alarc. D. Anselm. P. Martinon.

275 Nihilominus dicendum nobis est cũ D. Thom. Ferrar. Henric. Scot. Greg. Deça, P. Vasq. Basilio, P. Arrub. P. Fassol. P. Ripal. P. Hurt. P. Alarcon, & alijs, quos *in Phys. tr. 2. n. 464.* allegauimus, Deum esse magis necessariũ, quám Creaturas. Et probatur, quia Deus non est relatum transcendens ad Creaturas, vt loco citato ostendimus; imò Creaturæ sunt relatum transcendens ad Deum, vt statim ostêdemus; sed id, quod est relatũ transcendens ad aliud, cùm sit propter illud, ab eoque dependeat, est minùs necessariũ, quám illud: constat hoc tum ex D. Ansel. *in Monologio c. 1.* ibi: *Omne, quod propter aliud est, minus est eo, quod per se est*: tum ex illo communi Philosophorum Principio *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Huic doctrinæ subscribit P. Martinon *disp. 22. de Deo num. 17.*

276 Neque dicas, quód ambo sint necessaria, Deus, & Creaturæ: in ijs autem, quæ sũt necessaria, vnum non est magis necessarium, quàm aliud. Non, inquam, hoc dicas, nam in ijs, quæ sunt necessaria, vnum potest esse magis necessarium, aliud minùs. Et hoc ostenditur primó, quia Conclusio est minùs certa, & necessaria, quàm Præmissæ, á quibus dependet in suo fieri, & conseruari. Secundò, quia inter peccata, & mala vnum potest esse magis malum, aliud minùs; inter falsa vnum potest esse magis falsum, aliud minùs; inter contingentia vnum potest esse magis contingens, aliud minùs; nam magis contingens est te fore Iudicem tui oppidi, quám Papam: ergo similiter inter necessaria vnum potest esse, & intelligi magis necessarium, quám aliud.

277 Ad ea, quæ pro parte contrariâ adducuntur, respondeo Deum non esse relatum transcendens ad Creaturas, sed omninò futurum esse, etiamsi per impossibile nullæ darentur Creaturæ possibiles, vt cum Doctoribus citatis latè ostendimus *in Phys. tr. 2. n. 478.*

§. 4.

Vtrùm Creaturæ sumptæ in esse possibili, sint relatum transcendens ad Omnipotentiam?

278 QVarta difficultas: Vtrùm Creaturæ sint relatum transcendẽs ad Omnipotentiam, ita vt si per impossibile hæc non daretur, desinerent esse possibiles? Videtur Creaturas non esse relatum transcendens ad Omnipotentiam, imò illam antecedere, & esse aliquo modo priores illâ. Probatur primò, quia prius est rẽ esse intelligibilẽ, quàm posse intelligi á Deo: ergo etiam priùs est esse possibilẽ, quàm posse fieri á Deo. Secundò, quia priùs est rem, v. g. chimæram esse impossibilem, quám non posse produci á Deo: ergo priùs erit rem esse possibilem, quám posse produci á Deo. Consequentia est optima, quia iuxta Aristotelem, si negatio est causa negationis, eius affirmatio opposita est causa affirmationis: ergo si negatio possibilitatis in re impossibili est ratio, cur Deus non possit facere talem rem, affirmatio possibilitatis in re possibili erit ratio, cur Deus possit facere talem rem.

279 Nihilominus distinctione opus est. Nam Omnipotentia Diuina, vt sæpè notauimus, & cum P. Vasq. & P. Erice tradit P. Ouiedo *in Met. controuers. 10. punct. 5. n. 10.* sumi potest dupliciter: primó, secundùm suum cõceptum primarium, & absolutum, quàtenus est virtus quædam fœcundissima potens producere quidquid non implicat, si aliquid fuerit: secundó, potest sumi secundùm suum cõceptum secundarium, & respectiuum ad hoc, vel ad illud possibile, quod non implicat. *P. Vasq. P. Erice P. Ouiedo*

280 Dico primó. Creaturæ sumptæ in esse possibili antequám existant sunt priores Omnipotentiâ sumptâ secundùm suum conceptum respectiuum, & secundarium. Ita D. Thom. *1. p. q. 25. a. 3.* P. Molin. ibidem *§. Omnipotentiam,* P. Vasq. *1. p. disp. 104. c. 4.* P. Soar. *in Met. d. 31. sect. 6* P. Erice *1. p. d. 5. cap. 2.* P. Ouied. proximè *n. 10.* Et probatur, quia respectus, seu relatio supponit terminum; sed Omnipotentia respectiué sumpta est respectus ad possibilia: ergo illa supponit. Et confirmatur ex proximè dictis primó, quia prius est rem esse intelligibilem, quàm Scientiam Diuinam respectiuè sumptam terminari ad illam. Secundò, quia priùs est chimæram esse impossibilem, quàm Omnipotentiam non terminari ad illam: ergo priùs erit rem esse possibilẽ, quàm Omnipotentiã terminari ad illã. *D. Thom. P. Molina P. Vasq. P. Soares P. Erice Ouiedo*

281 Dico secundò. Creaturæ sunt posteriores Omnipotentiâ sumptâ secundùm suũ conceptum primarium, & absolutum. Ita Patres Conimbr. *2. Physicor. c. 7. q. 17. art. 1.* P. Soar. *in Met. d. 20. sect. 5. n. 32.* P. Hurt. *in Physic. d. 12. §. 8.* P. Vasq. *1. p. d. 104. c. 4. n. 11.* P. Albert. *q. 2. de Prædicam. Substantia,* P. Ouied. cit. *n. 10.* P. Fonsec. *9. Met. c. 1. q. 3. §. 3. & l. 3. c. 5. q. 1. §. 4.* P. Martinon cit. *d. 22. de Deo n. 17.* & omnes Philosophi quàtenus communi consensu dicunt Creaturas pendere essentialiter á Deo, ita vt si ille per impossibile non daretur, omnes per locum intrinsecum redderentur impossibiles. Et probatur, quia omne Ens creatum est essentialiter Ens ab alio, & per participationem; in hoc enim distinguitur Ens creatum ab increato: ergo essentialiter supponit Deum, vt eius primam causam, & fontẽ totius esse. *Patres Conimbr. P. Soar. P. Hurt. P. Vasq. P. Alberti. P. Ouiedo P. Fonsec. P. Martin.*

282 Ex dictis colliges primò, Deum, & eius Omnipotentiam non esse relatum transcendens ad Creaturas possibiles, sed eas sumptam secundùm suum esse intrinsecum, & absolutum omninò antecedere, quod latè ostendimus *in Physic. tract. 2. à n. 464.* Colliges secundó, Creaturas sumptas in esse possibili esse relatum transcendens ad Omnipotentiam sumptam secundùm suum esse primarium, & absolutum, eâque omninó posteriores. Colliges tertió, tales Creaturas esse priores Omnipotentiâ sumptâ secundùm suum conceptũ secundarium, & respectiuum. Et in hoc sensu videntur procedere rationes, quæ fiunt pro parte contrar â *n. 278.*

283 Obijcies primò. Relatum transcendens dependet essentialiter á suo termino: sed Creaturæ non dependent essentialiter à Deo. Probo hanc Minorem, quia pendent mediante actione, quæ cùm distinguatur ex naturâ rei ab ipsis Creaturis, potest ab illis tolli; ac proinde non est illis essentialis. Respondeo Creaturas dupliciter pendere á Deo; primò, vt á termino; secundò, vt à causâ: non est dubium primam dependentiam á Deo, vt á termino esse Creaturis immediatam, & essentialem. Adde cum P. Soar. *in Met. d. 20. sect. 5. n. 32.* & P. Hurt. *in Physica d. 22. §. 8.* dependentiam Creaturarum á Deo, vt à causâ etiam esse essentialem: verum quidem est, quòd hæc, aut illa actio non postuletur essentialiter; aliqua tamen essentialiter postulatur ad eum modum, quo hoc, aut illud Vbi non postulatur necessarió á Creaturâ existente, aliquod tamen necessariò postulatur. *P. Soares P. Hurt.*

284 Obijcies secundò. Creaturæ antequam existant, nihil sunt: ergo non possunt referri transcendentaliter ad aliquid. Et confir-

firmatur primò, quia respectus transcendentalis actualiter dependet: quod autem actualiter nihil est, non potest actualiter dependere ab aliquo. Secundò, quia id, quod nihil est, non potest denominari aliquid; sed Creaturæ antequàm existant nihil sunt: ergo non possunt denominari possibiles ab Omnipotentiâ.

285 Respondeo in primis, argumentum nullam habere vim, si procedat de Creaturis sumptis in esse existentiæ actuali prout per nostros inadæquatos conceptus virtualiter distinguuntur à suis existentijs. Sed, quia videtur procedere de Creaturis sumptis in esse possibili antequàm existant, respondendum est nos non dicere Creaturas antequàm existant esse respectus actuales, sed esse respectus eo modo, quo sunt Entia: sunt entitates possibiles; ita etiam sunt respectus possibiles. Vnde patet responsio ad primam, & ad secundam confirmationem; non enim dicimus Creaturas, antequàm existant, & sint entia actualia, dependere actualiter, aut denominari aliquid actualiter, sed dependere potentialiter, & denominari aliquid possibile.

DISPVTATIO III.

De diuisione Entis in Substantiam, & Accidens.

SEPTEM amplexa Sectiones. In primâ quæritur, Rectènè habeat huiusmodi diuisio? In secundâ agitur de Substantiâ, quæ est primum diuisionis membrum? In tertiâ de possibilitate Substantiæ inhærentis. In quartâ de possibilitate Substantiæ supernaturalis. In quintâ de possibilitate aliarum Substantiarum. In sextâ de Accidente, quod est secundum diuisionis membrum. In septimâ comparantur Substantia & Accidens inter se.

SECTIO I.

Rectènè habeat diuisio Entis in Substantiam, & Accidens?

286 PRIMA difficultas: Vtrùm diuisio sit adæquata? Videtur nō esse adæquata. Primò, quia Modi Substantiæ, neque sūt Substantia, neque Accidens: non Substantia, quia sunt Modi illius; Modus verò debet esse extra rem, cuius est Modus: non Accidens, quia identificantur cum Substantiâ faciendo cum illâ vnum per se. Similiter Modi Accidentium, neque sunt Substantia, quia faciunt vnum per se cum Accidentibus; neque Accidens, quia sunt Modi illius: Modus verò, vt diximus, debet esse extra rem, cuius est Modus. Secundò probatur specialiter in Actione creatiuâ Angeli, quæ neque est Substātia, cùm spectet ad Prędicamentum Accidentis; neque Accidens, siquidem identificatur cum Substātiâ. Tertiò, Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ, neque est Substantia, cùm identificetur, cum Accidentibus faciendo cum illis vnum per se; neque Accidens, quia est formalis ratio existendi per se: hæc verò omninò opponitur rationi Accidentis.

§. I.

Concluditur diuisionem esse adæquatam.

287 NIhilominus dicendum diuisionem esse adæquatam. Hæc resolutio supponitur ab omnibus Metaphysicis, & traditur expressè á P. Soar. *d. 32. sect. 1. à n. 4.* à Patribus Conimbricens. *in Log. q. 1. de Antepradicament. a. 1. §. Quod igitur.* Et probatur, quia diuisio, quæ traditur per conditiones cōtradictorias est adæquata: sed hæc ita se habet. Probo Minorem, quia aut Ens existit per se; aut non, si primum est Substantia, & definitur *Ens per se existens*: si non existit per se, est Accidens, & definitur *Ens existens in alio.* *P. Soar. Patres Conimbric.*

288 Ad primum fundamentum opinionis contra-

contrariæ, respondeo tria esse Modorum genera, quæ faciunt ad præsens institutum; primum est eorum, qui spectant ad integritatem Substantiæ, eamque constituunt; cuiusmodi sunt Actiones substantiales, Vniones, Subsistentiæ, &c. secundum genus est eorum, qui spectant ad integritatem Accidentium, eaque constituunt; cuiusmodi sunt Actiones accidentales, Inhærentiæ, Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ, &c. tertium est illorum, qui nō spectant ad integritatem alicuius Substantiæ, vel Accidentis realis, sed illis adueniunt iam in suo esse constitutis; huius generis sunt Figura, Vbi, Situs, Duratio, &c. Modi primi generis sunt Substantiæ eiusdem Ordinis, & Prædicamenti cum illâ; siquidem eam constituunt: Modi secundi generis sunt Accidentia eiusdem Ordinis, & Prædicamenti cū suis realitatibus, quas integrant, & constituunt. Neque opus est, quòd Modi sint extra Genus, & Prædicamentum suæ realitatis, satis est quòd non sint realitates. Modi tertij generis sunt Accidentia, non quidem eiusdem Generis, & Prædicamenti cum suis realitatibus (siquidem illis adueniunt iam in suo esse constitutis) sed alteriùs Generis, & Prædicamenti, vt videre est in Figurâ respectu Quantitatis, in Vbicatione, Situ, & Duratione respectu suorum subiectorum. Sunt, in quam, Accidentia, quia talia sunt ea omnia, quæ adueniunt, & accidunt rebus iam in suo esse constitutis.

289 Ad secundum de Actione creati Angeli, respondeo Actionem creatiuam Angeli sumi posse dupliciter; primò respectu agentis, cui aduenit iam in suo esse constituto; & in hoc sensu est Accidens extrinsecum de Prædicamento Actionis: secundò, respectu termini, quâtenus est via ad illum, & cum illo identificatur, ac facit vnum per se; & in hoc sensu est Substantia. Dices: Actio quâtenus via non constituit Angelum; siquidem est prior illo: omnis enim via est prior suo termino. Respondeo cum P. Soar. cit. *disp.* 32. *sect.* 1. *n.* 17. distinguendo Antecedens: Actio non constituit Angelum in facto esse, concedo Antecedens: non constituit illum in fieri, nego Antecedens. Ad rationem veró Modi Substantialis, inquit P. Soar. citat. satis est quòd constituat Substantiam in fieri; nam re ipsâ fieri termini nihil aliud videtur esse, quàm ipse terminus in esse imperfecto, & incompleto. Responderi potest secundò, Actionem non esse priorem suo termino prioritate *in quo*, sed prioritate *à quo*, prout *in Physic.* declarauimus *tr.* 2. *n.* 40. at vero prioritas *à quo* non tollit quominùs actio sit constitutiua sui termini, & eiusdem ordinis cum illo.

P. Soares

290 Ad tertium de Modo Accidentium Sacræ Eucharistiæ, respondeo illum esse Accidens. Ad eius confirmationem, dicendum est rationem Accidentis cōsistere in eo, quòd vel per se possit inhęrere, vel sit eiusdem ordinis cum eo, quod possit inhærere, ad eum modum, quo illa distinguuntur realiter, quæ vel per se possunt existere separata, vel identificantur cum rebus, quæ possunt existere separatæ; vnde Vniones, Formæ, & Materiæ, licèt per se non possint existere separatæ, distinguuntur tamen realiter, quia identificantur cum partibus physicis, quæ possunt existere separatæ: Modus autem Accidentium Sacræ Eucharistiæ, licèt per se nunquam possit inhærere, identificatur tamen, & est eiusdem ordinis cum ipsis Accidentibus, quæ possunt inhęrere.

291 Dices: Ex hâc doctrinâ sequitur, quòd Vbicatio Substantiæ sit Substātia. Probo hoc, quia identificatur cum Substantiâ; non enim datur maior ratio cur Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ sequatur realitatem, cum quâ identificatur, & cuius est Modus, Vbicatio verò Substantiæ non sequatur Substantiam, cum quâ identificatur, & cuius est Modus. Mirum est quantùm torqueat hæc instantia nonnullos recentiores Magistros. Respondeo tamen negando sequelam. Diuersa ratio est, quia diuerso modo identificatur Vbicatio cū Substantiâ: diuerso identificatur Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ cum ipsis Accidentibus; Vbicatio enim non est eiusdem Ordinis, & Prędicamenti cum Substantiâ. Et huius ratio est, quia Vbicatio Substantiæ non spectat ad integritatem, & cōstitutionem ipsius Substantiæ, imó illi aduenit iam in suo esse constitutę. Modus verò Accidentium Sacræ Eucharistiæ est eiusdem Ordinis, & Prędicamenti cum illis. Et huius ratio est, quia spectat ad integritatem, & constitutionem eorum: solus autem Modus, qui spectat ad integritatem, & constitutionem suæ realitatis, cuius est Modus, sequitur eius Prædicamentum, & Genus.

§. 2.

Vtrùm diuisio sit vniuoca?

292 SEcunda difficultas: Vtrùm diuisio sit vniuoca? Scot. *in* 1. *dist.* 3. *q.* 1. & *in* 3. *dist.* 8. *q.* 2. Gabr. *in* 1. *dist.* 2. *q.* 4. Ocham. Gregor. D. Bonau. & Tromb. ibidem (quibus accedūt P. Sancta Cruz *in sua Logic. p.* 2. *d.* 5. *q.* 8. *sect.* 7. P. Arriag. *in Logic. d.* 11. *à sect.* 2. cum pluribus Recentioribus nostræ

Scot. Gabr. Ocham. Gregor. D. Bonau. Tromb. P. S. Cruz P. Arriaga

P. Ouiedo nostræ Societatis) & P. Ouiedo *in Met. controuers. 1. punct. 7.* opinantur diuisionem Entis in Substantiam, & Accidens esse vniuocam. Et probatur, quia vniuoca sunt ea; *quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ per nomen importata omninò eadem*: sed Substantia, & Accidens habent idem nomen Entis: deinde participant eandem rationem Entis: tota inæqualitas, quæ alioquì in Substantiâ, & Accidente reperitur; videtur habere se ex parte differentiarum, quo pacto se habet inæqualitas hominis, & formicæ in animali.

293 Nihilominus dicendum diuisionem esse analogam; Ita Aristotel. 4. *Metaphys. t. 2.* & *7.* & *1. Ethic. c. 6.* D. Thom. apud P. Aleman. *4. p. q. 3. a. 1.* Auerrois, Alexan. Porphyrius, Albert. M. & Ammonius; quos citat, & sequitur P. Soar. in *Met. d. 32. s. 1. n. 3.* P. Fons. *4 Met. c. 4. q. 1. s. 7.* Patres Conimb. *q. 1. de Æquiuocis a. 2.* P. Vasq. *to. 2. in 1. p. d. 114. c. 2. n. 6.* P. Rub *in Logic. c. 4. de Prædicam. subst. q. 4. §. Ratio igitur*, P. Tellez *d. 52. s. 1. n. 1.* P. Hurtad. *in Logic. d. 9. sect. 4.* P. Compton. ibidem *d. 4. s. 5 n. 1.*

Aristot. D. Thom. Auerroes Alexand. Porphyr. Alb. Mag. Ammon. P. Soares P. Fonsec. Patres Conimbr. P. Vasq. P. Rub. P. Tellez P. Hurt. P. Comp.

294 Primum fundamentum est: quia Vniuocum debet præscindere á differentijs suorum inferiorum; sin minùs eius ratio erit in se multiplex, & non omninò eadem: atqui Ens non præscindit á differentijs, seu quasi differentijs Substantiæ, & Accidentis. Patet hoc; quia ipsæ differentiæ etiam sunt Ens: Ens autem secum abstrahit quidquid est Ens. Totus discursus est manifestus.

295 Dices: Si Ens includeret differentias, seu quasi differentias, nimirum rationem existendi per se, & existendi in alio; non posset affirmari de Substantiâ; quia Substantia nō existit in alio: sed neque de Accidente, quia Accidens non existit per se: ergo Ens non includit differentias. Respondeo illas includere formaliter, non tamen expressè: non est autem necesse, quòd prædicatum secundùm omne id, quod includit formaliter, verificetur de subiecto, satis est quod de illo verificetur sumptum secundùm id, quod dicit expressè. Et hoc vel ipse P. Arriaga, & alij Aduersarij non possunt non concedere: nam in eorum opinione, cùm non admittant præcisiones obiectiuas, in homine in communi includuntur formaliter plures homines singulares sumpti secundùm conceptum confusum; cùm tamen non secundùm plures verificetur de quolibet singulari.

296 Instabis: Ergo similiter Ens secundùm id, quod dicit expressè, non includit differentias; ac proinde saltem secundùm id, quod dicit expressè, erit vniuocum. Respondeo nos loqui de Vniuocis prout definiuntur ab Aristotele; Aristoteles autē requirit quòd Vniuocorum ratio sit omninò eadem: parum ergo refert quòd in Ente non exprimantur dummodò in eo sint rationes diuersæ.

297 Secundum fundamentum: quia Substantia, & Accidens non habent differentias propriè dictas; hæ enim deberent esse extra Ens: in Substantiâ verò, & Accidente nō possunt reperiri differentiæ, quæ sint extra Ens: ad Vniuocum autem requiruntur differentiæ; vt constat ex ijs, quæ diximus in *Logic. tract. 4. num. 111.*

298 Tertium fundamentum adduci solet: quia participatio per prius, & posterius tollit vniuocationem; at verò Substantia, & Accidens participant rationem Entis per prius, & posterius: Substantia priùs, & independēter ab Accidente; accidens posteriùs, & depēdenter à Substantiâ. Sed contra hoc vltimum fundamentum, quod est minùs facile, plura fieri possunt argumenta:

§. 3.

Argumenta soluta.

299 Obijciès primò. Multa depēdent inter se, quæ tamen conueniunt vniuocè; nam in opinione, quæ asserit Formam non esse causam Materiæ, Forma dependet à Materia, Materia non dependet à Formâ; & tamen conueniunt vniuocè in Naturâ incompletâ: item actus dependent à potentijs: Voluntas ab Intellectu: visio albedinis ab ipsa albedine: & tamen omnes conueniunt vniuocè in Qualitate: ergo idem dicendum de Substantiâ, & Accidente, licèt hoc dependeat ab illâ.

300 Respondeo tunc solùm dependentiam tollere vniuocationem, quando habet se ex parte rei communis participatæ; non verò quando habet se ex parte differentiarum: in exemplis adductis dependentia non habet se ex parte rei communis participatæ, sed ex parte differentiarum: At verò dependentia, quæ visitur in Accidente à Substantiâ, cùm sit Ens; etiam includitur in ipso Ente; ac proinde etiā habet se ex parte illius.

301 Aliter explicari potest hæc dependentia ex parte rei communis hoc modo: quia tunc videtur dari ex parte rei cōmunis; quando ipsa ratio communis, quæ in vno inuenitur, semper extra illud reperitur ab eo dependens, & ita videre est in ratione Entis, quę extra Substantiam semper inuenitur dependens ab illâ: & extra Deum semper inuenitur ab illo dependens

dependens: idcircó Substantia, & Accidens; Deus, & Creatura non possunt conuenire vniuocè in Ente. At veró natura, quæ in Materiâ includitur, non semper extra illam inuenitur dependens ab ipsâ, sed solùm in Formâ materiali, non in Rationali: & Qualitas, quæ includitur in potentijs, extra illas non semper inuenitur dependens ab illis, sed solùm prout includitur in actibus, non verò prout includitur in alijs Speciebus Qualitatis. Similiter quę includitur in Intellectu extra illum non semper inuenitur dependens ab illo, sed solùm prout includitur in Voluntate. Item quæ includitur in albedine, non semper extra illam repetitur ab eâ dependens, sed solùm prout includitur in visione ipsius albedinis: & idcircó hæc omnia possunt conuenire vniuocè: non ita Substantia, & Accidens; Deus, & Creatura.

302 Obijcies secundó. Saltem Ens erit vniuocum ad Substantiam Angeli, & ad Accidens lapidis; nam hoc non dependet ab illâ. Respondeo hoc argumento solùm probari Ens non desinere esse vniuocum ad Substantiam Angeli, & ad Accidens lapidis ratione dependentię; adhuc tamen non erit vniuocum ex alijs primis duobus titulis; quia nimirũ nõ præscindit ab eorum differentijs; & quia illa respectu Entis non habent differentias propriè dictas. Adde quód ratio Accidẽtis, quam Accidens lapidis participat, dependet á ratione Substantiæ, quam participat Substantia Angeli.

303 Ex dictis patet solutio ad fundamẽtum opinionis contrariæ. Dicendum enim est Substantiam, & Accidens non conuenire vniuocè in Ente, quia tametsi habeant idem nomen Entis, ratio Entis per illud significata, cùm non præscindat á differentijs, est simpliciter multiplex, & non omninò eadem.

304 Quæres, Vtrùm diuisio sit analoga analogiâ attributionis, an proportionis? Respondeo primó, esse analogam analogiâ attributionis. Et probatur, quia hæc analogia tunc datur, quando forma est priùs in aliquo principali analogato, in alijs verò posteriùs, & cũ dependentiâ á primo: sed ratio Entis ita se habet respectu Substantię, & Accidentis. Probo hoc, quia priùs reperitur in Substantiâ; posteriùs in Accidente, & cum dependentiâ à Substantiâ. Respondeo secundó, etiam esse analogam analogiâ proportionis propriæ. Et probatur, quia hæc analogia tunc datur, quando forma reperitur intrinsecè in analogatis: sed ratio Entis intrinsecè reperitur non solùm in Substantiâ, sed etiam in Accidente; vtrunque enim est intrinsecè Ens. Ita D. Thom, P. Soar. P. Fonsec. P. Hurtad. & Patres Conimbricens. suprá citati.

D. Thom. P. Soar. P. Fonseca P. Hurt. Patres Conimbr.

SECTIO II.

De Substantiâ, quæ est primum diuisionis membrum.

305 PRIMA difficultas: Quid sit Substantia? Substantia accipitur tripliciter. Primó, pro cuiusque rei essentiâ, & sic competit hoc nomen etiam Accidenti. Secundó, pro eo, quod substat Accidentibus; quo in sensu negat D. Augustinus Deum esse Substantiam; quia nullis Accidentibus substat. Tertió, prout comprehẽdit omnem Substantiam, prout hæc distinguitur ab Accidente; & sic definitur, *Ens per se existens*, hoc est, Ens per suum conceptum stans sine dependentiâ á subiecto inhæsionis. D. Aug.

§. I.

Quid sit existere per se?

306 QVæstio est, Quid sit *Existere per se*? seu, Quæ dicantur *per se existere*, seu per se stare sine dependentiâ á subiecto inhæsionis? Plures explicationes huius vocis *Existere per se*, referunt P. Hurtado *in Physic. d. 12. n. 41.* & *in Met. d. 10. à n. 7.* & P. Arriaga *in Met. d. 4. sect. 6.* quas ipsi benè refutant; ideó ego hoc loci eas non subijcio; solùm refero explicationes ipsorum P. Petri Hurtado, & P. Roderici de Arriaga: &, quæ tandem mihi videtur commodior, exponam. P. Hurt. P. Arriaga

307 P. Hurtado asserit illud *Existere per se*, quod est de primo constitutiuo rei, quæ vulgó dicitur *res*. Dicitur autem, inquit, vulgò *res* illa, quæ manet eadem, quanuis in eâ aliquæ fiant mutationes, vt equus, leo, canis, qui licèt mutentur de frigidis in calida, aut de calidis in frigida, adhuc tamen vulgò dicuntur esse eædem res, idem nimirum equus, idem leo, & idem canis, quem emisti: hinc prouenit quòd quærenti, Quid sit hoc, quod emisti, non respondes esse *album*, *nigrum*, aut *calidum*, sed esse *equum*, *canem*, &c. Quarè, quia Materia, Forma, & Vnio sunt de constitutiuo equi, aut canis dicuntur existere per se, & sunt Substantiæ: albedo verò, & nigredo, quia sunt de constitutiuo albi, & nigri, quæ non dicuntur *res*, non dicuntu P. Hurt.

dicuntur existere per se nec sunt Substantiæ, sed Accidentia.

308 Non placet hæc sententia, & modus explicandi. Primò, quia quidditas Substantiæ datur à parte rei independéter ab eo, quòd hoc, vel illud vulgò dicatur, aut non dicatur *res*. Secundò, quia aliqua sunt de primo constitutiuo illius, quod vulgò dicitur *res*: & tamen non sũt Substantiæ. Probo hoc, quia artefacta, nimirũ statua, liber, pallium, & alia id generis, sunt res, & forma artificialis, nimirum figura, est de primo eorũ cõstitutiuo: & tamen figura nõ est Substantia. Tertió, quia pinguedo est Substãtia: non est tamen de primo cõstitutiuo equi, leonis, aut canis.

309 P. Arriaga cit. *num.* 32. dicit illud *existere per se*, quod aut est primum Ens, vt Deus, & Materia prima: aut primò intenditur á Naturâ, vt homo, Angelus: aut est prima radix cæterorum, quæ in subiecto sunt, vt Forma in compositis physicis. Quòd si dicas, ex doctrinâ ipsius Auctoris possibilem esse Formam non operatiuam, quæ tamen erit Substantia, non tamen radix, siquidem ab illâ nullæ operationes promanabunt. Respondet P. Arriaga adhuc talem Formam esse radicem, non quidẽ positiuè, quia ab illâ nullæ operationes promanabunt, sed negatiuè, quatenus non supponeret aliam priorem.

P. Arriaga

310 Hæc sententia etiam patitur suas difficultates. Primò, quia Vnio compositi physici est Substantia; & tamen neque est primum Ens: neque primó intenditur á Naturâ: neque est prima radix positiua, quia ab illâ nullæ emanãt operationes: sed neque prima radix negatiua, quia supponit Formam priorem, loquor de Vnione, quæ aduenit per nutritionem in composito humano.

311 Secundò, Subsistentia etiam est Substantia: & tamen neque est primum Ens: neque primum intentum á Naturâ: neque prima radix positiua eorum, quæ in subiecto sunt: sed neque prima radix negatiua, quia supponit Formam vt priorem. Respondet P. Arriaga cit. *num.* 38. Subsistentiam non esse nobis cognitam lumine naturali, sed solo lumine Fidei supernaturali, ideò non comprehendi nostrâ definitione naturali. Sed contrà, quia lumine supernaturali nobis constat Subsistentiam esse Substantiam, & non esse primam radicem neque positiuam, neque negatiuam: ergo Substantia non est prima radix.

P. Arriaga

312 Tertiò, quia in Deo gradus, seu ratio Substantiæ neque est primum Ens: neque primum intentum: neque prima radix: hæc omnia cõpetunt soli gradui *Entis à se*; ille enim est primum Ens, primũ intentũ, & prima radix; nam Deus ideó est Substantia, quia est *Ens à se*: vnde in Deo ratio Substantiæ est propter aliud, hoc est, propter rationem *Entis à se*.

313 Aliqui Moderni hisce temporibus sic explicant *existere per se*, dicunt enim illud existere per se, quod in quolibet significato naturaliter est rectum, aut certè modus illius non obliquus, v. g. in hoc nomine *album*, albedo non est, quæ ibi naturaliter dicitur in recto, sed quod ibi naturaliter dicitur in recto est Substantia. Displicet hæc sententia primò, quia vtitur terminis valdé obscuris. Secundó, quia Subsistentia est Substantia: & tamen, vt suo loco ostendam, est modus obliquus. Tertiò, quia *album* substantiuum non dicit in recto Substantiam, sed albedinem: solùm *album* adiectiuum dicit Substantiam in recto, vt *tract.* 2. ostendam. Et hinc desumitur quarta refutatio, quia si ab his Doctoribus quæras, Quæ naturaliter sint rectum? Respondent id taxari oportere iudicio prudentis, ac boni viri, quasi hæc controuersia foret moralis, & non potiús Physica, seu Metaphysica.

§. 2.

Probabilior philosophandi via.

314 EGo in hâc difficultate, quæ sanè magna est, dicendum existimo illud *existere per se* quod primariò per se intenditur á Naturâ, & non propter aliud adæquatè ab ipso distinctum. Dixi *adæquatè ab ipso distinctum*, quia quod intenditur propter illud, cum quo saltem inadæquatè identificatur, propter se intendi dicitur: sic Materia, Forma, & Vnio, etsi propter Totum intendantur, à quo illarum quælibet inadæquatè distinguitur, dicuntur intendi propter se, quia Totum à Materiâ, Formâ, & Vnione non distinguitur: solæ proprietates, operationes, & accidentia intenduntur propter aliud adæquatè distinctum, nimirum propter Totum substantiale, quod ab ipsis adæquaté distinguitur.

315 Obijcies primò. Forma intenditur propter Materiam, á quâ distinguitur adæquaté: & tamen existit per se. Respondeo Formam non intendi propter Materiam, tanquam propter finem vltimum: finis vltimus Formæ est Compositum, quod ab ipsâ adæquatè non distinguitur.

316 Obijcies secundò. Subsistentia intenditur propter Compositum, quod ab ipsâ adæquaté distinguitur: & tamen existit per se; est enim Substantia. Respõdeo Subsistẽtiã nõ intẽdi propter Cõpositũ, sed propter Suppositũ,

v. g. non intenditur propter humanitatem, sed propter hominem, hon o veró non distinguitur adæquatè á Substantiâ.

317 Obijcies tertió. Ratio Substãtiæ in Deo est proprer rationem *Entis á se*, ideó enim Deus est Substãtiã, quia est *Ens á se*. Respõdeo rationē Substãtiæ nõ esse propter rationē Entis á se tanquã propter vltimũ intentũ, solùm est propter Deum tanquã vltimum intentum, quod sicut est, ita intenditur á se ipso, cuius tamen pars est ipsa Substantia.

318 Obijcies quartò. Sicut Forma equi est propter equũ, quē constituit, qui ab illâ nõ distinguitur adæquatè; ita calor est propter calidũ, quod cõstituit, & quod ab illo non distinguitur adæquatè: vnde ergo colligitur quòd Forma equi existat per se: non veró calor? Respõdeo calorē nõ esse propter calidũ, sicut Forma equi est propter equũ: calor nõ est propter calidũ, sed propter subiectũ; calidũ enim non intenditur propter calidum, sed propter subiectum: at verò Forma equi intenditur propter equum.

319 Ex dictis colliges, prædictam explicationem *existendi per se* cõpetere omni, ac soli Substantiæ; ac proinde esse bonã. Et sanè traditur, & laudatur à P. Ouiedo *in Met. controu. 6. punct. 1 n. 10.* & eam debes tenere, quandiu tibi non occurrerit alia melior. P. Ouiedo

320 Obijcies quintò. Tota prædicta explicatio cõpetit Modo existendi per se Accidentiũ Sacræ Eucharistiæ; nõ enim intenditur propter aliud; siquidē non intenditur propter Substantiã: & tamen ipse, si admittendus sit, nõ est Substantia, sed Accidens. Respõdeo me hactenus solùm explicasse quid sit *existere per se*: & sanè Modus Eucharisticus est Modus existendi per se; vnde nimirum, quòd illi cõpetat prædicta explicatio. Ex alio titulo Modus Eucharisticus non est Substantia; sed Accidens, quia nimirum identificatur cum eo; quod intenditur propter aliud; quod nimirum est Accidens; nam sicut Substantia est illud, quod *existit per se*, hoc est, quod aut intenditur per se, aut identificatur cum eo, quod intenditur per se: sic Accidens est illud, quod *existit in alio*, hoc est, quod aut intenditur propter aliud, aut cũ eo identificatur.

321 Communi Substantiæ definitione ita explicatâ, clarum manet rationē Entis in eâ esse quasi genericã ipsi Substantiæ, rationē verò existẽdi per se, seu, vt vocatur, *perseitatem* esse eius quasi differentiam specificam. Videndũ modò superest, An *perseitas formalis* sit Modus ex naturâ rei distinctus à *perseitate radicali*? Deinde, An saltem distinguatur per rationem à *perseitate radicali*?

§. 3.

An Perseitas formalis sit aliquis modus ex naturâ rei distinctus á Perseitate radicali?

322 Secunda difficultas: Verùm *perseitas formalis* sit modus ex naturâ rei distinctus á *perseitate radicali*? Affirmat P. Gaspar Hurtad. *de Incarnat. d. 4. diffic. 4. n. 12.* Et probari potest primó, quia *perseitas formalis* videtur nihil aliud esse, quám Subsistentiã: hæc veró est modus distinctus ex naturâ rei à Substantiâ. Secundó, quia formalis existentia in alio, hoc est, *inaleitas* est modus distinctus ex naturâ rei ab Accidente, hoc est, ab *inaleitate radicali*. Tertiò, quia actualis extensio in ordine ad locum, hoc est, Vbi Circumscriptiuum est modus ex naturâ rei distinctus á Quãtitate, hoc est, ab extensione radicali. Quartò, quia *perseitas* Accidentium Sacræ Eucharistiæ est modus distinctus ex naturâ rei ab ipsis Accidentibus. P. Hurt.

323 Nihilominus probabilior est cõtraria resolutio asserentium formalē Substantiæ *perseitatem* non esse modũ distinctum ex naturâ rei ab ipsâ Substantiâ, hoc est, á *perseitate radicali*. Hæc licèt non exprimatur, ab omnibus tamen supponitur, & vt clariùs explicetur,

324 Dico primò. *Perseitas formalis* non est idem, ac Subsistentia. Probatur primò, quia *Perseitas*, & *Subsistentia* habent diuersas essentias, & effectus formales: diuersas, inquam, essentias, quia *Perseitas* est ratio existendi per se; Subsistentia verò vltimus eius terminus, & cõplementum: diuersos effectus formales, quia *Perseitas* reddit Ens per se existens: Subsistentia veró subsistens, & incõmunicabile alteri Supposito. Secundó, quia vltimus terminus lineæ, nimirum punctum terminatiuum non est idem, ac eius existentia, in ó est illius terminus ab eâ distinctus ex naturâ rei: ergo etiam vltimus terminus Substantiæ, nimirum Subsistentia non erit idem, ac eius existentia, & perseitas. Tertiò, quia Anima Christi Domini in eo priori naturę, in quo antecessit Subsistentiam, & Vnionem hypostaticã, iam intelligebatur existens per se, non dum tamen subsistens. Neque dicas, solùm intelligi existentem per se radicaliter, non verò formaliter: non, inquam, hoc dicas, quia iam intelligebatur formaliter independens á subiecto: ergo formaliter existēs per se. Antecedēs ostenditur, quia iam intelligebatur formaliter creata: ergo formaliter independens á subiecto; creatio, cùm sit effectiua independentia termini

à sub-

á subiecto, stare non potest sine independentiâ formali ex parte termini.

325 Dico secundò: *Formalis Substantiæ perseitas* non est modus ex naturâ rei distinctus ab ipsâ essentiâ Substantiæ, hoc est, *à perseitate radicali*, sed est ipsamet essentia, & ratio distinctiua Substantiæ. Probatur primò, quia si *formalis Substantiæ perseitas* esset modus distinctus ex naturâ rei ab ipsâ essentiâ Substantiæ, hoc est, *à perseitate radicali*, etiam ratio Spiritûs formalis esset modus ex naturâ rei distinctus ab Spiritu radicali: item ratio formalis Rationalis esset modus ex naturâ rei distinctus à Rationali radicali: hæc autem sunt absurda, & in scholis paradoxa. Et confirmatur, quia Spiritus non est magis essentialiter Spiritus; neque animal magis essentialiter Animal; aut Rationale magis essentialiter Rationale, quàm Substantia Ens per se existens.

326 Probatur secundò, & efficaciter, quia non sunt multiplicandæ entitates absque necessitate: sed nulla est necessitas admittendi in Substantiâ nouum illum modum *perseitatis* ex naturâ rei distinctum ab essentiâ Substantiæ. Probo hanc Minorem, quia vbi primum intelligimus existentiam Substantiç cû annexâ negatione dependẽtiæ à subiecto inhæsionis, intelligimus *perseitatem formalem realem*. Et hoc sic ostẽdo, quia in opinione contrariâ modus *perseitatis formalis* nihil aliud est, quàm existentia modi cum annexâ negatione dependẽtiæ: ergò perseitas formalis realis nihil aliud erit, quàm ipsa existentia realis cum annexâ negatione dependentiæ.

327 Neque dicas, de ratione existentiæ solùm esse collocare rẽ extra causas, eam autẽ collocare hoc, vel illo modo, nimirũ dependẽter, vel independenter á subiecto inhæsionis, prouenire à modo distincto, ac superaddito. Non, inquam, hoc dicas, quia cùm existentia non distinguatur ab essentiâ, quò hęc est pręstantior, eò illa debet esse præstantior, & per se formaliter independentior: vnde existentia Substantiæ debet per se formaliter independere à subiecto inhæsionis; existentia Animę Rationalis à subiecto eductionis; existentia Angeli á subiecto informationis; existentia Diuina ab vlteriori termino. Dixi *per se formaliter*, quia si hæ independentiæ præstarentur á modis superadditis, quò res esset perfectior, & plures haberet independentias, eò vendicaret plures modos ex naturâ rei distinctos, ac proinde esset minùs simplex: quod est falsum, & contra illud aliud commune Principium asserentium, Quò res accrescit perfectione, eò accrescere in simplicitate; nam, vt aiunt, *Eò res est simplicior, quò perfectior.*

§. 4.

Argumenta soluta.

328 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit *perseitatem* nihil aliud esse videri, quàm Subsistentiam) patet responsio ex dictis. Ad secũdum (quâtenus asserit formalem existentiã in alio, scilicet inhærentiam esse modum distinctum ex naturâ rei ab Accidente, hoc est, ab existentiâ in alio radicali) totum concedo; & nego *formalem* Substantiæ *perseitatem* esse modũ distinctum ex naturâ rei ab existentiâ Substantiæ, hoc est, *à perseitate radicali*. Diuersa ratio est, quia Accidens distinguitur realiter à subiecto; ac proinde debet saltem diuinitùs posse existere separatum ab illo, non posset autem, si formaliter seipso existeret in subiecto: vnde sequeretur manifesta contradictio; nam tale Accidens distingueretur, & non distingueretur realiter à subiecto: distingueretur, vt supponitur, & visitur in Accidentibus Sacræ Eucharistiæ: non distingueretur, quia non posset diuinitùs existere separatum. Hoc verò incõmodum, aut aliud simile nõ visitur in eo, quòd Substantia existat per se, & formaliter seipsâ sit independens á subiecto inhæsionis.

329 Ad tertium (quâtenus dicit actualem extensionem esse modum distinctum ex naturâ rei ab essentiâ Quantitatis, hoc est, ab extensione radicali) totum similiter concedo, & nego Consequentiã. Diuersa ratio est, quia actualis extensio per ordinem ad locum nihil aliud est, quàm talis Vbicatio, nimirum Circũscriptiua: Vbicatio autem, cùm sit entitas quædam separabilis, & variabilis, ad mutationem, correspondentiæ ad spatium imaginarium necessariò debet distingui á suo subiecto ex naturâ rei. Hæc ratio non militat in existentiâ per se respectu Substantiæ: vnde nulla est necessitas illam ab hâc distinguendi ex naturâ rei.

330 Ad quartum (quâtenus dicit *perseitatem* Accidentium Sacræ Eucharistiæ esse modum ab illis distinctum ex naturâ rei) totum etiam concedo, & nego id *de perseitate* Substantiæ. Diuersa ratio est, quia *perseitas* Accidentium non postulatur ab ijs, sed illis aduenit per miraculum, & contingenter; vnde ab illis distinguatur necesse est: at verò *perseitas* Substantiæ postulatur ab illâ, ac proinde ab illâ indistincta esse debet.

331 Instabis: Subsistentia postulatur à Substantiâ; & tamen ab illâ distinguitur ex naturâ rei: ergo idem dicendum *de perseitate*,

quantumuis à Substantiâ postuletur. Nego Consequentiã. Diuersa ratio est, quia Subsistẽtia postulatur vt terminus; hic autem debet esse extra naturam: at verò *perseitas* postulatur, vt ratio cõstitutiua Substantiæ, vt patet ex ipsius Substantiæ definitione.

§. 5.

Vtrùm perseitas formalis sit modus virtualiter distinctus à perseitate radicali?

332 Tertia difficultas: Vtrùm *perseitas formalis* sit modus virtualiter distinctus à Substantiâ, hoc est, *à perseitate radicali?* Videtur esse modus virtualiter distinctus. Primò, quia coincidit cum existentiâ: hæc autem est modus virtualiter distinctus ab essentiâ Substantiæ. Secundó, quia si consisteret in aliquo distincto ab existentiâ, posset cõcipi in potentiâ ad illam: atquí non potest. Probo hanc Minorem, quia in Deo reperitur perfectissima ratio Substantiæ, quæ tamen non potest concipi in potentiâ ad existentiam; sin minùs conciperetur in Deo aliqua potentialitas, & perfectibilitas saltem virtualis.

333 Nihilominus dicendum videtur non dari *perseitatem formalem* virtualiter distinctam à Substantiâ, hoc est, *à perseitate* radicali: distinctam, inquam, distinctione virtuali perfectâ, & mutuâ. Probatur, quia *perseitas*, vt patet ex definitione Substantiæ, est de essentiâ, & ratione constitutiuâ ipsius Substantiæ, ad eum modum, quo rationale est de essentiâ, & ratione constitutiuâ hominis; sed homo nõ potest intelligi sine rationali: ergo neque Substantia sine *perseitate*. Dixi distinctione virtuali perfectâ, quia licèt Substãtia nõ possit concipi sine *perseitate*, perseitas potest concipi sine Substantiâ, non quód ipsa non sit Substantia *vt quo*, sed quia non est Substantia *vt quod*.

334 Ad primum, respondeo *perseitatem* Substantiæ coincidere quidem cum eius existentiâ sumptâ in actu signato, non in actu exercito. Ad cuius explicationem aduerte existentiam cuiusque rei sumi posse dupliciter: primó, in actu exercito pro actualitate, & exercitio existendi in rerum naturâ; in quâ acceptione est de essentiâ ipsius Dei, & illi soli essentialiter conuenit: secundò, in actu signato pro potentiâ, & capacitate ad existendum præscindendo ab exercitio, & actualitate exercitâ, & in hac acceptione est de essentiâ omnis Entis creati, seu realis, quod in eo distinguitur á ficto, quòd fictum non potest existere, verum autem potest existere á parte rei. *Perseitas* igitur Substantiæ coincidit cum eius existentiâ sumptâ in actu signato, non verò in actu exercito; imò distinguitur virtualiter ab existentiâ sumptâ in actu exercito, eo modo, quo essentia specificatiuè sumpta distinguitur ab ipsâ existentiâ, vt constat ex dictis *n.245*.

335 Ad secundum (quâtenus asserit, si perseitas consisteret in aliquo distincto ab existentiâ, posse concipi in potẽtiâ ad existendũ) dico Substantiam creatam, eiusque *perseitatem* posse quidem concipi in potentiâ ad existentiam: aliter philosophandum de Substantiâ, & *perseitate* Diuinâ. Diuersa ratio est, quia existentia in actu exercito non est de formali ratione Substantiæ creatæ: est autem de formali ratione Substantię Diuinæ, vt cõstat ex dictis *n.189*. Non nego posse Substantiam Diuinã concipi cum non repugnantiâ ad existendum: nego posse concipi priorem existentiâ, & sine illâ.

336 Dices: Priùs intelligitur Deus cum aptitudine, & non repugnantia ad existendũ, quám existens. Probo hoc, quia priùs intelligitur Pater Æternus cum potentiâ ad generãdũ, quã ipse Filius genitus; similiter Sol priùs intelligitur cũ potẽtiâ ad illuminandũ, quám ipsa illuminatio: ergo etiã Deus priùs intelligetur cũ potẽtiâ ad existendũ, quàm ipsa existentia Diuina. Nego Antecedẽs. Et ratio est, quia quãdo nõ repugnãtia est ad actũ constitutiuũ fundamenti, in quo ipsa nõ repugnãtia fundatur, nõ est prior illo, vt patet in nõ repugnantiâ, quam habet homo vt sit rationalis, quæ quidem in homine nõ est prior ipso rationali. Neque instantiæ conuincunt; nã Filius non est de ratione constitutiuâ Patris Æterni, imò ab illo realiter distinguitur; similiter lux non est de ratione cõstitutiuâ Solis, sed omninó extra illum: at veró existentia est de ratione constitutiuâ Substantiæ Diuinæ.

337 Instabis: Quando gradus superior concipitur prior gradu inferiori, etiã proprietas, quæ consequitur gradum superiorem intelligitur prior proprietate gradûs inferioris; sed in Deo priùs intelligitur gradus Substantiæ, quám gradus Substantiæ Diuinæ, hoc est, essẽtialiter existentis: ergo priùs intelligitur non repugnantia, quæ est proprietas gradûs Substantiæ, quám actualis existentia, quæ spectat ad gradum Substantiæ Diuinæ. Respondent cõmuniter Maiorem solùm esse veram, quando gradus superior est vniuocus, & vniuocè contrahitur per verã contractionem differentiarum. Responderi potest secundò negando Minorem, nam in Deo non est prior ratio Substãtię, quã ratio Entis Diuini; in Deo enim priùs reperitur gradus Entis; deinde gradus

Entis

Entis Diuini, hoc est, Entis á se; tertiò, gradus Substantiæ, &c. vnde iste tertius iam supponit duos priores.

SECTIO III.

De possibilitate Substantiæ inhærentis.

338 ILLA dicuntur inhærere, quæ dependent in fieri, & conseruari á subiecto, cum quo constituunt vnum per accidens. Vnde ad veram inhærentiam duæ requiruntur conditiones, seu quasi conditiones: prima quód forma inhærens dependeat in fieri, & conseruari à subiecto, in quo inhæreat: secunda, quòd cum illo constituat vnum per accidens. Videndum primo loco, Vtrùm possibilis sit aliqua Substantia, quæ connaturaliter, hoc est, ex naturâ suâ postulet inhærere? Secundo, Vtrùm aliqua saltem diuinitùs inhærere queat?

§. I.

Vtrùm possibilis sit Substantia, quæ connaturaliter postulet inhærere?

339 PRima difficultas: Vtrùm possibilis sit Substãtia, quæ suâpte naturâ postulet inhærere? Videtur esse possibile. Primó, quia possibile est Accidens, quod suâpte naturâ existat per se, vt videre est in Modo Accidentium Sacræ Eucharistiæ, & in eorum actione creatiuâ, quâtenus est illorum independentia á subiecto: ergo etiam possibilis erit Substantia, quæ suâpte naturâ inhæreat. Secũdò, quia eadem res potest esse in naturali potentiâ ad actus essentialiter oppositos, vt patet in Voluntate, quæ est potentia ad actus cõtradictorios, ad operandum scilicet, vel non operandum: ergo Substãtia poterit esse in naturali potentiâ ad existendũ per se, & ad inhærendũ. Tertiò, quia non implicat entitas, quæ simul sit Substantia, & Accidens: at verò hæc naturaliter inhærebit. Maior ostenditur, quia possibilis est notitia, quę simul sit visio albi, & visio nigri; simul practica, & speculatiua; simul intuitiua, & abstractiua, vt constat ex ijs, quæ diximus *in Anima tract. 4. de Notitijs*: hæc autem non magis repugnant, quàm ratio Substantiæ, & Accidentis, cùm omnia æquè contrarientur essentialiter.

340 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium impossibilem esse Substãtiam, quæ naturâ suâ postulet inhærere. Hæc supponitur ab omnibus. Et probatur primò, quia talis Substantia esset, & nõ esset Substantia: esset Substantia, vt supponitur: non esset; quia naturaliter postularet inhærere; in quo cõsistit propria, & formalis ratio Accidẽtis. Secũdò, quia quod est formaliter tale nõ potest intelligi in naturali potẽtiâ, vt sit nõ tale; atqui Substãtia est formaliter existens per se: hæc minor ex inferiùs dicendis constabit: ergo non potest esse, aut intelligi in naturali potentiâ, vt existat in alio.

341 Ad primum fundamentum adductũ pro parte contrariâ (quâtenus dicit possibile esse Accidens, quod suâpte naturâ existat per se) respondeo non esse possibile huiusmodi Accidens reale; tale enim Accidens etiam foret, & non foret Accidẽs: foret Accidẽs, vt supponitur: nõ foret, quia naturaliter existeret per se, in quo cõsistit propria, & formalis ratio Substãtiæ. Non nego possibile esse Accidẽs modale, quod naturaliter existat per se: verùm hoc solùm existit per se secundùm quid, & *vt quo*; simpliciter enim denominatur á suâ realitate, quam integrat, & constituit, cuius naturam, & conditionem vestit simpliciter: hæc autem nõ naturaliter existit per se.

342 Dices: Possibile est Accidens modale, quod naturaliter existat per se: ergo possibilis erit Substãtia modalis, quæ naturaliter inhæreat. Nego Consequentiam. Diuersa ratio est, quia Accidẽs potest diuinitùs existere per se, vt cõstat ex mysterio Eucharistiæ; vnde possibilis est modus, quo id præstari possit; est enim modus respectus transcendens ad suam realitatem; quoties autem possibilis est terminus, possibilis esse debet tendentia, seu respectus ad illũ: at verò Substantia neque diuinitùs potest inhærere, vt ex inferiùs dicendis fiet manifestum: ergo nõ est possibilis modus, quo id præstari possit; est enim modus, vt dixi, respectus transcẽdens ad suam realitatem: quoties autem impossibilis est terminus, impossibilis esse debet respectus ad illum.

343 Ad secundum (quâtenus asserit eandẽ rem posse esse in potentiâ ad actus oppositos) respondeo nunquam posse intelligi in potẽtiâ ad actum destructiuum suæ essentiæ: naturalis verò inhærẽtia est destructiua essẽtiæ Substãtiæ; huius enim essẽtia est existẽtia per se, quæ destruitur per inhærẽtiã, seu inexistẽtiã in alio.

344 Ad tertium, nego nõ implicare entitatem, quæ simul sit Substantia, & Accidens, quamuis alioquì non implicet notitia, quæ simul sit practica, & speculatiua, intuitiua, & abstractiua, &c. Diuersa ratio est, quia notitiæ sunt entitates intentionales, quæ proinde haberi possunt propter diuersa motiua, & de diuersis obiectis, ex quibus in se tantiæ,

& vniant essentias inadæquatè diuersas: aliter dicendum de entitatibus non intentionalibus, cùm in illis non militet prædicta ratio.

§. 2.

Vtrùm Substantia possit diuinitùs inhærere?

345 SEcunda difficultas: Vtrùm saltè de potentiâ Dei absolutâ possit Substantia inhærere? Affirmare videtur Gabriel *in Canone lectionum lit. b. ad 2.* & fauent Scot. *in 4. dist. 12. q. 1.* Durand. *in 3. dist. 1. lit. 1.* Sot. *in 4. dist. 15. q. 1. a. 1. in ò*, & D. Thom. aliquibus in locis, quatènus videntur asserere per se existere non esse de intrinsecâ ratione Substantiæ. Sed re verà in his locis hi Doctores loquuntur de perseitate vltimatâ, & completâ, hoc est, de Subsistentiâ. Certè affirmat aliqui Recentiores, viri ingeniosissimi. Et probari solet primò, quia nulla in eo visitur manifesta contradictio. Secundò, quia Accidens potest diuinitùs existere per se, vt patet in mysterio Eucharistiæ: ergo Substantia poterit diuinitùs inhærere; contrariorum enim eadem est ratio. Tertiò, quia Substantia potest amittere propriam Subsistentiam, & subsistere in Supposito alieno, vt patet in mysterio Incarnationis: ergo etiam poterit amittere existentiam per se, & existere in alio.

Gabriel
Scotus
Durand.
Sotus
D. Thom.

346 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium, neque diuinitùs posse Substantiam inhærere. Ita Boëtius *in Logic. c. de Substantia* Scot. *in 4. dist. 22. q. 1. a. 1.* Cabrera *in 3. p. q. 4. d. 5.* & *q. 13. d. 4. §. 2. n. 149.* P. Bellarm. *de Eucharistia l. 3. c. 24 ad 2* P. Soar. *de Incarnat. q. 2. a. 1. in Commento. §. Respondetur*, & *in q. 14. s. 4. §. Nihilominus*, item *in Met. d. 35. s. 2. n. 14* P. Theophilus Raynaudus *in sua Theologia naturali dist. 3 n 78* vbi contrariam sententiam appellat chimericam, P. Molin. *1. p. q. 1. a. 4. d. 1. §. ad 4.* P. Franciscus Amicus *in suo Cursu Theologico tom. 2. d. 3.* P. Fonsec. *7. Met. q. 1. s. 3. §. Sed quærunt*, Patres Conimbr. *1. de Generat. c. 4. q. 6. a. 3. ad 1.* P. Hurt. *in Met. d. 10. §. 6.* P. Tellez *disp. 53. sect. 2 n. 1.* Hanc resolutionem probant nonnulli à simili, quia Accidens, inquiunt, non potest subsistere: ergo neque Substantia inhærere.

Boëtius
Scot.
Cabrera
P. Bellar.
P. Soares
P. Theop.
P. Molina
P. Amicus
P. Fons.
Patres Conimbr.
P. Hurt.
P. Tellez

347 Probari meliùs potest, & à priori, hoc modo: Quod est formaliter tale, nec diuinitùs potest fieri non tale; sed Substantia est actu formaliter se ipsâ independens à subiecto inhæsionis: ergo nec diuinitùs potest fieri ab illo depēdēs. Quæ omnia, vt meliùs examinentur, per sequentes titulos sic declaro.

§. 3.

Quid est formaliter tale, nec diuinitùs potest fieri non tale.

348 HOc Principium, quod *in Phys. tract. 1. n. 272.* tradidimus agēdo de impossibilitate eductionis Animæ Rationalis, visum est parum firmum cuidam Magistro viro docto, qui in suâ *Metaphysica* illud multis impugnat. Primo, quia Quantitas est formaliter se ipsâ impenetrata, vt nonnulli Recentiores defendunt: & tamen potest diuinitùs penetrari. Secundò, quia noster intellectus est formaliter se ipso incapax videndi Deum: & tamen potest illum supernaturaliter videre. Tertiò, quia prima Species Vniuersalis est essentialiter Genus: & tamen potest fieri contingenter, ac denominatiuè Species, seu nō Genus. Quartò, quia cōceptus sunt essētialiter signa formalia: & tamen possunt fieri contingēter signa instrumētalia, si ab Angelo cognoscantur. Quintò, quia quælibet natura Vniuersalis est intrinsecè, hoc est, essentialiter Vniuersalis, vt Aduersarius dicit me ostendere contra P. Ouied. in meâ *Logic tract. 3. n. 49.* & tamen talis natura potest fieri contingenter non vniuersalis, seu singularis, quando contrahitur. Sextò, quia natura Vniuersalis est formaliter se ipsâ indiuisibilis, non habens in meâ opinione partes actualiter integrantes: & tamen illas contingenter sortitur in statu contractionis. Septimò, quia Materia prima est se ipsâ formaliter Substantia: & tamen per Quantitatem superadditam fit accidentaliter Quanta, hoc est, non Substantia: ergo benè potest vna res esse formaliter talis, & tamen fieri contingenter non talis per formam superadditam. Hæc ingeniosus Magister.

349 Nihilominus standum nobis est Principio receptissimo inter Theologos, & Philosophos, quod latè demonstrant Scot. P. Albertin. P. Hurtad. P. Vasq. P. Soar. & alij, quos *in Phys. tract. 1. n 272.* allegauimus: addè P. Franciscum Amicum proximè citatū. Ratio huius principij, vt loco citato adnotauimus est, quia essentiæ rerum sunt immutabiles: ergo quod est formaliter, hoc est, essentialiter tale, nullo modo potest fieri non tale. Et confirmatur, quia, vt diximus, aut fieret non tale per aliquid ablatum: aut per aliquid superadditum. Non primum, quia nulla pars essentiæ est separabilis. Non secundum, quia quidquid superaddatur alicui rei, non tollit quod ipsa est per suam essentiam.

Scot.
P. Albert.
P. Hurt.
P. Vasq.
P. Soar.
P. Amic.

350 Respondet Aduersarius primò, non tolli

tolli quod ipsa est per suam essentiam; sed eo retento posse superaddi aliquid contingens: vnde retento, quod Substantia sit actu formaliter seipsâ independens à subiecto inhæsionis, poterit illi superaddi dependentia, seu inhærentia contingens.

351 Sed contrà, quia quod essentialiter remouet aliud, non potest retentâ suâ essentiâ illud contingenter admittere. Patet hoc primò in negatione, quæ quia essentialiter remouet formam negatam, non potest retentâ suâ essentiâ negatiuâ illam contingenter admittere. Secundò in modis, qui quia essentialiter sunt immediati suis realitatibus, & essentialiter remouent medium, non possunt retentâ suâ essentiâ illud contingenter admittere. Tertiò, in formidine extrinsecâ, seu incertitudine actûs Opinionis, quæ quia essentialiter remouet certitudinem actûs Scientiæ non potest retentâ suâ essentiâ contingenter illam admittere. Quartò, in actu peccati mortalis, qui quia essentialiter remouet actum amoris Dei super omnia non potest retentâ suâ essentiâ contingenter illum admittere. Quintò, in potentiâ audiendi, quæ quia essentialiter non potest videre, aut olfacere, neque potest contingenter: item in oculo, qui quia essentialiter non potest videre Deum, aut aliquam rem spiritualem, neque potest contingenter: & in creaturâ, quæ quia essentialiter non potest comprehendere Deum, neque potest contingenter: & in Substantiâ spirituali, v.g. in Angelo, vel in Animâ Rationali, quæ quia est essentialiter indiuisibilis, neque contingenter potest diuidi, & admittere partes.

352 Dices, in Substantiâ esse specialem rationem, quia eius independentia à subiecto inhæsionis solùm remouet dependentiam essentialem, non dependentiam contingentem: vnde non destruitur per hanc contingentem, sed solùm per illam essentialem, hoc est, essentialiter aduenientem. Sed contrà, quia hæc essentialis independentia, seu negatio dependentiæ in Substantiâ est absoluta, hoc est, non negat dependentiam cum aliquo addito, sed absolutè: ergo remouet dependentiam omnibus modis; nam negatio absoluta est malignantis naturæ, & remouet formam omnibus modis; ac proinde non solùm remouet dependentiam aduenientem essentialiter, sed etiam aduenientem contingenter.

353 Itaque Substantia absolutè dicitur esse essentialiter independens à subiecto inhæsionis: hæc ergo absoluta independentia est essentialis Substantiæ: remouet ergo etiam dependentiam contingentem; nam si posset contingenter dependere, in eo euentu non esset absolutè independens: amitteret ergo suam essentiam, de cuius cõceptu quidditatiuo est absoluta independentia.

354 Et confirmatur exemplo omnium rerum, quæ essentialiter remouent aliud; non enim possunt illud admittere contingenter. Nam, vt dixi, formido extrinseca, seu incertitudo actûs Opinionis, quæ essentialiter remouet certitudinem actûs Scientiæ, nec contingenter potest illam admittere: actus peccati mortalis, qui essentialiter remouet actum amoris Dei super omnia, nec contingenter potest illum admittere: Angelus, vel Anima Rationalis neque contingenter potest diuidi, & admittere partes: sicut corpus neque contingenter potest admittere negationem partium, & illis carere: item potentia audiendi, quia essentialiter non potest videre, aut olfacere, neque potest contingenter: & potentia Olfactûs, quæ essentialiter non potest audire, neque potest contingenter: item oculus, quia essentialiter non potest videre Deum, aut aliquam rem spiritualem, neque potest contingẽter: & Creatura, quia essentialiter non potest comprehendere Deum, neque potest contingenter. Itaque nulla res, quæ essentialiter remouet aliquid potest illud admittere contingenter.

355 Dices: Spiritus, cùm essentialiter sit incorporeus, seu immaterialis, essentialiter remouet corpus: & tamen potest illud contingenter admittere, & fieri corpus, vt patet in Verbo Diuino, quod contingenter corpus, & caro factum est. Huic argumento respondi *in Physica tract. 1. n. 277.* & hic iterum respondeo, & dico Spiritum non remouere essentialiter vnionem ad corpus, vt patet in Animâ Rationali, quæ habet naturalem vnionem ad corpus: & in Verbo Diuino, cui non repugnat vnio hypostatica facta ad corpus Christi. Itaque Spiritus non remouet vnionem ad corpus, & consequenter neque denominationem prouenientem à tali vnione: solùm remouet, quòd ipse in se, & in suâ entitate sit corpus: & sic, neque contingenter potest esse corpus. Et hinc desumitur optima cõfirmatio nostræ doctrinæ: nam sicut Spiritus (quidquid sit de eius vnione ad corpus) neque contingenter potest in se, & in suâ entitate fieri corpus, ita Substantia, poterit quidem vniri rei inhærenti, nimirum Accidentibus, non poterit tamen, neque contingenter, ipsa in se, & in suâ entitate inhærere, seu fieri dependens à subiecto inhæsionis. Hoc igitur primo effugio præcluso:

356 Respondet Aduersarius secundò cõcedendo, Quod est formaliter tale, nec diui-

nitùs posse fieri non tale, si sit formaliter tale primariò: aliter, inquit, dicendum si sit formaliter tale secundariò. Asserit deinde Substantiam non esse formaliter primariò independentem á subiecto inhaesionis, sed solùm formaliter secundariò. Verùm haec implicant in ipsis terminis; quidquid enim est essentiale alicui rei est primarium in illâ, seu de ratione primariâ illius. Neget bonus Magister independentiam esse de ratione formali, seu essentiâ Substantiae, & de illo disputabimus: admittat commune Principium, nec confugiat ad formale primarium, aut secundarium; nam formale, & primarium, stando in terminis huius Principij, coincidunt: qui stando in illis admittit formale secundarium, sibi implicat.

357 Respondet tertió concedendo, Quod est formaliter tale, nec diuinitùs posse fieri non tale, si persistant, inquit, omnia requisita, vt sit tale: poterit tamen fieri non tale, si tollatur aliquod ex requisitis, vt sit tale: vnũ autem ex requisitis in Substantiâ dicit esse Voluntatem Diuinam, quâ Deus velit, quòd Substantia non inhaereat: & hanc solutionem attribuit hic Magister P. Wadingo. Videas quid concedat egregius Magister dummodò neget commune Principiũ. Concedit id, quod est formaliter, hoc est, essentialiter tale, posse diuinitùs fieri non tale per liberam Voluntatem Diuinam: poterit ergo homo fieri non rationalis; lapis non Substantia per liberam Voluntatem Dei, quo nihil absurdius in Philosophiâ, in quâ omnium Philosophorum iudicio sancitum est Essentias rerum esse immutabiles, de quo suo in loco.

358 Respondet quartó, concedendo id quod est formaliter tale, etiam in ordine ad Diuinam Omnipotentiam, nullo modo posse fieri non tale: aliter dicendum, inquit, de eo, quod solùm est formaliter tale in ordine ad potentiam Dei ordinariam; nam hoc dicit, posse diuinitùs fieri non tale. Sed cótrá, quia eadem recurrit implicatio, eandem relabitur in Charybdim: admittit enim posse aliquid esse formaliter, hoc est, essentialiter tale solùm in ordine ad potentiam Dei ordinariam, & non in ordine ad potentiam Dei absolutã; ac proinde posse ab eo diuinitùs auferri illud tale, licèt sit praedicatum essentiale.

§. 4.

Argumenta soluta.

359 AD primum fundamentum adductum pro infirmatione nostri, & communis Principij (quâtenus dicit Quantitatem esse formaliter seipsâ impenetratam: & tamen posse diuinitùs penetrari) respondeo Quantitatem non esse actu formaliter seipsâ impenetratam, sed per negationem penetrationis, aut in ipsâ Quantitate, vt volunt illi Recentiores, quos Aduersarius allegat, aut in Vbi Circumscriptiuo, vt docet cõmunis doctrina, fundatam, quae negatio, cùm sit in ordine ad extrinsecum, nimirum in ordine ad locum, in quo exercetur ipsa impenetratio, nec remoueat formam destructiuam essentiae ipsius Quantitatis, aut VbiCircumscriptiui, potest tolli per aduentum formae negatae. At independentia á subiecto inhaesionis remouet dependentiam, quae est destructiua Substantiae, eiusque essentiae.

360 Ad secundum (quâtenus dicit nostrum intellectum esse formaliter se ipsum incapacem videndi Deum: & tamen posse diuinitùs illum videre) respondeo nostrum intellectum non esse formaliter, hoc est, essentialiter se ipso incapacem videndi Deum: est incapax per negationem Luminis Gloriae, quae negatio, cùm etiam sit in ordine quodammodò ad extrinsecum, nempe in ordine ad Animam, nec remoueat formam destructiuam ipsius intellectûs, aut Animae, potest diuinitùs similiter auferri per aduentum ipsius Luminis Gloriae.

361 Ad tertium (quâtenus asserit primam Speciem Vniuersalis, quae essentialiter est Genus, posse contingenter fieri non Genus, & constitui Speciem) respondeo primam Speciem Vniuersalis, quae est essentialiter Genus in actu signato, hoc est, essentialiter signat naturas genericas, non posse fieri non Genus in actu signato. Verùm quidem est, quòd possit fieri Species in actu exercito, hoc est, abstrahi, & praedicari de pluribus numero differentibus: attamen haec duo, Genus in actu signato, & Species in actu exercito, non opponuntur, inò naturaliter sunt compatibilia: aliter se habet dependere, & independere essentialiter, cùm sint essentialiter opposita, ad eum modum, quo in Modis esse immediatum, & mediatum; & in intellectu incerto per formidinem extrinsecam, esse simul certum per actum Scientiae. Inó hinc retorqueri potest argumentum, quia prima Species, nempe Genus nullo modo potest fieri non Genus in actu signato ex eo, quòd in actu signato sit essentialiter Genus: ergo Substantia independens non poterit fieri vllo modo dependens ex eo quòd essentialiter sit independens.

362 Ad quartum (quâtenus dicit conceptus esse essentialiter signa formalia: & tamen posse fieri instrumentalia) respondeo in primis

primis, conceptus esse similiter essentialiter signa formalia in actu signato, non in actu exercito, cùm possit actu non informare intellectum, imò poni extra illum: cum ratione autē signi formalis in actu signato potest stare ratio signi instrumentalis in actu exercito; hæc enim duo, vt ex proximè dictis constat, non repugnant. Respondeo secundò, conceptus solùm esse essentialiter signa formalia respectu intellectûs, non autem respectu alterius conceptûs illum cognoscentis. Respondeo tertiò, rationem signi instrumentalis esse extrinsecam ipsis conceptibus; consistit enim in eo, quòd priùs cognoscantur suis significatis; ratio autem intentionalis, & extrinseca non destruit eius oppositam intrinsecam: at verò inhærentia, quæ adueniret Substantiæ, esset illi intrinseca, ac proinde destructiua eius essentiæ.

363 Ad quintum (quâtenus dicit naturam Vniuersalem esse intrinsecè, & essentialiter Vniuersalem: & tamen contrahi, & fieri singularem) respondeo naturam Vniuersalem, v. g. hominem, non esse essentialiter Vniuersalem, cùm contingenter abstrahatur per intellectum, & fiat talis. Aliud est esse intrinsecè: aliud esse essentialiter Vniuersale: esse naturam intrinsecè Vniuersalem nihil aliud est, quā dari vnitatem præcisionis ex parte ipsius naturæ, ineâque fundari (quod negat P. Ouiedo, & alij asserentes vnitatem præcisionis cōsistere in solo conceptu formali ex parte intellectûs) esse autem naturam essentialiter Vniuersalem, est includere in suo conceptu primariò vniuersalitatem, nec posse non esse Vniuersalem. Nos *in Log. tract. 3. n. 49.* docuimus cum communi naturas esse quidem intrinsecè, non tamen essentialiter Vniuersales.

364 Ad sextum (quâtenus dicit naturam Vniuersalem esse se ipsâ formaliter indiuisibilem: & tamen posse diuidi per contractionem in inferioribus) respondeo naturam Vniuersalem non esse formaliter seipsâ expertem partium actu integrantium, sed per carentiam differentiarum, seu per vnitatem præcisionis, quæ cum actu remoueat differentias partium, earundem remouet multiplicitatem integrantem.

365 Ad septimum (quâtenus dicit Materiam primam formaliter se ipsâ esse Substantiam: & tamen per Quantitatem superadditam reddi accidentaliter Quantam, hoc est, non Substantiam) respondeo Materiam primam per suam essentiam non remouere Quātitatem, aut rationem subiecti illius, imò illam postulare: at verò Substantia per suam essentiam remouet sui dependentiam à subiecto inhæsionis; non minùs, quàm Spiritus remouet partes formales extensionis, & diuisibilitatem. Alia prætereà in argumento latet falsitas; nimirùm Materiam primam per Quantitatem reddi non Substantiam: hoc omninò falsum est, & in Philosophiâ inauditum; nam Materia prima per Quantitatem sicut non redditur accidens, sed ad summum accidentata: & sicut non redditur Quantitas, sed Quāta, ita non redditur non Substantia, sed ad sūmum non substantiata, hoc est, non habens Quantitatem, quæ sit Substantia, sed Quantitatem, quæ sit accidens.

366 Hactenus cum Magistro sapientissimo. Quatuor adhuc possunt à quouis alio fieri obiectiones. Prima, Subsistentia est formalis independentia: & tamen ipsa dependet à naturâ, è cuius potestate educitur. Secunda, Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ est formalis independentia à subiecto inhæsionis: & tamen ipse dependet ab Accidente, in quo inhæret. Tertia, Existentia est formalis ratio existendi: & tamen ipsa potest non existere. Quarta, Calor vt octo est formalis expulsio frigoris; & tamen potest illud non expellere: ergo quod est formaliter tale potest diuinitùs fieri non tale.

367 Verùm hæc rem non conficiunt. Ad primum, respondeo Subsistentiam non esse formalem independentiam à subiecto; sed ab vlteriori termino. Ad secundum, dico Modum Accidentium Sacræ Eucharistiæ non dependere ab ipsis Accidentibus, vt à subiecto inhæsionis; siquidem facit vnum per se cum illis. Ad tertium, dico existentiam non posse non existere in actu signato, licèt possit non existere in actu exercito: verùm illa non exercetur formaliter se ipsâ, sed per actionem. Ad quartum respondeo, Calorem expellere frigus aut per incompatibilitatem, hoc est, per negationem compatibilitatis, quæ, cùm sit per ordinem ad extrinsecum, nimirum ad subiectū, potest tolli: aut secundùm alios per negationem capacitatis ex parte subiecti, quæ etiam, cùm sit per ordinem ad extrinsecum, nimirū ad ipsas formas, potest extingui.

§. 5.

Substantia est actu formaliter seipsâ independens à subiecto inhæsionis.

368 HÆc erat Minor nostri discursûs, & fundamenti, quæ traditur à Boët. Scot. P. Bellarm. P. Soar. P. Molin. P. Fonsec. P. Hurt. P. Raynaudo, P. Amic. & Patribus Conimbricens. supra citat. Et

Boët. Scot. P. Bellar. P. Soarez P. Molina P. Fons. P. Hurt. P. Theoph. P. Amicus P. Palle. Conimbr.

probari

probari potest primò, quia non sunt multiplicandæ independentiæ absque necessitate: nulla autem est necessitas admittendi in Substãtiã independentiam formalem distinctam ab ipsâ existentiâ Substantiæ. Probo hoc, quia Substantia sufficienter intelligitur formaliter independens per suam existentiam, cui logicè adnexa sit negatio dependentiæ á subiecto inhæsionis. Et hoc ostendo sic, quia irrationale sufficienter intelligitur formaliter tale per suam existentiam, cui logicè adnexa est negatio Rationalis: Incorporeum sufficienter intelligitur formaliter tale per suam existentiam, cui logicè adnexa est negatio Corporei: item Anima Rationalis sufficienter intelligitur formaliter independẽs á subiecto eductionis per suam existentiam, cui logicè adnexa est negatio dependentiæ á subiecto eductionis: ergo etiam Substantia sufficienter intelligitur formaliter independens per suam existentiam, cui logicé adnexa est negatio dependentiæ á subiecto inhæsionis.

Et confirmatur illo communi Principio, Quó res est actu formaliter seipsâ perfectior, eó est actu formaliter seipsâ independentior; hinc est quòd Forma spiritualis sit actu formaliter seipsâ independens á subiecto eductionis, á quo Forma materialis dependet: Angelus est actu formaliter seipso independens á subiecto informationis, à cuius possibilitate Anima Rationalis dependet: Deus est actu formaliter seipso Ens á se independens ab omni alio.

369 Obijcies primò. Forma materialis est perfectior quám Materia prima: & tamen est magis dependens; nam Materia prima non dependet á subiecto eductionis, Forma veró materialis maximè. Respondeo magis depẽdere Materiam á Formâ, quám Formam à Materiâ; nam Materia dependet, vt quid potẽriale, & perfectibile, quod genus dependentiæ est ignobilissimum: Forma autem dependet in alio genere dependentiæ nobiliori, nimirum vt quid actuale, & perfectiuum.

370 Obijcies secũdò. Satis est quòd Substãtia sit independens á subiecto inhæsionis per aliquem modum distinctum, quem naturaliter postulet: ergo non est independens formaliter seipsâ. Respondeo negando Antecedens, quia vt suprá notauimus, si hæ independentiæ præstarentur per modos superadditos, quò res esset perfectior, & plures haberet independentias, eó vendicaret plures modos, ac proinde esset minùs simplex contra illud aliud commune Principium, *Eò res est simplicior, quò perfectior*.

371 Obijcies tertiò. Accidens non dependet actu á subiecto inhæsionis formaliter seipso: ergo neque Substantia actu independebit formaliter seipsâ. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia Accidens distinguitur realiter à subiecto, á quo proinde potest existere separatum, vt de facto existunt Accidentia Sacræ Eucharistiæ: taliter autem separari non posset si per suam essẽtiam actu dependeret á subiecto; hoc verò incommodũ non vicitur in eo, quód Substantia sit actu formaliter seipsâ independens à subiecto inhæsionis.

372 Hoc Principium hactenus declaratum, *Quò res est perfectior, &c.* in *Physic. tract.* 1. *n.* 270. cùm ageremus de impossibilitate eductionis Animæ Rationalis, nobis minùs arrisit. Primò, quia minùs bené explicatur á Magistris, quos ibi tacito nomine retulimus: secundò, quia re verâ nisi adiuuetur illo alio Principio, *Quod est formaliter tale, &c.* non videtur sufficiens ad defendendam impossibilitatem eductionis Animæ Rationalis, & inhærentiæ Substantiæ, vt loco citato adnotauimus: sin autem accommodetur modo proximè explicato, mihi videtur egregiè aptum ad explicandam impossibilitatem eductionis Animæ Rationalis, & inhærentiæ Substantiæ.

Probari potest secundó prædicta Minor huius nostri discursûs, & fundamenti quodam modò á posteriori hoc modo: quia Substantia non est actu formaliter independens á subiecto inhæsionis per Subsistentiam: non per actionem: non per negationem dependentiæ: non apparet aliud distinctum: ergo formaliter se ipsâ.

§. 6.

Substantia non independet à subiecto eductionis per Subsistentiam.

373 NOn est, inquam, formaliter independens per Subsistentiam. Probatur primó, quia si Substantia conseruetur diuinitùs absque omni Subsistentiâ, adhuc intelligeretur independens á subiecto inhæsionis: & tamen vt suppono, nullam haberet Subsistentiam. Secundò, quia, vt in simili agẽdo de impossibilitate eductionis Animæ Rationalis arguimus *in Phys. tract.* 1. *n.* 280. humanitas Christi Domini in eo priori, in quo fuit assumpta, iam intelligitur actu independens á subiecto inhæsionis: nondum tamen habens Subsistentiam.

374 Neque dicas humanitatem in eo priori intelligi radicaliter, & fundamentaliter independentem, ad eum modum, quo in communi opinione duo alba in eo priori, in quo

quo antecedunt relationem, dicuntur similiā fundamentaliter: vel intelligi independentem negatiuè, ad cū modū, quo Substātia cōstituta absque omni Subsistētiā intelligitur terminari negatiuè. Nō, inquā hoc dicas, quia esse independens formaliter, & positiuè (in ijs rebus, quæ suâpte naturâ postulant talem independentiam) nihil aliud est, quàm actu habere existentiam, cui logicè adnexa sit negatio dependentiæ. Et hoc patet ex dictis; nam esse Incorporeū formaliter, & positiuè nihil aliud est, quàm actu habere existentiam, cui logicè adnexa sit negatio Corporei: esse formaliter, & positiuè Irrationale nihil aliud est, quàm actu habere existentiam, cui logicè adnexa sit negatio Rationalis: ergo esse formaliter, & positiuè independens nihil aliud erit, quàm actu habere existentiam, cui logicè adnexa sit negatio dependentiæ: hoc autem modo se habet existentia Substantiæ ante Subsistētiam. Substantia sine Subsistentiā dicitur terminata negatiuè, & non formaliter, quia de ratione vltimi complementi, & termini formalis est esse aliquid positiuum distinctum; vt alibi ostēdemus; vnde quandiu hoc deerit, res non potest denominari terminata formaliter, & positiuè.

375 Probatur tertiò idem institutū, quia Anima Rationalis, & Angelus in eo priori quo antecedunt Subsistentiam; intelliguntur formaliter, & positiuè independentes á subiecto eductionis: ergo à fortiori independentes á subiecto inhæsionis. Antecedens ostenditur, quia intelliguntur formaliter, & positiuè creari: creatio autem est actualis independentia effectiua, quæ stare, & intelligi non potest sine independentiā formali, quam connotat ex parte termini.

376 Probatur quartò, quia si Substantia esset independens per Subsistentiam, etiam Materia prima per illam esset independens; nam eiusdem formæ idem est effectus formalis: quo dato talis Subsistentia, cùm sit ex naturâ rei distincta ab ipsā Materiā, poterit tolli ab illā; & consequenter Materia prima inhærere, ac educi: hoc autem præterquāquòd sit contra doctrinam eiusdem Magistri, cum quo hoc loco disputo, est contra rationem primi subiecti, qualis est Materia prima.

§. 7.

Substantia non independet á subiecto eductionis per actionem.

377 Videtur Substantia fieri independens à subiecto inhæsionis per actionem aut creatiuam; aut saltem productiuam Substantiæ independenter á subiecto inhæsionis. Ita sentit prædictus Magister, cum quo mihi res est, in suâ *Metaphysica*. Ex eius dictis, & rationibus hoc potest confici fundamentum: Anima Rationalis, & cætera, quæ naturâ suâ creantur, independent à subiecto eductionis per actionem creatiuam, quæ scilicet est productio ex non subiecto eductionis: ergo illa, quæ suâpte naturâ existunt per se, independebunt á subiecto inhæsionis per actionem, quæ sit productio ex non subiecto inhæsionis. Antecedens ostenditur, quia actio creatiua est formaliter independentia termini á subiecto eductionis. Et hoc probari potest primò, quia creatio independet á subiecto formaliter se ipsâ, & non ratione termini, cùm illum antecedat. Secundò, quia per illam independent Accidentia Sacræ Eucharistiæ, cùm nullum habeant alium modum, vt satis communis fert opinio. Tertiò, quia per illam independet Forma materialis, si diuinitùs collocetur extra Materiam; neque enim in tali Formā vlla alia apparet formalis independentia, seu modus.

378 Nihilominus, vt hæc planiùs, & clariè intelligantur, Dico primò: Substantia non independet á subiecto inhæsionis per actionē creatiuā. Hæc Conclusio est euidens, & citra cōtrouersiā. Ostēditur vno verbo, quia Formæ materiales substantiales independent à subiecto inhæsionis; & tamen nullam habent actionem creatiuam.

379 Dico secundò: Anima Rationalis (& idem dicendum de alijs entitatibus, quæ suâpte naturâ creantur) non independet formaliter á subiecto eductionis per actionem creatiuam. Id latè ostendi *in Physic. tractat.* 1. n. 282. non nego independentiam Animæ Rationalis fieri effectiuè per creationem; sed dicō Animam non fieri per illam formaliter independentem. Et ratio breuiter est, quia creatio non est formalis independentia sui termini á subiecto. Et hoc probatur primò, quia creatio ita est independentia, ac eductio dependentia; sunt enim hæc duo contraria; contrariorum autem eadem est ratio: atqui eductio non est formalis dependentia termini á subiecto. Probo hoc, quia formaliter non est passio; sola autem passio est causalitas, & dependentia termini á subiecto, vt ostendimus loco citato *in Physic. num.* 283. Verùm quidem est quòd eductio connotat formalem termini dependentiam, nimirum passionem; & creatio independentiam, nempe carentiam passionis: verùm neque illa includitur in eductione quâ tali formaliter; neque hæc formaliter

in creatione. Probatur secundò, quia si creatio esset independentia formalis, certè Angelus per illam formaliter constitueretur independens; item Materia prima similiter per illam formaliter constitueretur independens; quo dato, cùm talis creatio distinguatur ex natura rei, & consequenter sit separabilis á suo termino, Angelus posset educi; similiter Materia prima posset educi: primum nemo admittit: secundum nec meus Aduersarius.

380 Dico tertiò: Accidentia Sacræ Eucharistiæ (& idem dicendum de Formâ materiali diuinitùs constitutâ extra Materiam) non independent formaliter per actionē creatiuam: sed per negationem inhærentiæ, seu passionis fundatam immediatè, aut in ipsis Accidentibus, aut in modo existendi per se in opinione eorum, qui illum admittunt. Hæc resolutio est omnium communis. Et probatur, quia positâ tali negatione sufficienter intelliguntur independere. Et confirmatur, quia hæc albedo, quæ est in hoc lapide independet ab illo alio, in quo non est, per negationem inhærentiæ in illo; ergo si collocetur extra omne subiectum, ab omni independebit per negationem inhærentiæ in omni.

381 Dico quartò: Substantia non independet formaliter á subiecto inhæsionis per actionem ipsius productiuam independenter á subiecto inhæsionis. Et probatur, quia, vt suprá monuimus, non sunt multiplicandæ independentiæ absque necessitate: atquí nulla est necessitas admittendi in tali actione illam rationem independentiæ. Probo hoc, quia Substantia sufficienter intelligitur actu formaliter independens per suam existentiam, cui logicè adnexa est negatio dependentiæ à subiecto inhæsionis. Et hoc superiùs probaui, quia Irrationale sufficienter intelligitur tale formaliter per suam existentiam, cui logicè adnexa est negatio Rationalis: Incorporeum sufficienter intelligitur tale formaliter per suam existentiam, cui logicé adnexa est negatio Corporei; item Anima Rationalis sufficienter intelligitur formaliter independens à subiecto eductionis per suam existentiam, cui logicè adnexa est negatio dependentiæ á subiecto eductionis: ergo etiam Substantia sufficienter intelligitur formaliter independens á subiecto inhæsionis per suam existentiam, cui logicè adnexa est negatio dependentiæ á subiecto inhæsionis.

(*?)

§. 8.

Fundamentum contrarium solutum.

382 AD fundamentum adductum pro parte contrariâ *num.* 377. (quâtenus dicit Animam Rationalem per suam actionem creatiuam independere á subiecto eductionis: & inde infert Substantiam per suam actionem independere à subiecto inhæsionis) respondeo Animam Rationalem per actionem creatiuam non esse formaliter, sed solùm effectiuè independentem á subiecto eductionis; formaliter est independens per suam existentiam, cui logicé adnexa est negatio passionis, seu dependentiæ á subiecto eductionis. Neque verum est creationem esse formalem termini independentiam, sed solùm effectiuam, vt patet ex dictis.

383. Dices: Ipsa creatio independet à subiecto eductionis; nō ratione termini, cùm illum antecedat; non apparet aliud, ratione cuius independeat: ergo independet formaliter se ipsâ, & consequenter est formalis independentia. Responderi potest primó, creationem independere ratione termini; neque obstat, quòd illum antecedat; non enim illum antecedit prioritate *in quo*, sed solâ prioritate *á quo*, vt constat ex dictis *in Phys. tract.* 2. *n.* 40. Et declaratur, quia productio vbicationis vbicatur ratione termini; similiter productio Subsistentiæ subsistit ratione termini: ergo etiam productio independentiæ formalis, nimirum, existentiæ, cui logicè adnexa est negatio dependentiæ, independebit ratione termini.

384 Responderi potest secundò, dato, quód creatio sit aliquo modo formalis independentia sui, adhuc non sequi fore formalem independentiam termini, sed solùm effectiuam. Declaro hoc, quia licét productio Spiritûs, v.g. creatio Animæ Rationalis, sit aliquo modo Spiritus sui, hoc non tollit quominùs Anima formaliter se ipsâ sit Spiritus: ergo licèt ipsa creatio aliquo modo esset formalis independentia sui, hoc non obstaret quominùs ipsa Anima formaliter se ipsâ independeret. Cętera manifesta sunt ex dictis.

§. 9.

Substantia non independet á subiecto eductionis per solam negationem dependentiæ.

385 DVo asserit prædictus Magister, cum quo disputo: primum, Substan-

Substantiam non esse independentem per suam essentiam, sed per quandam negationem dependentiæ: secundum, hanc negationem non esse, vt aiunt, logicam, sed physicam; ac proinde posse diuinitùs auferri. Primum probat, quia solus Deus est formaliter independens per suam Essentiam, quemadmodum solus per suam Essentiam est intellectiuus. Præterea, quia Quantitas non est impenetrabilis per suam essentiam: ergo neque Substantia per suam erit independens. Secundum probat, quia impenetrabilitas, quæ est quædam negatio, non est logica, sed physica, ac separabilis à Quantitate. Item incapacitas recipiẽdi Gratiam, aut aliud donum supernaturale, quæ immediatè fundatur in essentiâ Animæ, est physica, ac ab illâ separabilis: ergo idẽ dicendum de independentiâ, quæ fundatur in essentiâ Substantiæ.

386 Nihilominus dico primò. Substantia est formaliter independens à subiecto inhæsionis per suam essentiam, seu existentiam, cui logicè adnexa est negatio dependentiæ. Probatur ex dictis *num.* 366. ad quem locum hîc me remitto. Et declaratur, quia ita independet Substantia á subiecto inhæsionis, ac Anima Rationalis à subiecto eductionis: sed Anima Rationalis independet á subiecto eductionis per suam essentiam, seu existentiam, cui logicè adnexa est negatio dependentiæ. Hanc Minorem latè ostendi *in Physic. tract.* 1. *num.* 284. Et probatur, quia est incorporea per suam essentiam, cui adnexa est negatio Corporei: item incompleta per suam essentiam, cui adnexa est negatio Entis completi. Adde, quòd Brutum est irrationale per suam essentiam, cui adnexa est negatio Rationalis: ergo etiam Anima Rationalis erit independens á subiecto eductionis per suam essentiam, cui adnexa est negatio dependentiæ.

387 Neque fundamenta contraria oppositum suadent. Non primum, quia licèt solus Deus sit essentialiter independens ab alio in omni genere causæ, seu simpliciter, hoc non tollit quominùs dentur aliquæ creaturæ, quæ per suam essentiam independeant in aliquo certo genere, & secundùm quidnam in primis creatio, licèt sit modus minimæ entitatis, in doctrinâ ipsius Aduersarij est essentialis independentia à subiecto: idem concedit Materiæ primæ, quæ est propé nihil: idem concedere Animæ Rationali, & Angelis cur veretur? Ad id, quod dicit de Intellectiuo, in primis etiam Angelus, & homo sunt radicaliter intellectiui per suam essentiam. Quod attinet ad Intellectum formalem, miror eum Aduersarium ita sui obliuisci, docet enim non repugnare creaturam, cuius Intellectus sit de eius essentiâ.

388 Ad secundum, concedo Quantitatem non esse impenetrabilem per suam essentiam: dico tamen Substantiam per suam essentiam esse independentem. Diuersa ratio est, quia impenetrabilitas in Quantitate fundat negationem physicam, vt dicemus: independentia verò in Substantiâ fundat negationem logicã, vt etiam statim sequenti *numer.* ostendemus; ea autem, quæ fundant negationem logicam, dicuntur formaliter talia per suam essentiam: sic Irrationale dicitur formaliter tale per suam essentiam; Incorporeum formaliter tale per suam; Homo per suam formaliter diuersus á Bruto.

389 Dico secundò. Negatio dependentiæ á subiecto inhæsionis, quæ immediatè fundatur in essentiâ Substantiæ, est logica, & inseparabilis. Probatur, quia ita se habet in Substantiâ negatio dependentiæ á subiecto inhæsionis; ac in Animâ Rationali negatio dependentię à subiecto eductionis, vt ipse Aduersarius concedit: sed hæc in Animâ Rationali est omninò logica, & inseparabilis. Minorem hanc ostendi *in Physs. tr.* 1. *n.* 286. Et probatur, quia illa negatio dicitur logica, quæ ita immediatè fundatur in essentiâ alicuius subiecti, vt sit per ordinem ad intrinsecum, & remoueat formam destructiuã essentiæ illius: aut alicuius eius proprietatis logicæ, quo pacto se habet negatio lapidis in Socrate; negatio Rationalis in bruto; negatio dependentiæ à subiecto eductionis in Animâ Rationali; & negatio dependentiæ á subiecto inhæsionis in Substantiâ; nam hæc fundatur immediatè in eius essentiâ, & remouet inhærentiam, quæ est destructiua *perseitatis actualis*, quæ non est minùs de essentiâ Substantiæ, quám Irrationale de essentiâ Bruti. E contrá verò illa negatio dicitur physica, quæ aut non fundatur immediatè in essentiâ subiecti: aut si fundatur est per ordinem ad extrinsecum, nec remouet formam destructiuam essentiæ illius, aut alicuius eius proprietatis logicæ, quo pacto se habet negatio penetrabilitatis in Quantitate; quæ est per ordinem ad locum extrinsecum, in quo exercetur impenetratio: item incapacitas, seu negatio capacitatis in Animâ ad Gratiã, quæ remouet capacitatem, hoc est, connaturalem dispositionem ad formam introducẽdam: dispositio autem ad Gratiam non est destructiuã essentiæ Animæ, aut alicuius eius proprietatis logicæ. Ex dictis patet solutio ad fundamenta adducta in contrarium.

§. 10.
Aliquae obiectiones solutae.

390 Fieri adhuc possunt in primis hoc loco duo argumenta, quibus Aduersarius plurimùm fidit, & quae *in Phys. tract. 1. num.* 288. proposuimus; illis tamen loco citato plené satisfecimus; & vtrunque falsitatis, quae in ijs latet, arguendo incusauimus, & apertè conuicimus. Videatur locus citatus. Ijs praetermissis

391 Obijcit Aduersarius primò. Idcircò Substantia non posset inhaerere, quia respectu eiusdem essentialiter independeret, & dependeret, quod fieri non potest; nam quod essentialiter remouet aliud, non potest illud non remouere, vt constat ex *num.* 351. atquí idem respectu eiusdem potest essentialiter independere, & dependere. Probat hanc Minorem in reproductione eiusdem á se ipso, in quâ, inquit, idem, quod essentialiter indepēdet á se ipso, simul dependet, quâtenus est effectus sui. Respondeo in primis idem non posse se ipsum reproducere, vt ostendimus *in Physic. tract.* 2. *num.* 250. Deinde (dato quód idem possit se reproducere) respondeo negando Minorem. Ad eius confirmationem dicendum est idem non independere essentialiter á se ipso, sed solùm per negationem reproductionis, quae cùm non remoueat formam destructiuā essentiae illius, qui se reproducit, nō est logica, sed physica, & separabilis.

392 Obijcit secundó. Idem Accidens potest simul dependere, & indepēdere respectu eiusdem; dependere per inhaerentiā; independere per modum existendi per se: ergo etiam Substantia poterit simul independere per suā essentiam, & dependere per inhaerentiam. Respōdeo, dato Antecedēte, de quo inferiùs, negādo Consequentiā. Diuersa ratio est, quia neque depēdentia, neque indepēdentia actualis destruit essentiam Accidentis, quae consistit in solâ dependentiā aptitudinali: at verò dependentia destruit essentiam Substātiae, quae, vt ostendimus, consistit in independētiā actuali á subiecto inhaesionis.

393 Instabit: Dependentia Accidentis in euentu proposito non destruit ipsius independentiā, sed hâc retentâ datur simul cum illâ: ergo etiam dependentia Substantiae non tollet eius independentiam, sed hâc retentâ dabitur simul cum illâ. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia actualis dependentia, & independentia Accidentis distinguuntur inter se, & ab ipso Accidente ex naturâ rei: possunt ergo ambae simul communicare suum effectum formalem Accidenti, quin illum vllo modo communicent inter se; vnde neque independentia dependet, neque dependentia independet. At verò independentia Substantiae est ipsa Substantia ab illâ omninò indistincta á parte rei: non potest ergo Substantia dependere, quin ipsa formalis independentia dependeat à parte rei: implicat autem id, quod essentialiter indepēdet, dependere á parte rei, vt constat ex dictis á *num.* 351.

394 Obijcit tertiò. Vnio Formae ad Materiam si creatur (quod possibile esse ostendimus *in Phys. tr.* 1. *n.* 426.) simul erit dependens, & independens; dependens á Materiâ, vt á termino; independens ab eâdem, vt á subiecto: ergo etiam Substantia poterit esse simul dependens, & independens à subiecto inhaesionis. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia independentia Vnionis á Materiâ vt á subiecto, non destruit eius dependentiā ab eâdem, vt à termino, quae sola independentia est de essentiâ Vnionis: at veró dependentia Substantiae á subiecto inhaesionis destruit indepēdentiam eiusdem ab eodem subiecto inhaesionis, quae est de essentiâ Substantiae.

395 Obijcit quartò. Eadē notitia potest simul esse intuitiua, & abstractiua; practica, & speculatiua, &c. ergo etiam eadē Substātia poterit esse simul dependens, & independens. Respōdeo notitiā, quę adaequatè est intuitiua, non posse simul esse abstractiuā, aut è contrá, &c. Vnde statim retorqueo argumentū: nam Substantia adaequatè est independens: ergo non poterit simul esse, aut fieri dependens. Verum quidem est quód dari possit vna tertia notitia, quae neque adaequatè sit intuitiua, neque adaequatè abstractiua, sed vtrunque inadaequatè, ad eum modum, quo dari potest vna tertia visio, quae neque adaequatè sit visio albi, neque adaequatè visio nigri, sed vtrunque inadaequatè; verùm haec sunt propria actuum intentionalium, qui possunt simul haberi per plura obiecta formalia, & de pluribus materialibus, vt diximus suprá: Substantia verò est res physica, quae proinde sortiri non potest has rationes inadaequatas; sin minùs eadem entitas posset simul esse essentialiter Substantia, & Accidens; simul rationalis, & irrationalis; simul corporea, & incorporea; quod nec ipse Aduersarius admittit.

396 Obijcit quintò. Eadem entitas à parte rei potest simul esse absoluta, & respectiua: ergo etiam simul dependens, & independens,

pendens. Antecedens ostenditur in Diuinis: necnon in creatis in opinione satis communi asserentium Relationes solùm virtualiter distingui à fundamentis. Respondeo negando Consequentiam, quia in primis exemplum de Diuinis non valet, iuxta illud commune Theologorum Principium, *A Diuinis ad humana non est bona argumentatio*. Et ratio est, quia entitas Diuina, cùm sit infinita, vna licèt sit, & simplicissima, capax est perfectionũ, quas entitas creata ob suam finitatem, & limitationem simul capere non potest. Ad exemplum Relationis virtualiter distinctæ in creatis est longè diuersa ratio, quia Relatio in hâc opinione est entitas logica: potest autem eadem entitas creata esse physicè absoluta, & logicè respectiua. Et ratio est, quia entitas logica nihil aliud est, quàm eadem met physica, prout tamen per nostros conceptus censetur aduenire alicui subiecto inhæsionis. Itaque esse physicum est merè absolutum, nec potest simul esse physicè respectiuum, sicut non potest simul esse physicè dependens, & physicè independens: si autem Substantia inhæreret, eius esse physicum simul physicé dependeret, & independeret. Vnde retorqueo argumentum hoc modo: Esse physicum Substantiæ non potest simul esse physicé absolutum, & physicè respectiuum, vt est in confesso apud omnes (nec ipse Aduersarius id negabit, cum in suâ Metaphysicâ defendat impossibilem esse Substantiam creatam physicè relatiuam): à fortiori igitur non admittet simul physicè relatiuam, & absolutam: ergo etiam non poterit esse physicè dependens, & independens.

§. II.

Satisfit alijs argumentis adductis pro parte contrariâ initio Difficultatis.

397 AD primum fundamentum opinionis contrariæ adductum initio Difficultatis *num.* 345. (quâtenus dicebat nullam apparere manifestam contradictionem in eo, quód aliqua Substantia diuinitùs inhæreat) respondeo manifestam inuolui cõtradictionem in eo, quòd Substantia inhæreat; esset enim, & non esset actualiter independens; esset, quia hæc est eius essentia; non esset, quia, vt supponitur, actualiter dependeret.

398 Ad secundum (quâtenus dicebat posse Accidens diuinitùs existere per se: & inde inferebat posse Substantiam inhærere) concedo posse Accidens diuinitùs existere per se; & nego posse Substantiam diuinitùs inhærere. Diuersa ratio est, quia dependentia actualis non est de essentiâ Accidentis; vnde potest ab illâ tolli per independentiam: perseitas verò, seu independentia âctualis est de essentiâ Substantiæ; vnde non potest ab illâ tolli per dependentiam. Ratio autem cur dependentia actualis non sit de essentiâ Accidentis; independentia verò actualis sit de essentiâ Substantiæ manifesta est ex dictis: nam si inhærentia, seu dependentia actualis foret de essentiâ Accidentis, hoc non posset separari á subiecto, quod præterquamquòd sit contra mysterium Eucharistiæ, est contra rationem distinctionis realis, quâ Accidens realiter distinguitur à subiecto: quod inconueniens non vísitur in eo, quòd perseitas, seu independentia actualis sit de essentiâ Substantiæ; imò omnis alia perseitas distincta ab essentiâ Substantiæ est superflua, vt constat ex *num.* 326. Neque obstat quód contrariorum eadem sit ratio; nam Substantia, & Accidens non sunt contraria: tum quia simul esse possunt, nec mutuó se expellunt: tum quia non continentur sub eodem genere, vt patet.

399 Ad tertium (quâtenus asserebat Substantiam posse amittere propriam Subsistentiam, & subsistere in Supposito alieno: ergo etiam amittere existentiam per se, & existere in alio) concedo naturam creatam posse amittere propriam Subsistentiam, & subsistere in alienâ, nego tamen posse amittere propriam existentiam; & existere in alio. Diuersa ratio est, quia natura distinguitur à parte rei á suâ Subsistentiâ; vnde hæc poterit ab illâ auferri, & eius loco conferri aliena: at veró Substantia non distinguitur ex naturâ rei à suâ perseitate, & existentiâ, vt constat ex dictis à *n.* 325.

400 Neque D. Thom. aut alij Doctores ex antiquis contrariam sententiam tenuerunt, vno excepto Gabr. qui loco citato eam existimat probabilem: cæteri autem aut falsam, aut chymericam appellant. Quando veró D. Thom. & alij Doctores dicunt existentiam per se non esse de essentiâ Substantiæ, loquuntur aut de existentiâ in actu exercito; quo pacto existentia est de essentiâ solius Dei: aut de Subsistentiâ, quæ, cùm sit vltimum complementum existentiæ Substantiæ, aliquando venit nomine illius, vt sæpe notauimus.

(:)

SECTIO IV.

De possibilitate Substantiæ supernaturalis.

401 Vt, quæ spectant ad possibilitatem, vel impossibilitatem Substantię supernaturalis radicitùs teneãtur septem difficultates nobis hoc loco expediendæ erunt. Prima: Vtrùm possibilis sit Substantia, cui connaturalis sit Visio Beata? Secunda: Vtrùm possibilis sit Substantia suâpte naturâ impeccabilis? Tertia: Quid sit Natura, supra quam Ens supernaturale tale dicitur? Quarta: Quid sit Ens supernaturale secundùm suum conceptum respectiuum in ordine ad Naturam, supra quam est? Quinta: Quid sit secundùm conceptum absolutum nõ attendendo ad Naturam, supra quam est? Sexta: Vtrùm possibilis sit Substantia supernaturalis? Septima: Vtrùm Deus sit Substantia supernaturalis.

§. I.

Vtrùm possibilis sit Substantia, cui connaturalis sit Visio Beata?

402 Prima difficultas: Vtrùm possibilis sit Substantia, cui connaturalis sit Visio Beata? Id esse probabile, nec vllam in eo apparere manifestam contradictionem existimant Maior *in 4. d. 49. q. 4. in fine*, P. Albertin. *principio 1. Philosophico q. 3.* P. Erice *1. p. d. 48. num. 63.* P. Molin. *ad quæst. 12. a. 5. d. 2.* P. Valent. *d. 1. q. 12. puncto 3.* P. Becan. *1. p. cap. 9. q. 5.* P. Ripal. *l. 1. de Ente supernaturali d. 23. s. 1. n. 2.* P. Arriaga *de Visione d. 5. s. 7.*

Maior / *P. Albertin.* / *P. Erice* / *P. Molina* / *P. Valent.* / *P. Becan.* / *P. Ripald.* / *P. Arriaga*

403 Probatur hæc sententia. Primò, quia in eo nulla assignabitur contradictio. Secundó, quia perfectio Visionis Beatæ est finita: ergo potest dari aliqua Substantia, cui connaturalis sit. Tertió, quia non repugnat Substantia tantæ perfectionis, quæ adæquet coniunctum ex Intellectu, & Lumine Gloriæ, cùm tale coniunctum limitatum, & finitum sit. Quartó, quia illud testimonium D. Pauli *1. ad Timoth. 6. Qui lucem habitat inaccessibilem. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*: & alia similia possunt intelligi aut de Visione oculo corporeo; aut de creaturis, quæ de facto dantur: non verò de omni specie creaturarum possibili. Item D. Augustin. *lib. 12. de Ciuitate cap. 1.* vbi loquens de creaturâ: *Non ex se ipsa*, inquit, *potest esse Beata, quia ex nihilo creata est*: & intelligendus est de Beatitudine obiectiuâ, & solùm vult quòd nulla creatura potest esse obiectum suæ Beatitudinis. In eodem sensu loquitur D. Prosper *in lib. de sentent. August. sententia 143.* ibi: *Creatura rationalis, vel intellectualis bonum, quo Beata sit, non est nisi Deus: quod ei non ex se ipsa est, quia ex nihilo creata est.*

1. ad Timot. 6. / *D. Aug.* / *D. Prosp.*

404 His non obstantibus, dicendum non esse possibilem creaturam, cui connaturalis sit Visio Beata. Ita communiter Theologi cum D. Thom. *1. p. q. 12. a. 5.* Scot. *in 4. dist. 49. q. 10.* Nominales ibidem P. Vasquez *d. 44. cap. 1.* P. Soar. *lib. 2 Sum. cap. 9.* P. Coninck *d. 4. de Actibus supernaturalibus num. 33.* P. Torres, & alij penè infiniti apud P. Ripaldam suprà. Plura assignantur fundamenta huius sententię. Duodecim adducit, & benè explicat P. Martinon *d. 7. de Deo s. 5. & 6.* alia plura congerit P. Salas *1. 2. q. 3. tract. 2. d. 3. sect. 2.* Scio has omnes rationes vtcunque posse deludi.

D. Thom. / *Scot.* / *P. Vasq.* / *P. Soarez* / *P. Conink.* / *P. Torres* / *P. Martin.* / *P. Salas*

405 Ego sufficienter rem probari existimo. Primò ex illo Apostoli *1. ad Tim. 6. Quem nullus hominum vidit: sed nec videre potest*, hoc est, proprijs viribus. Et *ex illo Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam.* Et *ex Psalm. 17. Posuit tenebras latibulum suum*: nam licèt hæc loca videantur posse exponi de Visione per oculum corporeum: item de solis hominibus, non autem de omni creaturâ possibili, Sancti Patres, D. Epiphanius *hæresi 70.* D. Ambros. *Luc. 1.* D. August. *epist. 112.* D. Gregor. *lib. 18. Moral. cap. 36.* illa exponunt de omni creaturâ possibili quòad proprias vires. Et sanè loca Scripturæ debent accipi iunctâ communi Patrum expositione, á quâ recedere non licet iuxta Tridentin. *sess. 4. in Decreto 2. §. Præterea.* & iuxta definitionem Synod. V. generalis relatam, & approbatam á Concilio Lateran. sub Martino I. *consultat. 5.* Neque obstat, quòd aliqui Patres prædicta loca exponant de Visione per oculum corporeum: item de hominibus, non faciendo mẽtionem omnis creaturæ possibilis; non, inquã, hoc obstat, nam idẽ locus Scripturæ potest habere plures sensus literales, vt videre est apud P. Soar. *de Opere sex dierum c. 2. n. 26.* Deinde, licèt nõ omnes Sãcti Patres faciãt expressã mentionẽ omnis creaturę possibilis, nullus id negat. Et confirmatur, quia in his terminis ostendimus sufficienter probari Mundum nõ fuisse ab æterno ex illo testimonio *Genesis. In principio creauit Deus Cælum, & Terram*, vt videre est *tract. de Cælo n. 278.*

1. Ad Tim. / *Ioan. 1.* / *Psal. 17.* / *D. Epiph.* / *D. Ambr.* / *D. Aug.* / *D. Greg.* / *Concil. Trident.* / *Synod. V.* / *P. Soar.* / *Genesis.*

406 Secundò, rem sufficienter existimo probari, in efficaciùs ex illo Apostoli *ad Roman.*

Ad Rom. 6. Roman. 6. vbi loquens de Visione Beatâ, illam absolutè appellat Gratiam Dei; ibi: *Vita aeterna Gratia Dei*: non esset autem absolutè Gratia, si alicui creaturæ deberetur. Debet considerari iste locus iunctus testimonio D. Cyrilli. 1. *in Ioann. cap.* 13. ibi: *Creatura, cum serua sit, nutu tantum, & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur*, vbi D. Cyrillus loquitur de creaturâ, quâ creaturâ, in ordine ad Gratiam, & ad Gloriam: & dicit creaturam, ex eo quòd creatura sit, esse seruam; & ex eo quòd serua sit, non posse illi deberi, & esse connaturalem statum Gratiæ, aut Gloriæ, qui est status filij adoptiui, vel saltem omnium bonorum Dei, cui debetur filiatio adoptiua extrinseca. Quod clariùs confirmatur ex ijs, quæ ait *eodem libro cap.* 8. paulò ante medium, ibi: *si firmiter credunt substantialiter Filio supernaturalia bona inesse, nolint ei creaturam secundùm naturam coniungere*, id est, non putent eum esse puram creaturam, siquidem fatentur Gratiam, & Gloriam illi naturaliter deberi.

407 Et ibidem adhuc clariùs expendens illud *Ioann.* 1. *Erat lux vera*, dicit solùm Deum esse lucem Gratiæ, & Gloriæ: creaturam verò, ex eo quòd creatura sit, & facta ex nihilo, habere se oportere per modum tenebrarum, & illuminari gratuitò per huius lucis participationem. Ibi: *Nihil ergo præter illam vera lux est, nec quidquam aliud propria virtute atque natura, fructum luminis edere potest: sed quemadmodum ex nihilo producta sunt: sic à tenebris splendore veri luminis accepto, & participatione illius illustrata, imitatione quadam in lucem transeunt. Ita Dei quidem Verbum substantialiter, non participatione, quæ per Gratiam fit, nec per accidens lux est. Creatura verò non sic: sed accipit quod habet: illuminatur vt tenebræ, deforis gratiam acquirit: Largitoris misericordia huiusmodi dignitatem consequitur.*

Ioan. 6.

408 Tertiò probatur etiam efficaciter, quia negari non potest dari habitus in suâ entitate supernaturales, eos aut esse de Fide, aut negari nõ posse absq; temeritate cũ P. Tãner. & alijs diximus *in Anim. tract.* 7. *n.* 292. ergo nõ est possibilis creatura, cui connaturales sint; nam Supernaturale in entitate, vt infrà ostendam, est donum gratuitum, quod nulli creaturæ debetur.

P. Tann.

409 Quartò etiam optimè probatur ex illo 1. *ad Timot.* 1. *Soli Deo Immortali, & Inuisibili*: vbi particula *Inuisibili* idem valet, ac nullam creaturam illum posse videre proprijs viribus.

1. ad Timot. 1.

410 Dices primò, ibi sermonem esse de Inuisibilitate oculo corporeo. Sed contrá, quia dicitur solum Deum esse Inuisibilem; & non solus Deus, sed etiam Angelus, & Anima Rationalis sunt inuisibiles oculo corporeo: ergo ibi sermo est de aliâ maiori Inuisibilitate.

411 Dices secundò, ibi solùm dici esse Inuisibilem à creaturis, quæ de facto dantur: non tamen respectiuè ad omnem possibilem. Sed contrá, quia ibi est sermo absolutè de omni, quod non est Deus. Et confirmatur, quia aliàs non benè probaret Concilium Lateranense Immortalitatem Animæ ex illo Christi Domini: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non possunt occidere*; posset enim dici, licèt Anima non possit occidi ab his creaturis, posse occidi ab aliquâ possibili.

412 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quâtenus dicit nullam apparere contradictionẽ in eo, quòd possibilis sit creatura, cui Visio Beata connaturaliter debeatur) respondeo id sufficienter deduci ex Scripturâ, & Sanctis Patribus, vt cõstat ex dictis. Ratio itẽ D. Cyrilli videtur sufficiens, quia creatura, ex eo quòd talis sit, est serua: & ex eo quòd serua sit, non habet ius ad adoptionem, quæ debet esse libera: nec ad hæreditatẽ filiorum, quæ consistit in Gloriâ.

413 Ad secundum (quâtenus dicit perfectionem Visionis Beatæ esse finitam, ac proinde non repugnare aliquam perfectissimã creaturam, cui debeatur) respondeo, repugnare ex eo quòd omnis creatura sit serua: item ex eo quòd Visio Beata sit in suâ entitate supernaturalis, vt liquet ex dictis.

414 Ad tertium (quâtenus dicit non repugnare Substantiam creatam tantæ perfectionis, quæ adæquet coniunctũ ex Intellectu, & Lumine Gloriæ) respõdi *in Anima tr.* 5. *n.* 107. Addi potest illam creaturam fore seruam; ac proinde repugnare illi deberi Gratiam, quæ est adoptio, & Gloriam, quæ est hæreditas. Dices: Etiam cõiunctum ex Intellectu, & Lumine Gloriæ est creatura, & consequenter serua: & eo non obstante illi debetur Gratia, & Gloria. Respondeo non deberi illius Substantiæ, seu Naturæ: quod solùm dicitur debitum simpliciter, omne aliud debitum fundatur in liberalitate, & Gratiâ, & solùm dicitur debitũ secundùm quid, & ex suppositione quòd facta sit Gratia.

415 Ad quartum (quâtenus dicit aliqua loca Scripturæ, & aliqua testimonia Sanctorum Patrum, quæ loquuntur de Inuisibilitate Dei non extendi ad omnem creaturam possibilem) patet solutio ex dictis.

§. 2.

Vtrùm possibilis sit pura creatura libera suapte naturâ impeccabilis?

416 SEcunda difficultas: Vtrùm possibilis sit pura creatura Intellectiua, & Volitiua naturaliter impeccabilis? Pro parte affirmatiuâ allegari possunt ijdẽ Doctores relati *n.*402. quâtenus dicunt non apparere repugnantiam in creaturâ possibili, quæ naturaliter sit Beata; nam hæc etiam naturaliter esset impeccabilis; impeccabilitas enim consequitur Visionem Dei. Totum fundamẽtum huius sententiæ est, quia stando rationibus nulla assignabitur manifesta cõtradictio: stando autem testimonijs Sacræ Scripturæ nullum assignabitur satis concludens, aut conuincens.

417 Dicendum tamen existimo admitti non debere possibilitatem talis Substantiæ. Probatur ex illo 1. *ad Timoth.* 6. *Solus Deus habet Immortalitatem.* Quem locum Sancti Patres communiter exponunt non solùm de Immortalitate physicâ, quam solus Deus habet per essentiam, sed etiam de Immortalitate morali, quam dicunt consistere in impeccabilitate, est enim peccatum quædam mors moralis priuans Visione Dei, quæ est vita æterna. *Solus Deus* (inquit D. Hieronymus *epist.* 146. *ad Damasum* propè finem) *in quem peccatum non cadit: cætera enim cùm sint liberi arbitrij, in vtranque partem suam possunt flectere voluntatem.* Eodem modo prædictum locum expendunt D. Ambros. *lib.* 3. *de Fide cap.* 2. D. August. *lib.* 3. *contra Maximum cap.* 12. & *lib. de vera Religione cap.* 19. ibi: *Bona sunt ergo quæ vitiantur: sed ideò vitiantur, quia non summa Bona sunt.* Et paulò post: *Bonum ergo, quod vitiari non potest, Deus est. Cætera autem omnia, bona ex ipso sunt; quæ per se ipsa possunt vitiari, quia per se ipsa nihil sunt.* Similia habet D. Fulgentius *de Fide ad Petrum cap.* 3. vbi ait omnem creaturam deficere posse per peccatum, quia omnis facta est ex nihilo. Et D. Gregor. *lib.* 5. *Moral. cap.* 25. idem dicit his verbis: *Omnis quippe creatura, quia ex nihilo facta est, & per semetipsum ad nihilum tendit, non stare habet, sed defluere,* scilicet per peccatum. Et D. Anselm. *lib.* 2. *Cur Deus homo cap.* 10. Boso quærenti, Cur Deus non condidit homines, & Angelos impeccabiles? respondet, quia non potuit, neque debuit fieri, vt vnusquisque eorum esset idem ipse, qui Deus. Consonat illud Christi Domini *Matth.* 19. & *Luc.* 18. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Necnon illud *Iob.* 4. *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Quæ expendens D. Hieronym. *lib.* 2. *contra Iouen.* ait: *Omnis creatura peccare potest.* Eodem modo prædicta loca interpretatur D. Gregor. cit. 5. *Moral. cap.* 27. Et confirmatur, quia, vt suprà *n.* 405. dixi ex Concil. Trid. & Synodo V. loca Scripturæ debent interpretari iuxta communem Patrum expositionem.

1. ad Timot. 6. — D. Hiero. — D. Ambr. — D. Aug. — D. Fulg. — D. Greg. — D. Ansel. — Matt. 19. — Luc. 18. — Iob. 4. — D. Hiero. — D. Greg.

418 Verùm autem sit aliqua ratio suadens impossibilitatem talis creaturæ, quæ sit impeccabilis? Respondeo illam videri accõmodatam, quâ dicitur quòd voluntas non necessitatur circa vllum bonum honestum creatum, imò neque circa summum bonum obscure cognitum: ergo potest pro suâ libertate ab illo declinare, in quo consistit peccatum. Quæ ratio est desumpta ex D. Hieronymo suprà *epist.* 146. *in Damasum* propè finem.

D. Hieron.

419 Illa secunda ratio addi potest, quia Deus liberè dat auxilium efficax, & potest conferre solùm sufficiens; hoc, quod est dare auxilium efficax, est solius Misericordiæ Dei, iuxta illud *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* & iuxta illud ibidem, *cui vult miseretur, & quem vult indurat.* Itaque *Nemo potest venire ad me* (inquit Christus D. *Ioan.* 6.) *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* hoc est, per auxilium efficax: sed Pater liberè trahit quamlibet creaturam, & consequenter potest non trahere: ergo quælibet potest non venire; ac proinde peccare.

Ad Rom. 9 — Ioan. 6.

420 Et sanè hæc est communis sententia inter Theologos cum Magistro *in* 2. *dist.* 7. D. Thom. *in* 3. *dist.* 23. *q.* 9. Scot. *in* 2. *dist.* 23. *q. vnica* §. *Dico igitur,* D. Bonauent. Durand. Richard. Bassol. Ægid. Argentin. Abulens. Carthusian. Altisiodor. Albert. M. Vdalric. Palat. Capreol. Herueæ. Nazar. Bañes, Ripa, Putean. & alijs pluribus, quos latè citant, & sequuntur P. Soar. *lib.* 2. *de Angelis cap.* 7. & *lib.* 7. *cap.* 3. P. Vasquez 1. *p. d.* 231. *cap.* 3. P. Valent. 1. *p. d.* 4. *q.* 14 *puncto* 1. P. Arrub. 1. *p. d.* 177. *c.* 1. P. Salas 1. 2. *q.* 3. *tract.* 2. *d.* 3. P. Granad. 1. 2. *controuers.* 2. *tract.* 1 *d* 2. *s.* 2. P. Tanner. 1. *p. d.* 5. *q.* 6. *dub.* 3. *n.* 3. P. Albertin. 1. *princip. q.* 3. *n.* 1. P. Theophilus Raynaudus *in sua Theologia natural. dist.* 2. *n.* 151. P. Martinon *d.* 7. *de Deo sect.* 7.

421 Neque obstat fundamentum opinionis contrariæ, quam re verâ solus P. Arriaga *tom.* 1. *in* 1. *p. d.* 5. *n.* 20. admittit, ac defendit, alij Auctores solùm dicunt nullam apparere manifestam implicationem in tali creaturâ impeccabili. Non, inquam, obstat fundamentum P. Roderici de Arriaga (quâtenus dicit neque nostram sententiam constare ex Scripturâ, neque conuinci rationibus) respondeo enim sufficienter probari ex Scripturâ adiunctâ expositione Patrum, vt constat ex dictis. Item duæ

Magist. — D. Thom. — Scot. — D. Bonau. — Durand. — Richard — Bassol. — Ægidius — Argentin. — Abulens. — Carthus. — Altisiodor. — Albert M. — Vdalricus — Palat. — Capreol. — Herueus — Nazar. — Bañes — Ripa — Putean. — P. Soar. — P. Vasq. — P. Valent. — P. Arrubal. — P. Salas — P. Grana. — P. Tanner. — P. Alberti. — P. Rayna. — P. Martin. — P. Arriaga

rationes

rationes adductæ sunt satis accommodatæ, & quibus non potest satisfieri nisi torquendo intellectum magnâ cum violentiâ ingenij, & animi scrupulo.

§. 3.

Quid sit Natura, supra quam Ens supernaturale tale dicitur?

422 Tertia difficultas: Quid sit Natura, supra quam Ens supernaturale tale dicitur? Plures existimant hanc Naturam coincidere cum Substantiâ: vnde Ens supernaturale, inquiunt, est illud, quod est supra omnem Substantiam. Ita Caietan. 1. p. q. 12. P. Arrub. 1. p. d. 2. n. 21. P. Tannerus tom. 1. d. 2. q. 6. n. 4. P. Fasol. 1. p. q. 12. a. 4. n. 20. P. Arriag. tom. 1. in p. 1. d. 3. n. 3. & præcipuè n. 27. P. Granad. 1. 2. Controuers. de Gratia tract. 4. d. 8. Probatur ex Aristotele 2. Physicor. textu 3. vbi dicit Substantiam esse Naturam: ergo Supernaturale est illud, quod est supra omnem Substantiam. Secundò ex D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 1. in corpore: *Natura*, inquit, *dicitur quælibet Substantia; & secundùm hoc illud dicitur esse naturale; quod conuenit rei secundùm suam Substantiam*. Item q. 110. a. 2. ad 2. vbi: *Omnis Substantia*, inquit, *vel est ipsa Natura rei, cuius est Substantia, vel est pars Naturæ: & ideo Gratia est supra Naturam humanam non potest esse quòd sit Substantia, aut Forma substantialis*. Ex quibus locis planè colligitur Naturam, supra quam Ens supernaturale tale dicitur coincidere cum Substantiâ, ac proinde illud esse Supernaturale, quod est supra omnem Substantiam.

Caietan.
P. Arrub.
P. Tanner.
P. Fasol.
P. Arriaga
Aristot.
D. Thom.

423 Nihilominus iste modus dicendi non omninò satisfacit. Primò, quia si possibilis foret Substantia habens connexionem cum Gratiâ sanctificante, & eiusdem Ordinis cum illâ, proculdubio esset supernaturalis; & tamē nōn esset supra omnem Substantiam; neque enim esset supra se ipsam: ergo alius est conceptus Naturæ, supra quam Ens supernaturale tale dicitur. Secundò, quia alioquî ridiculum esset quærere, Vtrùm possibilis sit Substantia supernaturalis, idem enim esset, ac quærere, Vtrùm possibilis sit Substantia supra se ipsam? Tertiò quia Deus est Ens supernaturale, vt inferiùs ostendemus: & tamen non est supra omnem Substantiam; sin minùs esset supra se ipsum.

424 Quarè probabiliùs dicendum videtur Naturam apud Theologos, supra quam Ens supernaturale tale dicitur, esse omne Ens; quod nō est eiusdem Ordinis cum Gratiâ sanctificante, seu inferioris Ordinis ab illâ. Ita P. Ripalda *de Ente supernaturali d. 3. s. 4.* Probatur primò, quia Ens supernaturale est illud, quod est eiusdem Ordinis cum Gratiâ, vt inferiùs declarabimus: ergo Ens naturale erit illud, quod non est eiusdem Ordinis cum Gratiâ, seu inferioris Ordinis ab illâ. Et explicatur, quia sicut esse eiusdem Ordinis cum Gratiâ constituit Ens supernaturale; ita non esse eiusdem Ordinis cum illâ constituit Ens naturale. Probatur secundò, quia non apparet alius modus probabilior explicandi hanc Naturam, supra quam Ens supernaturale tale dicitur.

P. Ripald.

425 Dixi, *Naturam apud Theologos*, quia alia est Naturæ acceptio inter Philosophos, alia inter Physicos, alia inter Metaphysicos, alia denique inter Theologos, eorum que propria. Apud Philosophos idem est *Natura*, atque *essentia*, & quidditas cuiusque rei; quo sensu idem est inuestigare quidditatem, & essentiam alicuius rei, atque inuestigare eius Naturam. Inter Physicos *Natura* coincidit cum Substantiâ reali incompletâ prout Materiam, & Formam comprehendit: Inter Metaphysicos, *Natura* idem est, ac Substantia completa, prout distinguitur à Supposito, quâ acceptione communiter dicimus Subsistentiam esse terminum, & complementum Naturæ. Inter Theologos autem *Natura* communiter accipitur, prout constituit Ens naturale, & illud contradistinguit à Supernaturali, hoc est, à Gratiâ sanctificante, & alijs eiusdem Ordinis cum illâ. His positis.

426 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo Aristotelem loco citato non agere de *Natura* in acceptione Theologicâ, & prout opponitur Enti supernaturali; sed de *Natura* sumptâ in acceptione Physicâ, & prout opponitur Enti transcendentali, nimirum eius proprietatibus, & accidentibus: non, inquam, agit de *Natura* prout opponitur Enti supernaturali. Primò, quia non nouit possibilitatem Entis supernaturalis, à quo contradistingueret naturale. Secundò, quia si daretur Substantia connexa cum Gratiâ sanctificante, foret quidem supernaturalis, vt proximè notauimus: & tamen foret principium motûs, & quietis. Tertiò, quia Deus est principium motûs, & quietis: & tamen est Substantia supernaturalis, vt in resolutione septimæ difficultatis cum communi doctrinâ ostendemus.

427 Ad secundum, respondeo D. Thom. in priori loco non accipere Naturam in acceptione Theologicâ; sed aut in acceptione Philosophicâ, prout Natura idem est, atque essentia, & quidditas cuiusque rei; aut in acceptione Metaphysicâ, prout Natura coincidit cum Sub-

Substātiā completā distinctā á Supposito, quo sensu communiter dicimus Subsistentiam esse terminum Naturæ; & Vnionem Verbi Diuini factam fuisse ad Naturam, & non ad Subsistentiam; item in Deo vnam esse Naturam, & tres Subsistentias. In posteriori loco solùm intendit D.Thom. Gratiam sanctificantem esse Accidens, & non Substantiam.

§. 4.

Quid sit Ens supernaturale secundùm suum conceptum respectiuum in ordine ad Naturam, supra quam est?

428 QVarta difficultas: Quid sit Ens supernaturale secūdùm suum conceptum respectiuū in ordine ad Naturam, supra quam est? Prima sententia docet Ens supernaturale esse illud, quod excedit vires naturales actiuas Naturę, licèt sit intra illius naturales vires passiuas. Ita Scot. *q.* 1. *Prologi §. Ad quem*, & *in* 4. *dist.* 10. *q.* 8. *§. Contra rationem*, Faber *d.* 3. *Prologi*, & *d.* 8. *cap.* 2. Bassol. *q.* 2. *Prologi §. Circa* 1. Guilliel. *q.* 1. *Prologi*, Herrera *dist.* 1. *q.* 5. *concl.* 2. Rada 1. *p. controuers.* 1. *a.* 1. Sosa *q.* 1. *Prologi a.* 8. *diffic.* 5. *§.* 2. Sot. *de Natura & Gratia c.* 4. *conclus.* 3. & *in* 4. *dist.* 49. *q.* 2. *a.* 1. P. Soar. *lib.* 4. *de Angel. c.* 39. & *lib.* 2. *de Attrib. c.* 9. *n.* 14. P. Vasq. 1. *p. tom.* 2. *q.* 57. *d.* 214. *c.* 2. *n.* 8. P. Ægid. *de Virtutibus supernaturalibus d.* 4. *n.* 17. & *d.* 7. *n.* 15. Hæc sententia non videtur adæquata, quia ex illā sequitur creationem Animæ Rationalis esse supernaturalem; siquidem excedit vires actiuas Naturæ, licèt alioqui sit intra illius vires passiuas; recipitur enim creatio Animæ simul cum ipsā Animā in Materiā.

Scot. Faber Bassol. Guilliel. Herrera Rada Sosa Sot. P. Soares P. Vasq. P. Ægid.

429 Secunda sententia asserit Ens supernaturale esse illud, quod est supra vires passiuas Naturæ. Hanc tenet P. Arriaga cit. *n.* 57. sed facilè reijcitur, nam Materia prima, & Angelus sunt supra vires passiuas Naturæ; non enim possunt recipi in aliquo subiecto: & tamen non sunt Entia supernaturalia.

P. Arriaga

430 Quare probabiliùs dicendum videtur Ens supernaturale, sumptum secundùm suum conceptum respectiuum in ordine ad Naturam, supra quam est, esse illud, quod est supra omne debitum, ac exigentiam Naturæ, hoc est, quod non debetur, nec exigitur á Naturā, vt eius proprietas, vel dispositio quod ex dicendis inferiùs *n.* 454 clariùs constabit. Ita Magister *in* 2. *dist.* 33. *lit. m.* D. Thom. 1. 2. *q.* 4. & 1. 2. *q.* 51. *a.* 4. P. Ripald. *de Ente supernaturali d.* 5. *sect.* 2. Probatur vno verbo, quia omne Ens supernaturale excedit debitum, ac exigentiam Naturæ: omne Naturale est intra illius debitum, ac exigentiam, vt discurrenti per omnia constabit.

Magist. D. Thom. P. Ripal.

431 Obijcies primò. Odium Dei est supra debitum, ac exigentiam Naturæ; item accidentia neutra, v. g. color comparatione Materiæ, non sunt intra debitum, ac exigentiam Naturæ: & tamen hæc sunt naturalia, non verò supernaturalia. Respondeo odium Dei, & accidentia neutra esse intra debitum, & exigentiam Naturæ constitutæ in actu primo ad illa, licèt non sint intra debitum, & exigentiam illius sumptæ remotè, & specificatiuè. Dices: Etiam accidentia supernaturalia sunt intra debitum Naturæ constitutæ in actu primo ad illa. Benè. Sed diuersa ratio est, quia Natura postulat cōstitui in actu primo ad omnes suas operationes sibi connaturales: non ad supernaturales.

432 Obijcies secundò. Deus vt est Auctor Naturæ potest se liberalem exhibere cōferendo Naturæ dona indebita; atqui hæc nō erunt supernaturalia; neque enim dona supernaturalia conferri possunt ab Auctore Naturæ: ergo ratio supernaturalitatis non consistit in eo, quòd sit extra debitum, & exigentiam Naturæ. Respondeo Auctorem Naturæ posse quidem conferre dona indebita huic subiecto, non tamen indebita Naturæ vniuersæ, v. g. huic subiecto disposito ad calorem vt quatuor, potest conferre calorem vt octo; & alia similia, quæ quidem sunt supra debitum, & exigentiam huius subiecti, non tamen supra debitum, & exigentiam Naturæ vniuersæ; hæc enim transcendunt sphæram Auctoris Naturæ quá talis.

§. 5.

Quid sit Ens supernaturale secundùm suū conceptum absolutum, non attendendo ad Naturam, supra quam est?

433 QVinta difficultas: Quid sit Ens supernaturale secundùm suum conceptum absolutum, non attendendo ad Naturam, supra quam est? Prima sententia asserit illa esse supernaturalia, quæ Deum vt Trinum: illa verò Naturalia, quæ Deum vt Vnum respiciunt. Ita Zumel 1. 2. *q.* 110. *a.* 4. *d.* 5. *p.* 2. Reijcitur primò, quia actus Fidei, & Charitatis, quo credimus Deum esse Vnum, & quo illum vt Vnum diligimus supra omnia

Zumel

omnia, est supernaturalis: & tamen non respicit Deum vt Trinum. Secundò, quia actus, quo hæreticus cognoscit Deum esse Trinum, illum vt Trinum respicit: & tamen non est supernaturalis. Tertiò, quia Essentia Diuina potest videri intuitiuè sine Personis, vt *in Anima tr. 4. de Notitijs n. 211.* latè docuimus: & tamen talis visio esset supernaturalis.

434 Secunda sententia docet Supernaturalia esse illa, quæ participant Essentiam Diuinam, & eius Attributa in se: Naturalia verò illa, quæ ea participant in alio. Ita Ioan. Vincent. *de Gratia Christi q. 1. f. d. 34.* Curiel. *1. p. q. 110. dub. 1. §. 16.* Alber. *1. p. d. 26. n. 9.* Herrer. *in 1. q. 1. d. 1. cond. 1.* Sosa *q. 1. prolog. diffictul. 4.* Reijcitur, quia non explicat, in quo consistat illa *participatio Dei in se:* non enim est per identitatem: non per Vnionem hypostaticam: non per possessionem: nō per causalitatem; nec per similitudinem: & non apparet alius modus. Non, inquam, *per identitatem,* sin minùs, solæ Personæ Diuinæ essent supernaturales, cùm solæ per identitatem participent Essentiam Diuinam in se. Non *per vnionem,* sin minùs humanitas Christi Domini esset supernaturalis: immò illa sola esset supernaturalis, cùm sola participet per Vnionem. Nō *per possessionem,* alioquì sola Visio Beata esset supernaturalis. Non *per causalitatem,* cùm omnes effectus tum supernaturales, tum naturales illam participent hoc modo. Non denique *per similitudinem*, quia plura Entia Naturalia magis assimilantur Deo, quàm supernaturalia; homo enim magis est similis Deo, quàm actus Fidei.

(Ioan. Vinc. Curiel. Albert. Herrer. Sosa)

435 Tertia sententia contendit Supernaturalia esse illa, quæ non possunt intelligi nisi in ordine ad Deum prout est actus purus, hoc enim solo modo Deus Naturæ ordinem, qui est potentialitati immersus, transcendit. Ita P. Albertin. *tom. 1. Principio primo philosoph. q. 2. theologica n. 4. & 2. Princip. philos. q. 5. n. 2.* Hæc tamen communiter non probatur, non enim explicat quid sit iste respectus, quem Ens supernaturale necessariò habet ad Deū, vt est actus purus, v. g. Modus, quo accidens existit per se, & quo quantitas est in loco definitiuè, est supernaturalis: & tamen non apparet quomodo respiciat Deum, vt ipse est actus purus.

(P. Albert.)

436 Quarta sententia est aliorum asserentium Supernaturalia esse illa, quæ Deo immediatè coniunguntur vt termino, aut per cognitionem immediatam; aut per amorem similiter immediatum; aut per Vnionem hyposthaticam, nam cùm sola Substantia Dei, inquiunt, sit supernaturalis per essentiam, ratio supernaturalitatis debet eleuare creaturam ad aliquam coniunctionem immediatam cum ipsâ Substantiâ Diuinâ; coniunctio enim mediata etiam conuenit rebus naturalibus Ita P. Fasol. *1. p. q. 12. a. 4. n. 22.* P. Erice *1. p. d. 48. c. 3.* Non tamen arridet hæc sententia. Primò, quia Modus, quo accidens existit per se, & quo quantitas est definitiuè in loco, sunt supernaturales, vt dixi: & tamen non habent hanc immediatam coniunctionem cum Deo. Secundò, quia amor naturalis Dei tam immediatè videtur nos vnire cum Deo, quàm supernaturalis, maximè cùm, vt *in Anima tract. 4. de Notitijs n. 364.* ostendi, amor naturalis, & amor supernaturalis possunt habere idem obiectum materiale, & formale. Neque dicas, amorem naturalem vnire nos Deo cognito abstractiuè, & mediatè in aliquo. Non, inquam, hoc dicas, quia etiam amor supernaturalis nos vnit Deo cognito abstractiuè, & mediatè per actum Fidei, qui non habetur immediatè, & per proprias species.

(P. Fasol. P. Erice)

437 Quinta sententia dicit Supernaturalia esse illa, quæ pertinent ad ordinem videndi Deum: Naturalia veró illa, quæ ab eo ordine deficiunt. Ita P. Petr. Hurt. *in suis manuscriptis de visione Dei d. 4. f. 1.* Displicet, tamen, quia, vt diximus, Modus, quo accidens existit per se, & quo quantitas est in loco definitiuè, sunt entia supernaturalia: & tamen non spectant ad illum ordinem videndi.

(P. Petrus Hurt.)

438 Mitto alias sententias minoris momenti, qualis est illa asserentium Ens supernaturale esse illud, cuius proprietates ab eo virtualiter tantùm distinguuntur. Quæ primò nō probatur, quia Ens in communi non habet proprietates ex naturâ rei distinctas: & tamē non est supernaturale. Secundò, quia si daretur Substantia connexa cum Gratiâ sanctificante esset supernaturalis, licét alioquí distingueretur á suis potentijs ex naturâ rei.

§. 6.

Quid de sententiâ constituente Ens supernaturale in eo, quod speciali modo est æternum, & immortale?

439 Aliæ duæ supersunt sententiæ, quarum hîc facienda expressa mentio. Prima inuenta á quodam ingeniosissimo Magistro, qui distinguit inter duo genera donorum Dei, alia dicit nobis esse data precariò, quæ nimirum potest Deus quolibet momento reuocare: alia esse propriissimè dona nobis donata per donationem irreuocabilem, nam vt constat ex *l. 1. ff. de donationibus,*

(P. Anton. Peres Romæ primarius Sacræ Theologiæ Magister in suis manuscriptis.)

nationibus; donatio non potest á donatore pro libito reuocari, sicut potest, quod precariò datur.

440 Dicit ergo hic Magister omnia dona naturalia data nobis esse precariò; omnia enim naturalia potest Deus quolibet momento annihilare; nihil enim naturale est immortale, & incorruptibile immortalitate ligante manus Omnipotentiæ Diuinæ, sed quolibet momento potest à Deo annihilari: sola dona supernaturalia sunt æterna, & irreuocabilia immortalitate quâdam ligante manus Omnipotentiæ Diuinæ, quod significat Apostolus
Ad Rom. 11. 11. *ad Rom.* ibi: *Dona Dei absque pænitentia*: &
Luc. 21. Christus Dominus, *Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non transibunt*, nomine *Cæli*, & *terræ* comprehendit omnem Naturæ firmitatem, quam dicit minimè ligare manus Omnipotentiæ Diuinæ; sed posse ab illâ annihilari: cùm verò dicit, *Verba autem mea non transibunt*, significat aliam firmitatem superiorem donorum supernaturalium, quæ speciali modo sunt perpetuò duratura: desumitur autem hæc specialis immortalitas á promissione Diuinâ promittente perpetuitatem hisce donis; quâ promissione factâ ex Virtute fidelitatis ligatur manus Omnipotentiæ Diuinæ.

Itaque in hâc sententiâ omne Naturale est mortale, & caducum, & in ordine ad Omnipotentiam Diuinam absolutam potest fallere: omne veró Supernaturale ex speciali promissione, & fidelitate Diuinâ est perpetuum, & immortale etiam in ordine ad Omnipotentiam Diuinam absolutam. Et huius ratio est; quia omne supernaturale ordinatur de se ad Beatitudinem supernaturalem: Beatitudo autem supernaturalis speciali modo ex promissione, & fidelitate Diuinâ, quam exigit, etiam in ordine ad Diuinam Omnipotētiam absolutam, est immortalis, & æterna afferens sui securitatem: alioquí non beatificaret.

441 Si obijcias primò: Multa auxilia supernaturalia non durare nisi vnico instanti, aut saltem non nisi breui tempore. Respondetur eorum fructum esse æternum, nempe Beatitudinem.

Si obijcias secundò: Gratiam, & alia dona supernaturalia deperdi, & amitti per quodlibet peccatum mortale. Respondetur in hâc sententiâ non negari dona supernaturalia esse reuocabilia propter culpam hominis, sed solùm non posse á Deo donatore pro solo suo libito reuocari; siquidem donauit illa non precariò, sed donatione irreuocabili.

442 Si obijcias tertiò: Multa naturalia esse nobis donata donatione perpetuâ, & irreuocabili, vt de Cælo Empyreo constat ex illo *ad Hebræos 8. Tabernaculum verum, quod fixit Dominus*, vbi notanda particula *fixit*, quæ idem valet ac *æternum fecit*: & 2. *ad Cor.* 5. *Habitationem habemus in Cælis, domum non manu factam, æternam in Cælis*. Itē terra quoad substantiā ex promissione Diuinâ est æterna iuxta illud *Ecclesiastes* 1. *Terra autem in æternum stat*: & *Psal.* 74. *Ego confirmaui columnas eius*: & *Psalm.* 92. *Firmauit Orbem terræ, qui non commouebitur*. Et sanè Deus poterat promittere se nunquam annihilaturum hoc lignum, vel hoc saxum, & illud nobis donare donatione irreuocabili: quo dato, ex fidelitate ligarentur manus Omnipotentiæ Diuinæ: non tamen inde sequitur hoc lignum, vel hoc saxum reddi supernaturale in entitate. Respondetur nullum ex his exigere donationem irreuocabilem: solam Beatitudinem, & cætera dona supernaturalia (quę omnia cum illâ connectuntur) exigere talem donationem, quia cùm de se sit Beatitudo, de se exigit securitatem suę perpetuitatis, quæ securitas obtinetur per donationem irreuocabilem etiam in ordine ad Omnipotentiam absolutam. Dixi, *etiam in ordine ad Omnipotentiam absolutam*, quia sola huius donationis exigentia est propria Beatitudinis, & aliorum donorum supernaturalium; nam Anima Rationalis, & Angelus solùm exigunt donationem irreuocabilem per Omnipotentiam ordinariam.

Ad Hebr. 8. 2. Ad Cor. 5. Eccles. 1. Ps. 74. Ps. 92.

443 Ego hanc opinionem iudico ingeniosissimam: non tamen possum illi acquiescere: quia multa sunt Supernaturalia, quę non exigunt sui perpetuitatem, & talem donationem Diuinam irreuocabilem. Et id patet in primis in Vbi Eucharistico. Secundò, in Modo existendi per se accidentium Sacrę Eucharistiæ, quem dari infrá ostendam *n.* 546. Tertiò, in vnione, quâ vniuntur partiales Vniones hypostaticę corporis, & Animæ Christi D. quas cum communi Doctorum diximus *in Phys. tr.* 1. *n.* 390. non vniri se ipsis, sed mediâ aliâ vnione distinctâ, quæ cùm versetur inter extrema supernaturalia, videtur esse supernaturalis: & tamen talis vnio non erat de se perpetua, sed mortalis; & de facto in triduo mortis Christi Domini, cùm separata fuit Anima à corpore, amissa est. Quartò id patet in Vnione hypostaticâ ad formam cadaueris in triduo mortis Christi; communiter enim asserunt Doctores formam cadaueris illo triduo mortis Christi fuisse vnitam ad Verbum per Vnionem hypostaticā, vt diximus *tr.* 1 *de Anima n.* 20. Itaque talis Vnio hypostatica fuit supernaturalis: & tamen caduca, & mortalis. Quód si neges cum P. Hurtado *de Anim. d.* 1. *n.* 37. de facto datam fuisse talem vnionem: illam non negabis illo triduo fuisse possibilem:

P. Hurt.

lem: talis ergo Vnio hypostatica, siue de facto extiterit, vt est communis sententia Theologorum, siue solùm de possibili, est supernaturalis: & tamen caduca. Idem dicendum de vnionibus partialibus hypostaticis terminatis ad partes Materiæ, quæ per nutritionem acquirebantur, & amittebantur. Et confirmatur tota hæc doctrina, quia si Ens supernaturale ex speciali promissione Diuinâ non posset à Deo annihilari, cognitio supernaturalis id cognoscens ex suâ essentiâ non posset annihilari; nam ex suâ essentiâ id cognosceret: & ex suâ essentiâ non potest esse falsa, quod ex professo explicuimus, & prosecuti fuimus *in Log. tract. 6. à n. 156.*

444 Neque obstat, quòd dona Dei dicantur ab Apostolo irreuocabilia, hoc est, *absque pœnitentia*; nam ibi nô est s ... de ratione Entis supernaturalis. Solùm vult Apostolus Deû stare promissis, hoc est, daturum executionem ijs, quæ promisit, prout promisit. Et patet, quia loquitur de conuersione Iudæorum, quâ dicit futuram post conuersionem gentiû; quia Deus aliquândo respiciet populum suum, prout promisit. Vide P. Cornelium à Lapide loco citato.

P. Cornel. à Lapide

§. 7.

Quid de sententiâ constituente Ens supernaturale in eo, quod est Ordinis Diuini?

445 SEcunda sententia docet Supernaturalia esse illa, quæ sunt Ordinis Diuini: Naturalia veró illa, quæ non sunt Ordinis Diuini: esse autem Ordinis Diuini dicit consistere in eo, quód speciali modo respiciat Deum, vt Ens eleuatissimum est, ad eum modû, quo risibile dicitur ordinis humani, nó quòd vniuocè, vel analogicè in eodem Prædicamento conueniat cum homine, sed quia speciali quodam modo respicit, ac spectat ad hominem quâ homo est. Quòd si quæras, Quænam sint illa, quæ speciali modo spectant ad Deum? Respondet esse illa, quibus Deum intra proprium ipsius Ordinem aliquo modo attingimus, siue id fiat per assimilationem, vt per Gratiam, quâ efficimur Deo similes: siue per cognitionem, vt per Fidem, & Visionem Beatam: siue per amorem, vt per Charitatem.

446 Hæc sententia traditur ab Antonio Perez *in Laurea salmantina certamine 4. scholastico à num. 48* vbi citat Caietan. *1. p. q. 12. art. 5.* & Machinum *1. p. d. 16. s. 8. §. 2.* Accedunt P. Molina *1. p. q. 12. a. 5. d. 2. §. Ad hoc argumentum*, P. Soar. *in Met. d. 22. s. 2. n. 31.* & *de Incarn. d. 9. s. 2. §. Secundò si*, P. Tellez *d. 54. s. 1.* Quibus accedunt P. Arriaga *de Visione d. 3. num. 17.* Patres Conimbr. *2. Physicor. cap. 8. q. 3. a. 2. §. Ad ea verò*, P. Alarcon *1. p. tract. 1. d. 2. cap. 3. n. 2.* P. Pasql. *1. p. q. 12. a. 4. dub. 4. n. 22.* Probatur ex *2. Petri 1.* vbi per dona supernaturalia dicitur effici nos *Diuinæ consortes Naturæ*, quia videlicet per illa eleuamur ad Ordinem Diuinum. Item per dona supernaturalia constituimur Dij, iuxta illud *ego dixi Dij estis*; & hinc est quòd in Catechismo Pij V. Gratia baptismalis appellatur *Diuina qualitas animo inhærens*; & à D. Cyrillo *lib. 4. in Isai. orat. 2.* dicitur *Forma Diuina*: & à D. Dionysio *de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2.* vocatur *Natiuitas Diuina*: quibus locutionibus ideò Gratia dici videtur supernaturalis, quia est Ordinis Diuini: ergo Ens supernaturale est illud, quod est Ordinis Diuini.

Perez. Caiet. Machin. P. Molina P. Soarez P. Tellez. P. Arriaga Patres Conimbr. P. Alarc. P. Pasql. 2. Petri 1. Psal. 81. Catechis. D. Cyrillus D. Dion.

447 Sanè hæc sententia in substantiâ verissima est, non tamen adæquatè explicat, Quid sit *esse Ordinis Diuini*; dicit enim illud esse Ordinis Diuini, quod respicit Deum vt Ens eleuatissimum est, quod videlicet aliquo modo attingit Deum intra proprium eius Ordinem. At verò hæc explicatio non est sufficiens, neque punctum exhaurit; nam creatio Angeli, & creatio Mundi ex nihilo videntur respicere Deum, vt Ens eleuatissimum est, & eum attingere intra proprium eius Ordinem; nullus enim alius potuit creare Angelum, aut Mundum vt causa principalis, nisi solus Deus: & tamen creatio Angeli non est Ordinis Diuini, neque supernaturalis.

448 Aliqui dicunt creationem Angeli non esse Ordinis Diuini, quia est debita Angelo, qui est ordinis naturalis: & nullum Ens Ordinis Diuini se adeò deprimit, vt sit debitum Enti ordinis naturalis. Sed contrà, quia hoc est explicare Ens supernaturale, & eius Ordinem respectiuè ad Naturam supra quam est: nostra verò quæstio procedit de conceptu absoluto Entis supernaturalis, eiusque Ordinis.

449 Dicunt alij creationem Angeli non esse Ordinis Diuini, quia licèt attingat solum Deum, non illum attingit intra proprium eius Ordinem, & id explicant exemplo volitionis humanæ; nam omnis nostra volitio attingit solum hominem, quia tamen sola volitio libera, & non volitio necessaria attingit hominem intra proprium eius ordinem, qui est liber, solæ volitiones liberæ, & non volitiones necessariæ dicuntur humanæ: sic licèt creatio Angeli attingat solum Deum, non illum attingit intra proprium Ordinem, ac proinde non dicitur Ordinis Diuini.

450 Sed contrà, quia non explicatur, Quid

sit

sit iste proprius Ordo Dei, & cur creatio Angeli, cum alioquí nulli alij possit conuenire nisi soli Deo, non illum attingat intra propriũ eius Ordinem. Occurrunt esse Ordinem eleuatissimum. Sed contrà, quia de hoc Ordine quæro ego in quo consistat? Neque exemplũ volitionis humanæ est sufficiens, nam volitio libera, & non libera; seu humana, & non humana non mutat essentiam, aut entitatem: Ordo verò Diuinus, & non Diuinus mutat essentiam, & entitatem. Prætereá, volitio necessaria non dicitur humana, quia non procedit ab homine prout est in suo statu libero, qui est status hominis: at veró creatio Angeli procedit à Deo prout est in eius statu Diuino.

§. 8.

Concluditur illa esse Supernaturalia, quæ sunt Ordinis Gratiæ: sicut illa Naturalia sunt, quæ sunt Ordinis Naturæ.

451 Alio ergo modo explicandum est Ens supernaturale, seu Ens Ordinis Diuini. Et dicendum videtur esse illud, quod est Ordinis Gratiæ; nam re verâ Gratia theologicè loquendo opponitur Naturæ; vnde sicut quod est Ordinis Naturæ dicitur Naturale; ita quod est Ordinis Gratiæ dicitur Supernaturale. Et sané hæc videtur sententia D. Thom. 1. *p. q.* 62. *a.* 1. in corpore, &
D.Thom. *q.* 110. *a.* 1. item Scoti *in* 2 *dist.* 3. *q.* 9. *lit. D.* §.
Scot. *Hac distinctione præmissa.* Necnon Ægid. Lusitani
Ægid.Lus. *lib.* 7. *de Beatitudine q.* 5. *a.* 2. *n.* 2. Quibus acce-
P.Grana. dunt P. Granad. *tom.* 2. *controuers.* 8. *de Gratia tr.*
Carthus. 4. *d.* 8. *sect.* 5. *n.* 5. Carthus. *in* 2. *d.* 27. *q.* 2. Re-
P.Ripal. centiores Magistri Salmanticenses, & alij,
P.Euseb. quos citant, & sequuntur P. Ripalda *de Ente su-*
Nieremb. *pernaturali d.* 45. P. Eusebius Nieremberg. *tom. de Pretio Diuinæ Gratiæ lib.* 1. *cap.* 5. *& sequentibus.*

452 Probatur hæc sententia, quia Ens Ordinis Diuini nos eleuat ad talem Ordinẽ, & ita se habet Gratia sanctificans, & quidquid est eiusdem Ordinis cum illâ. Sanè Gratia nos efficit *Diuinæ consortes Naturæ*, vt retulimus ex 2. *Petri* 1. & constat ex illo, *Ego dixi Dij*
Ioan. 1. *estis, & Filij excelsi*: & ex illo *Ioann.* 1. *Dedit eis Fi-*
1. Ioan. 3. *lios Dei fieri*: & 1. *Ioann.* 3. *Vide te qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus.* Hinc est, quód in Catechismo Pij V. appelleat Gratia *qualitas Diuina*: & D. Cyrill. *lib.* 4. *in Isai.* illam appellet *Formam Diuinam*: & D. Dionysius *cap.* 2. *de Ecclesiastica Hierarchia* Gratiam nominat *Natiuitatem Diuinam.* Cùm igitur Gratia sit Ordinis Diuini, vt patet ex dictis, bené sequitur ea quæ sunt eiusdem Ordinis cum illâ etiam esse eiusdem Ordinis Diuini.

453 Sed magnum dubium est, Quæ dicantur esse eiusdem Ordinis cum Gratiâ? P. Ripalda cit. dicit illa esse eiusdem Ordi-
nis cum Gratiâ, quæ connectuntur cum illâ. P.Ripal.
Benè. Sed inquiro, Quæ dicantur connecti cum Gratiâ? Respondet, ea connecti cũ Gratiâ, quorum essentia destrueretur, si illa foret impossibilis. Hæc doctrina, & modus dicendi non videtur sufficiens, quia odium Gratiæ, & eius relatio ad illam supponunt essentialiter existentiam Gratiæ: & tamen non connectuntur cum illâ, ita vt dicantur esse eiusdem Ordinis cum Gratiâ, & Entia supernaturalia.

454 Quare probabiliùs dicendum existimo illa esse eiusdem Ordinis cum Gratiâ, quæ aut sunt eius proprietates: aut dispositiones ad illam. Aut, inquam, eius proprietates, vt Habitus supernaturales, Virtutes, & Scientiæ infusæ, Dona Spiritûs Sancti, Lumẽ Gloriæ, Dotes, cæteraque propria filiationum Dei, quæ debentur illis, qui fiunt Diuinæ cõsortes Naturæ per Gratiam sanctificãtẽ, quæ vt loquuntur Theologi, in Ordine supernaturali habet se per modum Naturæ, cuius hæc, & similia sunt proprietates. Dixi *aut dispositiones ad Gratiam*, quia hæc etiam dicuntur esse eiusdem Ordinis cum illâ, & ita se habet Vocatio Diuina, Gratia excitans, Gratia præueniens, Gratia adiuuans.

455 Obijcies primò. Actus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, &c. sunt supernaturales: & tamen neque sunt proprietates, neque dispositiones ad Gratiam. Respondeo esse vtrunque: in primis proprietates, quia soli Gratiæ, aut illis, quæ sunt eius Ordinis, debentur: dispositiones, quia disponũt ad illam, & ad eius augmentum.

456 Obijcies secundò. Vbi Eucharisticum neque est proprietas, neque dispositio ad Gratiam: & tamen est Ens supernaturale. Idem dicendum de Modo existendi per se Accidentium Sacræ Eucharistiæ. Respondeo hęc non posse quidditatiué intelligi nisi à Scientiâ per se infusâ: vnde hęc sola est eorũ esse intentionale. Et hinc patet ista Entia quóad esse intentionale esse eiusdẽ Ordinis cũ Gratiâ, quia eorũ esse intẽtionale, cùm cõsistat in Sciẽtiâ per se infusâ, quę est proprietas Gratiæ, est eiusdem Ordinis cum ipsâ Gratiâ. Et bené Entia supernaturalia optimè explicantur per eorum esse intentionale: & illa de facto ita
explicauit Apostolus 1. *ad Cor.* 2. ibi: *Nec oculus* 1. ad Corinth. 2.
vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit,
quæ præparauit Deus diligentibus se: & 1. *ad Timot.* 6. 1. ad Timot. 6.
Qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum

vidit

vidit, sed nec videre potest. Et huius vltima ratio est, quia cognoscibilitas radicatur in esse: vnde quæ solam habent cognoscibilitatem supernaturalem, solùm habent esse supernaturale.

457 Obijcies tertiò. Memoria Gratiæ, quā habet Dæmon, est proprietas ipsius Gratiæ: & tamen non est supernaturalis. Plures apud P. Arriaga in 1. p. d. 3. num. 29. sentiunt talem memoriam esse supernaturalem. Alij id renuunt concedere, quia Dæmones spoliati sunt omni dono supernaturali. Quare in horum opinione dicendum est memoriam Gratiæ non esse proprietatem Gratiæ, quā Gratiæ, sed omnis actûs præteriti, quà præteriti.

P. Arriaga

458 Obijcies quartò. Futura intrinsecè contingentia, & præsentes cordis cogitationes non possunt cognosci nisi per Scientiam per se infusam; vnde patet quòd eorum esse intentionale sit proprietas Gratiæ, non minùs, quàm esse intentionale Vbicationis Eucharisticæ, & Modi existendi per se Accidentium: & tamen ipsa futura, & præsentes cordis cogitationes non sunt in suâ entitate supernaturales. Respondeo hæc solùm quòad statum non posse cognosci naturaliter: entitatiuè possunt cognosci naturaliter, & eorum entitates de facto cognoscuntur ab Angelo, vel cuius sunt; imò & ab alijs, quibus ille ea manifestat. Itaque hæc non sunt supernaturalia quòad entitatem, sed solùm quòad statū, defectu medij.

459 Ex dictis patet cur odium Gratiæ, & eius relatio ad illam non sint Entia supernaturalia; licèt enim in aliquo sensu, & modo connectantur cum Gratiā, non connectuntur cum illā vt eius proprietas, aut dispositio ad illam.

460 Quæres, Cur Ens supernaturale potiùs explicetur per Ordinem ad Gratiā, quàm per Ordinem ad Gloriam. Respondeo Gratiam, vt suprà dixi, ex communi Theologorū in Ordine supernaturali habere se per modum radicis, & Naturæ, cuius ipsa Gloria est fructus, seu proprietas. Vnde meritò concludit P. Eusebius Nieremberg suprà cit. Gratiam esse nobiliorem Gloriā, illamque antecedere: quod optimè probatur ex dictis quantùm ad esse physicum; nam esse Naturæ semper est nobilius, quàm esse proprietatum. Et quantùm ad esse morale probatur ex illo, quia Gratia pretiatiuè est magis diligenda, quàm Gloria; non enim licet relinquere Gratiam pro Gloriā: & licitum est relinquere Gloriam pro Gratiā; iuxta illud Apostoli *Ad Roman. 9. Cupio anathema esse à Christo pro fratribus meis*: & iuxta illud Moysis *Exod. 32. Aut dimitte eis hanc noxam: aut dele me de Libro Vitæ.* Quod etiam de Sanctissimo Parente nostro IGNATIO celebre est.

P. Euseb. Nieremb.

Ad Rom. 9.

Exod. 32.

§. 9.

Vtrùm possibilis sit Substantia supernaturalis?

461 SExta difficultas: Vtrùm possibilis sit Substantia creata realis supernaturalis? Non esse improbabilem resolutionem affirmatiuam stando rationibus defendunt P. Albertin. *Princip. 2. philosophico q. 1. theologica dub. 8. ad 3.* P. Ripald. *de Ente supernaturali disput. 23. sect. 3.* plures recentiores Magistri Salmanticenses in suis manu-scriptis, P. Petrus Hurtad. *tract. de Visione Dei manuscripto disp. 6.* P. Pimentel, & alij ex Iunioribus. Certè nullam in eo apparere manifestam contradictionem docet P. Molina *1. p. q. 12. a. 5. disp. 2.* P. Erice *1. p. d. 48. n. 63.* P. Valent. *1. p. d. 1. q. 12. puncto 3. §. Hæc autem doctrina*, P. Becan. *1. p. c. 9. de Visione Dei q. 9. n. 4.* P. Ægid. *3. p. q. 76. art. 7. num. 118.* P. Ioann. Præposit. *1. p. q. 12. dub. 3. à n. 39.*

P. Albert. *P. Ripal.* *P. Petrus Hurt.* *P. Piment.* *P. Molina* *P. Erice* *P. Valent.* *P. Becan.* *P. Ægid.* *P. Prepos.*

462 Probatur primò; quia Deo non est denegandū nisi id, quod manifestam inuoluit contradictionem: sed nulla talis visitur in eo, quòd sit possibilis Substantia realis supernaturalis. Secundò, quia non repugnat Substantia habens connexionem cum Gratiā sanctificante: hæc autem esset supernaturalis. Maior ostenditur, quia ista connexio non est infinita; ac proinde non excedit rationem Substantiæ creatæ. Non est, inquam, infinita, quia si talis foret, id haberet ratione termini: hic autem, nimirum Gratia sanctificans, non est infinitus. Tertiò, quia est possibilis Substantia modalis supernaturalis, nempe Vnio hypostatica: ergo idem dicendum de Substantiā reali. Quartò, quia possibile est Accidens supernaturale: ergo etiam Substantia supernaturalis. Quintò, quia Deus potest facere Substantiam perfectiorem coniuncto ex Intellectu, & Lumine Gloriæ. Probo hoc, quia tale coniunctum est finitum; Deus verò potest facere Ens perfectius quolibet finito: talis autem Substantia foret supernaturalis. Sextò, quia non repugnat Substantia, cui connaturalis sit virtus operatiua Miraculorum, vt cum pluribus Theologis tenet P. Arriaga cit. *num. 57.* hæc autem esset supernaturalis. *P. Arria.*

463 Neque dicas primò, impossibilem esse Substantiam supernaturalem ex eo, quòd esset supra se ipsam; cùm enim Ens supernaturale sit supra omnem Naturam: Natura verò

coincidat cum Substantiâ proculdubio Substantia supernaturalis foret supra se ipsam. Non, inquam, hoc dicas. Primò, quia talis Substantia solùm foret supra Substantiam, & omne aliud Ens inferioris ordinis á Gratiâ; nam, vt constat ex supradictis Natura, supra quam Ens supernaturale tale dicitur, est omne, ac solùm illud, quod est inferioris ordinis à Gratiâ. Secundó, quia Deus est Substantia supernaturalis: & tamen non est supra se ipsum. Tertió, quia accidentia supernaturalia talia sunt, licèt non sint supra omnem Substantiam; neque enim sunt supra Substantiam Diuinam: satis est quód sint supra Substantiam inferioris ordinis á Gratiâ. Quartò, quia si detur Substantia habens connexionem cum Gratiâ, erit supernaturalis: non tamen supra se ipsam.

464 Neque dicas secundò, impossibilem esse Substantiam supernatutalem ex eo quòd esset Ordinis Diuini: omnis autem Substantia realis, quæ est Ordinis Diuini, aut est Deus, aut pars Dei, ad eum modum, quo omnis Substantia realis ordinis Angelici, aut est Angelus, aut pars Angeli; & omnis Substantia realis ordinis humani, aut est homo, aut pars hominis. Non, inquam, hoc dicas. Primò, quia si argumentum concluderet, etiam probaret impossibilem esse Substantiam modalem supernaturalem; nam omnis Substantia ordinis humani, aut est homo, aut pars hominis: realis, si talis Substantia sit realis: modalis, si talis Substantia sit modalis: ergo impossibilis foret Substantia modalis supernaturalis, quia hæc, cùm esset Ordinis Diuini, esset pars modalis Dei. Secundó, quia possibilis est Substantia, nempe Anima separata, cui connaturalis sit visio intuitiua Angeli, quæ tamen non sit ordinis Angelici; hoc est, neque Angelus, neque pars Angeli: ergo possibilis erit Substantia, cui connaturalis sit Visio intuitiua Dei, quæ tamen non sit Ordinis Diuini in hoc sensu, hoc est, neque Deus, neque pars Dei: hæc tamen foret supernaturalis. Tertiò, quia si esset possibilis Substantia connexa cum Gratiâ; hæc neque esset Deus, neque pars Dei; talis enim foret ratione termini: terminus verò nimirum Gratia, neque est Deus, neque pars Dei: & tamen talis Substantia esset supernaturalis.

(?)

§. 10.

Præfertur resolutio negatiua.

465 Nihilominus tenenda contraria resolutio asserentium impossibilem esse Substantiam realem supernaturalem. Ita D. Thom. 1. *p.* *q.* 12. *art.* 4. & 5. Scot. *in* 2. *dist.* 23. *q.* *vnic.* Nazar. 1. *p.* *q.* 12. *art.* 5. *controuers.* 2. Cabrer. 3. *p.* *q.* 2. *art.* 12. *d.* 2. qui duo dicunt contrariam sententiam esse temerariam. P. Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *q.* 3. *num.* 2. *disp.* 3. *sect.* 2. & *tom.* 2. *tract.* 11. *disp.* 6. *sect.* 10. vbi sentit contrariam opinionem esse periculosam in Fide. Zumel 1. *p.* *q.* 12. *a.* 5. *d.* *vnic.* *in appendice*. & 1. 2. *q.* 110. *a.* 4. *d.* 5. *a.* 1. *§.* *Sed quoniam*, & *a.* 2. *proposit.* 1. *ad* 1. vbi dicit contrariam sententiam esse falsam, & omninò reijciendam ab scholis. P. Fonsec. 7. *Metaphys.* *cap.* 1. *q.* 2. *à sect.* 3. P. Soar. *in Metaphysic.* *disp.* 30. *sect.* 11. *num.* 41. & *disp.* 35. *sect.* 1. *num.* 11. & *lib.* 2. *de Attribut.* *cap.* 9. & *de Incarn.* *d.* 31. *sect.* 6. & *lib.* 8. *de Gratia cap.* 3. P. Vasq. 1. *p.* *d* 45. *cap.* 1. P. Valent. 1. *p.* *q.* 12. *punct.* 3. P. Albertin. 1. *principio philosophico corollar.* 2. *q.* 3. P. Henriq. *de fine hominis cap.* 1. *§.* 2. & *lib.* 6 *cap.* 14. §. 1. P. Hurt. *in Physic.* *disp.* 7. *sect.* 3. P. Erice 1. *p.* *tract.* 4. *disp.* 48. *cap.* 4. P. Ægid. 2. 2. *d.* 4 *dub.* 1. P. Fasol. 1. *p.* *q.* 12. *a.* 4. P. Tanner. *tom.* 1. *disp.* 2. *q.* 6. *num.* 5. & *tom.* 2. *d.* 6. *q.* 4. *num.* 6. P. Moncæus *d.* 8. *cap.* 2. §. *Secundum est.* P. Torr. 2. 2. *d.* 68. *dub.* 2. & *opusculo* 3. *d.* 1. *dub.* 11. P. Granad. 1. 2. *controuers.* *de Gratia num,* 4. *disp.* 8. Aluarez *de Auxilijs d.* 69. Albelda 1. *p.* *d.* 26. Ripa ibidem, Perez *in Laurea Salmant.* *certamine* 4. *scholastico*, Machin. 1. *p.* *disp.* 16. *sect.* 8. Ægid. Lusitan. *tom.* 2. *de Beatitudine lib.* 10. *q.* 11. *a.* 11. § 3. *num.* 14. P. Arriaga cit. *disp.* 3. P. Tellez *disp.* 54. *sect.* 1. P. Recup. *de Deo l.* 6. *q.* 3. *cap.* 4. P. Arrubal 1. *p.* *q.* 12. *disp.* 22. *cap.* 2. & alij plures.

D.Thom. Scot. Nazar. Cabrer. P.Salas Zumel P.Fonseca P.Vasq. P.Valent. P.Alberti. P.Henriq. P.Hurt. P.Erice P.Ægid. P.Fasol. P.Tanner. P.Moncæ. P.Torres P.Granad. Aluarez Albelda Ripa Perez Machin. Ægid.Lus. P.Arriaga P.Tellez P.Recupi. P.Arrub.

466 Probatur. Primò, quia repugnat creatura suâpte naturâ, ac proprijs viribus videns Deum, vt constat ex dictis á *num.* 404. si autem daretur Substantia realis supernaturalis proprijs viribus posset videre Deũ. Ostēditur hoc, quia talis Substãtia posset naturaliter fieri grata Gratiâ sanctificante: ergo posset naturaliter fieri Beata; nam Gloria est connaturalis Gratiæ, illique connaturaliter debetur. Antecedens ostenditur, quia talis Substantia esset eiusdem ordinis cũ Gratiâ, & illius capax: ergo posset naturaliter disponi ad illam, vt ad quodlibet aliud accidēs sibi cõnaturale, cuius est capax: Substantia autem potest naturaliter recipere

recipere accidens, ad quod potest naturaliter disponi. v.g. potest naturaliter recipere albedinem, hoc est, fieri alba, quia potest naturaliter disponi ad albedinem.

467 Dices: Possibilis est Substantia supernaturalis solius ordinis habitûs Fidei, aut Scientiæ per se infusæ, hoc est, æquiualens coniuncto ex Substantiâ, quæ de facto datur, & ex habitu Fidei, vel Scientiæ per se infusæ; sed hæc non videret Deum naturaliter. Probo Minorem, quia coniunctum ex Substantiâ, quæ de facto datur, & habitu Fidei, vel Scientiæ per se infusæ non videt Deum naturaliter; solùm illum videt coniunctum ex Substantiâ, & Lumine Gloriæ. Respondeo distinguendo Minorem: Actualiter non videt Deum, transeat: non posset naturaliter videre Deum, nego Minorem. Posset enim naturaliter elicere actum Fidei, vel alium supernaturalem, per quem naturaliter disponeretur ad Gratiam; & per hanc naturaliter ad Gloriam; & consequenter posset, si vellet, naturaliter videre Deum, quod tamen est contra rationem Creaturæ, vt constat ex dictis.

468 Instabis: Ex eo, quòd talis Substantia foret supernaturalis non illi deberetur Visio Beata. Probo hoc, quia non illi deberetur cognitio Secretorum cordis: ergo multò minùs Visio Beata. Non, inquam, illi deberetur cognitio Secretorum cordis, quia hæc non debetur Lumini Gloriæ: ergo neque illi Substantiæ supernaturali. Respondeo illi Substantiæ deberi Gratiam, & consequenter Gloriam: non tamen cognitionem Secretorum. Et huius diuersa ratio est, quia Gratia solùm ordinatur ad Gloriam, non ad cognitionem Secretorum; solùm enim ordinatur ad summam felicitatem, ac Beatitudinem, quæ consistit in Visione Dei: non in cognitione Secretorum.

469 Probatur secundò, quia repugnat creatura rationalis naturâ suâ impeccabilis, vt constat ex dictis *á num.* 417. si autem foret possibilis Substantia realis supernaturalis, posset naturaliter fieri impeccabilis. Probo hoc, quia posset naturaliter videre Deum, vt constat ex proximè dictis: sed dato, quòd naturaliter videret Deum, naturaliter maneret impeccabilis. Hæc Minor est manifesta, quia Beatus est impeccabilis. Et cõfirmatur, quia creatura supernaturaliter Beata manet supernaturaliter impeccabilis: ergo naturaliter Beata maneret naturaliter impeccabilis.

470 Dices: Si detur Substantia eiusdem ordinis cum habitibus Fidei, Spei, aut Scientiæ per se infusæ, adhuc posset peccare mortaliter, vt patet in coniuncto ex Substãtiâ, quæ de facto datur, & habitu Fidei, Spei, & Sciẽtiæ per se infusæ. Et confirmatur, quia licèt talis Substantia sit eiusdem Ordinis cum Gratiâ sanctificante adhuc posset peccare saltem venialiter; nam peccatum veniale non contradicit Gratiæ: ergo &c. Respondeo nõ negare me talem Substantiã in aliquo statu posse peccare, sed solùm dico posse se naturaliter constituere in statu impeccabilitatis; poterit enim, si velit, non peccare; imò naturaliter elicere aliquem actum supernaturalem, quo naturaliter disponatur ad Gratiam, & per hanc naturaliter ad Gloriam, quâ tandem naturaliter adeptâ manebit naturaliter impeccabilis, hoc est, omninò expers totius peccati tum mortalis, tum venialis.

§. II.
Argumenta soluta.

471 Neque obstant argumenta adducta *num.* 462. pro opinione contrariâ. Ad primum (quâtenus dicit nullam inuolui manifestam contradictionem in possibilitate Substantiæ realis supernaturalis) respondeo contradictionem in eo esse, quòd talis Substantia posset, & non posset naturaliter videre Deum: posset, quia naturaliter disponeretur ad Gratiam, & per hanc ad Gloriam, quæ ipsi Gratiæ connaturalis est: non posset, quia esset creatura: nulla autem creatura potest naturaliter videre Deum, vt constat ex dictis à *n.* 454.

472 Ad secundum (quâtenus asserit non repugnare Substantiam realem eiusdem Ordinis cum Gratiâ sanctificante) respondeo repugnare, quia talis Substantia proprijs viribus posset naturaliter videre Deum, quod est supra rationem, & captum creaturæ.

473 Ad tertium (quâtenus dicit possibilem esse Substantiam modalem supernaturalem, nempe Vnionem hypostaticam: & inde infert possibilem esse Substantiam realem supernaturalem) respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia modus supernaturalis, cùm sit omninò indebitus creaturæ rationali, non illam constituit naturaliter potentem videre Deum: secùs dicendum de Substantiâ reali. Et notandum est talem Substantiam supernaturalem oportere esse intellectiuam, nam nobilissimo eius esse competit operatio nobilissima: Vnde non poterat esse pura Materia, vel Forma materialis.

474 Ad quartum (quâtenus dicit possibile esse Accidens supernaturale; & inde infert possibilem esse Substantiam realem supernaturalem) nego Consequentiam. Diuersa ratio est, quia ex possibilitate Accidentis supernaturalis non sequitur creatura naturaliter potens videre Deum, aut impeccabilis: hoc autem incommodum sequitur ex possibilitate Substantiæ realis supernaturalis. Instabis: Ex possibilitate Accidentis naturalis sequitur possibilitas Substantiæ realis naturalis: ergo ex possibilitate Accidentis supernaturalis sequitur possibilitas Substantiæ realis supernaturalis. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia Accidens naturale necessariò ordinatur ad aliquam Substantiam: ad hanc autem eandem potest ordinari Accidens supernaturale.

475 Ad quintum (quâtenus dicit Deum posse facere Substantiam nobiliorem coniuncto ex Intellectu, & Lumine Gloriæ) respondi suprá *num.* 414. Itaque dicendum est illam Substantiam manere oportere intra ordinem naturalem; quia aliàs posset videre Deum proprijs viribus, quod, vt dixi, est supra rationem creaturæ.

476 Ad sextum (quâtenus dicit posse dari Substantiam creatam, cui connaturalis sit virtus operatiua Miraculorum) respondeo non posse dari talem Substantiam, quia, cùm ea qualitas sit supernaturalis, non potest connaturaliter deberi alicui Naturæ. Scio P. Arriagam loco citato admittere prædictam Substantiam naturalem, cui competat efficere miracula; quia existimat Supernaturalia posse contineri intra vires actiuas Naturæ, dummodò sint supra passiuas, quam opinionem suprà reiecimus *num.* 429. Et dato, quòd esset vera, miror P. Arriagam non aduertisse hanc virtutem operatiuam Miraculorum (quam dicit posse esse connaturalem alicui Substantiæ naturali) fore intra vires passiuas illius; siquidem in eâ connaturaliter subiectaretur tanquam potentia in suâ Naturâ; vnde nec in eius sententiâ talis Substantia potest admitti.

§. 12.

Vtrùm Deus sit Substantia supernaturalis?

477 SEptima difficultas: Vtrùm Deus sit Substantia supernaturalis? Negare videntur Seneca *l.* 4. *de Offícijs*, Plato 10. *de legibus*, Cicero *de natura Deorum*, Hugo Victor. 1. *didascalon. cap.* 11. Nicetas apud Clementem 8. *recognitionum*, Lactant. 2. *institutionum cap.* 9. & *l.* 3. *cap.* 28. D. Augustin. 12. *de Ciuitate Dei*, D. Damascen. *epist.* 4. c. 11. quâtenus dicunt Deum per Antonomasiam esse Naturam, & nomine *Naturæ* Deum intelligunt; dicunt enim *per Naturam facta esse omnia*. Certè hanc sententiam sequuntur P. Arriaga *tom.* 1. *in* 1. *p. disp.* 3. *num.* 20. & P. Salas 1. 2. *tractat.* 11. *disp.* 6. *sect.* 10. *à num.* 103. & probabilem existimat P. Ripald. *de Ente supernaturali disp.* 2. *num.* 2. Probatur. Primó, quia Deus, cùm sit Substantia, est perfectissima Natura: ergo non potest esse supernaturalis; sin minùs esset supra se ipsum. Secundó, quia supernaturalitas tota desumitur per ordinem ad subiectum, supra quod est: at verò Deus ad nullum ordinatur. Tertiò, quia si foret supernaturalis, omnes creaturæ tales forent. Probo hoc, quia omnes habent connexionem cum Deo, cùm illum respiciant transcendentaliter: illud veró est supernaturale, quod cum alio supernaturali est connexum.

Seneca. Plato Cicero Hugo Vict. Nicetas Lactant. D. Aug. D. Dama. P. Arriaga P. Salas P. Ripal.

478 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Deum esse Substantiam supernaturalem. Ita D. Dionysius *de Diuinis Nominibus cap.* 2. *p.* 2. Re verâ D. Damascen. *lib.* 3. *de Fide cap.* 15. & *lib.* 4. *cap.* 12. D. Thom. 3. *p. q.* 76. *a.* 7. in corpore, P. Arrub. 1. *p. d.* 21. *n.* 20. P. Soar. *l.* 2. *de Ang. c.* 29. & 3. *de Auxilijs c.* 1. & 2. & *tract. de Charit. d.* 1. *sect.* 2. *n.* 6. P. Vasq. 1. *p. d.* 44. *c.* 1. *n.* 10. P. Granad. 1. 2. *controuers.* 8. *de Gratia tract.* 4. *d.* 8. *num.* 12. P. Ægid. *tract. de actibus humanis d.* 4. *dub.* 1. P. Albertin. *q.* 3. *ex* 1. *Principio Philos. num.* 3. P. Erice 1. *p. disp.* 48. *cap.* 5. P. Hurtad. *in Physica disp.* 7. *§.* 3. Laurea Salmant. *certam.* 4. *schol. cap.* 3. *num.* 45. P. Fasol. 1. *p. q.* 12. *a.* 4. *num.* 22. P. Tellez cit. *d.* 54. *sect.* 1. *num.* 25. Et probatur, quia Ens supernaturale sumptum secundùm suum conceptum absolutum est illud, quod est Ordinis Diuini; imó idcircò Gratia est Ens supernaturale, quia est eiusdem Ordinis cum Deo, & nos constituit eius filios, & ipsius Naturæ consortes. Sin autem Ens supernaturale sumatur secundùm suum conceptum respectiuum in Ordine ad Naturam, supra quam tale dicitur, est illud, quod est supra omne debitum, ac exigentiam Naturæ, vt constat ex dictis *numer.* 430. sed Deus, vt est Auctor Gratiæ, est supra omne debitum, ac exigentiam Naturæ: ergo est supernaturalis.

D. Dionys. D. Dama. D. Thom. P. Arrub. P. Soares P. Vasq. P. Grana. P. Connin. P. Albert. P. Erice P. Hurt. Perez. P. Fasol. P. Tellez.

479 Argumētor deinde, primò pro hac sēt ētiā, quia quādo quærimus, Vtrū possibilis sit Substātia supernaturalis? quærimus, Vtrū possibilis sit Sub-

sit Substantia eiusdem Ordinis cum Gratiâ, cui nimirum ipsa Gratia sit connaturalis; sed Gratia est connaturalis Deo, imò constituit nos eiusdem naturæ cum illo: ergo Deus est supernaturalis. Et confirmatur, quia si possibilis foret Substantia creata natura suâ Beata, & impeccabilis, foret proculdubio supernaturalis; atqui Deus suâpte natura est Beatus, & impeccabilis: ergo est supernaturalis.

480 Argumentor secundò, quia de ratione Entis supernaturalis solùm est quód sit supra omnem Substantiam creatam ordinis inferioris á Gratiâ, nec requiritur quòd sit supra Substantiam Diuinam; sin minùs accidentia supernaturalia, & Vnio hypostatica forent supra ipsum Deum; atqui Deus, quâtenus est Auctor Gratiæ, est supra omnem Substantiam ordinis inferioris ab illâ: ergo est supernaturalis.

481 Argumentor tertiò, quia si Deus non esset Substantia supernaturalis, darentur plura accidentia Ordinis superioris, ac supra ipsum Deum. Occurrit quidam Magister dicendo Ordinem supernaturalem non esse nobiliorem, imò deteriorem ordine naturali; supernaturalis enim, inquit, est respectiuus ad subiectum: naturalis veró minimè. Noua quidem euasio, imò falsa: nam ex eâ sequitur, quòd amor Dei supernaturalis sit minùs nobilis, quám naturalis, & lux naturalis nobilior supernaturali, quæ communiter tribuitur corpori glorioso. Adde, quód si possibilis foret Angelus cui naturaliter deberetur Gratia, & Visio Beata, esset profectò supernaturalis, & nobilior Angelo naturali, qui de facto datur.

482 Argumentor quartó, quia Ens supernaturale tam secundùm suum conceptum absolutum, qui consistit in eo, quód sit Ordinis Diuini, quám secundùm suum conceptum respectiuum, qui consistit in eo, quòd sit supra omne debitum, ac exigentiam Naturæ, est perfectio simpliciter simplex nullam includens imperfectionem: ergo debet reperiri in Deo.

§. 13.

Argumenta soluta.

483 AD fundamentum opinionis contrariæ, dico in primis illos Auctores antiquos, nimirum Senecam, Platonem, Ciceronem, Hugonem, Nicetam, Lactant. D. Augustin. & D. Damascen. perperam allegari pro opinione contrariâ; solùm enim loquuntur de Deo, prout est Auctor Naturæ, quo sensu illum per Antonomasiam vocant *Naturam*: hoc tamen non tollit, quominùs ipse in se supernaturalis sit, quâtenus est Auctor Gratiæ, & Gloriæ, de quo prædicti Auctores locis citatis non loquuntur. P. Salas citat. re verâ dicit Deum in se esse Substantiam naturalem, verùm neque id probat, neque quæstionem ex professo tractat: si eam examinaret, aliter cum Doctoribus, quos pro nostrâ resolutione allegauimus, sentiret.

484 Ad primum fundamentum (quâtenus dicit Deum esse perfectissimam Naturam) concedo esse Naturam, prout Natura coincidit cum Substantiâ: inde tamen non sequitur non esse Substantiam supernaturalem, prout Ens supernaturale idem est, atque Ens supra Naturam ordinis inferioris á Gratiâ; Deus enim, quá est Auctor supernaturalis, est supra omnem Naturam ordinis inferioris á Gratiâ, & supra omne debitum, & exigentiam illius.

485 Ad secundum (quâtenus asserit Supernaturalitatem totam desumi in ordine ad subiectum, supra quod est: Deum autem ad nullum ordinari) dico in primis primarium conceptum Entis supernaturalis consistere in eo, quód sit Ordinis Diuini; & ita se habet Deus: conceptus respectiuus Entis supernaturalis in ordine ad Naturam, supra quā tale dicitur, non est primarius, sed solùm secundarius; vnde licét non competeret Deo, adhuc Deus esset Ens supernaturale. Respondeo secundò, etiam conceptum respectiuum Entis supernaturalis posse cadere in Deum, illique competere; ad quod non est necesse, quòd Deus positiuè ordinetur ad aliquod subiectum, supra quod sit; satis est quòd ordinetur negatiuè, hoc est, quód non sit intra debitum, & exigentiam Naturæ.

486 Ad tertium (quâtenus dicit sequi omnes creaturas esse supernaturales, si Deus sit Ens supernaturale) dicendum est non omnes creaturas habere connexionem cum Deo, prout est Auctor Gratiæ: sola accidentia supernaturalia habent connexionem cum illo, prout ipse est Auctor Gratiæ: ad rationem verò entis supernaturalis non satis est connexio cum Deo, quâtenus ipse est Auctor Naturæ: requiritur connexio cum illo, quâtenus ipse est Auctor Gratiæ. Responderi potest secundò, non quamcunque cōnexionem cum Ente supernaturali inducere supernaturalitatē, nam odium Gratiæ, & eius relatio ad illam cum eâ connectuntur,

& tamen non sunt Entia supernaturalia: illa ergo sola connexio cum Ente supernaturali inducit supernaturalitatem, quae connectitur cum illo, vt cum suâ proprietate, iuxta superiùs dicta *num.*454.

SECTIO V.

De possibilitate aliarum substantiarum.

§. 1.

487 MOVERI possunt hoc loco difficultates sex. Prima: Vtrùm possibilis sit Substantia corporea simplex? Secunda: Vtrùm possibilis sit substantia spiritualis nō Intellectiua? Tertia: Vtrùm possibilis sit Substantia Intellectiua non Volitiua: aut è contra Volitiua non Intellectiua? Quarta: Vtrùm possibilis sit Substantia creata incapax omnis compositionis accidentalis? Quinta: Vtrùm possibilis sit Substantia essentialiter infinita in aliquo certo genere, vel specie? Sexta: Vtrùm possibilis sit Substantia relatiua?

§. 2.

Vtrùm possibilis sit Substantia corporea completa simplex simplicitate physicâ?

488 PRima difficultas: Vtrùm possibilis sit Substātia corporea simplex? Haec excitari solet in duplici sensu. Primus est, Vtrùm possibilis sit Substantia corporea completa simplex, hoc est, non constans Materiâ, & Formâ? Secundus, Vtrùm possibilis sit Substantia corporea incompleta simplex, hoc est, carens partibus integrantibus?

489 Quod attinet ad primum sensum, aliqui dicunt possibilem esse Substantiam corpoream completam simplicem simplicitate physicâ. Ita P. Arriaga *in Physic. d.* 5. *n.*48. P. Ouied. *in Physic. controuers.* 5. *puncto* 5. *n.* 2. P. Compton. *de Caelo d.*3.*s.*1.*n.*4. Hēric. Durād. Iand. Zimara, Auerroēs, Gabr. Aureol. Marsil. quos citat, non tamen sequitur P. Soar. loco inferiùs allegando existimantes Caelum de facto esse corpus simplex non constans Materiâ, & Formâ, vt constant quatuor Substantiae Elementares, sed esse quintam quandam

P. Arriaga *P. Ouiedo* *P. Cōpton.* *Henric.* *Durand.* *Iand.* *Zimara* *Auerroës* *Gabriel* *Aureol.* *Marsil.*

Substantiam diuersam à quatuor Elementaribus omninò simplicem. Probatur primò, ex Aristotele 8. *Metaph. textu* 14. vbi asserit Caelos, & quaecunque alia, quae corruptibilia non sunt, carere Materiâ. Et ratio est, quia Materia est principiū totius corruptionis: ergo non datur in rebus incorruptibilibus. Probatur secundò, quia quidquid sit de facto, saltem de possibili nulla videretur apparere manifesta implicatio in eo, quòd Deus condat aliquem actum purum corporeum completum. Tertiò, quia in ordine rerum spiritualium reperiuntur Substantiae incompletae simplices, nimirum Anima Rationalis: item Substantiae completae simplices, nempe Angeli: ergo in ordine rerum corporearum dabuntur Substātiae incompletae simplices, nimirum Formae materiales, & Substantiae completae simplices, nempe Caeli. *Aristot.*

490 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium impossibilem esse Substantiam corpoream completam simplicem simplicitate physicâ, hoc est, expertē Materiae, & Formae. Ita D. Thom. 1. *p.q.* 66. *a.* 2. & 1. *de Caelo lect.* 6. & 8. *Physic. lect.* 20. Capreol. Soncin. Iauel. Sot. Scot. Ocham. D. Bonau. Auicen. Paul. Venet. Themist. Theophrast. & alij ex antiquis, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.*13. *s.*10. *n.*6. P. Vasq. 1. *p. d.*21. *c.*3. P. Hurt. *de Caelo d.*1. *s.*8. P. Salas *tom.*2. *in* 1.2. *tract.* 2. *d.* 3. *sect.*2. *n.* 12. P. Tellez *d.* 54. *sect.* 4. *n.* 11. P. Tanner. *tom.* 1. *Theolog. d.*6. *de creatione Mundi q.*2. *dub.* 4. *n.* 3. Patres Conimbr. 1. *de Caelo cap.*2. *q.*4. *a.* 1. & alij. Citari etiam potest Aristotel. 1. *de Caelo cap.* 7. *à textu* 64. vbi expressè dicit Caelum ex Materiâ cōstare. Idem expressè docet 8. *Met. cap.* 2. *textu* 3. & 2. *de Generat. textu* 51. Citari etiam potest D. Nazianz. *orat.* 34. quâtenus colligit Deum esse incorporeum ex eo, quòd non constet Materiâ, & Formâ.

D. Thom. *Capreol.* *Soncin.* *Iauel.* *Sot.* *Scot.* *Ocham.* *D. Bonau.* *Auicen.* *Paul. Vene.* *Themist.* *Theophra.* *P. Soares* *P. Vasq.* *P. Hurt.* *P. Salas* *P. Tellez* *P. Tanner.* *Patres Conimbr.* *Aristot.* *D. Nazi.*

491 Probatur ratione, quia omnis Substantia aut est actus: aut potentia, nimirum Materia: aut Compositū ex vtrâque; sic enim Aristoteles diuidit Substantiam 7. *Met. textu* 7. sed in primis talis Substantia non esset actus, quia esset, & non esset quantitatiuus. Esset, quia repleret locum, resisteret penetrationi, foret actiua per veras, & proprias actiones, ad quae omnia requiritur extensio quantitatiua. Iterum non esset quantitatiua, quia Quātitas est proprietas solius Materiae, vt ostendimus *in Phys. tract.* 2. *num.*94. & expressè docuit Plotinus *enead.* 2. *l.*4. *cap.*6. illis verbis, *quidquid habet molem, habet Materiam.* Deinde, non esset potentia, seu Materia, quia esset, & non esset completa: esset completa vt supponitur: non *Aristot.* *Plotinus*

non esset completa, quia foret respectus trāscendentalis ad Formam; ac proinde incompletus. Deinde esset, & non esset operatiua: esset operatiua, quia foret completa; omnis verò Substantia completa est operatiua: non esset operatiua, quia Materia est pura potentia, vt in *Phys. tract. 1. n. 118.* declarauimus: non ergo talis Substantia esse potest nisi composita ex Materiâ, & Formâ.

492 Occurrunt Recentiores talem Substantiam corpoream completam fore quantitatiuam Quātitate diuersæ speciei ab hac, quę de facto datur, & quæ non esset proprietas istius Materiæ, sed solùm in genere cum illâ conueniret, vt multi dicunt de Quātitate Cælesti, & Sublunari. Hæc solutio est dictu facilis, sed in quâ intellectus acquiescit difficilè; non enim potest intelligi punctum quantitatiuum diuersę speciei ab hoc, quod de facto datur; neque linea diuersæ speciei: nonne illa erit extensio vnius dimensionis? in quo quæso illa differret ab hac? huius enim essentia consistit in eo, quòd sit extensio vnius dimensionis, seu longitudinem versùs; & hæc similiter erit essentia illius lineæ possibilis; non enim intelligitur alia: idem dicendum de superficie possibili comparatâ cum hac; & similiter de corpore possibili comparato cum hoc. Scio aliquos Modernos dicere Quantitatem Cælestem differre specie à Sublunari, sed communiter reijciuntur etiam ab ijs, qui admittūt Materias diuersæ speciei, dicunt enim Quantitatem esse proprietatem genericam, sicut Visus in animali, qui in omnibus est eiusdem speciei, de quo *tract. 2. de Anima.*

493 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quātenus dicit Cęlos carere Materiâ) respondeo Aristotelem non excludere ab sphęris Cęlestibus omnem Materiam; aliquam certè admittit Cælestem, & incorruptibilem, vt constat ex loco proximè allegato *1. de Cælo textu 93.* solùm excludit Materiam Sublunarem separabiliter informatam, quæ sola est principium corruptionis: imò in nostrâ opinione asserentium Cęlos esse corruptibiles, dicendum est cum optimis Mathematicis (quibus in re Cælesti, cuius sunt obseruātissimi, maxima fides adhibenda est) in Cælo reperiri Materiam eiusdem speciei cum Sublunari, in eoque reperiri generationes, & plurimas mutationum vices, vt toto *tractat. de Cælo* obseruauimus: vnde necesse est quòd in Cælo admittatur Materia eiusdem rationis cum Sublunari, penes quam fiant tales generationes, & mutationum vices.

494 Ad secundum (quātenus dicit nullam inuolui manifestam contradictionem in eo quòd detur Substantia corporea completa simplex, hoc est, carens Materiâ, & Formâ) respondeo repugnantiam in eo esse, quòd talis Substantia aut foret actus, aut potentia: si actus, esset, & non esset quantitatiuus: si potentia, esset, & non esset completa; esset, & non esset operatiua, vt constat ex nostro fundamento.

495 Ad tertium (quātenus dicit in ordine rerum spiritualium dari Substantias completas, & incompletas simplices) nego id reperiri in ordine rerum corporearum. Diuersa ratio vno verbo est, quia nulla visitur implicatio in eo, quòd dentur Substantię spirituales completæ, & incompletę simplices, quales sunt Angeli, & Anima Rationalis: visitur verò maxima implicatio in eo, quòd detur Substantiæ corporeæ completæ simplices, vt constat ex proximè dictis.

§. 3.

Vtrùm possibilis sit Substantia corporea incompleta simplex simplicitate integrali?

496 QVod attinet ad secundum sensum quæstionis, Vtrùm scilicet possibilis sit Substantia corporea incompleta simplex simplicitate integrali, hoc est, carens partibus integrantibus? Affirmant communiter Recētiores cum P. Arriagâ proximè, & P. Ouied. cit. *num. 13.* idque primò, quia non est contra rationem Substantiæ corporeæ esse indiuisibilem, vt videre est in puncto, quod in Substantiâ corporeâ correspondet, ac subiacet puncto Quantitatis. Secundò, quia Substantia spiritualis potest habere partes, & esse diuisibilis, vt patet in Vnione Animæ Rationalis ad Materiam: ergo Substantia corporea poterit carere partibus, & esse indiuisibilis; non enim magis repugnat Substantię corporeæ carere partibus, quàm Substantię spirituali illas habere. Tertiò, quia Formę materiales viuētium perfectorum sunt indiuisibiles. Et certè pro hac opinione citari possunt D. Thom. Caietan. Alens. Ferrar. & alij, quos pro opinione asserentium Formas animantium perfectorum esse indiuisibiles allegauimus *in Anima tractat. 1. num. 132.*

P. Arriaga
P. Ouied.
D. Thom.
Caiet.
Alens.
Ferrar.

497 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium impossibilem esse Substantiam corpoream simplicem simplicitate integrali, hoc est, carentem partibus integrantibus. Ita Duran. Ægid. Argentin. Gabr. Marsil. Auerr. & alij, quos citant, & se-

Duran.
Ægid.
Argent.
Gabr.
Marsil.
Auerr.

P. Soares Patres Conimbr. P. Hurt. P. Vasq. P. Tolet. & sequuntur P. Soar. *in Met. d.35. sect. 3. n. 6.* & *lib. de Angel. c. 1. n. 1.* & *lib. 1. de Anim. c. 9. à n. 2.* Patres Conimbr. *2. Physicor. c. 1. q. 8. a. 2.* P. Hurt. *de Anim. disp. 2. sect. 3.* & *4.* secutus P. Vasquium, quem ibi citat. Accedit P. Tolet. *2. de Anim. c. 2. q. 5. conclus. 2.*

498 Aliqui probant hanc doctrinam ex eo, quòd de conceptu primario corporis sit esse extensum extensione entitatiuâ, vt cum probabiliori secuti fuimus *tractat. 1. de Anim. n. 96.* Rem quidē concludunt quòad Substantiā corporeā cōpletā non tamen quòad incompletā, quia loco cit. diximus extensionem entitatiuam partiri in tria membra; aliud enim intelligitur exigere partes formales, vt Materia, & Quantitas: aliud illas exigere, vt earum terminus, & sic se habet punctum, & linea: aliud illas exigere ex parte subiecti, à quo dependeat, & sic intelligitur esse Forma materialis; vnde hæc poterit esse indiuisibilis, nisi aliunde repugnet.

499 Quare quòad Substantiam corpoream incompletam, resolutionem probo sic: quia talis Substantia incompleta aut esset Materia, & hæc est diuisibilis, imò radix totius Quantitatis, ac diuisibilitatis: aut esset Forma, & hæc si esset indiuisibilis, certé foret viuens, esset enim simplicior; ac proinde non minùs perfecta, quàm Formæ viuentium; has autem *tract. 1. de Anima n. 133.* ostendimus oportere esse diuisibiles.

500 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit non esse contra rationem Substantiæ corporeæ esse indiuisibilem) respondeo esse contra rationem Formæ materialis viuentis non habere partes, vt loco cit. *de Anima* declarauimus. Ad secundum, nego vnionem Animæ Rationalis, aut vllam aliam Substantiam, aut Ens spirituale posse habere partes, vt etiam loco cit. *de Anima* ex professo probauimus. Ad tertium, nego Formas materiales viuentium perfectorum esse indiuisibiles: esse sectiles, ac diuisibiles loco citat. *de Anima* ostendimus.

§. 4.

Vtrùm possibilis sit Substantia spiritualis non Intellectiua?

501 SEcunda difficultas: Vtrùm possibilis sit Substantia spiritualis non Intellectiua? Affirmant Gabr. *in 1. dist. 35. q. 1.* Aureol. apud Capreol. ibidem *q. 1.* P. Arriaga *in Physic. d. 5. n. 45.* P. Ouied. *de Anima controuers. 5. puncto 6. n. 8.* Et probari potest. Primò, quia in eo nulla visitur implicatio. Secundò, quia possibilis est Materia spiritualis: ea veró non erit Intellectiua. Tertiò, quia ita se habet Substantia corporea ad cognitionem corpoream, ac Substātia spiritualis ad cognitionem spiritualem, seu intellectionem; atquí non repugnat Substantia corporea non cognoscitiua, qualis est lapis, ignis, &c. ergo neque repugnabit Substantia spiritualis non Intellectiua. Quartó, quia non est de ratione Substantiæ spiritualis esse Intellectiuam; sin minùs vniones spirituales essent Intellectiuæ. Quintò, quia non omnia accidentia spiritualia ordinantur ad Intellectum, vt patet in Gratiâ sanctificante, & potentiâ motiuâ Angelorum: ergo neque omnes Substantiæ spirituales.

Gabr. Aureol. Capreol. P. Arriaga P. Ouiedo

502 Nihilominus probabilior videtur sententia asserentium gradum Intellectiui esse de conceptu Substantiæ spiritualis. Ita cōmuniter Philosophi apud P. Soar. *in Met. d. 30. s. 14. à n. 9.* & pleniùs *d. 35. s. 3. n. 20.* Probatur. Primò, ex D. Dionys. toto *lib. de Celesti Hierarchia*, vbi probat Angelos esse Intellectiuos, quia sunt spirituales. Item ex D. August. *lib. 12. Genes. ad liter. cap. 10.* vbi loquens de omni Substantiâ spirituali, quæ de facto existit, dicit esse Intellectiuam, quia est spiritualis: & licèt solùm loquatur de Substantijs, quæ de facto existunt, sanè ratio, quam assumit, & quâ concludit esse Intellectiuas, quia spirituales, militat in omnibus, etiam possibilibus; aliàs non rectè concluderet esse Intellectiuas, quia sunt spirituales; possent enim esse spirituales, & non Intellectiuæ. P. Soar. D. Dionys. D. Aug.

503 Secundó ostenditur, quia talis Substantia esset cognoscitiua cognitione spirituali: ergo Intellectiua. Quód autem talis Substantia foret cognoscitiua, ostendo sic: quia in suo esse foret perfectior quâlibet Substantiâ corporeâ; siquidem quâlibet plus abstraheret á Materiâ; atquí aliqua Substantia corporea est cognoscitiua: ergo illa spiritualis foret cognoscitiua; nam nobiliori Naturæ debet competere nobilior operandi modus, qualis est per cognitionem. Dicunt Recentiores talem Animam spiritualem fore cognoscitiuam solâ cognitione sensitiuâ, non intellectiuâ. Probo tamen oportere esse cognoscitiuam cognitione spirituali: ergo intellectiuâ. Probo id, inquam, primó, quia prima proprietas Spiritûs, est spiritualis; debet enim prima proprietas regulari per suam naturam, illique accommodari: cognitio autē est prima proprietas Substantiæ cognoscitiuæ, qualem illam fore ostēdimus: ergo illa prima, seu primaria cognitio foret spiritualis. Secundó, quia si esset materialis, posset Deus condere Substantiam materialem cognoscitiuâ cognitione perfectiori,

quàm

quàm illâ, v.g. perfectiori Phantasmate, vel Phantasiâ. Et hoc ostenditur, quia de facto in alijs animantibus dantur nobiliores oculi, & nobiliores Phantasiæ, quàm quas exigit homo, seu Anima Rationalis: implicat autem illam Substantiam esse spiritualem, & non exigere nobiliorem cognitionem; imò & nobiliorem cognoscendi modum, quàm quem exigit quælibet Substantia corporea.

Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit nullam implicationem apparere in eo, quòd possibilis sit Substantia spiritualis non Intellectiua) respondeo implicationem patere ex dictis; implicat enim Substantia spiritualis, cuius primaria proprietas non sit spiritualis, & cognoscitiua: ergo Intellectiua. Ad secundum, nego cum communi doctrinâ possibilem esse Materiam spiritualem, vt latè ostendimus *in Physic. tractat. 1. num. 191.*

504 Ad tertium (quâtenus assumit ita se habere Substantiam corpoream ad cognitionem corpoream, ac Substantia spiritualis ad cognitionem spiritualem) respondeo negando similitudinem. Disparitas in eo est, quia nulla visitur ratio conuincens omnem Substantiam corpoream, (v.g. lapidem, ignem, &c.) esse cognoscitiuam; imò contrarium experimur in lapide, igne, & cæteris Substantijs corporeis non cognoscitiuis: bona autem ratio ostendit omnem Substantiam spiritualem esse Intellectiuam, vt patet ex dictis.

505 Ad quartum (quâtenus dicit non esse de ratione Substantiæ spiritualis esse Intellectiuam, vt patet in Vnione spirituali Animæ Rationalis ad corpus) respondeo esse de ratione Substantiæ spiritualis esse Intellectiuam per se, aut spectare ad integritatem gradûs Intellectiui, ad eum modum, quo de ratione Accidentis est postulare subiectum per se, aut saltem spectare ad integritatem, & constitutionem alterius illud postulantis, vt videre est in Modo Accidentium Sacræ Eucharistiæ: Vnio autem spiritualis Animæ Rationalis ad Materiam spectat ad integritatem, & constitutionem ipsius Animæ, & totius Compositi, quod est Intellectiuum.

506 Ad quintum (quâtenus dicit non omnia Accidentia spiritualia ordinari ad gradum Intellectiuum: & inde infert neque omnes Substantias spirituales esse Intellectiuas) respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia non omnia Accidentia ordinantur ad operationes Substantiæ, sed alia ad eius ornatum, vt patet in Gratiâ sanctificante, alia etsi ordinentur ad eius operationes, non ordinãtur ad eius operationes nobilissimas, quales sunt Intellectuales, vt patet in potẽtiâ motiuâ Angelorum: aliter se res habet in Substantiâ, nam in omni spirituali debet reperiri primaria eius proprietas, quæ, vt ostendi, est gradus cognoscitiuus spiritualis.

§. 5.

Vtrùm possibilis sit Substantia Intellectiua non Volitiua? & è contrá Volitiua non Intellectiua?

507 Tertia difficultas: Vtrùm possibilis sit Substantia Intellectiua non Volitiua: aut è contra Volitiua non Intellectiua? Vtraque possibilis videtur. Et certè Intellectiuam non Volitiuam defendunt P. Arriaga *disp. 2. de Anima n. 128.* P. Compton. *P. Arriaga* *P. Compt.* ibidem *d. 24. s. 6. num. 8.* & aliqui recentiores Magistri. Primò, quia in eo nulla assignabitur manifesta contradictio. Secundò, quia possibilis est Substantia corporea sensitiua non appetitiua, vt videre est in aliquibus animantibus imperfectis, quibus solus Tactus, & Gustus communiter conceditur: ergo etiam possibilis erit Substantia spiritualis Intellectiua non Volitiua; nam ita se habet Sensus ad Appetitum, ac Intellectus ad Voluntatem. Tertió, quia in animantibus perfectis, Appetitus respondet soli Sensui interno, & non externis; vnde patet non repugnare potentiam cognoscentem, quæ non dicat respectum ad appetentem. Quartó, quia ita se habet potentia cognoscitiua ad potentiam appetitiuam, ac actus cognitionis ad actum Appetitûs: at verò possibilis est cognitio, quæ non ordinetur ad actum Appetitûs, vt patet in cognitione rei indifferentis quá talis. Item afferri solet iste casus, in quo quis cognosceret Decretum Dei non concurrendi ad actum Voluntatis: hæc enim cognitio non ordinaretur ad illum.

508 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium impossibilem esse Substantiam Intellectiuam non Volitiuam: & è contrá Volitiuam non Intellectiuam. Prima pars traditur á D. Thom. *1. p. q. 19. a. 1.* *D. Thom.* P. Vasq. *1. p. d. 111. c. 3.* P. Soar. *3. de Angel. c.* *P. Vasq.* *2. n. 3.* & *7.* P. Molin. *1. p. q. 19. a. 1.* P. Va- *P. Soar.* lent. ibidem *q. 19.* P. Erice ibidem *d. 11. c. 3.* *P. Molina* P. Ruizlo *1. de Volunt. d. 1. s. 1. n. 1.* P. Fasol. *1.* *P. Valent.* *p. q. 19. a. 1.* P. Arrubal ibidem, P. Ouiedo *de* *P. Erice* *Anima controuers. 5. puncto 6. n. 14.* P. Hurtad. *de* *P. Ruiz.* *Anim. d. 5. s. 9.* P. Tellez *disp. 54. s. 4. n. 8.* & *9.* *P. Fasol.* Probatur, quia Intellectus est radix Voluntatis, vt omnes admittunt, & *tract. 6. de Anima n.* *P. Arrubal* *P. Ouiedo* *186.* ex professo ostendimus; sed impossibilis *P. Hurt.* est radix non exigens proprietatem, seu fru- *P. Tellez*

ctum

ctum,cuius ipsa est radix. Hæc Minor etiam est euidens, nam impossibilis est Anima Rationalis non exigens intellectum: impossibilis homo non exigens risibile: impossibilis ignis non exigens calorem: ergo impossibilis est Substantia Intellectiua non exigens Voluntatem,hoc est,non Volitiua.

509 Secunda pars, nempe quód impossibilis sit Substantia Volitiua non Intellectiua, est contra P. Ouied. & alios, quos *in Physica tract.* 2. *n.*643. retulimus asserentes cognitionem non requiri necessitate logicâ ad volitionem; traditur tamen á Doctoribus, quos ibidem allegauimus, & cum quibus resoluimus Intellectionem esse logicè prærequisitam ad volitionem, iuxta illud Principium: *nihil volitum, quin præcognitum*. Neque dicas ad operationem Voluntatis satis esse cognitionẽ Phantasiæ. Non, inquam, hoc dicas, quia ad operationem Voluntatis requiritur cognitio accommodata,quæ scilicet attingat habitudines, & connexiones Mediorum ad Finem: hæ verò habitudines nequeunt attingi á Phantasiâ,vt sæpè probauimus.

510 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit nullam apparere contradictionem in Substantiâ Intellectiuâ non Volitiuâ) respondeo dari manifestam cõtradictionem, quia impossibilis est radix non exigens suam proprietatem, & de quâ proprietas, quæ in eâ radicatur,negetur; quoties enim negatur proprietas alicuius,consequenter destruitur eius essentia: at verò Intellectiuum est radix Volitiui, illud exigens vt suam proprietatem.

511 Ad secundum (quâtenus dicit possibilem esse Substantiam corpoream sensitiuã, quæ non sit appetitiua) respondeo id falsum esse; cognitio enim sensitiua est radix Appetitûs.Verum quidem est,quód Sensitiuo imperfecto respondeat Appetitus etiam imperfectus: aliqualis tamen respondeat necesse est. Vnde retorqueo argumentum. Impossibilis est Substantia corporea Sensitiua non Appetitiua: ergo etiam impossibilis erit Substantia spiritualis Intellectiua non Volitiua.

512 Ad tertium (quâtenus dicit dari potentias cognoscentes externas, quin illis aliquis respondeat Appetitus) respondeo Sensus externos etiam ordinari remotè ad Appetitũ, *remotè*, inquam, hoc est, mediante Sensu interno.

513 Ad quartum, respondeo non omnem actum cognitionis ordinari ad actum appetitionis, omnem tamen potentiam cognoscitiuam ordinari ad appetitiuam. Et huius diuersa ratio est, quia non omnis cognitio est radix volitionis: at omnis potentia cognoscitiua est radix appetitiuæ. Explico me exemplo Rationalis, nam licét omne Rationale sit principium radicale risibilis, non omnis actus Rationalis est principium radicale risûs.

§. 6.

Vtrùm possibilis sit Substantia creata incapax totius compositionis accidentalis?

514 QVarta difficultas: Vtrùm possibilis sit Substantia creata incapax totius cõpositionis accidentalis? Videtur esse possibilis, quia nulla in eo apparet manifesta contradictio. Et certè ita opinantur plures Recentiores, quibus fauere videntur P. Arriaga *de Angelis d.*3.*n.*19. & P. Ripald. *de Ente supernaturali d.*10. *num.* 22. quâtenus admittunt Quantitatem immediatè pendentem á Diuinâ Voluntate sine aliquâ inhærentiâ,vel modo Creationis. P. Arriaga. P. Ripal.

515 Nihilominus dicendum impossibilem esse talem Substantiam. Ita D. Thom. 1.*p. q.*87. *a.* 1. P. Soar. *in Metaph. d.*18.*s.*3. P. Fonsec. 5. *Met. c.* 8. *q.*4.*s.*7. P. Granad. 1.*p. tr.* 4.*d.*2.*n.*9. P. Tellez vbi proximè *num.*10. P. Compton. *de Cælo d.*3.*s.*2.*n.*10. Et probatur, quia vel talis Substantia esset incapax accidẽtium, quia esset valdé imperfecta, vel quia esset summè perfecta. Non ex primo capite, quia non esset magis imperfecta, quám Materia prima, cùm hæc sit propè nihil; hæc tamen potest recipere accidentia. Non ex secũdo capite,quia foret finita, & limitata habens aliquam admixtam potentialitatem; ratio enim actûs puri est propria solius Dei, non minús quàm Immensitas, & Infinitas: ergo posset perfici per aliquod accidens, v.g. per Intellectum, & Voluntatem; item per intellectionem, & volitionem; aut per aliam qualitatem,saltem per Gratiam sanctificantem,aut auxiliantem; aut per aliquem impulsum, qui illi posset imprimi. Ex dictis patet responsio ad rationem adductam pro parte contrariâ. D. Thom. P. Soar. P. Fons. P. Granad. P. Tellez. P. Compton.

§. 7.

Vtrùm possibilis sit Substantia creata essentialiter infinita in aliquo certo genere, vel specie?

516 QVinta difficultas: Vtrùm possibilis sit Substantia creata essentialiter infinita in aliquo certo genere, vel specie *Substantiæ*, v.g. *Spiritus, Viuentis,*

Viuentis, aut Intellectiui? Certum enim est nullam esse possibilem infinitam simpliciter in omni genere perfectionis, cùm id sit proprium solius Dei. Possibilem esse Substantiam essentialiter infinitam in aliquo certo genere, vel specie existimat Ripa, cuius sententiam refert, & approbat Aliacensis in 1. q. 13. a. 3. punct. 2. conclus. 3. ad 4. Et suaderi potest. Primò, quia nulla in eo visitur manifesta contradictio. Secundò, quia Deus cùm cognoscat omnes, ac singulas species Substantiæ, cognoscit aliquam, quâ non potest producere aliam perfectiorem: hæc est infinita, ac producibilis à Deo: ergo &c. Tertiò, quia possibilis est linea infinitè extensa, & qualitas infinitè intensa. Quartò, quia de facto Angelus videtur habere virtutem infinitam: tum quia habet infra se infinitas species possibiles imperfectiores: tum quia eius virtus intelligendi extenditur ad obiecta infinita. Quintò, quia Maternitas Dei, Lumen Gloriæ, ac Vnio hypostatica videntur esse infinitæ. Id negari non potest de meritis Christi.

Ripa. Aliacens.

517 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium impossibilem esse Substantiam creatam (& idem dicendum de quâlibet aliâ specie creatâ) essentialiter infinitam in aliquo genere, vel specie. Ita Aureol. Argent. Bassol. Gabriel & alij, quos citat, & sequitur P. Fasol. q. 7. a. 3. dub. 13. num. 10. P. Soar. in Met. d. 35. s. 3. n. 25. P. Vasq. 1. p. d. 25. n. 9. Patres Conimbricens. 3. Physic. c. 7. q. 1. P. Tellez citatus n. 6. Et pro hac parte citari possunt D. Thom. Scot. Ægid. Heruæ. Paludan. Capreo. Caiet. Ferrar. Albert. M. D. Bonau. Henric. Richard. Marsil. Ocham. Durand. P. Fonsec. P. Albertin. P. Tolet. & alij apud eundem P. Fasol. existimantes nullum esse possibile Infinitum actu etiam in perfectione accidentali extensiuâ, aut intensiuâ.

Aureol. Argentin. Bassol. Gabr. P. Fasol. P. Soares P. Vasq. Patres Conimbr. P. Tellez. D. Thom. Scot. Ægid. Herueus Palud. Capreol. Caiet. Ferrar. Albert. M. D. Bonau. Henric. Richard. Marsil. Ocham. Durand. P. Fonsec. P. Alberti. P. Tolet.

518 Et probatur, quia Attributum Infinitatis etiam in quolibet genere, v. g. Substantiæ, Spiritûs, &c. non est minùs propriũ Dei, quám Attributum Immensitatis; sed implicat creatura essentialiter Immensa: ergo & essentialiter Infinita in aliquo genere. Et confirmatur, quia ea creatura in tali genere, v. g. in genere Substantiæ esset tam Infinita, ac Substantia Diuina: implicat autem creatura tam Infinita, ac Substantia Diuina; sicut implicat creatura tam Immensa, ac Substantia Diuina. Et huius ratio est, quia hæc Attributa Infinitatis, & Immensitatis sunt veluti proprietates Dei, eiusque Insigne.

519 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quatenus dicit nullam inuolui implicationem in creaturâ essentialiter infinitâ) respondeo inuolui, quæ inuoluitur in creaturâ essentialiter Immensâ: sunt enim hæc Attributa propria solius Entis à se; ac proinde ampliora, quám vt in creaturâ contineri possint.

520 Ad secundum, assero ex eo, quòd Deus cognoscat omnes, ac singulas species Substantiæ, non sequi cognoscere aliquam, quâ non possit condere aliam perfectiorem; Deus enim non cognoscit res aliter, ac sunt, sed prout sunt: in collectione autem omnium specierum nulla est adeò perfecta, quâ non sit alia perfectior. De quo ex professo in Physic. tract. 4. n. 218.

521 Ad tertium, nego possibilem esse lineam infinitè longam, aut qualitatem infinitè perfectam, & intensam, prout ex professo ostendimus loco cit. in Phys. n. 189.

522 Ad quartum, respondeo cum P. Soar. cit. in Met. d. 35. s. 3. n. 28. Angelum non esse infinitum infinitate formali, de quâ est quæstio; solùm dici potest infinitus infinitate eminentiali, quâtenus habet eminentiam, & æquiualentiã ad res infinitas inferioris ordinis sigillatim sumptas. Quæ infinitas nihil aliud est, quám perfectio quædam formalis finita, quâ possunt produci non tot, quin plures species imperfectiores in infinitum, quin vlla earum attingat eum gradum, & ordinem, in quo ipsa natura Angelica constituta est: verùm hæc infinitas eminentialis etiam reperitur in naturâ humanâ; & in quâlibet aliâ specie, quâ sunt possibiles non tot, quin plures species imperfectiores in infinitum. Quod autem dicitur de virtute intelligendi Angelicâ etiam nõ habet locum, inde enim solùm colligitur Angelos habere virtutem intelligendi vniuersalem, non infinitam formaliter; nam ad hoc, vt esset formaliter infinita, necesse erat, quòd posset elicere aliquem actum sine termino in se, & infinitum. Vide P. Soar. cit n. 29.

P. Soar.

523 Ad quintum (quâtenus dicit quòd Maternitas Dei, Lumen Gloriæ, & Vnio hypostatica sunt infinita) respondeo solùm esse infinita ex parte termini, non in se; licét enim attingant terminum infinitum, non illum attingunt infinito, sed finito modo; sicut Visio Beata, & Amor Dei. Merita Christi solùm sũt infinita moraliter, non physicè: peccatũ mortale in opinione Thomistarum etiam solùm est infinitum moraliter in ratione offensæ, nõ physicè. Dixi, in opinione Thomistarum, quia probabilior sententia tenet neque in ratione offensæ esse infinitum. Sed hoc spectat ad Theologos.

Vtrùm

§. 8.

Vtrùm possibilis sit Substantia Relatiua?

524 SExta difficultas: Vtrùm possibilis sit Substantia Relatiua? Non est sermo de Substantiâ, quæ sit relatum transcendens; hanc enim dari indubitatum est, vt patet in Materiâ primâ, quę est relatum trãscendens ad Formam, & in Formâ, quæ est relatum transcendens ad Materiam: imó omnis Substantia creata est relatum transcendens ad Deum. Non est item sermo de Substantiâ, cuius relatio prædicamentalis ab illâ tantùm virtualiter distinguatur; hæc enim admittitur in communi opinione asserentium relationes virtualiter tantùm distingui á fundamentis, de quo nos *tract. 5. de Relatione*. Tota controuersia est de Substantiâ, quæ sit relatio prædicamentalis, hoc est, quæ formaliter se ipsâ respiciat suum terminum, vt purum terminum.

525 Affirmant nonnulli Recentiores. Primò, quia in hoc nulla visitur manifesta contradictio. Secundò, quia inter Accidentia, alia reperiuntur absoluta, alia respectiua prædicamentaliter: ergo inter Substantias aliæ reperiuntur absolutæ, aliæ respectiuæ prædicamẽtaliter. Tertiò, quia in Diuinis reperiuntur Substantiæ relatiuæ: ergo etiam videntur non repugnare in creatis.

526 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium impossibilem esse Substantiam creatam, quæ sit relatio prædicamentalis. Ita supponitur á Doctoribus antiquis, & exprimitur á P. Tellez cit. *n. 27*. P. Fonsec. 5. *Met. c. 8. q. 6. s. 4.* quibus subscribunt plures Magistri. Fateor tamen eorum fundamenta non conuincere. Probari enim solet,

P. Tellez.
P. Fonsec.

527 Primò, quia relatio prædicamentalis ex genere suo postulat aduenire rei iam in suo esse constitutæ: quod autem ita aduenit non potest non esse Accidens. Hoc tamen fundamentum facilé quis declinare potest, dicendo non omnem relationem prædicamentalem postulare ex genere suo aduenire rei in suo vltimo esse constitutæ, vt patet in Relationibus Diuinis.

528 Secundò probari solet, quia relatio non intenditur per se á Naturâ, vt docet Aristoteles: hoc autem est contra rationem Substantiæ, quæ aut est ipsa Natura, aut ab illâ per se intenditur. Verùm ad hoc respondert potest solas relationes accidentales non intendi á Naturâ: aliter dicendum de substantialibus, de quibus Aristoteles non est locutus: & certè Pater Æternus intendit Filium per se; Pater, & Filius Spiritum Sanctum.

529 Tertió probari solet, quia relatio præter *esse ad*, necessarió includit *esse in*: hoc autem est proprium Accidentis. Responderi tamen potest solas relationes accidentales includere *esse in*: aliter dicendum de substantialibus, vt patet in Relationibus Diuinis, quæ quidem solùm includunt *esse ad*.

530 Quartò probari solet, quia si daretur Substantia Relatiua necessitaretur Deus ad productionem eius termini. Sed contrà, quia nullum est inconueniens, quòd ex suppositione, quòd Deus velit producere vnam relationem, necessitetur ad productionem eius termini; vt patet in relationibus accidentalibus, quæ de facto dantur. Item nullum est inconueniens quòd ex eo, quòd Deus velit producere vnionem, velit producere extrema; & ex eo, quòd efficaciter intendat Finem, necessarió eligat Medium vnicum ad illum.

§. 9.

Propria ratio.

531 EGo sic probo. Quia quando vna ratio alicui Enti cõuenit solùm ex eo, quòd sit Diuinum, ita est propria Dei, vt nulli Enti creato possit conuenire: sic *esse à se* competit perfectionibus Diuinis ex eo, quòd sint Diuinæ, & ideò nulli perfectioni creatæ cõpetere potest. Tunc sic: Ratio Substantiæ competit Relationibus Diuinis solùm ex eo, quòd sint Diuinæ. Et hoc est manifestum; nam si Relationes Diuinæ non essent Diuinæ, solùm essent Accidentia, & non Substantiæ. Quod vt intelligas, aduerte in Personalitatibus Diuinis distingui quatuor conceptus: primum, *Hypostasis*: secundum, *Principij* (in meâ opinione, quæ collocat Principia ad intra in Relationibus): tertium, *Originis*: quartum, *Relationis prædicamentalis*. Dico igitur hunc quartum conceptum, nisi esset de Relationibus Diuinis, non fore de Relationibus Substantialibus.

532 Clariùs res ostendi potest in quartâ Relatione Spiratoris Actiui, quæ proculdubio ex eo solùm substantialis est, quia est Diuina, & aduenit rei Diuinæ: sanè si esset creata, & adueniret rei creatæ, non esset Substantia, sed Accidens; adueniret enim Enti iam in suo esse & Naturæ, & Personæ, constituto: ergo solùm substantialis est, quia est Diuina, & quia aduenit rei Diuinæ; quod manifestum relinquitur ex dictis. Ratio ergo Substantiæ, cùm solùm competat Relationibus Diuinis ex eo, quòd sint Diuinæ, & adueniant rei Diuinæ,

non

non potest competere vllis relationibus creatis.

533 Et sanè aliud intelligibile non videbatur; si enim admitteretur de possibili Substantia relatiua, admitti etiam oporteret Substantia, quæ foret Quantitas; similiter Substantia, quæ foret Qualitas, & sic de cæteris non sine confusione entitatum, & rerum essentiarum. Non deerunt Moderni, qui totum admittant: homines ston achi animosi, & qui parùm curant vera dicere, dummodò dicant noua.

534 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis. Dicendum enim est implicare illud, quod est propriũ Relationum Diuinarum communicari relationibus creatis.

535 Ad secundum concedo, quòd in Accidentibus alia reperiantur absoluta, alia relatiua: & nego id reperiri posse in Substantijs creatis. Diuersa ratio est, quia in primo nulla visitur implicatio, visitur in secundo. Imò retorqueri potest argumentum, quia si illud valeret, etiam valeret hoc: Inter Accidentia reperitur Quantitas, Qualitas, Vbi, Situs, &c. ergo inter Substantias reperietur Quantitas substantialis, Qualitas substantialis, &c.

536 Ad tertium, concedo in Deo reperiri Substantias, quæ sint relationes prædicamentales, seu quasi prædicamentales: & nego reperiri posse in creatis. Diuersa ratio est, quia in Deo relationes sunt Entia perfectissima; ac proinde non possunt non esse Substantię: aliter dicendum de Entibus creatis, cùm in illis ratio Accidentis non repugnet.

SECTIO VI.

De Accidente, quod est alterum diuisionis membrum.

537 SVPPONO inprimis Accidens communissimé sumptum diuidi in *intrinsecum*, quod scilicet intrinsecè inhæret subiecto, de quo affirmatur; & in *extrinsecum*, quod scilicet denominat rem, in quâ non est intrinsecè, vt cognitio respectu obiecti. Rursum intrinsecum diuiditur in *Physicum*, & in *Logicum*. Physicum est illud, quod aduenit subiecto, & ab illo distinguitur ex naturâ rei. Logicum alio nomine dicitur, *Metaphysicum*, & est illud, quod tantùm virtualiter distinguitur à subiecto. Tandem Accidens Physicum diuiditur in *modum*, & *realitatem*: ille non potest esse sine hac realitate: hæc potest esse sine hoc modo. Suppono deinde subiectum Accidentis esse duplex: alterum inhæsionis: denominationis alterum. Subiectum *inhæsionis* est illud, in quo Accidens inhæret immediatè, vt intellectus, in quo intellectio inhæret immediaté; subiectum *denominationis* est, quod quidem denominatur ab Accidente, sed in eo Accidens non inhæret immediaté, vt homo, qui denominatur intelligens ab intellectione, quæ non inhæret immediatè in illo, sed in intellectu.

§. 1.

Vtrùm, & quo pacto essentia Accidentis consistat in inhærentiâ?

538 PRima difficultas: Vtrùm essentia Accidentis consistat in inhærentiâ. Negat Scot. *in 4. dist. 2. q. 1.* & *7. Metaph. q. 1.* Anton. Andr. *7. Metaph. q. 1.* Soncin. & Flandr. ibidem *q. 2. commentat. 4. Met. comment. 2.* Zimara *Theorem. 3.* & alij. Probatur, quia multa sunt Accidentia, quæ non inhærent, nimirum Actio non inhæret in agente, respectu cuius est Accidens: Vestis non inhæret in corpore vestito: neque Locus in re locatâ. Adde, quòd Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ (& idem dicendum de eorum actione creatiuâ) neque inhæret, neque inhærere potest. *Scot. Ant. Andr. Soncin. Flandr. Zimar.*

539 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium essentiam Accidentis consistere in inhærentiâ. Ita Aristoteles *7. Metaph. cap. 2.* & *1. Physicor. cap. 4. textu 39.* D. Thom. Caietan. Ferrar. Sot. Ledesm. Ægid. Iandun. Heruæus, Capreol. & alij, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Metaph. disp. 34. sect. 2. num. 6.* Patres Conimbric. *ad Cap. de decem Prædicament. q. 1. art. 3.* P. Fonsec. *7. Metaph. cap. 1. q. 1. sect. 3.* P. Ripald. *de Ente supernaturali d. 5. s. 1. n. 9.* P. Hurtad. *in Met. d. 13. §. 1.* P. Albertin. *tom. 2. in Prædicam. Quantitatis d. 1. q. 1.* Et probatur vno verbo, quia in eo distinguitur Accidens á Substantiâ, quod hæc nõ sit in alio tanquam in subiecto inhæsionis: Accidens verò maximè; at verò distinguuntur essentialiter. *Aristot. D. Thom. Caiet. Ferrar. Sot. Ledesm. Ægid. Iand. Heruæ. Capreol. P. Soar. Patres Conimbr. P. Fonseca P. Ripald. P. Hurt. P. Albert.*

540 Vtrùm autem essentia Accidentis consistat in inhærentiâ actuali; an potiùs in aptitudinali? Aliqui ex Philosophis gentilibus cum Aristotele *1. Physicor. textu 39.* & *7. Metaphys.* videntur existimare consistere in inhæ- *Aristot.*

inhærentiâ actuali. Et certè de cæteris Accidentibus (vnâ exceptâ Quantitate) id opinantur nonnulli ex Catholicis; excipiunt tamen Quantitatem, quia in hâc aliqua visitur maior ratio; Quantitas enim, inquiunt, magis accedit ad Substantiam; ac proinde ab illâ participat, quód saltem diuinitùs possit existere per se. Hæc secunda opinio non est damnata, vt notat P. Soar. cit, n. 3. *P. Soar.*

541 Nihilominus de Fide est inhærentiam actualem non esse de essentiâ Accidentis, imò posse Accidens existere extra subiectum, vt videre est in Sacrosancto mysterio Eucharistiæ. Quæ vt meliùs explicentur: Dicò primó. Inhærentia actualis non est de essentiâ Accidentium realium. Ita D. Thom. Caietan. Iauel. Ægid. Iand. Heruæ. Capreol. & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. & P. Fonsec. proximè, P. Tellez *disp.* 53. *sect.* 3. *num.* 1. Probatur vno verbo, quia ea, quæ realiter distinguuntur, saltem diuinitùs possunt existere separata; sed Accidentia realia realiter distinguuntur à subiecto: ergo possunt existere separata ab illo; & consequenter actualiter non inhærere. Et hæc ratio non solùm probat Quantitatem posse existere sine Substantiâ, sed etiam Qualitates posse existere separatas à Quantitate, & à quouis alio subiecto. *D. Thom. Caiet. Iauel. Ægid. Iand. Heruæ. Capreol. P. Soar. P. Fonseca P. Tellez*

542 Dico secundò. Inhærentia actualis non est de essentiâ Modi. Hæc videtur esse contra communem sententiam. Ostenditur tamen ex dictis in *Physic. tract.* 1. *num.* 256. vbi ostendimus Modos posse creari, & consequenter actualiter non inhærere. Et declaratur, quia inhærentia aut consistit formaliter in passione, aut saltem illam requirit vt conditionem logicam; quando verò Modi crearentur, nulla ibi intercederet passio. Excipienda est ab hâc regulâ generali sola passio; hæc enim, vt loco cit. ostendimus, non potest creari; & consequenter non potest non actualiter inhærere.

543 Dico tertiò. Inhærentia aptitudinalis est de essentiâ omnium Accidentium. Probatur, quia aliqua inhærentia est de eorum essentiâ, non actualis: ergo aptitudinalis.

544 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis; omnia enim Accidentia inhærent aliquo modo; Actio, Vestis, & Locus inhærent extrinsecé, & in subiecto denominationis, illud denominando agens, vestitum, locatum, &c. Aliquo modo, inquam, in illis inhærent, quia censentur illis aduenire iam in suo esse constitutis; ac proinde efficere cum illis vnum per accidens. Exemplum de modo Accidentium Sacræ Eucharistiæ, ac de illorum actione creatiuâ sæpe solutum est: nam ad rationem Accidentis non requiritur, quód per se possit inhærere; satis est, quód aut per se possit inhærere, aut identificetur cum eo, quod possit inhærere.

§. 2.

Vtrùm Accidens de facto ponatur extra subiectum per solam actionem creatiuam?

545 Secunda difficultas: Vtrùm Accidens de facto ponatur extra subiectum per solam actionem creatiuam: an etiam necessarió admittendus sit aliquis alius modus existendi per se? Sufficere solam actionem creatiuam, affirmant Scot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. Palatius, & alij, quos citant, & sequuntur P. Albertin. *d.* 1. *de Prædicamento Quantitatis q.* 3. *n.* 8. P. Erice *tract.* 3. *d.* 48. *num.* 40. P. Bellarm. *tom.* 2. *controuersiarum lib.* 3. *de Eucharistia cap.* 24. P. Ouied. *de Anim. controuers.* 3. *punct.* 4. P. Lessius *in opuscul. Theolog. lib.* 3. *de Summo Bono num.* 50. Ledesm. 1. *p. q.* 18. *art.* 2. P. Gasp. Hurtad. *tract. de Sacram. d.* 7. *de Eucharist. diffic.* 2. §. *Scotus verò*, & alij apud P. Tellez cit. *n.* 6. Probatur. Primó, quia sola actio creatiua sufficit, & omnis alius modus est superfluus. Secundò, quia Modus ille, qui communiter admittitur, videtur impossibilis. Probo hoc, quia esset, & non esset Accidens: esset Accidens, quia identificaretur cum Accidente, & cum illo efficeret vnum per se: non esset Accidens, quia esset formalis independentia à subiecto inhæsionis, quod est contra formalem rationem Accidentis. Tertiò, quia talis Modus esset, & non esset formalis independentia à subiecto: esset, quia ita supponitur: non esset, quia ipse dependeret à suâ realitate, vt à subiecto. *Scot. Palat. P. Alberti. P. Erice P. Bellar. P. Ouiedo P. Lessius Ledesm. P. Hurt. P. Tellez*

546 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium præter actionem creatiuam requiri aliquem Modum existendi per se, quo Accidens extra subiectum vltimó terminetur, & compleatur. Ita Caietan. Ferrar. Richard. & alij, quos citant, & sequuntur P. Ægid. *tom.* 1. *de Sacrament. q.* 77. *art.* 1. *dub.* 2. P. Soar. *de Sacrament. disp.* 56. *sect.* 2. §. *Dico secundó*, P. Vasq. 1. *p. d.* 173. *à num.* 19. & *d.* 214. *num.* 23. P. Hurtad. *in Physica d.* 12. §. 36. P. Valent. 3. *p. d.* 6. *q.* 5. *puncto* 1. §. *Ex his autem*, P. Rubius *lib.* 1. *Physic. tract.* 1. *de Materia q.* 5. *num.* 36. Cardinalis Lugo *de Incarnat. d.* 12. *s.* 7. *num.* 94. P. Tellez vbi proximè *num.* 3. P. Molin. 1. *p. q.* 57. *a.* 5. *d.* 1. *Caiet. Ferrar. Richard. P. Ægid. P. Soares P. Vasq. P. Hurt. P. Valent. P. Rub. P. Lugo P. Tellez P. Molina*

Patres

Patres Conimbr. Patres Conimbricens. 1. de Generat. cap 4. q 7. art. 1. §. Aij. Probatur; quia nobilior, & valdè perfectior est entitas Substantiæ, quàm entitas Accidentis; sed Substantia non potest saltem naturaliter existere in rerum naturâ per solam creationem, sed necessarius est Modus positiuus superadditus, quo eius existentia vltimò terminetur, & compleatur, vt patet in Animâ Rationali, & in Angelo, qui non possunt existere per solam actionem creatiuam sine Subsistentiâ: ergo idem à fortiori dicendum de entitate Accidentis; sin minùs entitas ignobilior foret se ipsâ vltimatior, & completior entitate nobiliori. Et confirmatur; quia Accidens inhærens præter actionem eductiuam requirit Modum vnionis, quo terminetur, & vltimò compleatur in suo esse, & existentia: ergo quando existit per se præter actionem creatiuam requiret aliquem alium Modum sibi accommodatum, quò compleatur, & vltimò terminetur.

547 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo non esse sufficientem solam actionem creatiuam, sed vlteriùs requiri Modum existendi per se, quo Accidens extra subiectum vltimò terminetur, & compleatur, vt patet ex dictis.

548 Ad secundum, respondeo Modum illum existendi per se esse Accidens, ad quod satis est, quòd identificetur, & faciat vnum per se cum alio Accidente: sicut, vt vnio Formæ distinguatur realiter à Materiâ satis est quòd identificetur cum Formâ, quæ distinguitur realiter à Materiâ.

549 Ad tertium, respondeo dando bonis auibus talem Modum esse formalem independentiam à subiecto inhæsionis. Neque obstat, quòd ipse dependeat à suâ realitate: non enim est formalis independentia à suâ realitate, sed suæ realitatis à subiecto inhæsionis. Adde, quòd ipse non dependet à suâ realitate, vt à subiecto inhæsionis, sed vt Modus à suâ realitate, cum quâ facit vnum per se.

§. 3.

Vtrùm Accidens de potentiâ Dei absolutâ possit collocari extra subiectum per solam actionem creatiuam?

550 Tertia difficultas: Vtrùm saltem de potentiâ Dei absolutâ possit Accidens constitui extra subiectum per solam actionem creatiuam? Negare tenentur omnes illi, qui dicunt rem non posse etiam diuinitùs conseruari absque suo termino intrinseco, quos tractatu sequenti referemus pro opinione asserentium Substantiam non posse diuinitùs conseruari absque omni Subsistentiâ. Et non posse Accidens diuinitùs existere per se per solam actionem creatiuam absque superaddito Modo existendi per se, tenent expresse P. Soar. de Eucharistia d. 56. s. 2. P. Suar. P. Vasq. tom. 3. in 3. p. d. 197. c. 2. n. 16. Et probari potest. Primò, quia linea non potest existere absque aliquo puncto terminatiuo; neque Quantitas absque aliquâ figurâ; neque Natura absque aliquâ Subsistentiâ: ergo neque Accidens extra subiectum sine suo termino, & modo existendi per se. Secundò, quia effectus formalis illius Modi est reddere Quantitatem existentem per se, sicut effectus formalis albedinis est illam reddere albam; sed Quantitas neque diuinitùs potest existere alba absque albedine: ergo neque existere per se absque illo Modo. P. Vasq.

551 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium posse de potentiâ Dei absolutâ collocari Accidens extra subiectum per solam actionem creatiuam: in quo euentu duo ederentur miracula; primum collocatio Accidentis extra subiectum; secundum collocatio Accidentis extra subiectum per solam actionem creatiuam. Ita Richard. in 4. q. 2. a. 1. P. Hurtad. in phys. d. 5. §. 61. Et allegari possunt pro hac parte Scot. Palat. P. Albertin. P. Erice, P. Bellarm. & P. Lessius suprà citati n. 545. quâtenus opinantur non dari de facto talem Modum existendi per se in Accidentibus Sacræ Eucharistiæ, & Cardinalis Lugo vbi proximè, quâtenus dicit cõnaturaliter admittendum esse Modum distinctum. Eâdem sententiam probabilem iudicat P. Tellez disp. 53. sect. 3. n. 10. & sequuntur P. Granad. tract. 3. de Eucharistia d. 3. Patres Conimbr. 1. de Generat. c. 4. q. 7. a. 1. Richard. P. Hurt. Scot. Palat. P. Albert. P. Erice P. Bellar. P. Lessius P. Lugo P. Tellez. P. Granad. Patres Conimbr.

552 Probatur autem nostra resolutio, quia nulla in eo visitur manifesta contradictio. Et declaratur, quia vel ille Modus requiritur ad supplendam causalitatem, quâ Accidens causatur à subiecto: vel ad hoc, vt Accidens existat per se: vel ad hoc, vt vltimò terminetur, & compleatur in suo esse. Non ad supplendam causalitatem subiecti; hæc enim sufficienter suppletur per concursum Dei concurrentis in genere causæ effectiuæ per actionem creatiuam. Non vt Accidens formaliter existat per se, quia ad hoc satis est existentia ipsius Accidentis cum negatione actualis dependentiæ à subiecto. Non denique, vt Accidens vltimò terminetur, & cõpleatur; quâ licèt istud cõplementum naturaliter debeatur, & postuletur ab Accidẽte existẽte per se, potest nihilominus diuinitùs auferri, ad eum modũ, quo, vt inferiùs

 ostende-

ostendemus, potest Subsistentia auferri à Naturâ; in quo euentu maneret Natura terminata, non quidem positiuè, sed negatiuè.

553 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo, posse lineam diuinitùs existere absque vltimo puncto terminatiuo in opinione, quæ admittit talia puncta, quam tamen nos reiecimus in *Physic. tract. 4. á num. 147.* Item posse Quantitatem diuinitùs existere absque figurâ, si á Quantitate distinguitur ex naturâ rei, quod suo in loco examinabimus. Item posse Naturam existere absque omni Subsistentiâ, vt tractatu sequenti ex professo ostendemus.

554 Ad secundum, concedo effectum formalem illius Modi esse reddere Quantitatem existentem per se perseitate positiuâ; vnde sine illo non poterit Quantitas habere perseitatem positiuam: poterit tamen habere perseitatem negatiuam non existendo in alio.

§. 4.

Vtrùm Modus, & Actio, per quam Accidens collocatur extra subiectum, sint in entitate supernaturales?

555 QVarta difficultas: Vtrùm Modus, & Actio, per quam Accidés collocatur extra subiectû, sint in suâ entitate supernaturales? Negat P. Vasq. 1. p. *disp.* 24. *num.* 23. vbi asserit illum Modum, & Actionem non esse in entitate supernaturalem, sed tantùm quóad modum. Primò, quia identificatur cum Accidente naturali. Secundò, quia alioquí daretur Modus nobilior suâ realitate. Tertió, quia Modus ille sequitur ex negatione inhærétiæ: Modus autem supernaturalis debet sequi per se, & non ex negatione alterius. Quartò, quia neque Modus ille, neque Actio sunt eiusdem Ordinis cum Gratiâ sanctificante.

P. Vasq.

556 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium illum Modum, & Actionem esse in suâ entitate supernaturales. Ita P. Molin. 1. *p. q.* 57. *a.* 5. *d.* 1. §. *Ad* 4. P. Ripald. *de Ente supernaturali d.* 23. eandem sententiam sequitur P. Tellez *disp.* 53. *sect.* 3. *n.* 14. Et probatur, quia entitas illius Modi, & Actionis est supra debitum, ac exigentiam omnis Naturæ. Ostendo hoc, quia in primis est supra debitum, ac exigentiam omnis Substantiæ; hic enim est Accidentalis; ac proinde improportionatus omni Substantiæ: deinde est supra debitum, ac exigentiam omnis Accidentis, cúm nullum postulet existentiam per se: ergo est in suâ entitate supernaturalis.

P. Molina
P. Ripal.
P. Tellez.

557 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo benè posse Modum supernaturalem identificari cum realitate naturali, vt patet in Vnione hypostaticâ, quæ est supernaturalis: & tamen identificatur cum humanitate Christi Domini. Dices: Ex eo quòd ille Modus identificetur cum Accidente, benè infertur esse Accidens: ergo ex eo quòd identificetur cû Accidente naturali, bené sequitur esse naturalē. Respódeo negando Cósequentiâ. Diuersa ratio est, quia ad hoc, vt aliquid sit Accidens, sufficit quòd faciat vnum per se cû Accidente: vt autem sit naturale, opus est, quód sit intra debitum, & exigentiam Naturæ. At verò Modus ille facit vnum per se cû Accidente Eucharistico, vnde est Accidens: at non est intra debitum, & exigentiam Naturæ, vnde est supernaturalis.

558 Ad secundum, respondeo posse Modos esse nobiliores secundùm quid suâ realitate: satis est, quód simpliciter ex genere suo sint illâ ignobiliores. Patet hoc in eâdem Vnione hypostaticâ, quæ etiam secundùm quid est nobilior humanitate Christi Domini; siquidē hæc est in suâ Substantiâ naturalis, illa verò supernaturalis: semper tamē realitas manet simpliciter nobilior suo Modo; siquidem hic dependet ab illâ in suo fieri, & conseruari essentialiter.

559 Ad tertium, nego Modum supernaturalem debere sequi per se, & non ex negatione alterius, nam etiam Vnio hypostatica sequitur ex negatione propriæ Subsistentiæ: & tamen est supernaturalis.

560 Ad quartum, dico Modum illum, & Actionem creatiuam secundùm suum esse intentionale esse eiusdem ordinis cum Scientiâ supernaturali, á quâ solùm potest attingi quidditatiuè iuxta ea, quæ diximus *n.* 456. Dices: Angelus potest naturaliter cognoscere talem Modum; videt enim Accidentia Sacræ Eucharistiæ nó inhærere: ergo videt existere per se. Respondeo negando Antecedens: verum quidem est, quód Angelus non videat inhærentiâ Accidentium Sacræ Eucharistiæ: ignorat tamen, Vtrùm ibi sit, & illi ob aliquam causam occultetur, necne? ad eum modum, quo non videt propriam Subsistentiam in humanitate Christi Domini: non tamen inde sequitur videre naturaliter Subsistentiam Diuinam; ignorat enim vtrùm propria illi ob aliquam causam occultetur, necne?

Vtrùm

§. 5.

Vtrùm Accidens diuinitùs collocatum extra subiectum aliquam patiatur violentiam?

561 QVinta difficultas: Vtrùm Accidens diuinitùs constitutum extra subiectum aliquam patiatur violentiam? Respondent nonnulli Recentiores affirmatiuè. Primò, quia si Substantia per impossibile inhæreret, aliquam pateretur violentiam. Secundò, quia humanitas Christi Domini denudata propriâ subsistentiâ aliquam patitur violentiam: ergo idem dicendum de Accidente denudato propriâ inhærentiâ.

562 Nihilominus probabilior est resolutio negatiua, quam tenent P. Soar. *tom.* 1. *in* 3. *p. d.* 8. *sect.* 3. & *l.* 6 *de Anima c. vlt.* P. Vasq. 1. 2. *d.* 25. *c.* 3. P. Tanner, ibidem *d.* 1. *q.* 1. Patres Conimbricens. 2. *Physicor. in Comment. cap.* 6. & *de Anima separata q.* 6. P. Hurtad. *de Anima d.* 18. *s.* 3. P. Rub. *de Anima separata q.* 6. Et probatur, quia Violentum definitur: *Id, cuius principium est ab extrinseco, passo nō conferente vim, sed renitente per contrarium impetum*: iste *contrarius impetus* tunc intelligitur, quando perfectio, quæ tollitur, non suppletur per Formam nobiliorem, quæ excellentiori modo suppleat effectum formalem perfectionis impeditæ, seu amissæ. Ex hoc Principio humanitas Christi Domini denudata propriâ Subsistentiâ absolutâ non est violentata per Subsistentiam Verbi relatiuam, quia hæc nobiliori modo præstat effectum Subsistentiæ creatæ, licèt hæc sit absoluta: & illa relatiua: at verò existentia in alio Accidentium excellentiùs suppletur per existentiam per se. Itaque Modus existendi per se reddit Accidens existens excellentiori modo, quám cùm per inhærentiam existit in alio: vnde fit, quòd eius effectus formalis non sit tam propriè contrà, quàm supra Naturam Accidentis. De hoc pleniùs sequenti *tract.* 2. *num.* 79.

P. Soares. P. Vasq. P. Tanner. Patres Conimbr. P. Hurt. P. Rub.

563 Ad primum, dico quòd, si Substantia per impossibile inhæreret, pateretur violentiam, quia inhærentia non suppleret effectum formalem Subsistentiæ.

Ad secundum patet solutio ex dictis.

(*)

SECTIO VII.

Comparantur Substantia, & Accidens inter se.

564 POTEST primò comparari infima Substātia realis cum supremo Accidēte naturali. Secundò, infima Substantia etiam modalis cum supremo Accidente similiter naturali. Tertiò, infima Substantia realis cum supremo Accidente supernaturali. Quartò, infima Substantia etiam modalis cum supremo Accidente similiter supernaturali.

§. 1.

Comparatur infima Substantia realis cum supremo Accidente naturali.

565 PRima difficultas: Vtrùm aliquod Accidens reale naturale sit nobilius aliquâ Substantiâ reali, V. g. Intellectus, aut quoduis aliud Accidens nobilius Materiâ primâ? Videtur esse nobilius. Primò, quia Intellectus habet nobiliorem modum operandi, quàm Materia prima: ex nobiliori autem modo operandi optimè colligitur nobilior modus essendi. Secundò, quia Intellectus est spiritualis: Materia prima corporea. Tertiò, quia aliqua Substantia realis depēdet ab Accidente tanquam á causâ æquiuocâ, v. g. forma auri á calore Solis: at verò causa æquiuoca semper est nobilior suo effectu.

566 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium nullum Accidens naturale esse nobilius aliquâ Substantiâ reali. Ita D. Thom. Caietan. P. Soar. P. Vasq. P. Fonsec. & alij inferiùs citandi. Probatur, quia omnis Substantia habet perfectiorē modum essendi quolibet Accidente. Ostēdo hoc, quia omnis Substantia existit per se independēter ab alio tanquam à subiecto inhæsionis: omne Accidens existit in alio dependenter ab illo tanquam á subiecto inhæsionis: at verò modus existendi per se independenter ab alio est nobilior modo existendi in alio dependenter ab illo, vt ex ipsis terminis est manifestum.

D. Thom. Caiet. P. Soares. P. Vasq. P. Fonseca.

567 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo concedendo nobiliorem modum essendi colligi ex nobiliori modo operandi in causis principalibus; non in instrumentalibus: omne verò Accidens

operatur in virtute Substantiæ, & est illius causa instrumentalis vt *in Phys. tr. 2. n. 542.* ex professo ostendimus.

568 Ad secundum, concedo Intellectum esse spiritualem, & Materiam primam corpoream; hoc tamen non tollit, quominùs Intellectus sit ignobilior; est enim Intellectus Accidens secundùm omne id, quod includit; ac proinde dependens ab aliquâ Substantiâ, quæ est eiusdem Ordinis cum Materiâ primâ: quādo autem duo sunt eiusdem Ordinis, & Prædicamenti, si vnum est nobilius aliquo tertio, etiam est nobilius, & aliud: cum igitur Intellectus sit ignobilior aliquâ Substantiâ, quæ est eiusdem Ordinis cum Materiâ primâ, etiam est ignobilior tali Materiâ.

569 Ad tertium, dico in primis nullum Accidens esse principium effectiuum alicuius Formæ substantialis, vt ostendimus *in Phys. tr. 2. n. 423.* Respondetur secundò etiam in opinione contrariâ asserentium Formas substantiales produci ab Accidentibus, non produci ab illis tanquam á causis principalibus, sed tanquam á causis instrumentalibus: non est tamen necesse, quód causa æquiuoca instrumētalis sit nobilior suo effectu.

§. 2.

Comparatur infima Substantia etiam modalis cum supremo Accidente naturali.

570 Secunda difficultas: Vtrū aliquod Accidēs naturale sit nobilius aliquâ Substantiâ saltem modali? v. g. Intellectus nobilior subsistentiâ Materiæ primæ, aut eius Vnione ad Formam? Pars affirmatiua suaderi potest. Primò, quia Modus, licèt substantialis, habet esse magis dependens, quám Accidens reale; nam ille essentialiter dependet, nec potest fieri independens; istud veró non essentialiter dependet, & potest fieri indepēdens, vt patet in mysterio Eucharistiæ. Secundó, quia benè potest vnum ex genere suo esse ignobilius alio: & tamen ratione differentiæ nobilioris illud simpliciter antecedere. Ostēdo hoc in verme, qui ex genere suo (quod est corpus corruptibile) est ignobilius Cælo Empyreo; ratione tamen differentiæ gradûs viuentis illud simpliciter excellit: ergo licèt Accidens reale ex genere suo sit ignobilius Modo substantiali, tamen ratione differentiæ sui gradûs realitatis illum simpliciter excedet.

571 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium nullum Accidens naturale esse nobilius aliquo Modo substantiali. Ita D. Thom. P. Soar. P. Vasq. & P. Fonsec. inferiùs allegandi, quos plures sequūtur recentiores Magistri. Et probatur, quia quælibet Substantia etiam modalis habet modum essendi nobiliorem quolibet Accidente, independentem scilicet á subiecto inhæsionis: ergo est nobilior. *D. Thom. P. Soar. P. Vasq. P. Fons.*

572 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo Modum substantialem esse quidem magis dependentem: verùm id esse in alio genere, scilicet Modi à suâ realitate: at verò Accidens dependet á subiecto inhæsionis; depēdentia autem á subiecto inhæsionis est longè deterior, quám dependentia Modi à suâ realitate. Et ratio est, quia dependentia à subiecto inhæsionis est dependentia ab alio veluti extraneo, cum quo non facit vnū per se; & depēdētia ab extraneo arguit maximam ignobilitatem: dependentia Modi substantialis á suâ realitate est dependentia ab aliquo, cum quo facit vnum per se, & quod sibi est intimâ affinitate coniunctum, quæ dependentia etiam in moralibus non arguit ignobilitatem; ex eo enim quòd filius seruiat patri, ab illoque dependeat, non minuitur eius nobilitas; maximè verò si seruiat extraneo, ab illoque dependeat.

573 Ad secundum, respondeo concedendo posse vnum ex genere suo esse ignobilius alio, illud tamen simpliciter excedere ratione differentiæ nobilioris; verùm id est quando hæc differentia simpliciter excedit aliud, vt patet in exemplo adducto vermis comparatione Cæli Empyrei (dato quód hoc sit incorruptibile) nam differentia Substantiæ viuentis, cùm etiam sit Substantia, simpliciter excedit omnem aliam Substantiam corpoream nō viuentem: at verò in nostro euentu differentia Accidentis naturalis non excedit Substantiam; nam talis differentia etiam est Accidēs, ac proinde simpliciter ignobilior quâlibet Substantiâ, licèt secundùm quid sit præstantior illâ.

§. 3.

Comparatur infima Substantia realis cum supremo Accidente supernaturali.

574 Tertia difficultas: Vtrùm aliquod Accidens supernaturale sit nobilius aliquâ Substantiâ reali, V. g. Lumen Gloriæ, Visio Beata, Habitus Charitatis, & Gratiæ, nobilior Materiâ primâ? Affirmāt Gabr. Marsil. Durand. Richar. Zumel, quos citant, & sequuntur P. Molin. 1. *p. q.* 12. *a.* 3. *d.* 2. *§. Ad* 2. P. Valent. 1. 2. *d.* 8. *q.* 6. *punct.* 1. *§. Respondeo,* P. Gran, *controuers.* 8. *de Gratia tr.* 4. *d.* 5. *Gabr. Marsil. Durand. Richar. Zumel P. Molina P. Val. P. Grana.*

Pro-

D. Gr. g. Probatur. Primó ex D. Greg. Nazianz. item
D. Cyr. ex D. Cyril. & D. August. *sermon. 15. de verbis*
D. Au g. *Apostoli*, ibi: *Qui se iustum facit, melius aliquid facit, quam sit fieri hominem*. Confirmatur ex illo *Pro-*
Prouer. 8. *uerbiorum* 8. vbi sermo est de Gratiâ, & Sapientiâ Diuinâ, *Omne desiderabile ei non potest comparari*. Probatur secundò, quia melius est amittere esse Naturæ, quàm esse Gratiæ: ergo hoc est maius bonum, quàm illud. Antecedens ostenditur ex illo Christi Domini *Matth. 26.*
Mat. 26. vbi loquens de Iudâ proditore, *Melius*, inquit, *ei erat si natus non fuisset*. Comparatur hoc loco Gratia cum Substantiâ Iudæ, & Gratiam præfert Christus Dominus dicendo melius esse Iudæ non habuisse Substantiam, quàm amisisse Gratiam. Probatur tertiò, quia eó res est nobilior, quò nos magis assimilat, & coniungit Deo: sed Gratia sanctificans magis nos Deo assimilat, & coniungit, quàm Materia prima. Hæc Minor videtur clara, quia Gratia efficit nos Diuinæ consortes Naturæ, filios Dei, imó Deos quosdam, vt constat ex dictis n. 452. at verò Materia prima nos dissimilat, & disiungit á Deo.

575 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium nullum Accidens supernaturale esse nobilius aliquâ Substantiâ
D. Thom. reali. Ita D. Thom. 1. 2. q. 110. a. 2. ad 2. & 2.
Scot. 2. q. 23. a. 3. ad 3. Scot. *in 2. dist. 22. q. 2. §. Ad*
Caiet. *argumenta*. Caiet. q. 27. *de Veritate art. 1. ad 6.* & 3.
P. Vasq. p. q. 7. a. 12. P. Vasq. 1 p. d. 214. n. 17. P. Soar.
P. Soar. *de Ini. nat. d. 9. s. 2. §. 2.* P. Fons. 7. *Met. c. 1. q.*
P. Fons. 2. *s. 2. §. Probatio autem*, & *s. 4. §. Posterior conclusio*,
P. Amicus P. Franc. Amic. *tom. 2. de Angelis d. 3. n. 33*. Probatur hæc resolutio eâdem ratione, & fundamento, quo superiores. Nam omnis Substantia habet nobiliorem essendi modum quolibet Accidente supernaturali. Probo hoc, quia omnis Substantia est independens á subiecto inhæsionis: omne verò Accidens dependens. Et confirmatur. Primò, quia si Accidês supernaturale excelleret aliquam Substantiam, id esset ratione gradûs supernaturalitatis, & quod inde sequitur, excelleret omnem Substãtiam; nulla enim creata est supernaturalis, vt suo loco ostendimus; atqui non excellit omnem, vt ipsimet Aduersarij fatentur: ergo nullam.

576 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ deductum ex loco D. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum respondetur D. Augustinum, & alios Sanctos Patres eo in loco sermonem facere de Accidentibus supernaturalibus sumptis in genere Moris, & in ordine ad Finem supernaturalem; quo sen-
D. Thom. su etiam intelligendus est D. Thom. 1. 2. q. 110. a. 2. vbi *Gratia*, inquit, *nobilior est naturâ Animæ*: nostra verò quæstio procedit de Accidentibus supernaturalibus sumptis in genere Physico, &, vt aiunt, in genere Entis. Neque dicas, genus, & ordinem Moris esse nobiliorem genere, & ordine Physico; nam hic ordinatur ad illum. Non, inquam, hoc dicas; quia genus Physicum non ordinatur ad genus Moris præcisiué sumptum, sed ad ipsummet genus Physicum sumptum simul cùm genere Moris in eo sensu, quo communiter intelligitur Aristoteles 2. *de Cælo c. 3. textu 17.* vbi dicit Substantiam esse propter suam operationem: non enim vult, quòd Substantia sit propter suam operationem præcisiuè sumptam; nam hæc est Accidens: Substantia verò non est propter Accidens, imò è contra Accidens est propter Substantiam: solùm ergo vult, quòd Substantia sit propter se operantem: pari passu esse Naturæ Physicum est propter se perfectũ; & constitutum in genere Moris. Locus Prouerbiorum etiam eodem modo exponendus est in genere Moris.

577 Ad secundum respondetur distinguendo Antecedens: Melius est amittere esse Naturæ, quàm esse Gratiæ, hoc est; quàm peccare, concedo Antecedens; est enim peccatum quædam offensa Dei, quem debemus summè diligere, imó millies mori, quàm illũ vel leuissimé offendere: inde tamen non sequitur Gratiam præcisiuè sumptam esse præstantiorem nostrâ Substantiâ: solùm colligitur Deum esse illâ nobiliorem; ac proinde ipsi Naturæ præferendum. Si Gratia non amitteretur per peccatum, maius malum foret amittere esse Naturę, quàm esse Gratiæ. Responderi potest secundó (dato quòd simpliciter melius sit amittere esse Naturæ, quàm esse Gratię) adhuc inde nõ sequi Gratiam esse maius bonum Physicum, quàm esse Naturæ: solùm sequitur esse maius bonum Morale.

578 Ad tertium nego Gratiam sanctificantem, & alia Accidentia supernaturalia magis nos assimilare Deo, quàm Materia prima, & quoduis aliud Ens substantiale. Et ratio est, quia Gratia, & alia Accidentia supernaturalia solùm nos assimilant Deo quòad eius Attributa, & proprietates: Substantia verò nos illi assimilat quòad eius Existentiam per se, & eius Naturam; præstantior autem est similitudo in Naturâ, quàm in eius proprietatibus: loquimur physicè, non moraliter.

(:?:)

§. 4.

Comparatur infima Substantia etiam modalis cum supremo Accidenti supernaturali.

579 QVarta difficultas: Vtrùm omnis Substantia modalis sit nobilior quolibet Accidente supernaturali, v. g. Vnio, aut subsistentia Materiæ nobilior Visione Beatâ, Gratiâ sanctificante, aut Lumine Gloriæ? Negant Gabr. Marsil. Durand. Richard. Zumel, P. Molin. & P. Valent. suprá citat. Primò, quia licèt Modus substantialis ex genere suo sit deterior Materiâ primâ, tamen Modus substantialis supernaturalis, nimirum Vnio hypostatica illam excedit: ergo licèt Accidens ex genere suo sit deterius Substantiâ modali, Accidens supernaturale illam excedit. Secundò, quia Modus substantialis habet exiguas operationes, aut ferè nullas: Accidentia veró supernaturalia habent operationes præstantissimas, vt videre est in Lumine Gloriæ, & alijs Habitibus supernaturalibus: ex modo autem operãdi nobiliori optimè colligitur nobilior modus essendi.

Gabr. Marsil. Durand. Richard. Zumel P. Molina P. Arrub.

580 Nihilominus dicendum omnem Substantiam etiam modalem esse nobiliorem quolibet Accidente supernaturali. Ita D. Thom. Scot. Caietan. P. Vasq. P. Soar. P. Fonsec. & P. Amicus suprá allegati. Fundamentum est idem, quo superiores resolutiones probauimus. Nam Modus substantialis habet nobiliorem existendi modum quolibet Accidente etiam supernaturali; existit enim per se: omne verò Accidens existit in alio.

D. Thom. Scot. Caiet. P. Vasq. P. Soar. P. Fonseca P. Amicus

581 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondent aliqui primò concedendo Modum substantialem supernaturalem, qualis est Vnio hypostatica, esse nobiliorem Materiâ primâ; adhuc tamen dicunt nullum Accidens supernaturale esse illâ præstantius. Diuersa ratio est, quia excessus supernaturalitatis præualet in rebus eiusdem Ordinis, & Prædicamenti; Vnio verò hypostatica est eiusdem Ordinis, & Prædicamenti cum Materiâ primâ: quæ ratio non militat in Accidente supernaturali comparatione Substantię, cùm sit diuersi Ordinis, & Prędicamenti ab illâ. Hæc responsio videtur probabilis, eam ita iudicat P. Soar. *in Metaph. disp. 33. sect. 1. num. 27.* Responderi potest secundò, & probabiliùs cum eodem P. Soares citat. *num. 28.* negando Vnionem hypostaticam (& idem dicendum de quouis alio Modo) esse nobiliorem Substantiâ reali. Et ratio est, quia omnis Modus tam ex genere suo, quám ratione suæ differentiæ, quæ etiam est Modus, habet entitatem valdè diminutam. Non nego Vnionem hypostaticam in ordine morali esse præstantiorem quâuis aliâ Substantiâ reali; sed dico esse quâlibet deteriorem in genere Entis, & in ordine Physico; siquidem habet entitatem quâlibet plus diminutam. P. Soar.

582 Ad secundum respondeo primó, negando Habitus, & Accidentia supernaturalia habere nobiliorem modum operandi Modis substantialibus; nam omne Accidens operatur instrumentaliter, vt constat ex ijs, quæ diximus *in Phys. tractat. 2. num. 541.* Modus veró substantialis habet aliqualem operationem, vt causa principalis, qualis est productio sui Vbi, suæ Subsistentiæ, aut Relationis. Respondeo secundó (dato, quód Modi substantiales nullam haberent operationem per se) satis esse, quòd identificentur cum composito illas habente. Respondeo tertiò (dato, quód Accidens supernaturale habeat operationes nobiliores) adhuc ex illis non colligi nobilius esse; nam illud Principium, *Modus operandi sequitur Modum essendi*, solùm valet, quando modus operandi est à causa principali, à quâ ille solùm mensuratur.

(?)

DISPVTA-

DISPVTATIO IV.

De diuisione Entis in decem Prædicamenta.

PARTITA in Sectiones quatuor. In primâ inquiro, Vtrùm diuisio sit vniuoca? In secundâ, Vtrùm sit adæquata? In tertiâ, Vtrùm fiat in membra opposita? In quartâ, sermo est de Gradibus Metaphysicis, qui in quolibet Prædicamento reperiuntur.

SECTIO I.

Vtrùm diuisio sit vniuoca?

583 SVPPONO in primis omnium Philosophorum consensu admitti Prędicamenta, quorum primus Inuĕtor fuit insignis Philosophus Architas Tarentinus; ea ab Architâ accepit Aristoteles, & suis Peripateticis tradidit; ab illo ad hoc vsque tempus celebrantur. Suppono secundò, cum Aristotele 6. *Met. comment.* 4. & 8. D. Thom. *in* 4 *dist.* 1. *q.* 1. *a.* 4. *quæstiuncula* 2. *ad* 1. Patribus Conimbr. *q.* 6. *de Prædicam. a.* 1. Ens immediatè diuidi in Prædicamĕtale, & nō Prædimĕtale. Rursū Prædicamĕtale in vulgata Prædicamenta, de quibus infrá. Suppono tertiò cōmunem Prædicamĕti definitionem, quæ ita habet: *Prædicamentum est alicuius generis summi realis, & eorum, quæ sub ipso sunt, naturalis dispositio.* Suppono quartó communiter celebrari decem Prædicamenta, nec plura, nec pauciora: ea verò sunt, *Substantia, Quantitas, Qualitas, &c.* Quæ collegimus in *Logica tr.* 9. *n.* 34 collectione inuentâ à D. Thom. quam ibi defendimus, & probauimus. Suppono quintó ad quodlibet Prædicamentū octo requiri vulgares conditiones, tres ex parte vocis, quinque ex parte rerum, de quibus egi in *Log. tract.* 5. *à n.* 19.

Archit.as

Aristot.
Patres Conimbr.
D. Thom.

584 Dixi requiri *octo vulgares conditiones*, quia præter illas duæ aliæ iuxta doctrinam P. Soar. *d.* 39. *s.* 2. *n.* 33. requiruntur: prima, vt denominet primam Substantiam per modum formæ actuantis: secunda, vt talis denominatio sit omninò diuersa à denominationibus aliorum Prædicamentorum. De quo satis in *Logica tract.* 5. *à num.* 29. ideircò longiori explicationi supersedeo.

P. Soar.

§. I.

Vtrùm Ens Prædicamentale sit vniuocum ad Substantiam, & ad Accidens Prædicamentale?

585 PRima difficultas: Vtrùm Ens Prædicamentale sit vniuocum ad Substantiā, & ad Accidens Prædicamentale? Affirmant Scot. Gabr. Ocham. cæterique Nominales, quos refert, non tamen sequitur P. Soar. *d.* 32. *s.* 2. *n.* 2. Quibus accedunt P. Ouiedo in *Met. controu.* 5. *punct.* 1. P. SanctaCruz in *sua Logica p.* 2. *disp.* 5. *q.* 8. *sect.* 7. P. Arriaga in *Log. disp.* 11. *sect.* 2. Probatur primò, ex definitione Vniuocorum, quia Vniuoca sunt *Ea, quorum nomen commune est, ratio verò Substantiæ omninò eadem*; atqui Substantia, & Accidens habent in primis idĕ nomen Entis Prædicamentalis; deinde eandem Entis Prædicamentalis rationĕ. Probo hoc, quia ratio Entis Prædicamentalis consistit in illis octo conditionibus: hæc verò tam in Substantiâ, quàm in Accidente Prædicamentali reperiuntur. Probatur secūdò, quia Ens Prædicamentale verè præscindit à differentijs; hæ enim cùm sint incompletæ, nō sunt Prædicamentales.

Scot.
Gabr.
Ocham.
P. Soar.
P. Ouied.
P. S. Cruz
P. Arriaga

586 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Ens Prædicamĕtale non esse vniuocum ad Substantiam, & Accidens Prædicamentale. Ita Aristoteles 4. *Met. c.* 2. & 7. *Met. c.* 1. iterum 1. *Ethicor. c.* 6. D. Thom. Auerro. & alij Expositores ibidem. Porphyr. Albert. M. & Ammonius, quos citat. & sequitur P. Soar. cit. *disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 3. P. Fons. 4. *Met. cap.* 2. *q.* 1. *sect.* 5. P. Rub. *in Log. cap.* 4 *de Prædicamentis q.* 4. §. *Ratio igitur*, P. Tellez *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 1. P. Vasq. 1. *p. d.* 114. *n.* 6. & 7. P. Hurt. *in Logica d.* 9. & alij.

Aristot.
D. Thom.
Auerro.
Porphyr.
Albert. M.
Ammoni.
P. Soar.
P. Fons.
P. Rub.
P. Tell.
P. Vasq.
P. Hurt.

Proba-

587 Probatur, quia diuisio Entis per rectam seriem ita se habet. Diuiditur primò, in *Diuinum*, & *Creatum*: Creatum subdiuiditur in *Substantiam*, & *Accidens*. Substantia in *Prædicamentalem*, & *non Prædicamentalem*: Accidens similiter in *Prædicamentale*, & *non Prædicamentale*. Itaque genus Substantiæ Prædicamentalis nō est Ens Prædicamentale, sed *Substantia*, prout abstrahit á Prædicamentali, & non Prædicamentali: similiter genus Accidentis Prædicamentalis non est Ens Prædicamentale, sed *Accidens* prout abstrahit á Prædicamentali, & nō Prædicamentali. Vides quomodó Accidens Prædicamentale differat toto genere, ac serie á Substantiâ Prædicamentali? Recentiores, qui contendunt Accidens Prædicamentale conuenire vniuocè cum Substantiâ Prædicamentali in Ente Prædicamentali, confundunt seriem, ac descensum horum graduum.

588 Itaque in Entis diuisione, ac serie non mediat Ens Prædicamentale commune Substantiæ, & Accidenti Prædicamentali; Substantia Prædicamentalis, & Accidens Prædicamentale in nullo alio gradu constituto in rectâ serie conueniunt, nisi in Ente creato, hoc, vt dixi, partitur in Substantiam, & Accidens per lineas diuersas, alteram in dextrum, alteram in sinistrum latus. Rursum Substantia diuiditur in Prædicamentalem, & non Prædicamentalem: Accidens verò suam sequens lineam, & Genealogiam diuersam, diuiditur in Prædicamentale, & non Prædicamentale. Ex quo patet Accidens Prædicamentale, & Substantiam Prædicamentalem in nullo alio gradu communi vtrique in rectâ serie conuenire, nisi in Ente creato; ac proinde, cùm comparantur in Ente Prædicamentali, solùm comparari proportionaliter, & analogicè, nō vniuocè in recto genere, ac serie.

589 Ex dictis patet solutio ad fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quatenus dicit Vniuoca esse *illa quorum nomen commune est, & ratio Substantiæ omninò eadem*: & ita se habere Substantiam, & Accidens Prædicamentale in Ente Prædicamentali) respondeo Substantiam Prædicamentalem, & Accidens Prædicamentale non habere eandem rationē, sed constare generibus diuersis, nimirum Substantiam Prædicamentalem Substantiâ, prout abstrahit á Prædicamentali, & non Prædicamentali; Accidens verò Prædicamentale Accidenti, prout abstrahit à Prædicamentali, & non Prædicamentali: ea verò, quæ constant diuersis generibus, habent rationes diuersas.

590 Ad secundū (quâtenus dicit Ens Prædicamētale præscindere á differētijs) respōdeo Ens Prędicamētale nō esse verū genus, in quo scilicet Substantia Prædicamentalis, & Accidens Prædicamentale conueniant, prout constituuntur in recto ordine, ac serie, vt constat ex dictis.

§. 2.

Vtrùm Accidens Prædicamentale sit vniuocum ad nouem Genera Accidentium?

591 SEcunda difficultas: Vtrùm Accidens Prędicamentale sit vniuocum ad nouem Genera Accidentium? Affirmant Sor. *cap. 4. Antepradicamentorum q. 2. ad 1.* Iauel. *7. Met. q. 1. ad* 3. & nonnulli Recentiores. Primó, quia in omnibus nouem Generibus Accidentium reperitur eadem ratio participata per differentias, á quibus perfectè præscindit. Probo hoc, quia in omnibus reperitur hoc, quod est vltimò denominare primā Substantiam efficiendo cum illâ vnum per accidens; deinde hęc ratio participatur per differentias, á quibus perfectè præscindit; nā differentiæ, cùm sint incompletæ, non includuntur in Accidente Prędicamentali completo: ergo &c. Secundò, quia Substantia creata completa est vniuoca ad omnes Substantias creatas completas: ergo idem dicendum de Accidente completo respectu omnium Accidentium. Tertiò, quia idcircó non omnia Genera Accidentium conuenirent vniuocè, quia alia essent intrinseca, alia extrinseca; aut quia alia essent realia, alia modalia; aut quia alia in suâ entitate essent Substantiæ, alia Accidentia: sed nullum ex his capitibus obstat, aut tollit vniuocationem. Non primum, quia id non tollit quominùs omnia Accidentia participent rationem Accidentis completi in communi, & differant per suas differentias *intrinseci*, & *extrinseci*. Non secundùm, quia in Prędicamento Qualitatis Modus, & Realitas cōueniunt vniuocè. Non tertium, quia comparatio inter Accidentia non fit penes entitates, sed penes denominationes: ergo &c. Sot. Iauel.

592 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Accidens Prędicamentale non esse vniuocum ad nouem Genera Accidentium. Ita sentire videntur Aristoteles, D. Thom. Porphyr. & certè sentiunt Caietan. Soncin. Alensis, quos citant, & sequuntur P. Soar. *in Met. disp.* 39. *sect.* 3. P. Tellez vbi suprà *sect.* 2. *n.* 1. Et probatur, quia alia Accidentia talia sunt simpliciter, alia secundùm quid. Probo hoc, quia alia simpliciter inhęrent; alia solùm extrinsecè, & secundùm quid; essentia veró Accidentis consistit in inhæ- Aristot. D. Thom. Porphyr. Caiet. Soncin. Alensis P. Soar. P. Tellez.

inhærentia, vt constat ex *n.* 539. ad simpliciter autem, & ad secundùm quid nihil datur vniuocum. Et declaratur, quia quando membra diuidentia alia sunt simpliciter, alia secundùm quid, ratio participata ex se postulat priùs, & potiùs descendere ad vnum, á quo participatur simpliciter, quám ad aliud, á quo solùm participatur secundùm quid: at veró huiusmodi participatio tollit vniuocationem.

593 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit quòd in omnibus nouem Generibus Accidentium reperitur eadem ratio participata) respondeo dato quòd eadem ratio aliquo modo reperiatur in omnibus Accidentibus, non reperiri tamen eodem modo, & æqualiter participatam, sed in Accidentibus intrinsecis priùs, & simpliciter: in Accidentibus extrinsecis posteriùs, & secundùm quid per analogiam ad intrinseca.

594 Ad secundùm (quatenus dicit omnes Substantias completas conuenire vniuocè) id concedo: & nego de omnibus Accidentibus completis. Diuersa ratio est manifesta ex dictis; nam omnes Substantiæ completæ tales sunt simpliciter: at verò Accidentium alia talia sunt simpliciter, alia secundùm quid.

595 Ad tertium, dico rationem Accidentis in communi consistere in inhærentia; hanc autem solùm propriè, & simpliciter participari ab Accidentibus intrinsecis; ab extrinsecis solùm impropriè, & secundùm quid. Vnde inter Accidentia intrinseca, & extrinseca non solùm ex parte differentiarum, & in essendo, sed etiam ex parte Generis, & in participando datur inæqualitas, dependentia, & consequenter analogia.

§. 3.

Vtrùm Accidens Prædicamentale sit vniuocum ad aliquot Genera Accidentium?

596 TErtia difficultas: Vtrùm Accidens Prædicamentale sit vniuocum saltem ad aliquot Genera Accidentiũ? P. Soar. *in Met. disp.* 39. *sect.* 3. *n.* 15. & nonnulli recentiores Magistri videntur sentire esse vniuocum saltem ad Quantitatem, & ad Qualitatem, quia nulla, inquiunt, in eo reperitur analogia. Et certè ita sentit P. Tellez *d.* 52. *s.* 2. *n.* 8. vbi pro se allegat Scot. Gabr. P. Arriaga & P. Sancta Cruz.

P. Soar. *P. Tellez.* *Scot.* *Gabr.* *P. Arriaga.* *P. S. Cruz.*

597 Nihilominus probabilius est non esse vniuocum. Primò, quia Qualitas minùs inhæret, quám Quantitas; nam hæc est realitas; illa verò abstrahit á realitate, & à modo: realitas verò magis propriè inhæret, quám modus; ac proinde est magis Accidens. Secundò, & principaliter, quia Accidens Prædicamentale in suâ ratione formali includit trãscendentiam, vt docet P. Soar. *disp.* 39. *sect.* 3. *n.* 18. ad finem, & Patres Conimbric. *cap. de Æquiuocis q.* 1. *a.* 2. *§. Ad* 3. Includit, inquam, transcendentiam, quia includit quidquid est Accidens Prædicamentale; ac proinde includit Relationem, Actionem, Situm, &c. huiusmodi verò transcendentia, cùm includat tot rationes analogas, intrinsecas scilicet, & extrinsecas, tollit vniuocationem.

P. Soar. *Patres Conimbr.*

598 Quæres primò, Vtrùm saltem Accidens intrinsecum sit vniuocum ad omnia Accidentia intrinseca; & Accidens extrinsecum ad extrinseca? Respondeo negatiuè, quia Accidẽs intrinsecum est commune ad Physicum, hoc est, ex naturâ rei distinctum à subiecto, & ad Logicum, quod scilicet non distinguitur ex naturâ rei à suo subiecto: Accidens veró Logicum, cùm minùs propriè inhæreat, solùm est Accidens secundùm quid; simpliciter est Substantia: Accidẽs Physicum tale est propriè, & simpliciter.

599 Similiter dicendum de Accidente extrinseco, qualia sunt Actio, & Habitus; nam Actio est Accidens minùs extrinsecum; præscindit enim ab immanente, & transeunte; ac proinde neque est intrinseca, neque extrinseca, sed præscindit ab vtrâque.

600 Quæres secundò, Vtrùm Accidens Logicum sit vniuocum ad omnia Accidentia Logica? Respondeo difficilè posse in eo reperiri aliquam rationem analogiæ. Adhuc tamẽ assero non posse Accidens Prædicamentale in illud distribui; nam hoc fieret respectiuè ad aliud diuisionis membrum, nimirum ad Accidens non Logicum, seu, quod idem est, ad Accidens Physicum: & hoc præterquam quòd non sit vniuocum, vt patet ex dictis *num.* 597. Accidens Logicum non potest conuenire vniuocè cum illo; dicitur enim Accidẽs Logicum per attributionem ad Physicum, quod solùm est Accidens simpliciter: Accidens Logicum est Accidens secundùm quid.

SECTIO II.

Vtrùm diuisio sit adæquata?

601 PRO explicatione huius Sectionis tres se se offerũt difficultates. Prima: Vtrũ dentur

dentur pauciora Prædicamenta, quàm decem? Secunda: Vtrùm de facto dentur plura? Tertia: Vtrùm de possibili plura dari queant?

§. I.

Vtrùm dentur pauciora Prædicamenta, quàm decem?

602 PRima difficultas: Vtrùm dentur pauciora Prædicamenta, quã decem? Prima sententia est aliquorum Recẽtiorum, qui tria tantùm admittunt Prædicamenta: primum, Substantiæ: secundùm, Quantitatis: tertium, Qualitatis. Imò hæc duo vltima dicunt conuenire vniuocè; ac proinde in vnum coalescere: præter hæc nullum aliud admittunt Prædicamentum; excludunt enim à Philosophiâ omnem Modum, secuti in hàc parte P. Wadingum *de Incarnat. d. 1. Proœmiali* (cuius certè doctrina quòad hanc partem, cùm nullum Modum habeat, mihi placere non potest) imó neque P. Wadingum, quem sibi ducem præferunt, sequuntur; nam, quas ille negat, admittunt Actiones; dicunt tamen has esse Ens incompletum, ac proinde exulare à Prædicamento. P. Wadin.

603 Hæc opinio non potest hoc loco cõmodè refutari: id præstabimus agendo de omnibus, & singulis Modis suis in locis, vbi ostendemus illos non posse non admitti; aut ex naturâ rei (vt communis fert sententia) aut saltem virtualiter distinctos ab Actione. Ostendendum deinde est sufficere distinctionem virtualem ad constituenda diuersa Prædicamenta. Tandem Actiones per respectum ad agẽs (quidquid de illis sit in ordine ad terminum) esse entitates completas denominantes primã Substantiam. Illud postremum, quod asserunt de conuenientiâ vniuocâ Quantitatis cũ Qualitate ex proximè dictis *num. 597.* refutatum manet.

604 Secundà sententia est cuiusdam Laurentij Vallæ, cui etiam nonnulli recentiores Magistri subscribunt. Hic alia tria constituit Prædicamenta: primum, Substantiæ: secundum, Accidentis intrinseci, in quo vniuocè cõuenire dicit omnia Accidentia intrinseca: tertium, Accidentis extrinseci, in quo dicit conuenire vniuocè omnia Accidentia extrinseca. Verùm Laurentius Valla fuit melior Grammaticus, quám Philosophus: *num. 598.* ostendimus non omnia Accidentia intrinseca conuenire vniuocè, cùm alia sint physica, alia logica, alia magis propriè, & simpliciter, alia minùs propriè, & secundùm quid inhæreãt, cùm solùm virtualiter distinguãtur à suis subiectis. Laurent. Valla

605 Tertia sententia est P. Hurtad. *in Met. d. 9. §. 18.* qui alia tria inducit Prædicamenta: primum, Substantiæ: secundum, Accidentis realis: tertium, Accidentis modalis. Reijcitur primò, quia in Accidente reali collocat Quantitatem, & Qualitatem, quæ suprá *n. 597.* ostendimus non conuenire vniuocè. Secundó, quia in Accidente modali constituit omnes Modos, cùm aliqui sint minùs Accidentia, quàm alij; siquidem solùm inhærent extrinsecè, alij verò intrinsecè; ac proinde non possunt conuenire vniuocé. P. Hurt.

606 Quarta sententia est Stoicorum, quos latè refert Plotinus *l. 1. eneade 6.* Hi quatuor adnumerant Prędicamenta, nec plura, nec pauciora: primum, Substantiæ: secundum, Accidentis intrinseci ex naturâ rei distincti á subiecto: tertium, Accidentis intrinseci virtualiter distincti: quartum, Accidentis extrinseci. Hanc opinionem plurimi sequuntur Recentiores. Plotinus

§. 2.

Verior sententia.

607 NIhilominus probabilior est cõtraria resolutio asserentium nõ posse admitti pauciora Prædicamenta, quàm illa decem vulgata. Hæc est Philosophorum communis. Scot. *in 4. dist. 17. q. 1. a. 1.* illam appellat famosam, doctissimorum hominum iudicio sancitam, cui, inquit, contradicere piaculum, & nefas esset. P. Soar. *in Met. d. 39. s. 2. n. 12.* dicit esse quasi temerarium in Philosophiâ de denario Prædicamentorum numero dubitare: illum ab Architâ, vt suprá notauimus, acceptum celebrat Aristotel. *1. Metaph. cap. 5.* D. August. *tom. 10. serm. 3. infra Octauam Epiphania*, ibi: *Decem sunt Genera locutionum, quibus homines suos sensus solent inter se conferre, quas Philosophi Græcè Cathegorias; Latinè Prædicamenta appellant.* Pauló inferiùs singula adnumerat suis nominibus, & locis D. Thom. 3. *Physic. lect. 3.* ad medium, & *5. Met. lection. 9. liter. C.* Gabr. *in 1. dist. 8. q. 1.* Maior ibidem *q. 2.* & omnes ferè Philosophi antiqui, quorum plures latè citat, & sequitur P. Fonsec. 5 *Met. cap. 7. q. 2. sect. 3.* P. Rub. *in Prædicament. cap. 4. q. 3. num. 57.* P. Tolet. *in Logic. cap. 4. in Antepredicamentis*, & *q. 7. de Prædicament.* Patres Conimbric. ibidem *cap. 4 de Prædicament. q. 2. a. 3.* Francifcus de Araujo *tom. 1. sue Metaph. lib. 5. q. 1.* Cursus Thomisticus *q. 7. de Ente Prædicam. art. 5.* P. Tellez *disp. 52. sect. 3. n. 1.* P. Ouiedo *in Metaph. controuers. 5. puncto 1.* vbi dicit Ens esse distributum per decem Prædicamenta, sicut annus per duodecim menses. Idem tenet P. Compton Scot. P. Soar. Aristot. D. Aug. D. Thom. Gabriel Maior P. Fonsec. P. Rub. P. Tolet. Patres Conimbr. Cursus Thomistic. P. Tellez. P. Ouiedo

P.Compt. Compton. *in Met. d.6. sect. 1. num. 5.*

608 Hæc sententia non aliter meliùs probari potest, quám decem vulgata Prædicamenta colligendo collectione factâ à D. Thom. quam *in Logica tract. 5. num. 34.* tradidimus, & explicauimus. Probari potest deinde destruendo proximam Stoicorum sententiam, qui illa tantùm quatuor Prædicamenta admittunt. Destrui autem potest primó, dicendo illa quatuor Genera non esse vniuoca, vt constat ex ijs, quæ diximus *num.* 597. Secundó, quia, dato, quòd forent vniuoca, adhuc staret denarius Prædicamentorum numerus; nam Prędicamenta nihil aliud videntur esse, quám quædam prædicata valdè notabiliter diuersa, quæ á Philosophis, vt quædam veluti distinguendarum rerum classes ad id negotij inuentæ, celebrantur. Tertió, quia Prædicamenta accidentalia colliguntur in ordine ad primam Substantiam, circa quam aliquam exercent denominationem vulgarem, & vsitatam à Philosophis: illa autem tria Genera Accidentium nullam talem exercent denominationem. Probo hoc, quia solùm possunt denominare primam Substantiam accidentatam intrinsecè, vel extrinsecè: hæ verò denominationes non sunt vulgares, aut vsitatæ á Philosophis, vt ex ipsis terminis constat.

§. 3.
Vtrùm de facto dentur plura Prædicamenta quám decem?

609 SEcunda difficultas: Vtrùm de facto plura dentur Prædicamenta, quàm decem? Pythagorici relati ab Aristotele 1. *Metaphys. cap. 5.* adnumerabant Prædicamenta viginti. Non rectè quidem, vt patet ex communi collectione, quam in *Logica* retulimus. P. Hurtad. *in Metaph. disp. 9. §.* 18. admittit nouum quoddam Prædicamentum *Entis Diuini.* Non etiam rectè, quia Ens Prædicamentale debet esse *finitum*, vt cum communi doctrinâ ostendimus *in Logica tract. 5. num.* 31. Aliqui Recentiores nouum aliud inducunt Prædicamentum Causalitatis Causæ Formalis. Eorum fundamentum est, quia Actio, prout est Causalitas Causæ Materialis, constituit vnum Prædicamentum: ergo prout est Causalitas Causæ Formalis constituit aliud. Huic opinioni, & fundamento respondimus in *Logica tract. 5. num. 37.* vbi diximus Causalitatem Formæ non denominare primam Substantiam, sed solam Formam. Non, inquam, denominat primam Substantiam, quia hæc denominatio informandi conuenit soli Formæ; & repugnat toti Composito: aliter dicendum de denominatione recipiendi, quæ etiam competit toti Composito; cuius est pati, iuxta illud Proloquium *Actiones & passiones sunt Compositorum.*

Aristot. P. Hurt. D. Thom.

610 P. Arriaga *in Metaph. disp. 3. num. 4.* admittit plura alia Prædicamenta, quæ dicit constitui his denominationibus, cælibem esse; honoratum, nobilem, infamem, mercatorem, &c. Sed re verâ hæ denominationes proueniunt á Relationibus; aut sunt Entia rationis, prout suo loco dicemus. Ad illas veró denominationes, quibus de primâ Substantiâ quæritur, An sit sola, vel cũ socio? An sit religiosa? An secularis, &c? dicẽdum etiam est spectare ad Relationem, aut ad Qualitatem, aut esse Entia rationis. P. Arriag.

611 Nonnulli Magistri viri docti in hâc Academiâ duo alia noua induxerunt Prædicamenta: primum, *Inhærentiæ* sumptæ in ordine ad subiectum, quod est prima Substantia: secundum, denominationum extrinsecarum, *visi, cogniti, & amati* similiter in ordine ad rem, quam denominant visam, cognitam, & amatam. Primum ex eo probant, quód Inhærentia sic considerata videtur habere omnia requisita ad constituendum Prædicamentum. Secundum probant, quia illæ denominationes extrinsecæ eodem modo habere se videntur, ac Habitus; sed hic constituit vnum Prędicamentum: ergo illæ constituent aliud. Alij admittunt tertium quoddam Prædicamentum ex denominationibus, quas Accidentia Sacræ Eucharistiæ tribuunt corpori Christi Domini sub illis contentó: item ex denominationibus, quas humanitas assumpta tribuit Verbo Diuino: hæ enim, inquiunt, videntur habere omnes conditiones ad Prędicamentum requisitas.

§. 4.
Verior sententia.

612 NIhilominus non est augendus denarius Prædicamentorum numerus præfixus iudicio antiquorum Philosophorum, quos proximè retulimus *n. 607.* Et probatur primò, ex collectione D. Thom. toties repetitâ, quam posuimus *in Log. tract. 5. n.* 34. Secundó, quia præter illa decem Prædicamẽta nullum aliud Ens habet omnes cõditiones requisitas ad cõstituendũ nouũ Prædicamentũ, quod non aliter meliùs ostendi potest, quám ex solutione eorum, quæ nobis pro parte contrariâ proximè obijciuntur.

613 Ad primum, respondeo inhærentiam non denominare subiectum, sed Formam inhærentem. Verum quidem est, quòd etiam aliquo modo, & confusè denominet subiectum vnitum, saltem vt terminum, ad eum feré modum, quo Vnio hypostatica etiam denominat Verbum Diuinum vnitum: verùm hæc denominatio, prӕterquamquòd non sit denominatio Formæ ad subiectum, sed modi ad terminum, includitur in denominatione inhærentiæ, quæ spectat ad idem Prædicamentum, quo eius Forma includitur in denominatione inhærentiæ, quia hæc dari non potest fine illâ: ad eum modum, quo denominatio Relationis ad terminum includitur in denominatione ipsius Relationis ad subiectum, quia hæc dari non potest sine illâ: & denominatio Vestis ad vestientem includitur in denominatione ipsius Vestis ad corpus vestitum, quia etiam hæc dari non potest sine illâ: item denominatio Loci ad locantem includitur in denominatione ipsius Loci ad rem locatam; quia similiter hæc dari non potest sine illâ. Pari passu philosophandum est in denominatione inhærentiæ ad subiectum; dicendumque includi in denominatione ipsius inhærentiæ ad Formam, quam præcipuè exprimit, nec potest dari vna sine aliâ: ad constitutionem autem diuersorum Prædicamentorum requiritur, quód eorum denominationes sint distinctæ, nec mutuó includantur, vt cum communi doctrinâ ostendimus in *Logica tract.* 5. *num.* 38.

614 Ad secundum, respondeo illas denominationes extrinsecas *visi*, *cogniti*, & *amati* non esse denominationes Formę ad subiectum, quod actuent, sed ad terminum, cuius actualitas, seu existentia per accidens se habet ad illas, vt patet in eclipsi futurâ, quæ modò denominatur cognita à Mathematico; & in Victoriâ, quæ antequám existat denominatur volita á Duce; vna autem ex conditionibus ad Prædicamentum requisitis est, quód res, quæ ingreditur Prędicamentum, habeat se per modum Formę actuantis, & perficientis suum subiectum, quo pacto re verâ se habet Habitus, qui quidem perficit corpus vestitum, nec illud potest denominare vestitum, nisi existat, Quod etiam diximus *in Log. tr.* 5. *n.* 39.

615 Ad tertium, dico denominationes, quas Accidentia Sacræ Eucharistiæ tribuunt corpori Christi Domini sub illis cõtento, spectare ad Prędicamentum Habitûs: illas verò, quas humanitas assumpta tribuit Verbo Diuino, aut considerari per modum Substantiæ, & tunc spectare ad commune Prædicamentum Substantiæ: aut per modum Accidentium, & tunc spectare ad Predicamentum Habitûs: ad eum modum, quo hæ denominationes *Materia est formata*, *Forma est materiata* ad Prædicamentum Habitûs spectant, vt suo in loco videndum est.

§. 5.

Vtrùm diuinitùs dari possint plura Prædicamenta?

616 TErtia difficultas: Vtrùm de possibili dari queant plura Prædicamenta? Affirmant nonnulli Recentiores cum P. Arriagâ *in Metaphys. disp.* 3. *sect.* 1. Et probatur primò, quia nulla in eo visitur manifesta contradictio. Secundò, quia Deus potuit facere nouem Genera Accidentium: ergo etiam poterit facere alia nouem Substantiarum. Et confirmatur, quia potest facere Substantiam Relatiuam, Quantam, Qualem, & se ipsâ Vbicatam, &c. Tertió, quia Deus potest sub quolibet Genere facere non tot, quin plures Species: ergo non tot, quin plura Prædicamenta. Quartò, quia diuinitùs dari potuerunt plura Prædicabilia, quám quinque, vt patet in ijs, quæ ex Prædicatis Assumptiuis resultarunt: ergo etiam poterit Deus condere plura Prędicamenta. *P. Arriaga*

617 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium non esse possibilia noua Prædicamenta. Ita D. Augustin. *de Genesi ad lit.* ibi: *Secundùm genera, quæ Deus à principio instituit, multa quidem noua eum facere notissimum est, sed nouum Genus instituere credi non potest.* Consentit D. Thom. 1. *contra Gentes cap.* 85. Et certè videtur de mente illorum Philosophorum, quos suprà retulimus *num.* 607. quatenus absolutè decem tantùm constituunt Prædicamenta, in quibus collocant omnes entitates possibiles. Illam exprimit P. Tellez loco cit. Probatur, quia non est possibile Ens, quod non sit Substantia, aut Accidens, vt constat ex ijs, quæ diximus *num.* 287. si Substantia, spectat ad Prædicamentum Substantię: si Accidens, locum habet in aliquo Genere Accidentium ex nouem numeratis. Probatur ex communi collectione Prædicamentorum traditâ á D. Thom. quæ certè comprehendit omnia Entia possibilia & ad ea extenditur: ergo &c. Et cõfirmatur, quia omnium Philosophorum calculo implicant noua Genera Entis præter illa quatuor *Inanimati*, *Animati*, *Sensitiui*, & *Rationalis*, de quo P. Soar. *in Met. d.* 30. *s.* 17. *num.* 21. ergo etiam *D. Aug.* *D. Thom.* *P. Tellez* *P. Soarez*

etiam implicabunt noua Genera Summa, & Prædicamenta.

618 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ patet implicatio, & côtradictio ex dictis: nam noua Prædicamenta essent, & non essent diuersa ab his, quæ de facto dantur: essent diuersa, vt supponitur; non essent, quia omnia possibilia includuntur in his, quæ de facto dãtur, vt patet ex eorum collectione relatâ in *Log. tract. 5. n. 34.*

619 Ad secundum, concedo dari nouem Genera Accidentium, & nego dari posse alia nouem Substantiarum. Diuersa ratio est, quia Accidentia multiplicantur per modos existendi in primâ Substantiâ, & illam denominandi; hi verò sunt nouem diuersi, vt constat ex eorum collectione: Substantia autem desumitur ex modo existendi per se, qui cùm consistat in eo, quòd non sit in alio, non potest non esse idem. Quod dicitur de possibilitate Substantiæ Relatiuæ, suprá impugnatum est. Quod de Substantiâ Quantâ, Quali, Vbicatâ &c. etiam non conuincit, quia (quidquid sit de earum possibilitate) omnes conuenirent vniuocè in ratione Substantiæ, & in modo existendi per se, quia omnes illum haberent æqualiter, ac simpliciter.

620 Ad tertium, admitto posse Deum sub quolibet Genere facere Species non tot, quin plures: nego tamen posse facere Genera non tot, quin plura. Diuersa ratio est, quia diuersæ Species constituuntur per diuersas perfectiones: cùm verò nulla Species sub quolibet Genere sit infinita, inter ipsam, & Genus semper potest condi alia perfectior: at verò Genera Accidentium colliguntur ex diuersis modis denominandi primam Substantiam; hi autem non possunt esse plures, quàm assignati, vt patet ex eorum collectione.

621 Ad quartum, nego in primis dari noua Prædicabilia, quod latè docuimus in *Logica tract. 4. num. 355.* Deinde, dato quód forent possibilia, adhuc nego dari posse noua Prædicamenta. Diuersa ratio est, quia Prædicabilia colliguntur per diuersos modos identitatis prædicati cum subiecto; ex mysterio autem Incarnationis resultarunt noui modi identitatis; ac proinde diuersa Prædicabilia: at verò Prædicamenta colliguntur á modo denominandi primam Substantiam; nullus autem alius apparet possibilis præter vulgatos.

(?)

SECTIO III.

Vtrùm diuisio fiat in membra opposita?

622 VT diuisio sit bona, debet fieri in membra opposita; oppositio verò stare non potest absque distinctione: videntur autem aliqua ex vulgatis Prædicamentis non esse distincta; nam Actio, & Passio sunt eadem entitas; Situs, & Vbi eadem, Substantia, & Habitus; item Substantia, & eius Duratio omninò eadem entitas á parte rei. Vt igitur hæc controuersia radicitùs decidatur, videndũ in primis est, Quid sit Distinctio? Distinctio sic describi solet: *Est actualis diuisio, seu diuersitas vnius ab alio.* Dixi *diuisio, seu diuersitas,* quia distinctio non tollit vinculum vnionis, sed solam identitatem. Propriè non datur nisi in Ente actualiter existente; nam id, quod actu non est, nec esse potest actu distinctum; vnde possibilia non actu distinguuntur, sed eo modo, quo sunt: solùm autem sunt Entia possibilia, non veró actualia. Quæ omnia cum communi doctrinâ benè notat P. Ouiedo *in Met. controuers. 4. punct. 1. n. 11.* P. Ouiedo

623 Vtrùm verò id, quod est actu Ens, actu distinguatur á possibili? Respondeo affirmatiué sumptâ distinctione pro negatione; nam Socrates, qui actu existit, actu habet negationem Petri possibilis. Si veró Distinctio sumatur pro relatione, hæc non datur ad terminum non existentem; & in hoc sensu docet P. Soar. *in Met. d. 4. s. 1. n. 16.* Deum ab æterno existentem non habuisse hanc distinctionem á creaturis, quia creaturę non fuerunt ab æterno: vnde dicit Deum solùm habuisse ab æterno non esse creaturam; quod P. Soar. citat. vocat distinctionem negatiuam, non positiuam, & dicit in illâ negatiuâ fundari hanc positiuam. P. Soar.

624 Quid autem Distinctio negatiua importet de formali? Respondeo importare *hoc non esse aliud*, hoc autem Ens non esse aliud importat duo, nimirum hoc Ens, & negationem alterius; hoc Ens dicitur in obliquo; negatio in recto; est enim distinctio diuersitas vnius ab alio: nonnè vides *diuersitatem* dici in recto, *vnius* in obliquo?

625 Diuidi solet Distinctio in distinctionem ex naturâ rei, & in distinctionem rationis: rursum Distinctio ex naturâ rei, in realem, & modalem. Distinctio rationis

in distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis, quæ omnes per sequẽtes difficultates examinandæ sunt, vt tãdem quæ detur, & requiratur distinctio inter Prædicamenta, apertum maneat.

§. I.

Rectené habeat diuisio Distinctionis in Distinctionem ex naturâ rei, & Distinctionem rationis?

626 PRima difficultas: Vtrùm Distinctio communissima adæquaté diuidatur in Distinctionem ex naturâ rei, & rationis? Videtur non diuidi adequatè. Primó, quia intellectus in communi prout abstrahit á Diuino, & creato, neque distinguitur á subiectis ex naturâ rei, neque per rationem, sed est indifferens, vt distinguatur per rationem, quandó contrahitur ad Diuinum, & vt distinguatur ex naturâ rei, quando contrahitur ad creatum. Secundó, quia inter Entia rationis aliqua datur distinctio: hæc neque est ex naturâ rei, cùm non distinguatur á suis extremis, quæ non dantur à parte rei; neque est distinctio rationis, cùm eius extrema possint existere separata, & vnum á parte rei possit negari de alio. Tertió, quia distinctio, quæ reperitur inter Attributa Diuina, neque est ex naturâ rei, cùm non fiat absque operatione intellectûs; neque rationis, cùm nõ fiat per solam liberam operationem intellectûs.

627 Nihilominus dicendum diuisionem esse adæquatam. Ita D. Thom. Ferrar. & Caietan. quos citat, & sequitur P. Fonsec. *5. Metaph. cap. 6. q. 7. art.* 3. P. Soar. *in Metaphys. disp. 7. sect. 1. num.* 16. P. Vasquez *1. p. disp.* 116. *cap.* 5. P. Alarcon *tract. 5. d. 2. cap.* 4. P. Compton. *in Logica disp.* 20. *sect. 1. num.* 1. & *disp.* 22. *sect. 2. num.* 3. Et probatur, quia distinctio aut datur inter res, quæ ad inuicem negantur á parte rei, aut non: prima est distinctio ex naturâ rei: secunda, rationis. Et declaratur, quia diuisio quæ fit per terminos contradictorios est adæquata: hæc autem ita fit, vt patet.

D. Thom. Ferrar. Caietan. P. Fons. P. Soar. P. Vasq. P. Alarc. P. Compto.

628 Ad primum, respondeo intellectum in communi distingui virtualiter á Deo, & ex naturâ rei à Substantiâ creatâ: ab vtroque simul ex naturâ rei, ad quod satis est, quód distinguatur ex naturâ rei ab vno, quod in vtroque includitur. Exemplo sit Filius in Diuinis, qui distinguitur realiter à Patre, ex eo solùm, quód distinguatur realiter á Paternitate, quæ includitur in Patre.

629 Ad secundum, dico Entia rationis distingui inter se ex naturâ rei distinctione tamen impropriâ, ad eum modum, quo duæ negationes distinguuntur ex naturâ rei, distinctione tamen impropriâ: distinguuntur, inquam, distinctione ex naturâ rei, quia hæc datur inter Entia, quorum vnum á parte rei potest negari de alio: distinctione tamen impropriâ, quia propria non datur nisi inter entitates, quæ reperiuntur à parte rei. Neque dicas, distinctionem non distingui ab extremis: hæc veró non dari á parte rei. Non, inquam, hoc dicas, quia distinctio non coincidit cum extremis quomodocunque sumptis, sed sub negatione diuersitatis ab alio; vnde satis est, quód hæc negatio detur á parte rei.

630 Ad tertium, dico distinctionem virtualem, quæ inter Attributa reperitur, esse rationis cum fundamento in re. Neque est verum non fieri per solam operationem intellectûs, cùm ante illam non detur talis distinctio actualis: verum quidem est, quòd ante illam detur fundamentum ad talem distinctionem actualem, hæc tamen non datur nisi per conceptus, & operationem intellectûs. De quo pleniùs infrá.

§. 2.

De Distinctione ex naturâ rei.

631 SEcunda difficultas: Vtrùm Distinctio ex naturâ rei adæquatè diuidatur in realem, & modalem? Negant subtilis Scotus, Bonettus, Bañes, Aquarius, Franciscus á Christo, Guillielm. Satnanus, Lychet. Barg. Bassol. Mayron. Anton. Andre. Orbel. Petr. Thom. Sirectus, Pistorius, Nysse, & Candia, quos citant, & sequuntur Sosa *in 1. dist. 2. q 7. art. 3. diffic.* 54. Merinero *in Logic. cap. 1. de Vniuersalibus disp 1. q. 2. sect.* 1. Faber *in 1. d.* 20. Rada *1 p. controuers.* 4. Accedunt, & Scotistis subscribunt P. Gil. *lib. 2. tract. 5. cap. 2. num.* 4 P. Fonsec. *5. Met. cap. 6. q. 6. s.* 2. Patres Conimbricens. *in Log. q. 4. Vniuersalium art.* 2. Ægid. Lusitan. *tom. 1. lib. 5. q. 5. art. 2. num.* 6. P. Molin. *1 p. q. 3. art. 4. disp. 2. sect.* 3. Hi omnes præter distinctionem realem, & modalem admittunt aliam tertiam, quam vocant Formalem ex naturâ rei, & dicunt dari inter ea, quæ habent diuersas definitiones à parte rei; nimirum inter gradus metaphysicos, qui v. g. sunt in Socrate, hoc est, inter Animal, Rationale, & Socrateitatem.

Scot. Bonett. Bañes Aquar. Francisc. á Christo Guillel. Sarnan. Lychet. Barg. Bassol. Mayron. Ant. Andr. Orbell. Petr. Tho. Sirect. Pistorius Nysse Candia Sosa Meriner. Faber Rada P. Gil. P. Fonsec. Patres Conimbr. Ægid Lus. P. Molina

Probatur

632 Probatur primò, quia his gradibus conueniunt á parte rei prædicata opposita; nam Animali conuenit à parte rei esse principium sentiendi, non veró Rationali: & Rationali conuenit á parte rei esse principium discurrendi, non verò Animali: ergo distinguuntur à parte rei: non realiter, quia non possent separari: non modaliter, quia vnus gradus non est modus alterius: ergo formaliter á parte rei.

633 Secundò probatur, quia Socrates prædictis gradibus est compositus á parte rei; nam hi gradus in eo dantur à parte rei: compositio autem à parte rei supponit distinctionem à parte rei. Tertiò, quia prædicti gradus habent diuersas definitiones á parte rei. Quartó, quia si Animal, & Rationale forent idem, de quocunque prædicaretur Animal, etiam prædicaretur Rationale: at non ita est; quia de equo prædicatur Animal, non veró Rationale. Quintó, quia Natura, quæ est in Socrate, sumpta secundùm se á parte rei non est Socrates, sed eius Natura. Sextò, quia idem á parte rei non potest esse principium conueniendi, & differendi; sed Animal, quod est in Socrate, est principium conueniendi cum bruto, Rationale est principium differendi: ergo in Socrate Animal, & Rationale non sunt idem, sed distinguuntur à parte rei.

634 Septimó, quia saltem in Diuinis non potest non admitti hæc distinctio; nam in Patre Natura à parte rei communicatur, non verò Paternitas: Filius á parte rei procedit per Intellectum, non verò per Voluntatem: Spiritus Sanctus à parte rei procedit per Voluntatem, non vero per Intellectum: Natura á parte rei formaliter non includit Relationes; neque hæ á parte rei formaliter includunt Naturam: ergo ab illa distinguuntur formaliter à parte rei.

§. 3.

Non oportere admitti Distinctionem Formalem á parte rei.

625 NIhilominus probabilius videtur diuisionem esse adæquatam, neque admitti oportere Distinctionem
P. Soarez Formalem á parte rei. Ita sentiunt P. Soar. *in Metaph. d. 7. sect. 1. num. 20.* & *lib. 1. de Deo vno cap. 10. num. 4.* & *lib. 3. de Trinit. cap. 1. num.*
P. Vasq. *4.* P. Vasq. *1. p. d. 116. num 25.* vbi distinctio-
P. Hurt. nem Formalem fictitiam appellat: Consenti-
P. Arriaga unt P. Hurtad. *in Metaph. d. 6. s. 2.* P. Arriag. *in Log. d. 5. sect. 1.* & *tom. 1. in 1. p. d. 42.* P. Re- P. Recupit.
cupit. *de Deo lib. 3. q. 4. á cap. 2.* P. Ouiedo *in* P. Ouiedo
Metaph. controuers. 4. punct. 2. num. 11. P. Ruiz *de* P. Ruiz.
Trinitat. disp. 11. sect. 5. P. Tellez *disp. 52. sect. 4.* P. Tellez.
P. Martinon *d. 3. de Deo num. 11.* P. Compton. P. Martinon
cit. *n. 3.* P. Compt.

636 Fundamentum est primó, quia humanitas à parte rei, quocũque modo sumatur, est singularis: ergo includit singularitatem. Item duæ humanitates, quocunque modo á parte rei sumantur, distinguuntur inter se: ergo includunt á parte rei differentias indiuiduantes; ac proinde non distinguuntur ab illis ex naturâ rei.

637 P. Arriaga, & alij Recentiores existimant hoc argumentum non concludere; distinguunt enim duas singularitates, alteram inchoatam, & incompletam, hanc dicunt includi in naturâ á parte rei: alteram completam, & hanc asserunt non probare argumentum includi in naturâ á parte rei.

638 Sed contrá primó, quia Scotistæ etiam dicunt Naturam distingui formaliter ab illâ singularitate, quam tu vocas inchoatam; nam habet definitionem distinctam á Naturâ: item est principium differendi; Natura verò est principium conueniendi cum aliâ humanitate: si ergo argumentum conuincit inter illam singularitatem, & Naturam non dari distinctionem á parte rei, etiam concludit non dari inter Naturam, & singularitatem completam. Secundò, quia illa alia singularitas completa est superflua, & merè fictitia; nam per primam, quam tu vocas inchoatam, Natura redditur singularis, indiuisa in se, & diuisa á quâuis aliâ, v. g. humanitas Socratis per illam singularitatem, quam tu vocas inchoatam, redditur indiuisa in se, & diuisa ab humanitate Platonis: voca ergo illam singularitatem incompletam *Socrateitatem*, & talis manebit; quid enim in re illi deest, vt sit Socrateitas? ad quid ergo recurris ad aliam Socrateitatem completam?

639 Dices fortasse, Naturam per illam singularitatem inchoatam constitui singularem, non tamen Socratem. Sed contrà, quia Socrates nihil aliud est, quàm hic numero homo indiuisus in se, & diuisus ab omnibus alijs hominibus, qui non sunt hic Socrates: nonnè hic haberet Naturam humanam, & singularitatem soli Socrati conuenientem? ad quid requiritur alia singularitas? Et cur hæc, quæ soli Socrati conuenit, non constituit Socratem? forsan hic homo ambulans cum solâ suâ singularita-

te inchoatâ non erit Socrates? & si baptizaretur non posset appellari Socrates? aut si interrogaremus quis esset, non posset dicere *Sum Socrates*? & si moreretur in Gratiâ, non saluaretur?

§. 4.

Secundum fundamentum non minùs efficax.

640 SEcundum fundamentum est, quia distinctio ex naturâ rei aut datur inter rem & rem; & constituit distinctionem realem: aut inter rem, & eius modum; & constituit distinctionem modalem. Dixi *inter rem, & eius modum*, quia modus alterius sequitur eius realitatem; ac proinde sicut ipsa, ita & eius modus distinguitur ab hâc realitate. Et confirmatur, quia gradus metaphysici sunt res, non enim vnus est modus alterius sed ambo sunt res.

641 Occurrunt Scotistæ gradus metaphysicos non esse res, neque modos, sed formalitates. Quòd si quæras, quid illis desit ad hoc, vt sint res? Respondent primó deesse illis vt possint existere separati; nam duæ res, vt tales sint, debent posse existere separatæ. Sed contrá, quia Personæ Diuinæ sunt tres res (*Cap. Damnamus*, & *Cap. Firmiter. de Sum. Trinit.*) & tamen non possunt existere separatæ. Cap. Damnam. Cap. Firmit.

642 Respondent secundó, duas res, vt tales sint, requirere duas essentias: at veró gradus metaphysici constituunt vnam essentiam. Et ex hoc eodem Principio Attributa Diuina non sunt res, sed formalitates, quia in Deo vna tantúm reperitur essentia. Sed cõtrá, quia Personæ Diuinæ habent eandem essentiam: & tamen sunt plures res.

643 Respondent tertiò, duas res, vt tales sint, requirere diuersas subsistentias: at verò gradus metaphysici subsistunt in eodẽ Supposito: & ex hoc eodem Principio asserũt Attributa non esse res diuersas; quia subsistunt eâdem Subsistentiâ absolutâ. Sed contrá, quia Anima, & corpus Christi Domini sunt res diuersæ: & tamen subsistunt in eodem Supposito Verbi.

644 Respondent quartò, duas res, vt tales sint, requirere diuersas existentias: at gradus metaphysici, qui sunt in Socrate, existunt eâdem existentiâ Socratis. Et ex hoc Principio dicunt Attributa Diuina non esse res, sed formalitates, quia omnia existunt eâdem existentiâ Diuinâ. Sed contrá, quia in opinione Scoti, quam ipsi Scotistæ defendunt (de quâ nos latè *in Materia de Trinitate*) Personæ Diuinæ non existunt existentijs relatiuis, sed solâ absolutâ: & tamen sunt plures res. Item in opinione existimantium humanitatem Christi Domini existere per existentiam Verbi, adhuc humanitas, & Verbum sunt duæ res. Et in opinione contendentium Materiam existere per existentiam Formæ, adhuc Materia, & Forma sunt duæ res. Adde, quòd existentiæ multiplicantur, & sunt tam diuersæ, quám ipsæ entitates.

§. 5.

Tertium fundamentum.

645 TErtium fundamentum desumitur ex eo, quòd illa tantùm distinguuntur à parte rei, quorum vnum à parte rei habet negationem alterius: at in gradibus metaphysicis, & in Attributis Diuinis vnum non habet á parte rei negationem alterius; aliás posset negari vnum de alio, & dici quòd, v. g. Sapientia non sit Natura Diuina; quod est falsum. Et ostenditur in primis ex D. Bernar. *Sermon.* 8. *in cant. contra Gilbert.* ibi: *Impijssimè dicitis Sapientiam, qua Sapiens est Deus, non esse Deum*. Deinde ex Concilio Rhem. sub Eugenio III. vbi damnatur error prædicti Gilberti asserentis has propositiones esse falsas, *Deus est Sapientia*: *Sapientia est Deus*. Tandem ratione, quâ vtitur D. Bernardus ibidem. Nam si Sapientia á parte rei non est Natura Diuina, neque est Deus, quæro, vtrùm Sapientia à parte rei sit maior, aut minor, aut æqualis Deo? Non maior, quia nihil Deo potest esse maius: non minor; aliás esset creatura, vtpote quæ minor Deo: si æqualis, aut est ipse Deus, quod erat intentum; aut tibi admittendi sunt plures Dij, siquidem admittis plures essentias infinitas, & æquales, quo quid absurdius? D. Bern. Concil. Rhemense Eugen. III.

§. 6.

Argumenta Scotistarum soluta.

646 SVperest, vt argumentis Scotistarum propositis *à n.* 632. respondeamus. Ad primum (quâtenus dicit gradibus metaphysicis, nimirum Animali, & Rationali conuenire prædicata opposita) facilis est responsio: dicendum enim est Animal hominis solúm per intellectum præcisum esse principium conueniendi cum bruto; nam á parte rei est principium cõueniendi in aliquo effectu, & differendi in alio: similiter dicendum de Rationali, nam solũm præcisum per intellectum est principium differendi; nam á parte

parte rei est principium differendi in vno, & conueniendi in alio.

647 Ad secundum (quâtenus dicit hominem prædictis gradibus componi á parte rei) negandum est hominem componi á parte rei gradibus metaphysicis; nam compositio á parte rei supponit distinctionem á parte rei, quam ostendimus nõ dari in gradibus metaphysicis. Imò retorqueri potest argumentum, quia si homo á parte rei diceretur componi gradibus metaphysicis, etiam Deus diceretur componi Attributis, quod videtur repugnare cum eius Simplicitate: & licèt Scotistæ hanc compositionem in Deo admittant, dicunt enim solùm esse formalem, & non realem: facilè conuincuntur, quia sanè esset realis, vtpotè coalescens ex re, & re distinctis á parte rei prout constat ex dictis à n. 640.

648 Ad tertium (quâtenus asserit prædictos gradus habere diuersas definitiones á parte rei) respondeo diuersas definitiones non inducere distinctionem á parte rei, nisi inter ea, quorum vnum habet à parte rei negationem alterius. Quando vni, eidemque rei secundùm diuersas virtualitates competunt definitiones diuersæ; solùm in illâ inducunt distinctionem virtualem, de quâ infrà.

649 Ad quartum (quâtenus dicit si Animal, & Rationale forent idem, de quocunque prædicaretur Animal, etiam prædicaretur Rationale) distinguo: De quocunque prædicaretur Animal contractum, prædicaretur etiam Rationale, concedo: de quocunque prædicaretur Animal præcisum, ac commune, prædicaretur etiam Rationale, nego sequelã. Et huius ratio est, quia licèt prædicatum singulare deferat secum omne id, cum quo est idem, non ita prædicatum commune; nam hoc communitas, sicut excusat ab illâ regulâ *Quæ sunt eadem in vno tertio sunt idem inter se*, ita excusat ab hac *Quidquid conuenit vni, conuenit etiam alij ab eo indistincto*; hoc enim solùm verum est, quando illud vnum est singulare, & incommunicabile; non quando est commune, vt docent passim Dialectici.

650 Ad quintum (quâtenus dicit Naturam Socratis á parte rei non esse Socratem, sed eius Naturam) respondeo Naturam, quæ est in Socrate esse ipsum Socratem; nam à parte rei ibi nulla est distinctio. Et explicatur exemplo Attributorum, quæ sumpta á parte rei sunt ipsa Natura Diuina, vt patet ex dictis in nostro tertio fundamento.

651 Ad sextum (quâtenus dicit idem á parte rei non posse esse principium conueniendi, & differendi respectu eiusdem) dicendum est benè posse. Et patet in differentiâ metaphysicâ, in quâ Scotistæ non admittunt distinctionem formalem, nam Rationale cõuenit cum Irrationali in Substantiâ, & differt ab illo in tali; conuenit cum illo in eo quòd sit differentiâ metaphysica, & differt in ratione talis differentiæ.

652 Instabis: Idem respectu eiusdem nõ potest esse simile, & dissimile. Probo hoc, quia non potest esse simul æquale, & inæquale: ergo neque simile, & dissimile; ac proinde non potest simul conuenire, & differre. Respondeo benè posse idem respectu eiusdem esse simul simile, & dissimile: non tamen æquale, & inæquale. Diuersa ratio est, quia similitudo non consistit in indiuisibili: æqualitas verò maximè. Et huius discrimen in eo est, quòd vnum dicitur simile ad instar alterius, & potest esse magis, ac minùs ad instar illius, in quo est sua latitudo: at dici æquale significat habere tantum, quantum alterum, & non plus, quod consistit in indiuisibili.

§. 7.

Vltimum, & fortius argumentum solutum.

653 AD septimum (quâtenus dicit in Patre Naturam Diuinam communicari à parte rei: non verò Paternitatem, & sic de cæteris) respondeo inde solùm conuinci hæc distingui in Deo à parte rei non formaliter, sed, vt aiunt, æquiualẽter, seu æquipollenter, ac fundamentaliter, seu virtualiter, hoc est, formaliter sunt vnum, & non duo: propter eminentiam tamen infinitam æquiualẽt, & æquipollent duobus. Explico me exemplo quodam, etsi absolutè insufficienti, sufficienti tamen quòad præsens institutum; nam si idem intellectus constituatur diuinitùs in duobus locis communiter Doctores docent posse in vno loco scire, & in alio nescire: & si illis obijcias eundem intellectum non posse simul excipere duo contradictoria, qualia sunt *scire, & nescire idem obiectum*, respondent eundem intellectum positum in duobus locis esse quidem formaliter eundem, sed æquipollere duobus quòad hæc contradictoria. Sic ergo (*Si parua licet componere magnis*) Natura, & Relatio Diuina formaliter quidem sunt vnum, sed propter suam infinitam eminẽtiam, & amplitudinem æquipollent duobus.

654 Aliud exemplum tibi appono in opinione asserentium partes Continui non esse actu distinctas (quam opinionem cum Aristotele, D. Thom. & alijs pluribus in *Physica tr. 4. n. 15.* latè declarauimus) quamuis tamen sint actu indistinctæ, quia potentiâ distinguuntur,

recipiunt contradictoria: & Continuum secundùm vnam partem habet calorem, secundùm aliam partem non habet calorem, sed frigus: quæ partes, vt dixi, non sunt actu duo, sed vnum: sic ergo Natura, & Relatio Diuina licèt á parte rei non sint formaliter duo, sed vnum, poterunt communicari secundùm esse absolutum, non verò secũdùm relatiuum; nam quod partes Continui habent, quia licèt sint actu vnum, potentiâ distinguuntur á parte rei, Natura & Relatio Diuina habebunt ex alio titulo, quia nimirum licèt sint formaliter vnum, æquipollenter sunt duo á parte rei.

655 Quòd veró Natura Diuina, & Relatio non distinguantur à parte rei, probant Theologi primó ex Concilio Florent. *sess.* 18. §. *Diuina Substantia fol.* 837. vbi inquirente Marco Ephesino, á Ioanne Theologo, qui agebat partes Latinorum, An Substantia, & Persona Diuina essent idem? respondit Ioannes: *Diuina Substantia, & Persona re quidem sunt idem: secundùm autem modum Intellectionis nostræ differre videntur.* Et paulò post eâdem *sess.* sic ait: *Ratione, ac secundùm intelligentiam nostram differunt, vt suprà dictum est.* Confirmant ex *sess.* 19. *fol.* 842. vbi Andreas Præsul Colocensis ex disputatione Ioannis, & Marci, ita concludit: *Haud quaquam tamen ex eo putare debetis vt re differant, quandoquidem sola ratione, atque intelligentia differre creduntur.*

Concil. Florent.

656 Secundò, probant ex Concilio Rhemense sub Eugenio III. *art.* 1. ibi: *In Theologia inter Essentiam, & Personam ratio non distinguit.* Per rationem autem distinguentem in Theologiâ intelligit rationem distinguentem in re iuxta sensum, & errorem Gilberti, quem refutat Concilium, vt benè ostendit P. Vasquez *d.* 120. *cap.* 2. ex Othone Frisingensi Scriptore illius tẽporis. Cõfirmant ex eodẽ Concilio *art.* 3. ibi: *Credimus nullas omninò res, siue Relationes, siue proprietates, siue singularitates, siue vnitates dicantur, adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint ipse Deus:* si autem Relationes haberent á parte rei negationem Naturæ Diuinæ non essent Deus.

Concil. Rhemens.

P. Vasq.

657 Tertió probant, quia aliás Relationes cum Naturâ constituerent Quaternitatem, quod est contra Concilium Lateranense sub Innocentio III. relatum *in Cap.* 2. *de Sum. Trinit.* ibi: *Credimus, & confitemur quòd vna quædam res est incomprehensibilis quidem, ac inæstimabilis, quæ veraciter est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres simul Personæ, ac singulatim quælibet earundem. Et ideò in Deo Trinitas est solummodò, non Quaternitas, quia quælibet trium Personarum est illa res, videlicet, Substantia, Essentia, siue Natura Diuina &c.*

Concil. Lateran.

658 Instabis: Natura, & Relatio Diuina non includuntur formaliter à parte rei, vt est communior Theologorum sententia; sin minùs Natura Diuina á parte rei esset multiplex; siquidem formaliter includeret tres Relationes distinctas: ergo Natura, & Relatio distinguuntur formaliter á parte rei. Respondeo negando Consequentiã, quia *distingui*, hoc est, esse duo formaliter á parte rei, est habere vnum á parte rei negationem alterius, quo pacto se non habent Natura, & Relatio Diuina, vt constat ex dictis: at verò includi formaliter á parte rei, non est vnum habere à parte rei negationem alterius, sed habere fundamentum á parte rei, vt concipiatur ab intellectu per diuersos conceptus non sinonymos; & ita se habent Natura, & Relatio Diuina. Itaque diuersum quid est *esse idem*, & *includi* formaliter á parte rei: *Esse idem formaliter à parte rei*, est vnum formaliter á parte rei non habere negationẽ alterius; & sic Natura Diuina formaliter á parte rei non habet negationem Relationis; & Relatio á parte rei non habet negationem Naturę Diuinæ: *Includi formaliter à parte rei*, est non posse vnum concipi formaliter á parte rei, quin concipiatur aliud; & Natura Diuina formaliter á parte rei potest concipi, quin concipiatur Relatio: sunt ergo idem formaliter à parte rei; non tamen includuntur formaliter à parte rei.

659 Quod diximus de distinctione inter Naturam, & Relationem, dicendum est de distinctione inter Intellectum, & Voluntatem Diuinam. Vnde ad illud argumentum, quod fieri solet: (Verbum Diuinum á parte rei procedit per Intellectum, & non per Voluntatẽ: ergo Intellectus, & Voluntas distinguuntur á parte rei) respondendum est: Distingui æquipollenter, & eminentialiter: sic vegetatio procedit ab Animâ Rationali quá Vegetatiuâ, nõ quá Sensitiuâ: sensatio procedit ab illâ quà Sensitiuâ, non quá Rationali: & tamen hi tres gradus Vegetatiui, Sensitiui, & Rationalis nõ distinguuntur in Animâ Rationali à parte rei formaliter, sed solùm eminentialiter, & æquipollenter.

§. 8.

De Distinctione Reali.

660 Tertia difficultas: Quid sit distinctio realis? Non enim videtur sufficiẽs illa communis eius definitio, quæ ita habet: Distinctio realis est illa, *quæ datur inter rem, & rem.* Non, inquam, videtur sufficiẽs. Primò, quia distinctio, quæ datur inter Vbi Socratis, & Vbi Platonis est realis: & tamen non datur inter rem, & rem; sed inter modum, & modum. Secundò, quia distinctio, quæ repe-

reperitur inter duas vbicationes eiusdem corporis diuinitùs existentis in diuersis locis, similiter est realis: & tamen etiam non datur inter rem, & rem, sed inter modum, & modum.

661 Nihilominus dicendum optimam esse prædictam definitionem, quæ ita explicari debet, vt distinctio realis sit illa, quæ datur inter rem, & rem: nomine autem *rei* etiam veniunt ea, quæ cum diuersis rebus identificantur; & ea, quæ licèt cum eâdem re identificentur, existunt tamen in diuersis locis. Dixi *ea, quæ cum diuersis rebus identificantur*, quia hoc sufficit: & hoc modo Vbi Socratis, & Vbi Platonis distinguuntur realiter inter se, quia scilicet identificantur cum diuersis rebus. Dixi venire etiam *ea, quæ licèt cum eadem re identificentur, existunt tamen in diuersis locis*, quia hoc etiam sufficit: & hoc modo duo Vbi eiusdem Socratis diuinitùs existentis in diuersis locis similiter distinguuntur realiter.

662 Quæres, Vtrùm detur aliquod signum, ex quo deuenire possimus in cognitionē distinctionis realis? Varia circumferuntur signa, de quibus latè P. Fonsec. 5. *Met. cap. 6. q. 6. s. 1.* P. Soar. *in Metaph. d. 7. s. 2.* P. Gil. *lib. 2. tract. 5. cap. 3.* Alijs prætermissis, hoc vnum potissimum celebratur: Quotiescunque duo simul possunt existere separata, signum est quòd realiter distinguantur.

P. Fonf.
P. Soar.
P. Gil.

663 Objicies primò. Personæ Diuinæ realiter distinguuntur: & tamen non possunt existere separatæ. Respondeo Personas Diuinas per accidens non posse existere separatas ratione Immensitatis, quæ in quâlibet Personâ includitur. Idem dicendum foret de duabus creaturis realiter distinctis, si essent Immensæ.

664 Objicies secundò. Totum physicū distinguitur realiter à quâlibet eius parte, v. g. Socrates ab Animâ: & tamen non potest existere sine illâ. Respondeo distinguendo Maiorem: Totum physicum distinguitur à quâlibet eius parte distinctione reali perfectâ & simpliciter, nego Maiorem: distinctione reali imperfectâ, & secundùm quid, includentis, vt vocant, ab incluso, concedo Maiorem: nostra verò quæstio procedit de distinctione reali perfectâ, & simpliciter. Instabis: Totum physicum distinguitur à suis partibus simul sumptis distinctione reali perfectâ: & tamen non potest existere sine illis. Respondeo negando Maiorem, vt cum P. Soar. *in Met. disp. 36. sect. 3. n. 6.* P. Rub. 5. *Physicor. cap. 3. q. 2. § Nostra sententia*, & alijs ostendimus in *Phys. tract. 1. n. 418.*

P. Soar.
P. Rub.

665 Objicies tertiò. Creaturæ distinguuntur realiter à Deo: & tamen non possunt existere sine illo. Respondeo distinguendo Minorem: Non possunt existere sine illo, hoc est, quin ab illo dependeant, concedo Minorem: quin illi vniantur, nego Minorem; imò in hoc sensu nulla creatura vnitur Deo, exceptâ humanitate Christi Domini: ad distinctionem autem realem satis est, quòd extrema possint existere separata quoad vnionem.

666 Objicies quartò. Vniones Materiæ, & Formæ distinguuntur realiter: & tamen non possunt existere separatæ. Respondeo satis esse, quòd identificentur cum rebus, quæ possunt existere separatæ.

667 Objicies quintò. Socrates, & negatio lapidis, quæ in eo fundatur, distinguuntur realiter, & tamen neque Socrates potest existere sine tali negatione, neque talis negatio sine Socrate. Respondeo distinctionem, quæ reperitur inter Socratem, & negationem lapidis, quæ in eo fundatur, non esse realem perfectam, sed imperfectam; non enim versatur inter rem, & rem, sed inter rem, & negationem.

668 Objicies vltimò. Relatio non potest existere sine suo termino, à quo tamen realiter distinguitur. Respondeo distinguendo Antecedens: Non potest existere sine suo termino, hoc est, quin terminus simul existat, concedo Antecedens: non potest existere, quin vniatur termino, nego Antecedens; imò relatio solet esse in loco valdè separato, & distanti à suo termino.

§. 9.

De Distinctione Modali.

669 Quænam difficultas: Quid sit Distinctio modalis? Videtur enim coincidere cū reali. Primò, quia distinctio modalis datur inter duas res ex naturâ rei distinctas. Probo hoc, quia datur inter realitatem, & eius modum: modus autem etiam est aliqua res. Secundò, quia omnis distinctio aut est realis, aut rationis; sed distinctio modalis non est rationis: ergo est realis. Et certè ita existimant P. Vasq. 1. *p. d. 116. n. 25.* P. Hurt. *in Met. disp. 6. §. 12.* P. Tolet. *de Prædicam. in genere q. 3.* P. Valent. 1. *p. d. 1. q. 5. punct. 1. §. Dico igitur*, P. Alarc. 1. *p. tract. 5. disp. 2. cap. 4.*

P. Vasq.
P. Hurt.
P. Tolet.
P. Valent.
P. Alarc.

670 Nihilominus dicendum videtur dari distinctionem modalem contra diuisam à reali, & esse illam, quæ reperitur inter realitatem, & eius modum; aut inter duos modos eiusdem realitatis: hoc modo distinguitur

Vbi

Vbi Socratis ab ipso Socrate, & Vbi Socratis á Figurâ ipsius Socratis. Ita P. Soar. *in Metaph. disp.7. sect.1.n.3.* P. Fonsec. 5. *Met. cap.6. q.6. sect.2.* P. Gil. *lib.2. tract.5. cap.2.n.4.* Patres Conimbricens. *q.4. Vniuersalium art.2.* & communiter Recentiores. Probatur, quia distinctio realis est illa, quæ reperitur inter rem, & rem; modalis verò illa, quæ reperitur inter rem, & eius modum: item distinctio realis datur inter illa, quæ per se possunt simul existere separata; distinctio veró modalis datur inter illa, quæ non possunt simul existere separata: sed hæc sunt diuersa: ergo distinguuntur.

P. Soar. P. Fonsec. P. Gil. Patres Conimbr.

671 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo distinctionem modalem non dari inter duas res proprié loquendo, sed inter vnam rem, & eius modum; modus enim licèt in aliquo sensu dici possit res, quâtenus contradistinguitur ab Ente rationis; non tamen potest dici res, quâtenus res idem valet, atque realitas, & contradistinguitur á modo.

672 Ad secundum, dico non omnem distinctionem esse realem, aut rationis: aliqua datur, quæ neque est realis, neque rationis, sed modalis. Verum quidem est, quòd omnis distinctio, vel est ex naturâ rei, vel rationis: sub distinctione tamen ex naturâ rei sunt duo mẽbra, scilicet, distinctio realis, & modalis, vt patet ex dictis.

673 Quæres, Vtrùm detur aliquod signum ad cognoscendam distinctionem modalem? Respondeo hoc vnum præter cætera inculcari á P. Soar. *in Met. disp.7. sect.2.n.6.* & ab alijs communiter, nimirum illa distingui modaliter, quorũ vnum potest existere sine alio: non tamen è contrá.

P. Soar.

674 Obijcies. Omne Vbi distinguitur modaliter á subiecto: & tamen subiectum nõ potest existere sine omni. Item omnis actio distinguitur modaliter à termino: & tamen terminus non potest existere sine omni actione. Respondeo distinguendò Minorem: Non potest existere sine omni Vbi, aut actione collectiuè sumptâ, concedo Minorem: sine omni Vbi, aut actione diuisiuè sumptâ, nego Minorem. Hoc vltimum satis est ad distinctionem modalem.

§. 10.

De Distinctione Rationis.

675 Qvinta difficultas de Distinctione rationis. Et quæri potest: An distinctio rationis sit solùm extrinseca ex parte conceptuum, an etiam intrinseca ex parte obiecti? Plures existimant esse solùm extrinsecam ex parte conceptuum, qui quidem attingunt idem obiectum formale, v.g. Socratem, sed vnus attingit expressè quá Animal; alius expressè quà Rationale; alius expresse quá Socrateitatem: itaque confusé omnes idem omninó obiectum formale attingunt, sed expressè vnus quá Animal, alius quá Rationale, alius quá Socrateitatem; vnde ex parte obiecti idem omninò repræsentatur absque vllâ distinctione intrinsecâ; ex parte conceptuum vnus exprimit vnum gradum, alius alium.

676 Et quód omnes conceptus attingant eundem omninó Socratem, & nullus possit attingere vnum eius gradum relicto alio, v.g. *Animal* relicto *Rationali*, sed omninò oporteat totum cognosci formaliter saltem confusè, sic ostenditur: Quia si intellectus in his terminis attingeret vnum, quin attingeret aliud, idem attingeretur, & non attingeretur. Probo hoc, quia á parte rei attingeretur *Animal*, quod est idem cum Rationali; & á parte rei non attingeretur *Rationale*, quod est idem cum *Animali*: ergo idem attingeretur, & idem non attingeretur á parte rei; sed hæc duo contradictoria *Attingi*, & *Non attingi* non possunt verificari à parte rei de eâdem indiuisibili entitate, quæ neque actuales, neque potentiales partes habet: ergo &c.

677 Confirmatur, quia eorum, quæ sunt idem à parte rei in creatis non potest etiam diuinitús produci vnum, quin producatur aliud: ergo etiam eorum, quæ sunt idem à parte rei non poterit attingi vnum cognitione, quin aliud attingatur. Dices, esse diuersam rationem, quia si vnum produceretur alio non producto, daretur separatio in existentiâ reali, quod est contra rationem eorum, quæ non distinguuntur á parte rei: at verò quòd vnum cognoscatur non cognito alio, non ponit, neque tollit aliquid circa existentiam obiecti.

678 Sed contrà. Ponamus duo agentia actu, & simul producentia per actiones partiales, quarum neutra sine aliâ potest existere, nec proinde sine termino, quæro, Actio Agentis B, poteritnè terminari ad Animal, quin terminetur ad Rationale hominis? si negas: Cur non? quia iam tunc cessat periculum separationis, quod formidabas, & eo cessante cessat assignata ratio timendi, ac proinde quære aliã maiorem rationem.

679 Et sanè hæc est sententia optimorum Recentiorum, qui sequuntur antiquos Nominales, Ocham. Gabriel. Mayron. Gregor. Maior. Aliacens. Nouo Castr. Quibus accedunt P. Hurtado *in Met. d.6. n.32.* P. Quiedo *in Met.* contro-

Ocham. Gabriel. Mayron. Gregor. Maior. Aliacens. Nouo Castro P. Hurt. P. Quiedo

P. Arriaga *controuerf. 4. punct. 8. n. 17.* P. Arriaga *in Log. d. 5. sect. 2.* quorum fundamenta nos latè retulimus *in Log. tract. 3. num 21.*

§. II.

Concluditur dari distinctionem rationis, ac præcisiones obiectiuas.

680 His non obstantibus, dicendum distinctionem rationis etiam esse intrinsecam ex parte obiecti: seu, quod idem est, posse cognosci vnum gradum metaphysicum, quin alius cognoscatur. Ita D. Tho. *1. p. q. 28. art. 2.* P. Molin. ibidem *d. 3.* P. Vasquez *d. 117. n. 2.* P. Soares *in Met. d. 7. s. 1. n. 4*[?]. & *in Sum. tract. 1 lib. 2 cap. 13. n. 6.* P. Gil. *lib. 2. tract 6. c. 1. n. 2.* P. Fonsec. *5. Met. cap. 28. q. 2.* Patres Conimbr. *q. 4. Vniuersalium a. 2.* P. Martinon *d. 3. de Deo n. 22.* & nouissimè P. Cópton. *in Log. d. 24. s. 2 n. 1.* vbi alios allegat. Esse intrinseca m huiusmodi distinctionem in Prædicatis Diuinis admittit ipse P. Arriaga loco citat. & *d. 9. de Visione Beata*, & *d. 47. de Trinitate*, & nos id ostendimus *in Log. tr. 3. n. 43.* & inferiùs ostendemus *n. 697.*

D. Thom. P. Molina P. Vasq. P. Soar. P. Gil. P. Fonseca Patres Conimbr. P. Martin P. Cópto.

681 Quoad gradus metaphysicos, sic probatur: quia attingi á parte rei, & cognosci vnum sine alio non repugnat ex eo, quòd ipsi gradus solùm distinguantur per rationem: nã etiam Prædicata Diuina solùm distinguuntur per rationem: & tamen Natura communicatur, non verò Paternitas; Filiatio producitur, non verò Natura. Dices, id esse proprium mysterij Sanctissimæ Trinitatis. Sed contrà, quia illius solùm proprium est admittere contradictoria intrinseca; nimirum communicari, & non communicari; produci, & non produci: at verò cognosci, & non cognosci non sunt contradictoria intrinseca, sed solùm extrinseca. Itaque proprium mysterij Sanctissimæ Trinitatis est secundùm diuersas partes virtuales admittere contradictoria intrinseca: benè ergo possunt Prædicata creata, nimirum gradus metaphysici secundùm diuersas partes virtuales admittere contradictoria extrinseca, hoc est, cognosci secundùm vnum gradum, non verò secundùm alium. Hoc enim non repugnat ex eo, quòd solùm distinguantur per rationem, vt patet in Diuinis; item neque quòd id sit proprium mysterij Sanctissimæ Trinitatis; quia eius proprium solùm est admittere contradictoria intrinseca: in creatis veró solùm admittimus contradictoria extrinseca, idque secundùm diuersas partes virtuales.

682 Dices, non minùs repugnare contradictoria extrinseca, quám intrinseca; non enim minùs opponitur forma extrinseca cum suâ negatione, quám forma intrinseca cum suâ. Sed contrá, quia id solùm verum est de contradictorijs extrinsecis respectu eiusdem secundùm idem; non verò secundùm diuersas partes virtuales, vt patet ex dictis *in Log. tr. 3. n. 41.* Et patet in relatione similitudinis, & dissimilitudinis in eodẽ subiecto, quæ duæ in cõmuni opinione (quã suo loco examinabimus) solùm virtualiter distinguuntur. Secundò, in Duratione, quæ respicit tempus imaginariũ: non ita existentia, quæ similiter in communi opinione solùm virtualiter distinguũtur. Tertiò in actione, quæ respicit Agens, non ita passio. Quartò in colore, qui formaliter attingitur ab oculo, non ita eius relatio, prout pleniùs prosecuti fuimus *in Log. tr. 3. n. 32.*

683 Replicabis: Aut illæ diuersæ partes virtuales dantur in obiecto ante cognitionem: aut non. Non primum, quia distinctio rationis non datur ante operationem Intellectûs; si non dantur, quomodò cognoscitur vna, non verò alia? Respondeo partes virtuales dari fundamentaliter ante cognitionem; actu formaliter distinguuntur ipsâ cognitione; nam per illam fit ipsa cognitio actualis. Et id patet in Diuinis, nam ante operationem intellectûs actu formaliter non distinguuntur, sed solùm fundamentaliter: per operationem Intellectûs distinguuntur actu formaliter.

684 Confirmatur nostra principalis resolutio, & institutum hoc modo: quia non repugnat exprimi vnus gradus sine alio, v. g. *Animal* sine *Rationali*: ergo etiam non repugnabit cognosci vnus gradus sine alio; nam non magis contradictoria sunt *cognosci*, & *non cognosci*; quám *exprimi*, & *non exprimi*. Respondent Aduersarij nullum esse inconueniens exprimi hominem solùm vt *Animal*, non veró vt *Rationalem*, aut è contrá; nam exprimi hominem solùm vt *Animal* est comparare hominem cum solis actionibus sentiendi, & non cum actionibus intelligendi distinctis; & è contrà: quid verò implicat comparare nunc totum hominem cum his actionibus, nihil curando de alijs ab his distinctis? certè hoc non magis implicat, quàm vniri totam humanitatẽ Christi Domini Verbo Diuino, & totam non vniri Spiritui Sancto: totam meam Animam meæ Materiæ, & totam non vniri Materiæ Petri. Acutè Aduersarij.

685 Sed ego inde probo non repugnare cognosci vnum gradum sine alio. Nam sicut non repugnat idem cognosci in ordine ad vnum, quin cognoscatur in ordine ad aliud realiter distinctum; ita non repugnat ex duobus funda-

fundamentaliter distinctis alterum cognosci in ordine ad vnum, alterum non cognosci in ordine ad aliud realiter distinctum, v.g. cognosci *Animal* in ordine ad actiones sentiendi, & non cognosci *Rationale* in ordine ad actiones intelligendi; nam sicut non repugnat idē cognosci in ordine ad vnum, quin cognoscatur in ordine ad aliud realiter distinctum, ita non repugnat ex duabus partibus fundamentaliter distinctis vnam cognosci in ordine ad vnum, quin cognoscatur alia in ordine ad aliud realiter distinctum.

686 Dices, non dari has partes fundamentaliter distinctas. Sed contrà, quia in primis illæ non repugnant cum distinctione rationis, vt patet in Diuinis, vbi Natura, & Paternitas sunt fundamentaliter distinctæ: & tamen actu solùm distinguuntur per rationē. Deinde non est dicendum id esse proprium mysterij Sanctissimæ Trinitatis; nam, vt dixi, illius solùm proprium est admittere contradictoria intrinseca, non veró extrinseca.

687 Præterea (& hoc est valdè efficax) quia si non dantur hæc duo, quæ sint virtualiter distincta, & quorum vnum repugnet produci, vel vniri intrinsecè, quin identicè aliud producatur, & vniatur, sed potiùs detur vnica tantùm entitas, quæ solùm dicitur distincta in ordine ad actiones realiter distinctas, sequitur posse à parte rei produci, & vniri in ordine ad vnas actiones, quin producatur, & vniatur in ordine ad alias: nam quid hoc vetat? tales enim actiones realiter distinguuntur. Et quod inde fit, sequitur posse vnum gradum metaphysicum produci, vniri, & existere sine alio; potest enim produci, vniri, & existere in ordine ad vnas actiones, quin producatur, vniatur, & existat in ordine ad alias realiter distinctas: quid hoc prohibet? In nostrâ sententiâ id prohibent duo illa virtualiter distincta, quorum vnum, quia actu formaliter est aliud, & solùm virtute, ac fundamētaliter est diuersum, non potest esse actu sine alio. Considera quæso amicé, & animo minimé contentioso hanc rationem, fortasse non displicebit: cętera prosecuti fuimus in *Logic. tract. 3. à n. 24.*

688 Neque oppositum suadet fundamentum opinionis contrarię relatum *n. 676.* (quâtenus dicit quòd si intellectus attingeret vnum gradum, non veró alium, v.g. *Animal*, non veró *Rationale*, idem attingeretur, & non attingeretur à parte rei, quæ duo sunt contradictoria, ac proinde verificari nequeunt de eâdem indiuisibili entitate à parte rei) respondendum enim est non posse verificari de eodem secundùm idem; posse tamen de eodem secundùm diuersas partes virtuales, quæ dicuntur virtuales ex eo, quód habeāt virtutem duarum, & illis æquipolleant quóad huiusmodi contradictoria extrinseca; nam in ordine ad illa perinde se habent, ac si essent duæ.

Ad confirmationem (quâtenus dicit vnam harum partium in creatis non posse produci, & aliam non produci: ergo neque vnam cognosci, & aliam non cognosci) respondeo distinctionem virtualem habentem capacitatem admittendi cōtradictoria intrinseca esse propriā mysterij Sanctissimæ Trinitatis, vt pleniùs constabit ex dicendis infrà *n. 696.* at veró cognosci, & non cognosci solùm sunt contradictoria extrinseca, & hæc etiam in creatis possunt verificari de eodem, non quidem secundùm idem, sed secundùm diuersas partes virtuales, vt patet ex dictis *n. 681.* & conuincitur exemplis adductis *n. 682.*

§. 12.

De Distinctione Rationis Ratiocinatæ.

689 SExta difficultas: Quid sit Distinctio rationis ratiocinatæ? Hęc alio nomine dicitur Distinctio virtualis, & definitur illa, *Quæ fit per intellectum cum fundamento in re.*

690 Quæres primó, Vtrùm detur aliquod signum ad cognoscendam huiusmodi distinctionem? Respondeo illud esse optimum: Quando scilicet duo ita se habent, vt nō distinguantur á parte rei, cognoscuntur tamē per conceptus non sinonymos, hoc est, essentialiter distinctos; quo pacto se habent Attributa Diuina, & Gradus metaphysici.

691 Quæres secundó, Quodnam sit illud fundamentum in re, quod prærequiritur ad Distinctionem rationis ratiocinatę? Respondeo cum P. Arriagâ *in Logic. d. 5. n. 57.* & *tom. 1. in 1. p. d. 42. s. 1. subsect. 3.* P. Gil. *lib. 2. tr. 6. c. 5. n. 11.* & P. Hurtad. *in Met. d. 6. s. 5. à §. 73.* huiusmodi fundamentum consistere in capacitate ad contradictoria, quæ possunt verificari de illâ vnâ re, ac si essent plures; sic illa vna res potest simul cognosci, & non cognosci, hoc est, cognosci secundùm vnum gradum, & non secundúm alium: aut expressè, in opinione P. Hurtad. & P. Arriag. aut formaliter, in meâ sententiâ. Prouenit autem huiusmodi capacitas multis ex capitibus: primò ex fœcunditate, & eminentiâ obiecti, seu rei: secundò ex effectibus diuersis, qui licèt prouen-niant ab vno, eodemque principio, præbent tamen occasionem intellectui cōcipiendi ipsū princi-

P. Arriagâ
P. Gil.
P. Hurt.

principium, vt multiplex, & diuersum. Tertiò, ex separabilitate Graduum in subiectis diuersis; & hoc modo habemus fundamentum, vt distinguamus Animal, & Rationale in homine, quia scilicet isti Gradus sunt separabiles, & de facto separantur in subiectis diuersis. Quartò, quando eadem res habet plura connotata, & obiecta diuersa; tunc enim in ordine ad illa potest concipi vt distincta.

692 Quæres tertiò, Vnde proueniat quòd de facto Intellectus concipiat vt distincta ea, quæ á parte rei non distinguuntur? Respondeo cum P. Soar. *4. de Trinit. cap. 4. n. 14.* P. Vasq. *1. p. d. 117. n. 7.* & 8. P. Valent. *p. 1. d. 1. q. 3. punct. 3. §. Nihilominus,* P. Gil. *lib. 2. tract. 6. cap. 4. n. 7.* id prouenire vno ex duobus capitibus, aut ex multiplici perfectione, & fecunditate obiecti, quæ vnico cõceptu per modum vnius non potest comprehendi, potest pluribus: aut ex imbecillitate potentiæ, quæ non potest elicere vnum actum capacem tanti obiecti, & perfectionum illius; vnde vtitur multiplicitate conceptuum, vt remedio, quod nõ valet adhibere Sensus, sed solus Intellectus.

P. Soares, P. Vasq., P. Valent., P. Gil.

§. 13.

Vtrùm possit actu fieri vnico conceptu?

693 QVæres quartò, Vtrùm Distinctio rationis ratiocinatæ possit fieri vnico conceptu? Videtur requiri plures conceptus, vt docet P. Soar. *in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 5.* Et ratio est, quia ita se habet pluralitas rationis, seu conceptuum ad Distinctionem rationis, sicut pluralitas entitatum á parte rei ad Distinctionem ex naturâ rei; sed ad hanc requirũtur plures entitates: ergo ad illam plures conceptus.

P. Soar.

694 Nihilominus dicendum videtur sufficere vnum conceptum. Ita Scot. & alii, quos citant, & sequuntur P. Gil. vbi proximè *cap. 2. n. 11.* & *cap. 9. n. 3.* P. Molin. *p. 1. q. 28. ar. 2. ad 3. conclus. 3.* Et probatur, quia tunc datur Distinctio rationis, quando repræsentantur, vt plura ea, quæ á parte rei talia non sunt: sed vnus conceptus potest repræsentare, vt plura, & distincta ea, quæ à parte rei talia non sunt. Probo hanc Minorem, quia iste conceptus: *Iustitia Diuina non est Misericordia,* repræsentat vt plura ea, quæ á parte rei talia nõ sunt: & tamen, vt suppono, est vnus cõceptus.

Scotus, P. Gil., P. Molin.

695 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondeo negando ita se habere pluralitatẽ cõceptuũ formaliũ ad Distinctionẽ rationis, ac se habet pluralitas entitatum ad Distinctionem ex naturâ rei. Ad Distinctionem rationis sufficit pluralitas rationis ex parte obiecti; sicut ad Distinctionem ex naturâ rei sufficit pluralitas realis. Non nego requiri ad Distinctionem rationis, quód, quãtũ est ex se, possint dari plures conceptus ex parte potentiæ: solùm dico non esse necesse, quód actu dentur, & hoc solùm videtur velle P. Soar. loco cit. P. Soar.

§. 14.

Vtrùm, & quo pacto in Diuinis detur specialis Distinctio rationis intrinseca?

696 QVæres quintó, Vtrùm in Deo detur aliqua specialis Distinctio rationis? Affirmant communiter ij ferè omnes, qui in creatis non admittunt Distinctionem rationis intrinsecam ex parte obiecti; hi enim non possunt eam non admittere in Deo, vbi Natura Diuina á parte rei communicatur, non verò Relatio; Filiatio á parte rei producitur, non verò Natura. Dicunt ergo hanc Distinctionem esse Deo specialem, & fundari in capacitate ad contradictoria intrinseca, quæ præbet fundamentum ad hoc, vt Natura concipiatur vt distincta á Relatione, & Relatio à Naturâ. Prouenit autem huiusmodi capacitas ab Infinitate Dei simul cum oppositione; vnde prædicti Auctores non admittunt huiusmodi Distinctionem in Attributis, v. g. in Misericordiâ respectu Iustitiæ, quia hæc solùm habent Infinitatem, non verò oppositionem: solùm eam admittunt in Naturâ, & Relatione, in quibus reperitur Infinitas, & oppositio; Infinitas, inquam, in Naturâ, & oppositio in Relatione; vnde Natura communicatur ratione Infinitatis, non verò Relatio ratione oppositionis cum suo termino. Hanc sententiam latè explicat, & defendit P. Arriaga citat. *in Logic. disp. 5. sect. 4.* & *tom. 1. in 1. p. disp. 42.* per totam, vbi allegat plures, quibus subscribunt P. Ouiedo *in Metaphysic. controuers. 4. punct. 4. num. 12.* P. Recupitus *lib. 3. q. 4. num. 90.* vbi hanc Distinctionem mirabilem appellat, & pro illâ citat plures Doctores.

P. Arriaga, P. Ouiedo, P. Recupitus

697 Nos verò, qui etiam in creatis admittimus Distinctionem rationis intrinsecam ex parte obiecti, non habemus tantum locum ad concedendã specialẽ Distinctionẽ rationis in Diuinis. Et de facto eam renuunt admittere P. Wadingus *de Incarnatione disp. 4. dub. 9.* P. Alarcon *tractat. 1. de Trinit. disp. 2. cap. 10.* P. Vasquez *1. p. disp. 120. cap. 6.* P. Granado *tract.*

P. Wading., P. Alarcõ, P. Vasq., P. Granad.

P. Martin. tract. 2. de Diuina Natura disp. 5. sect. 3. P. Martinon disp. 3. num. 11. Adhuc tamen aliquam specialem in Diuinis admittendam puto. Consistit autem eius specialitas in eo, quòd illa, quæ in Diuinis reperitur, fundatur in capacitate ad recipienda contradictoria intrinseca, quo pacto se habent *communicari, & non communicari*: *produci*, & *non produci*; communicatur enim Natura, non veró Relatio: producitur Relatio, nimirum Filiatio, non veró Natura. In creatis veró distinctio virtualis fundatur in capacitate ad contradictoria extrinseca, quo pacto se habent *cognosci*, & *non cognosci*; cognoscitur enim vnus Gradus, non veró alius, nimirum *Animal*, non veró *Rationale*. Est autem in creatis hæc distinctio minor, propter eorum minorem capacitatem: in Diuinis est maior, propter capacitatem infinitam simul cum oppositione. Vnde patet quo sensu in Diuinis re verâ admittenda sit specialis Distinctio rationis intrinseca propria mysterij Sanctissimæ Trinitatis. De quâ pleniùs *in eius Materia*.

§. 15.

De Distinctione Rationis Ratiocinantis.

698 SEptima difficultas: Quid sit Distinctio Rationis Ratiocinantis? Videtur enim coincidere cum Distinctione rationis ratiocinatæ. Et probatur, quia aut concipiuntur partes obiecti diuersę; & tunc datur Distinctio rationis ratiocinatæ: aut concipitur idem omninó; & tunc nulla datur distinctio etiam rationis; non enim datur fundamentum ad talem distinctionem. Et P. Vasq. ita sentit P. Vasquez 1. p. disp. 117. num. 9. & d. 121. n. 17.

699 Nihilominus tenenda contraria resolutio afferentium dari Distinctionem rationis ratiocinantis distinctam á virtuali, seu rationis ratiocinatæ, & esse illam, quæ fit ab intellectu per conceptus eiusdem rationis non sinonymos repræsentantes idem ex parte prædicati, & subiecti, vt cùm in propositione identicâ idem affirmatur de se ipso, *Socrates est Socrates*: *Gladius est ensis*. Ita P. Soares *in Metaphysica disp. 7. sect. 1. num. 4.* P. Molin. 1. p. q. 28. art. 2. disp 3. §. *Fit ergo*, P. Valent. 1. p. disp. 1. q. 3. punct. 3. §. *Tertiò confirmatur*, P. Fonsec. 5. *Metaphys. cap. 6. q. 6. sect. 3.* Patres Conimbricens. q. 4. *Vniuersalium art. 2.* P. Rubius *cap. 4. de Prædicament. q. 3. num. 54.* P. Gil, *lib. 2. tract. 6. cap. 4. num. 1.* & 8. vbi allegat D. Thom. & alios plures P. Hurtad. *in Metaph. disp. 6. §. 71.* P. Fasol. *tom. 1. in 1. p. q. 14. art. 2.* P. Recupit. *tom. 1. in 1. p. lib. 3. cap. 16.* P. Tellez *disp. 52. sect. 4. num. 7.* P. Ouiedo *in Metaphysic. controuers. 4. puncto 7.*

(P. Soar. P. Molina P. Valent. P. Fons. Patres Conimbr. P. Rub. P. Gil. D. Thom. P. Hurt. P. Fasol. P. Recupit. P. Tellez. P. Ouiedo.)

700 Et probatur, quia, cùm dicitur *Petrus est Petrus*, vel *Gladius est ensis*, interuenit aliqua Distinctio: non à parte rei, vt per se patet: non rationis ratiocinatæ; nam hæc fit per conceptus non sinonymos; in prædictis autem propositionibus conceptus sunt sinonymi: ergo datur Distinctio diuersa, nempe rationis ratiocinantis. Dicitur autem sic, quia tota se habet ex parte intellectûs, non ex parte obiecti, seu rationis ratiocinatæ. Itaque in hâc propositione identicâ *Petrus est Petrus* distinguitur *Petrus* in prædicatum, & subiectum (similiter dicendum de hâc *Gladius est ensis*) ergo ibi aliqua intercedit Distinctio: non ex naturâ rei: ergo rationis: non rationis ratiocinatæ: ergo rationis ratiocinantis, hoc est, non ex parte obiecti, sed ex parte intellectûs.

701 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis. Neque obstat, quòd quando idem concipitur, non detur fundamentum ad vllam distinctionem: nam id solùm verum est quando concipitur eodem modo: non verò quando concipitur diuerso modo, nimirum vt prædicatum, & vt subiectum, prout subest diuersis relationibus, & respectibus.

702 Vtrùm Distinctio rationis tum ratiocinatæ, tum ratiocinantis possit fieri per Visionem Beatam: item per Intellectum Diuinum? Hæc quæstio coincidit cum illâ, quam de Ente rationis disputauimus *in Logica tract. 2. num. 89. & num. 96.* Vtrùm scilicet Ens rationis fiat per Visionem Beatam: & ab Intellectu Diuino? Pro cuius resolutione videatur locus citatus.

§. 16.

Quæ Distinctio sufficiat, & requiratur inter Prædicamenta?

703 OCtaua difficultas: Quæ Distinctio sufficiat, & requiratur inter Prędicamenta? Hæc erat totius Sectionis meta, & scopus, quò dirigitur hâctenus tradita doctrina de Distinctionibus ex naturâ rei, & rationis. Prima sententia asserit requiri distinctionem realem. Ita Venetus, Nyphus, Gualter. & alij, quibus subscribit P. Hurt. in Met. d. 9. §. 17. Cóm uniter tan èreijcitur, quia

(Venet. Nyphus. Gualter. P. Hurt.)

quia alioquí tria tantùm darentur Prædicamenta, Substantia, Quantitas, & Qualitas, nec relinquerentur Classes alijs Entibus.

704 Secunda sententia tenet necessariam esse distinctionem saltem modalem. Ita Ioan. Gandauensis, Flandr. Aquar. Bañes, & pro hac parte stare videntur D. Thom. Ferrar. Iauel. Iandun. Soncin. & alij, quos citat, & sequitur P. Fons. 5. Met. cap. 7 q. 3. s. 2. §. Tertia conclusio. Allegari etiam possunt P. Vasq. 1. p. d. 22. n. 11. & d 173. n. 8. P. Rub. in Prædicament. Relationis q. 14. n. 318. & in Prædicament. Durationis n. 17. quatenus asserunt requiri distinctionem ex naturâ rei saltem inter Prædicamentum Substantiæ, & Accidentium: & ideò dicunt Relationem, & Durationem distingui à Substantiâ ex naturâ rei.

Ioan. Gandauens. Flandr. Aquar. Bañes D. Thom. Ferrar. Iauel. Iandun. Soncin. P. Fonsec. P. Vasq. P. Rub.

705 Probatur primò, quia Prædicamenta distinguuntur essentialiter: sed quæ ita distinguuntur, debent distingui ex naturâ rei; namque quæ habent eandem entitatem, habent eandem essentiam. Secundò, quia inter Prædicamenta, cùm sint primo diuersa, requiritur maior distinctio, quàm inter duas Species eiusdem Prædicamenti; sed inter has requiritur distinctio ex naturâ rei, nec sufficit virtualis, vt patet in speciebus Qualitatis: ergo à fortiori inter illa. Tertiò, quia Accidens Prædicamentale debet esse verum, & reale: sed tale non erit, nisi distinguatur ex naturâ rei à Substantiâ. Hæc Minor videtur certa, tum quia D. Thom. in 1. dist. 33 q. 1. art. 3. ad 4. & 4. contra Gentes cap. 4. asserit Substantiam, & Accidens non esse idem realiter: tum quia idcircò Attributa Diuinæ non sunt vera Accidentia, quia non distinguuntur à parte rei ab Essentiâ Diuinâ: tum quia ea, quæ solùm virtualiter distinguuntur à Substantiâ, non inhærent in illâ á parte rei.

D. Thom.

§. 17.

Concluditur sufficere Distinctionem virtualem.

706 Nihilominùs dicendum videtur sufficere distinctionem virtualem, tum inter Prædicamentum Substantiæ, & Accidentium: tum inter Prædicamenta Accidentium inter se. Ita D. Thom. Alex. de Ales, Commentator, Soncin. Iauel. Capreol. Ocham. Henric. & alij, quos potiùs pro hâc parte meritò allegat, & sequitur P. Soar. disp. 39. sect. 2. num. 21. & d. 32. s. 1. n. 23. P. Tellez disp. 52. sect. 4. num. 8. & 12. Et certè sufficere distinctionem virtualem inter Prædicamenta Accidentium præter Doctores citatos tenent P. Vasq. 1. p. tom. 1. disp. 22. n. 11. & P. Rub. in Log. cap. 4. q. 3. num. 14. P. Tolet. de Prædicament. in communi, q. 3. P. Compton. in Met. d. 10. s. 3. n. 4.

D. Thom. Alex. de Ales. Soncin. Iauel. Capreol. Ocham. Henric. P. Soar. P. Tellez. P. Vasq. P. Rub. P. Tol. P. Compt.

707 Probatur in primis sufficere distinctionem virtualem inter Prædicamenta Accidentium: quia ea distinctio sufficit ad constituenda diuersa Prædicamenta; quâ positâ, quæ affirmantur de vno, non affirmantur de alio: sed ad hoc sufficit distinctio virtualis, vt constat ex suprà dictis. Et confirmatur, quia Actio, & Passio spectant ad diuersa Prædicamenta (idem communiter dicitur de Vbi, & Situ): & tamen hæc non distinguuntur á parte rei, sed solâ distinctione virtuali. Hæc Minor præterquàm quòd probabitur ex professo suo in loco, traditur expressè ab Aristotele 3. Physicor. cap. 3.

708 Probatur deinde sufficere distinctionem virtualem inter Prædicamentum Substantiæ, & Accidentium. Primò, quia hæc sufficit ad constituenda diuersa Prædicamenta, vt patet in Prædicamentis Accidentium. Secundò, quia sufficit distinctio virtualis ad rationem Accidentis, quod est quintum Prædicabile: ergo etiam sufficiet ad rationem Accidentis, quod est Prædicamentale. Antecedens ostenditur in hâc prædicatione ostenso pallio, *Hæc Substantia est vestita*. Tertiò, quia in communi opinione Duratio distinguitur solùm virtualiter á Substantiâ: & tamen constituit diuersum Prædicamentum.

§. 18.

Argumenta soluta.

709 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit illa, quæ distinguuntur essentialiter debere distingui ex naturâ rei) respondeo id esse falsum, vt patet in Gradibus Metaphysicis, qui habent diuersas essentias, vt docet Aristotel. 7. Metaphys. textu 42. & 3. Metaph. textu 10. & tamen non distinguuntur ex naturâ rei. Item in relationibus similitudinis, & dissimilitudinis in eodem subiecto, quæ habent diuersas essentias; & tamen in opinione satis communi non distinguuntur ex naturâ rei. Tandem in Accidentibus logicis, quæ (sint, vel non sint Prædicamentalia) habent diuersas essentias à Substantiâ: & tamen non distinguuntur ab illâ ex naturâ rei. Verum quidem est, quòd ea, quæ habent eandem entitatem, habeant eandem essentiam physicam á parte rei: possunt tamen stare cum

Aristot.

eâdem essentiâ physicâ diuersæ essentiæ logicæ, & virtuales, sicut cum eâdem essentiâ reali diuersæ essentiæ modales. Dices, sequi ex hâc doctrinâ, quòd Attributa Diuina habeant diuersas essentias; ac proinde dari in Deo diuersas essentias. Respondeo dari in Deo diuersas essentias attributales: at veró vnam tantùm Naturam.

710 Ad secundum (quâtenus dicit inter Prædicamenta requiri maiorem distinctionem, quám inter duas Species eiusdem Prædicamenti) respondeo non requiri maiorem distinctionem, sed solùm maiorem oppositionem. Requiritur quidem maior oppositio, quia Prædicamenta non conueniunt vnivocé, sed sunt primò diuersa: non tamen requiritur maior distinctio, quia virtualis satis est ad entitates primò diuersas. Species Qualitatis distinguuntur realiter, quia sunt entitates physicæ: Prædicaméta verò constituuntur etiam entitatibus logicis.

711 Ad tertium, nego Accidens, vt tale sit, oportere distingui à Substantiâ ex naturâ rei. Neque prima confirmatio deducta ex D. Thom. contrarium suadet, quia D. Thom. solùm ibi loquitur de Accidentibus physicis, nô de logicis; imò solùm de Accidentibus realibus, non de modalibus; hæc enim sunt idē realiter cum Substantiâ. Secunda confirmatio etiam non conuincit: nam Attributa Diuina nô idcircò non sunt Accidentia, quia virtualiter distinguuntur à Naturâ, sed quia sunt Entia perfectissima, & constitutiua ipsius Naturæ Diuinæ sumptæ in totâ suâ amplitudine á parte rei. Tertia confirmatio non concludit, dicendum enim est ea, quæ virtualiter distinguuntur, non inhærere physicè; posse tamen inhærere logicè, & metaphysicè: quod satis est ad rationem Accidentis logici, & metaphysici.

SECTIO VI.

De Gradibus Metaphysicis, qui in quolibet Prædicamento reperiuntur.

712 IN quolibet Prędicamento reperiuntur Gradus Metaphysici, qui nihil aliud sunt, quàm Genera, Species, & Differentiæ indiuiduantes, quæ in quolibet rectâ serie, ac ordine inueniuntur, v. g. in Prædicamento Substantiæ Gradus *Substantiæ, Corporis, Corruptibilis, Viuentis, Sensitiui*, vsque ad vltimam differentiam. Dicuntur hi Gradus *Metaphysici*, quia componunt Totum Metaphysicum; ad eum modum, quo Partes physicæ tales dicuntur, quia componunt Totum Physicum. Dicuntur tamen potiùs *Gradus*, quàm partes, quia per illos ascendimus ad Genus supremum, & descendimus ad vltimam Differentiam indiuiduantē Compositi Metaphysici.

713 Tres autem circa hos Gradus disputari solent difficultates. Prima: Quo pacto hi Gradus inter se distinguantur? Et non quæritur, Quo pacto distinguantur prout in diuersis Indiuiduis, vel Speciebus inueniuntur: certum enim est, si ita comparentur, distingui realiter inter se, sicut ipsa Indiuidua, & Species, in quibus reperiuntur: v. g. Gradus *Rationalis*, qui est in homine, distinguitur realiter á Gradu *Animalis*, qui est in equo; & Gradus *Substantia*, qui est in Angelo, distinguitur realiter á Gradu *Corporei*, qui est in lapide. Difficultas solùm procedit de Gradibus, qui in eodem Indiuiduo, vel in eâdem Specie reperiuntur. Secunda difficultas petit: Vnde desumantur huiusmodi Gradus Metaphysici? Tertia agit de Differentiâ Indiuiduante, & quærit: Vnde desumatur Differētia Indiuiduãs? quod alijs terminis quæri solet: Vnde desumatur principium Indiuiduationis?

§. I.

De Distinctione Graduum Metaphysicorum inter se.

714 PRima difficultas: Quomodó distinguantur Gradus Metaphysici, qui reperiuntur in eodem Indiuiduo? Celebris est sententia subtilis Scoti asserentis distingui ex naturâ rei *distinctione*, vt vocat, *formali*: ita docet *in 2. dist. 3. q. 1. & 7.* Illum sequuntur eius discipuli Anton. Andreas, Ioann. Baptista, Lychetus, Bargius, Bassolus, Rada, Trombeta, Tartaretus, Iandun, Sorectus, Mauritius, & Balin. quos citat, & sequitur Merinero *in Logica cap. 1. de Vniuersalibus disp. 1. q. 2. sect. 2.* Accedunt P. Fonsec. *5. Metaph. cap. 6. q. 5. s. 2. & cap. 7. q. 3. sect. 3. & 7. Metaph. cap. 12. q. vnica sect. 11.* P. Molin. *1. p. q. 28. art. 2. d. 6. §. Ex dictis, & q. 3. art. 4. disp. 2. §. Hactenus*, Ægid. Lusitan. *tom. 1. lib. 5. q. 12. art. 8. num. 95.* & alij plures, quos retulimus *num. 631.* vbi ex professo egimus de hac distinctione Formali Scoticâ, pro quâ plura argumenta retulimus.

Scotus *Andreas* *Ioan. Bapt.* *Lychet.* *Barg.* *Bassol.* *Rada* *Trombeta* *Tartaret.* *Iandun.* *Sorect.* *Maurit.* *Balin.* *Merinero.* *P. Fonseca* *P. Molin.* *Ægid. Lusit.*

Et nunc

715 Et nunc adhuc probatur primò, quia idcircò Theologi non admittunt in Deo compositionem ex Genere, & Differentiâ, quia in illo admittenda foret cōpositio á parte rei; compositio autem á parte rei non coalescit nisi ex partibus distinctis ex naturâ rei: ergo Genus, & Differentia sunt partes distinctæ ex naturâ rei. Secundò, quia Gradus Metaphysici habent essentias diuersas: illa verò, quæ habent essentias diuersas, distinguuntur ex naturâ rei. Tertiò, quia Socrates á parte rei, partim conuenit, & partim differt à Platone: sed idem á parte rei non potest esse principium conueniendi, & differendi; sin minùs de eodem verificarentur duo prædicata contradictoria, esse scilicet, & non esse principium conueniendi. Quartò, quia si Gradus Metaphysici forent idem á parte rei, hæc propositio esset vera, *Animalitas est Rationalitas*; nam idem verè affirmatur de se ipso; & hæc esset falsa. *Homo non est Socrates*, nam idem negari non potest de se ipso. Quintò, quia ex diuersis Gradibus Metaphysicis oriuntur operationes diuersæ à parte rei, nimirum ex Gradu *Viuentis* operationes vegetatiuæ, ex Gradu *Animalis* operationes sensitiuæ, ex Gradu *Rationalis* operationes discursiuæ. Sextò, quia Gradus Metaphysici desumuntur ex partibus physicis: at verò hæ distinguuntur ex naturâ rei.

D.Thom. Caietan. Ferrar. Hispal. Soncin. Sotus Gabr. Gregor. Heruæus Capreol. P.Soar. Patres Conimbr. P. Rub. P. Tolet. P.Valent. P.Vasq. P. Gil. P.Hurt. P. Albert. Cursus Thomist. P.Tellez. P.Ouiedo P. Arriaga P. Ruiz. P.Martin. P. Recupit.

§. 2.

Probabilius est Gradus Metaphysicos non distingui ex naturâ rei.

716 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Gradus Metaphysicos non distingui ex naturâ rei, sed solâ distinctione rationis. Ita D.Thom. Caietan. Ferrar. Hispalen. Soncin. Sot. Gabr. Gregor. Heruæ. Capreol. & alij, quos citant, & sequuntur P.Soar. *in Met. d. 5. sect. 2.* & *d. 6. ʃ. 9.* Patres Conimbricens. *q. 4. Vniuersalium art. 2.* P. Rub. *in Porphyr. q. 3. num. 35.* & *cap. de Different. q. 6. num. 156.* P. Tolet. *q. 3. Vniuersal.* P. Valent. *1. p. disp. 1. q. 5. punct. 1. ʃ. Vltimo modo*, P. Vasquez *1. p. d. 22 num. 1.* P. Gil. *lib. 2. tract. 4. cap. 4.* & *tract. 6. cap. 1. num 4.* P. Hurt. *in Log. d. 4. ʃ. 12.* P. Albertin. *in corollarijs tom. 2. disp. 1. de Esse essentiæ, dubit. 1. 2.* & *3.* Cursus Thomistarum *tom. 1. p. 2. q. 3. art. 6.* P. Tellez *disp. 52. sect. 5. num. 3.* P. Ouiedo *in Metaphys. Controuers. 4. punct. 3. à num. 5.* cum P. Arriag. & alijs, quos cum P. Ruiz. P. Martinon, P. Recupit. allegauimus *n. 635.*

717 Probatur primò, quia res non sunt distinguendæ absque necessitate: sed nulla est necessitas distinguendi Gradus Metaphysicos á parte rei. Probo hanc Minorem, quia omnia, quæ dicuntur de Gradibus Metaphysicis, saluantur sufficienter positâ solâ distinctione virtuali inter illos: & hoc constabit ex solutione eorum, quæ pro contrariâ parte obijciuntur. Secundò, quia si Gradus Metaphysici distinguerentur ex naturâ rei, possent in primis existere separatim iuxta superiùs dicta *num. 640.* fine, & sequentibus, quo in euentu Gradus communis separatus à singulari erit idea Platonis: item posset Gradus vnus assumi hypostaticè, quin alius assumeretur, v. g. posset in eâdem humanitate assumi Gradus *Rationalis*, quin assumeretur Gradus *Animalis*: hæc autem sunt contra commune Philosophorum, & Theologorum. Tertiò, quia humanitates Socratis, & Platonis non possunt non esse distinctæ à parte rei: ergo à parte rei sunt ipsæ differentiæ. Quartò, quia in contrariâ sententiâ necessariò admittenda est alia tertia entitas media inter spiritualem, & corpoream, quæ nullo modo, neque formaliter, neque identicè sit spiritualis, aut corporea. Et hoc ostenditur, quia Gradus *Substantiæ*, qui est in hoc lapide in primis nullo modo neque formaliter, neque identicè esset corporeus, imó á parte rei distinctus á Gradu *Corporis*. Deinde non est spiritus, quia in lapide nihil spirituale includitur: ergo &c.

§. 3.

Argumenta soluta.

718 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit idcircò negare Theologos in Deo compositionem ex Genere, & Differentiâ, quia ex eo sequitur compositio ex naturâ rei) respondeo non idcircò Theologos negare in Deo talem compositionem, sed quia ratio singularitatis est de Essentiâ cuiuslibet perfectionis Diuinæ: vnde fit, quòd includatur in illâ, vt patet ex dictis *in Logica tract. 4. num. 103.*

719 Ad secundum (quâtenus dicit Gradus Metaphysicos habere diuersas essentias) respondeo habere diuersas essentias Metaphysicas, & secundùm quid; vnicam physicam, & á parte rei: ea autem solùm distinguuntur ex naturâ rei, quæ habent diuersas essentias physicas.

720 Ad tertiû (quâtenus asserit idê á parte rei

rei non posse esse principium conueniendi, & differendi) respondeo posse secundùm diuersas rationes, in ordine ad diuersas actiones, & connotata: item secundùm diuersas partes virtuales, secundùm quas de eodem posse affirmari prædicata contradictoria ostendimus *num.* 687.

721 Ad quartum, dico propositionem *Animalitas est Rationalitas* non esse veram in sensu formali, quia efficit hunc sensum: Hæc entitas in ordine ad operationes sensitiuas est hæc entitas in ordine ad operationes intellectiuas, quod non est verum: sic *Misericordia* Diuina non est *Iustitia*, quia significantur prout innuunt actiones, & connotata diuersa: sic dicendum de Intellectu, & Voluntate Diuinâ, & de alijs Attributis. Dixi *in sensu formali*, quia in sensu identico eadem est vtriusque entitas. Illa alia propositio, *Homo non est Socrates* est vera præcisiuè; efficit enim hunc sensum: *Homo* prout præscindit à *Socrate*, & prout connotat præcisionem illius factam per intellectum nõ est Socrates, licèt à parte rei cõtractus in Socrate sit ipse Socrates.

722 Ad quintum, dico benè posse ab vno, eodemque principio oriri operationes diuersas; quod patet multis exemplis. Primò, quia ab eâdem Omnipotentiâ Diuinâ oriuntur operationes adeò diuersæ. Secundò, quia ab eâdem luce Solis oriuntur illuminatio, calefactio, exsiccatio, &c. Tertiò, quia ab eodẽ Intellectu oriuntur apprehensio, iudicium, & discursus. Quartò, quia ab eâdem Animâ oriuntur potentiæ, & operationes vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ.

723 Ad sextum, concedo Gradus Metaphysicos desumi ex partibus physicis; non tamen quemlibet à qualibet parte; tunc enim valeret argumentum; imò vlteriùs probaret Gradus Metaphysicos distingui realiter, vt distinguuntur ipsæ partes physicæ, & non solùm formaliter, vt Aduersarij contendunt: desumuntur ergo Gradus Metaphysici quilibet à totâ entitate physicâ non totaliter, sed inadæquatè spectatâ in ordine ad operationes, & connotata diuersa: quo autem pacto id fiat, ex resolutione sequentis difficultatis reddetur manifestum.

§. 4.

Vnde desumantur Gradus Metaphysici?

724 SEcunda difficultas: Vnde desumantur Gradus Metaphysici? Suppono in primis cum P. Vasq. *d.* 32. *num.* 1. tunc dici Gradus Metaphysicos desumi, quãdo per intellectum considerantur, & præscinduntur: ab illo autem dicuntur desumi, quod est fundamentum, vt per intellectum considerentur, & præscindantur. Suppono deinde Gradus Metaphysicos non solùm reperiri in Compositis physicis, sed etiam in Substantijs spiritualibus; imò etiam in Accidentibus tum corporeis, tum spiritualibus. In his ergo idem est quærere, Vnde desumantur Gradus Metaphysici, ac quærere, Quodnam sit principiũ, & fundamentum illos considerandi, & præscindendi? *P. Vasq.*

725 Prima sententia asserit Gradus Metaphysicos desumi ex partibus physicis, ita vt Genus desumatur à Materiâ, Differentia autem à Formâ. Ita Durand. Albert. M. Ægid. Henric. Auerroës, & alij apud P. Soar. & P. Vasq. infrà citandos. Hæc sententia non solùm est falsa, vt statim ostendam, sed etiam diminuta, quia non assignat vnde desumantur Gradus Metaphysici, qui in Angelis, Accidentibus, & alijs rebus simplicibus, quę non constant Materiâ, & Formâ, reperiuntur. *Durand. Albert. M. Ægid. Henric. Auerroës P. Soar. P. Vasq.*

726 Secunda sententia tenet Gradus Metaphysicos in Compositis physicis desumi quidem ex Materiâ, & Formâ, in quo coincidit cum primâ sententiâ, addit tamen in rebus, quę non habent Materiam, & Formam, Genus desumi ab eo, quod in illis se habet loco Materiæ; & Differentiam ab eo, quod in illis se habet loco Formæ: dicunt deinde essentiam habere se loco Materiæ, & existentiam loco Formæ. Ita nonnulli Thomistæ apud P. Vasq. Et probatur, quia vbi datur Materia, & Forma, Genus debet desumi à Materiâ; Differentia autem à Formâ: ergo vbi non datur Materia, & Forma, Genus desumitur ab eo, quod se habet loco Materię, & Differentia ab eo, quod se habet loco Formæ. Antecedens pręterquamquòd contineat doctrinam communem Doctorum, videtur tradi ab Aristotele 8. *Met. cap.* 2. & 3. & à Porphyr. *cap. de Proprijs*. Et ostenditur ratione, quia Genus est quid potentiale, & perfectibile; Differentia quid accidentale, & perfectiuum: ergo Genus debet desumi à principio, quod sit potentia, qualis est Materia prima; & Differentia à principio, quod sit actus, qualis est Forma. *Thomistæ. Aristot. Porphyr.*

§. 5.

Verior sententia.

727 NIhilominus dicendum videtur Gradus Metaphysicos desumi per intellectum ex totâ naturâ, & essentiâ cuiusque rei (siue alioquì constet Materiâ, & For-

Formâ, siue non) diuerso tamen modo spectatâ iuxta conuenientiam, & disconuenientiam, quam habet cum alijs rebus, ita vt Genus desumatur à conuenientiâ cum illis in aliquo Gradu abstrahibili; Differentia verò à disconuenientiâ in aliquo alio Gradu. Exempli gratiâ, in homine Genus desumitur à toto homine iuxta conuenientiam, quam habet cũ bruto in *animali*: Differentia veró ab eodem toto homine iuxta disconuenientiam, quam habet cum bruto in *Rationali*. Ita D.Thom. 1.*p.* q.50.*a.*2.*ad* 1. P.Vasq. ibi. *d.* 170.*cap.*3. P. Molin. ibidem vbi asserit hoc olim se ostendisse 1.*de Generat. cap.*4. P. Soar. *in Met. d.*6.*f.*11. *n.* 4. P. Ouied. *in Log. controuers.* 6. *puncto* 3. *n.*2. P. Rub. *cap. de Genere q.* 3. *n.*87. P. Francisc. Amic. *tom.*2. *d.*3.*n.*43. P. Tellez vbi suprá *n* 17. Et probatur, quia Gradus Metaphysici in rebus simplicibus desumuntur ab earum entitate prout cum alijs conuenit, & differt modo proximè explicato: ergo idem de ijsdem Gradibus dicendum in rebus compositis.

D.Thom. P.Vasq. P.Molina P.Soar. P.Ouiedo P.Rub. P.Amicus P.Tellez

728 Et confirmatur, quia non apparet alius modus commodior desumendi prædictos Gradus. Non, inquam, *alius modus commodior*, quia Genus non potest desumi á solâ Materiâ, nec Differentia á solâ Formâ. Primó, quia alioqui isti Gradus distinguerentur realiter, sicut ipsæ partes physicæ; &, quod inde sequitur, possent existere separati. Secundò, quia in Angelis, Accidentibus, & alijs rebus simplicibus non datur Materia, & Forma: & tamen dantur Gradus Metaphysici. Tertió, quia, vt docet D.Thom. si Genus desumeretur à solâ Materiâ, non posset prædicari de toto Composito. Quartò, quia Gradus Substantiæ est completus: ergo non potest desumi à solâ Materiâ. Quintó, quia etiam in Formâ separatâ reperitur Gradus Substantiæ.

729 Deinde Genus in rebus simplicibus non potest desumi à solâ essentiâ: & Differentia à solâ existentiâ, vt illi Thomistæ relati pro secundâ sententiâ opinantur. Primó, quia hæc sententia, & modus dicendi nititur falso fundamento, nempe quód in rebus compositis Genus desumatur à solâ Materiâ, & Differentia á solâ Formâ, ad cuius instar contendit Genus in rebus simplicibus desumendum esse ab eo, quod se habet loco Materiæ; & Differentiam ab eo, quod se habet loco Formæ. Secundó, quia essentiæ rerum, v. g. *Homo* præcisâ omni existentiâ adhuc intelligitur habere suum Genus, & Differentiam.

730 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis. Verum quidem est, quód Genus sit quid potentiale; inde tamen non sequitur debere desumi á solâ Materiâ. vt de facto non desumitur in rebus, quæ sunt illius expertes: potest ergo optimè desumi á totâ entitate iuxta conuenientiam, quam habet cum alijs; nam secundùm hanc adhuc concipitur potens perfici, seu vt quid perfectibile per propriam Differentiam, quâ actuatur. Quòd si aliquando Aristoteles, Porphyrius, aut alij dicunt Genus desumi à Materiâ & Differentiam á Formâ, non loquuntur in proprietate physicâ, sed per analogiam ad Materiam, & ad Formam, ita vt solùm velint Genus in compositione Metaphysicâ habere se per modum Materiæ, Differentiam verò per modum Formæ.

§. 6.

De Principio Indiuiduationis.

731 Tertia difficultas: Vnde desumatur Differentia Indiuiduans? Celebris est opinio D.Thom. asserentis Differentiam Indiuiduantem desumi ex Materiâ affectâ Quantitate? Ita docet 1. *p. q.* 3. *a.* 3. *ad* 3. & sæpe alibi. Subscribunt Caieta. Capreol. Soncin. Ferrar. & alij, quos citat, non tamen sequitur P. Soar. *in Met. d.*5. *f.* 3. *n.*3. Probatur primó, ex Aristotele 5. *Met. cap.* 6. *t. xtu* 42. vbi dicit ea esse vnum, quorum est Materia vna. Secundó, quia per diuisionem Materiæ multiplicantur Indiuidua, vt videre est in aquâ quando diuiditur in plures.

D.Thom. Caietan. Capreol. Soncin. Ferrar. Aristot.

732 Secunda sententia est aliquorum asserentium Differentiam Indiuiduantem desumi á solâ Formâ. Ita Durand. Auerroës, Auicen. Zimara, Sebastus, Iandun. Albert. M. quos citat, & sequitur P. Pereira 6. *Physicor. c.* 7. Probatur primò, ex Aristotel. 2. *de anima c.* 1. vbi dicit Formam esse, *quæ constituit hoc aliquid*. Secundò, quia persistente eâdem numero Formâ, licèt varietur Materia, persistit idẽ numero Indiuiduum, vt videre est in Socrate sene, in quo persistit eadem numero Forma, non tamen eadem numero Materia, quam habebat in pueritiâ. Tertiò, quia sola Forma in specie est principium, ex quo desumitur Differentia Specifica, & distinctiua hominis, v. g. á bruto: ergo sola Forma in Indiuiduo erit principium eius Differentiæ Indiuiduantis.

Durand. Auerro. Auicen. Zimara Sebast. Iandun. Albert. M. P. Pereira Aristot.

733 Tertia sententia tenet Differentiam Indiuiduantem desumi ab existentiâ. Ita Henric. Carthusian. & alij, quos refert, non tamen sequitur Scot. *in* 2. *dist.* 3. *q.* 3. Quarta sententia tribui potest eidem Henrico loco citato, quâtenus videtur sentire Differentiam Indiuiduantem desumi à Subsistentiâ.

Henric. Carthusian. Scotus

§. 7.

Quæstionis resolutio.

734 NIhilominus omnes hæ quatuor opiniones communiter reijciuntur, & meritò. Dico primò: Differentia Indiuiduans non desumitur à Materiâ affectâ quantitate. Hæc est contra Thomistas, traditur tamen à P. Soar. P. Vasq. P. Fonsec. P. Compton. *in Met. d.* 2. *s.* 1. *n.* 3. & alijs inferiùs citandis. Probatur primò, quia in rebus spiritualibus datur Differentia Indiuiduans; non tamen datur Materia, aut Quantitas. Secundò, quia Quantitas potest separari à Materiâ persistente eâdem eius, & Compositi indiuiduatione. Tertiò, quia Materia ante Quantitatē iam intelligitur vna, & indiuidua. Quartò, quia eadem numero Materia successiuè informata diuersis Formis constituit diuersa Indiuidua. Quintò, quia principium intrinsecū Indiuiduationis Substantiæ non potest esse Accidens, quale est Quantitas.

P. Soar. P. Vasq. P. Fons. P. Compt.

735 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ deductum ex Aristotele (quàtenus dicit ea esse vnum numero, quorū est Materia vna) respondeo Aristotelem loco citato solùm velle illud compositum esse vnum, cuius est Materia vna: loquitur Philosophus de Materiâ non tanquam de principio adæquato intrinseco Indiuiduationis Compositi, sed tanquam de signo vnde possimus colligere illius principium adęquatum, quod est tota entitas Compositi, vt inferiùs dicemus. Et certè hæc etiam videtur mens, & sensus D. Thom. quem eius Sectatores minùs benè interpretantur.

736 Ad secundum, dico per solam diuisionem Materiæ multiplicari Indiuidua, quia per eam multiplicatur tota entitas, vnde desumitur multiplicitas Indiuiduationis. Adde, quód, quando aqua diuiditur in plures, diuiditur non sola eius Materia, sed etiam Forma.

737 Dico secundò: Differentia Indiuiduans non desumitur à solâ Formâ. Ita P. Soar. P. Vasq. & P. Fons. quos statim subijciam. Probatur primò, quia à Formâ non desumitur totum esse Cōpositi, vt ostendimus in *Phys. tr.* 1. *n.* 233. ergo neque totum hoc esse, seu Indiuiduatio. Secundò, quia Forma non datur in rebus spiritualibus; vbi tam ē vera Indiuiduatio reperitur. Tertiò, quia eadem Forma diuinitùs informans plures Materias constituit Indiuidua diuersa.

P. Soar. P. Vasq. P. Fonsec.

738 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ deductum ex Aristotele asserente Formam esse, *quæ constituit hoc aliquid*: respōdeo Aristotelem solùm velle Formam esse principalius fundamentum Indiuiduationis, non tamen adæquatum, de quo nobis est quęstio. Ad secundum, respondeo variatâ Materiâ variari Indiuiduum; in euentu tamen proposito Materia censetur eadem continuatione: & idem dicendum de Composito, seu Indiuiduo. Ad tertiū, negauimus suprà Differentiam Specificam desumi à solâ Formâ: desumitur à totâ entitate Compositi iuxta illius disconuenientiam specificam.

739 Dico tertiò: Differentia Indiuiduans non desumitur ab existentiâ Compositi. Ita ijdem Doctores. Et probatur primò, quia existentia est contingens: Differentia verò Indiuiduans essentialis. Secundò, quia Socrates in esse essentiæ præcisâ eius existentiâ iam intelligitur habere suam Differentiam Indiuiduantem.

740 Dico quartò: Differentia Indiuiduans non desumitur à Subsistentiâ. Ita P. Soar. P. Vasq. & P. Fonsec. infrá. Probatur primò, quia Subsistentia est extra essentiam. Secundò, quia res potest esse sine Subsistentiâ, non tamen sine Differentiâ Indiuiduante. Tertiò, quia Subsistentia non datur in accidentibus; vbi tamen Differentia Indiuiduans reperitur.

741 Dico quintò: Principium intrinsecum adæquatum Indiuiduationis cuiusque rei est tota eius entitas, secundùm quam est numero diuersa ab aliâ. Ita P. Soar. *in Met. d.* 5. *à s.* 2. *vsque ad* 7. P. Vasq. 1. *p. d.* 181. *cap.* 3. P. Fons. 5. *Met. cap.* 6. *s.* 1. P. Tellez *disp.* 52. *sect.* 5. *n.* 20. P. Arriaga *in Met. disp.* 1. *n.* 91. & ferè omnes Recentiores. Probatur primò, quia vnde res intrinsecè habet suum esse, inde habet suā Indiuiduationem; vnde enim habet quòd sit, inde habet quòd talis sit; suum enim esse à parte rei non distinguitur à tali esse; sed quælibet res constituitur in suo esse per totā suam entitatem à parte rei: ergo ab eâ accipit suam Indiuiduationem. Secundò, quia Differentia Specifica desumitur à totâ entitate rei, prout est specie diuersa ab aliâ: ergo Differentia Indiuiduans desumitur ab eâdem entitate rei, prout est diuersa numero ab aliâ. Tertiò, quia non apparet alius modus accommodatior desumendi prædictam Differentiam Indiuiduantem, vt ex refutatione aliarum opinionum relinquitur manifestum.

P. Suarez P. Vasq. P. Fonsec. P. Tellez. P. Arriaga

TRACTATVS II.

DE PRIMO PRÆDICAMENTO SVBSTANTIÆ.

COMPREHENDENS Disputationes quatuor. In primâ quæritur, Quæ Substantiæ sint Prædicamentales? In secundâ agitur de Subsistentiâ, per quam Substantia constituitur Prædicamentalis. In tertiâ de Causis & Effectibus Substantiæ. In quartâ de Concreto ex Substantiâ & Subsistentiâ.

DISPVTATIO I.

Quæ Substantiæ sint Prædicamentales?

DIVISA *in Sectiones tres. In primâ inquiro, Quid sit Substantia Prædicamentalis? In secundâ disputo de aliquibus Substantijs, de quibus dubitari solet, An sint Prædicamentales? In tertiâ de alijs Substantijs impossibilibus, de quibus dubitari potest, dato quòd forent possibiles, Utrùm essent Prædicamentales?*

SECTIO I.

Quid sit Substantia Prædicamentalis?

1 PRIMA difficultas: Quid sit Substantia Prædicamentalis? Videtur enim non rectè definiri illâ communi definitione, quæ ita habet: Substantia Prædicamentalis est *Ens per se subsistens*. Non, inquam, videtur bené definiri. Primò, quia Materia prima (& idem dicēdum de quâlibet Formâ Substantiali) est Ens per se subsistēs: & tamē nō est Prędicamentalis. Secundò, quia Substantia in communi definitur per existentiam per se: ergo Substantia Prædicamentalis rectiùs definiretur per existentiam per se completam. Tertiò, quia Secundæ Substantiæ non subsistunt: & tamen sunt Prædicamentales.

2 Nihilominus dicendum rectè definiri Substantiam Prędicamentalem illâ communi definitione, *Ens per se subsistens*. Ita Patres Conimbricens. *in Log. q. 1. de Substantia art. 1.* P. Tellez *disp. 58.* Patres Conimbric. P. Tellez. Prima particula *Ens per se*, idem valet, ac Substantia, non quidem communissimè sumpta, sed magis contracta, prout est cōpleta in genere Naturæ. Secunda particula *subsistens*, significat Substantiam integram, & completam in genere Suppositi. Prima ponitur loco Generis, & per eam reijcitur omne Accidens: imò, & Substantia incompleta in genere Naturæ. Secunda est veluti Differentia constitutiua Substantiæ Prædicamentalis. Bonitas huius definitionis non aliter meliùs ostendi potest, quàm ex solutione eorum, quæ contra illam obijciuntur.

3 Ad primum patet solutio ex dictis. Nam nomine *Entis per se* hoc loco non venit nisi

Ens

Ens completum, seu Substantia completa in genere Naturæ. Ad secundum, nego Substantiam Prædicamentalem rectiùs definiri per existentiam completam; debuit enim definiri per id, quo constituitur Prædicamentalis: constituitur autem Prædicamentalis per id, quo vltimò perficitur, & completur in suo esse: & hoc nihil aliud est quàm Subsistentia. Ad tertium, dico Secundas Substantias subsistere Subsistentiâ communi non subsistere Subsistentiâ singulari: seu, vt alij dicunt, subsistere in actu signato, etsi non subsistant in actu exercito.

§. 1.

Vtrùm definitio sit essentialis?

4 Secunda difficultas: Vtrùm tradita definitio sit essentialis? Negat absolutè P. Soar. *in Met. d. 34. sect. 8. n. 11.* Patres Conimbric. proxim è citati. Et probatur, quia definitio, quæ traditur per proprietatē, aut quasi proprietatem, non est essentialis, sed descriptiua: hæc autem ita se habet; traditur enim per Subsistentiā, quæ est proprietas Substantiæ Prædicamentalis. *P. Soares Patres Conimbr.*

5 Nihilominus aliquali distinctione vtendum videtur. Dico ergo: Si definitio intelligatur tradi per Subsistentiam non esse essentialem, hoc patet ex dictis: Si verò definitio intelligatur tradi per connotationem Subsistentiæ, quo sensu tradi optimè intelligitur, essentialis esse potest. Et probatur, quia hæc connotatio est de essentiâ ipsius Substantiæ sumptæ in concreto, & differentia distinctiua illius á Substantiâ sumptâ in abstracto: at verò Substantia Prædicamentalis est Substantia in concreto.

§. 2.

De diuisione Substantiæ in Primam, & Secundam.

6 Tertia difficultas: Vtrùm Substantia Prædicamentalis rectè diuidatur in Primam, & Secundam? Videtur non rectè diuidi. Primó, quia diuisum debet distingui á membris diuidentibus: Substantia verò Prædicamentalis, quæ diuiditur, si sumatur vt Singularis, est Prima; si sumatur vt Vniuersalis, est Secunda. Secundó, quia Secūdæ Substantiæ non videntur Prædicamentales, imò incompletæ. Probo hoc, quia præscindunt á differentijs, cum quibus faciunt vnum per se: illud verò, quod constituit vnum per se cum aliquâ realitate videtur esse incompletum.

7 Nihilominus dicendum cum communi rectè diuidi Substantiam Prædicamentalem in Primam, & Secundam. Ita Aristoteles, Boët. D. Thom. Albert. M. Caietan. Porphyr. Sot. Iauel. Flandr. quos citant, & sequuntur Patres Conimbric. *q. 2. de Substantia a. 2.* Probatur primó, quia huiusmodi diuisio exhaurit omne diuisum. Secundò, quia nō aliâ melior accommodari potest. *Aristot. Boët. D. Thom. Albert. M. Caietan. Porphyr. Sot. Iauel. Flandr. Patres Conimbr.*

8 Ad primum (quâtenus dicit diuisum debere distingui à mēbris diuidentibus: Substantiam verò Prædicamentalem, aut esse Primam, aut Secundam, ac proinde non rectè diuidi in Primam, & Secundam) patet responsio ex ijs, quæ diximus *in Log. tract. 5. n. 54.* vbi diximus Substantiam Prædicamentalem per hunc vocem, seu conceptum non exprimi vt Primam, neque vt Secundam, sed solùm, vt Substantiam Prædicamentalem, licèt in se formaliter sit Prima, & sit Secunda; non enim ab illis abstrahit vniuocé, eas tamen non includit expresśe, sed solùm confusè. Neque dicas, sequi ex hâc doctrinâ Substantiam Prædicamentalem non esse vniuocam, sed analogam: respondeo enim Substantiam Prædicamentalem non esse Prædicamentalem prout abstrahit á Primâ, & Secundâ, ac respectu illarum, seu, prout prædicatur de illis, sed solùm esse Prædicamentalem prout coincidit cum Primâ, & Secundâ, á quibus non abstrahit vniuocè, sed illas form aliter, licèt confusè, includit. Vide *Log.* loco cit.

§. 3.

Quid sit Ens completum: & quid Ens incompletum?

9 Ad secundum (quâtenus dicis Secundas Substantias non esse completas, quia præscindunt á Primis, cum quibus faciunt vnum per se, ac proinde non esse Prædicamentales, quia hæ debent esse completę) respondeo valdè difficilé esse explicare quid sit Ens completum: & quid Ens incompletum. Dicendum est duo esse Genera Entis completi: aliud Entis singularis: aliud Entis communis. Completum singulare est quod non venit in compositionem per se per modum partis cum alio Ente reali. Dixi *per modum partis*, quia Verbum Diuinum, licèt veniat in compositionem cum humanitate Christi Domini est Ens completum; nō enim venit in cōpositionem per modū partis cū humanitate, sed solùm per modum termini.

Obijcies

10 Objicies primò: Ergo etiam Subsistentia creata erit completa, quia etiam non venit in compositionem per modum partis cũ Naturâ, sed per modum termini. Respondeo Subsist. etiam creatam non solùm venire in cõpositionem per modum termini, sed etiam per modum partis: nam illud dicitur componere per modum partis, quod, cùm aduenit, acquirit aliquid intrinsecum, & cùm separatur, amittit aliquid intrinsecum; seu, vt vno verbo dicam, *Quod, cùm aduenit, aut separatur, mutatur intrinsecè*: ita se habet Subsistentia creata, non ita Subsistentia Diuina. De hoc pleniùs infrà à n. 130.

11 Objicies secundò. Totum venit in compositionem cum suâ parte, v.g. homo cũ suo brachio, & aqua cum suâ guttâ: & tamen non sunt Entia incompleta. Respondeo hæc non venire in compositionem per modum partis cum suâ parte, sed per modum Totius.

12 Quid de duabus partibus æquæ æqualibus? Respondeo tunc neutram considerari vt Totum, sed vtranque vt partem; ac proinde vtranque esse incompletam quoad statũ. Dixi *quoad statum*, quia si separentur, qualibet erit Totum; ac proinde completa. Hæc quoad Ens completum singulare.

13 Ens completum commune est illud, quod prædicatur in quid de Ente completo singulari. Ita Patres Conimbricens. *in Log. cap. 4. de decem Prædicamentis q. 2 art. 3. §. Sed rogabis.* Et huius Regulæ ratio est, quia quæ prædicantur *in quid*, concipiuntur vt quoddam Totum respectu suorum inferiorum; vnde censentur venire in compositionem per modum Totius, & non per modum partis. Differentiæ autẽ, & quæ prædicantur in quale per modum adiacentis censentur venire in compositionẽ per modum partis. *Patres Conimbr.*

14 Dices: Ergo in hâc prædicatione, *Verbum Diuinum est homo*, prædicatum *homo* erit Ens incompletum; quia in meâ sententiâ, quã tradidi *in Log. tract. 4. n. 324.* homo prædicatur de Verbo Diuino per modum adiacentis: item *in quale*, vt constat ex dictis loco cit. *num. 331.* Respondeo negando sequelam. Primò, quia homo non aduenit intrinsecè Verbo Diuino, hoc est, idẽtificãdo se cũ illo, vt dicemus *n. 160.* Secundò, quia non ordinatur ad illud naturaliter, sed solùm obedientialiter. Tertiò, quia est idem tenens se indifferenter vt prædicetur de Petro, ac de Verbo Diuino: at verò respectu Petri est Ens completum. Quartò quia id, quod accipit obedientialiter non tollit id, quod habet suâpte naturâ.

(*?)

§. 4.

Quænam sit Proprietas & quodnam Genus summum Substantiæ Prædicamentalis?

15 QVarta difficultas: Quænam sit Proprietas quarto modo Substantiæ Prædicamentalis? De hoc latè in *Log. tract. 5. n. 59.* vbi diximus esse susceptiuam contrariorum competere omni Substantiæ Prædicamentali, soli, ac semper.

16 Quinta difficultas: Quodnam sit Genus summum Prædicamenti Substantiæ? Prima sententia asserit Genus summum huius Prædicamenti esse Substantiam completam prout abstrahit à Diuinâ, & Creatâ, & est vtrique communis. Ita Gregor. Gabr. Holcot. Maior, Baccon. Marsil. Aphrodisius, & cæteri omnes Nominales, quibus occasionem sic opinandi dederunt Boët. & D. August. quatenus dicunt duo Prædicamenta Substantiæ, & Relationis habere locum in Deo. Et D. Damascenus, quatenus asserit Deum sub Genere summo Substantiæ contineri, quos omnes latè referunt, non tamen sequuntur Patres Conimbricens. *q. 1. de Substantia art. 2.* Hæc sententia communiter hodie reijcitur. Et ratio est, quia Substantia non potest esse vniuoca ad Diuinam, & Creatam, vt cum Aristotele, Boët. D. Thom. & alijs ostendimus *tract. 1. n. 114.* Boët. D. August. & D. Damasc. locis citatis pro parte contrariâ solùm videntur velle Prædicata Diuina collocari sub Genere summo Substantiæ, & Relationis, prout hæc Genera summa abstrahunt ab omni Substantiâ, & ab omni Relatione, ac sunt analoga: non prout sunt vniuoca, & Prædicamentalia. *Gregor. Gabr. Holcot. Maior Baccon. Marsil. Aphrodis. Boët. D. Aug. D. Damasc. Patres Conimbr. Aristot. D. Thom.*

17 Secunda sententia docet Genus summum huius Prædicamenti esse solam Substantiam corruptibilem. Fundatur in illo textu Aristotelis *10. Metaph. cap. vltim.* vbi, corruptibile, inquit, & incorruptibile differunt Genere. Et hanc sequuntur Auerroës, Ioannes Guandauens. Nyphus, Angelus, Mercenarius, Zimara, & alij, quos citant, non tamen sequuntur Patres Conimbricens. proximè allegati. Hæc sententia nititur fundamento omninò falso, nempe corruptibile, & incorruptibile, solo differunt Genere subalterno, non Genere summo, vt Aristotelem eius Expositores communiter interpretantur. *Aristot. Auerroës Ioan. Guãdauens. Nyphus Angelus Mercenarius Zimara*

18 Tertia sententia est aliquorum asserentium Genus summum huius Prædicamenti esse solam Substantiam corpoream. Hanc sequun-

Albert. M. Ægid. Durand. Aristot. sequuntur Albert. Mag. Ægid. Durand. & alij relati á Patribus Conimbricensibus loco citato. Et probatur primó, quia Angeli, cùm sint omninó simplices, & actus puri, vt loquitur Aristoteles 8. *Met. tex.* 16. videntur expertes omnis compositionis ex Genere, & Differentiâ. Secundò, quia Substantia corporea in communi est simplex: ergo non habet supra se aliud Genus, ex quo simul cum Differentiâ componatur.

19 Nihilominus quarta, & vera sententia tenet Genus summum huius Prædicamenti esse Substantiam creatam, completam, communem Corporeæ, & Spirituali; Corruptibili, & Incorruptibili. Descendit ergo rectâ serie hoc modo: supremo loco est *Substantia Prædicamentalis:* diuiditur in *Corpoream*, & *Incorpoream*, seu Spiritualem, quę in varias Species Angelorum dissecatur. Corporea in *Corruptibilem*, & in *Incorruptibilē*, si fortè talis est cælestis, saltem cælum Empyreum. Corruptibilis in *Mixtam*, & *Simplicem*. Simplex in quatuor Elementa. Mixta in *Viuentem*, & *non-Viuentem*. Viuens in *Sensitiuum*, & *non-Sensitiuum*. Sensitiuum in *Rationale*, & *Irrationale*. Rationale in *Petrum*, & *Paulum*. Irrationale, videlicet brutum, in varias Species subalternas, nimirum in *Piscem*, *Auem*, *Reptile*: deinde in Species infimas, quæ tandem ad vltima indiuidua descendunt. Ita *Aristot. Simplic. Ammon. Themist. Alexand. D. Thom. Patres Conimbr.* Aristoteles, Simplicius, Ammon. Themistius, Alexander de Ales, & D. Thom. quos citant, & sequuntur Patres Conimb. *in Log. cap.* 5. *de Substantia q.* 1. *a.* 2. *versu Amplectenda*; Et probatur, quia in hac serie nulla visitur ratio annalogiæ, & per illam ascenditur, & descenditur pede inoffenso.

20 Hîc poterat inquiri, An homo ratione Materiæ ponatur sub Substantiâ Corporeâ: an potiùs ratione Animæ sub Substantiâ Spirituali? Verùm huius resolutio manifesta relinquitur ex dictis: nam *Sensitiuum Rationale* cōstituitur in rectâ serie sub *Substantia Corporea*: homo verò est Sensitiuum Rationale. Et hinc patet, cur homo potiùs denominetur Corporeus, quàm Spiritualis; denominatur enim á Genere, sub quo in rectâ serie constituitur. Et huius vltima ratio est, quia Differentia aduenit Generi vt pars Toti iam in suo esse constituto: pars veró adueniens Toti, non tollit quod ipsum est per suum esse.

21 Ad primum igitur fundamentum tertiæ sententiæ, respondeo Angelos esse actus puros, & simplices simplicitate physicâ, non metaphysicâ. Ad secundum, dico Substantiam Corpoream in communi (quidquid sit de simplicitate integrali) esse compositam, tum physicé ex Materiâ, & Formâ; tum metaphysicé ex Genere, & Differentiâ.

SECTIO II.

De aliquibus Substantijs, de quibus dubitari solet, An sint Prædicamentales?

22 Certum in primis est omnes, ac solas Substantias, quæ aut sunt ipsum Genus summum proximè explicatum, aut sub illo in rectâ serie continentur, esse Prędicamentales. Illæ veró dicuntur in rectâ serie contineri, de quibus ipsum Genus summum affirmatur *in quæstione quid est essentialiter.* Et hoc modo affirmatur de Substantiâ Corporeâ, & Incorporeâ; de Corruptibili, & Incorruptibili; de Mixtâ, & Simplici; de Viuente, & non-Viuente; de Sensitiuâ, & nō Sēsitiuâ; de Rationali, & Irrationali; de Homine, Equo, Leone, &c. vsque ad Socratem Bucephalum, & alia indiuidua. Vnde colliges primò Deum non esse Substantiam Prædicamētalem, quod pleniùs constat ex dictis *in Log. tr.* 5. *n.* 31. Secundò Substantias partiales, & incompletas, cuius generis sunt partes physicæ, modi omnes substantiales, & differentiæ metaphysicæ, non esse Prædicamentales: verum quidem est, quòd ad Prædicamentum aliquo modo, &, vt aiunt, reductitiè spectent, nimirum ratione Totius, in quo includuntur, quod est Prædicamentale; non tamen spectant directè, & per se. His citra controuersiam constitutis, tres esse possunt hoc loco difficultates. Prima: Vtrùm Christus Dominus sit Substantia Prædicamentalis? Secunda: Vtrùm Deus saltem reductitiè spectet ad hoc Prædicamentum? Tertia: Vtrùm saltem per communicationem idiomatum dici possit Prædicamentalis?

§. I.

Vtrùm Christus Dominus sit Substantia Prædicamentalis?

23 Prima difficultas: Vtrùm Christus Dominus ponatur in Prædicamento? Negat Scot. *in* 3. *dist.* 7. *q.* 1. & *dist.* 22. *q.* 1. & communiter eius discipuli, Lychet. Bassol. Durand. Maior, Ocham. & alij, quos citat, non tamen sequitur P. Fonsec. 5. *Met. cap.* 8. *q.* 7. *sect.* 2. Probatur primó, quia Christus Dominus est compositum per accidens *Scotus Lychet. Bassol. Durand. Maior Ocham.*

dens

deus constans ex duabus Naturis. Secundò, quia est Ens simpliciter infinitum: hoc autem Prędicamento nō capitur. Tertiò, quia Christus Dominus non est indiuiduum hominis; siquidem minùs dato, quód Verbum Diuinum simul assumeret Naturam Angelicam, idem indiuiduum contineretur sub duobus Generibus non subalternatim positis, nimirum sub Animali, & Angelo.

D.Thom. Alex. de Ales. Albert.M. D.Bonau. Richard. Marsil. Capreol. Caiet. Medin. Ferrar. P.Fonsec. P.Hurt. P.Lugo P.Tellez. P.Soar. P.Vasq. P.Rub.

24 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium, Christum Dominum esse Substantiam Prædicamentalem. Ita D. Thom. Alex. de Ales, Albert. M. D. Bonau. Richard. Marsil. Capreol. Caietan. Medin. Ferrar. & alij, quos citant, & sequuntur P. Fonsec. cit. §. *Verum hæc*, P. Gaspar Hurt. *tract. de Incarnat. disp. 11. diffic. 10. §. Vasq.* Cardinalis Lugo *de Incarnat. d. 23 à n. 19.* P. Tellez *disp. 54. sect. 3. n. 1.* P. Soar. *de Incarnat. q. 16. art. 1. in commento §. Dicendum verò*, P. Vasq. 3. *p. d. 68. c. 3.* P. Rub. *q. 2. de Substantia num. 62.* vbi asserit hanc sententiam esse necessarió tenendam ex quo Ecclesia definiuit Christum Dominum esse verum hominem.

P.Vasq.

25 Ad probationem huius resolutionis, suppono Christum Dominum posse accipi sub vno è tribus nominibus, *IESVS*, *Emmanuel*, *Christus*, quæ licèt apud Sanctos Patres de eodem Christo Domino dicantur, inter Philosophos tamen, & Metaphysicos, cum quibus nobis res est, aliqualem sortiuntur diuersitatem. Nam hoc nomen, *IESVS*, vt cum pluribus docet P. Vasquez 1. *p. disp. 67. cap. 1. num. 6.* formaliter significat Naturam humanam, & connotat Suppositum Diuinum, proindeque clarum est Christum Dominum sub hoc nomine in Prędicamento Substantiæ collocari; neque enim illi deest aliqua ex conditionibus ad Prædicamentum requisitis. Hoc nomen, *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*, formaliter significat Naturam, & Suppositum Diuinum, & connotat Naturam humanam, vt docet P. Fonsec. cit. 5. *Met. cap. 8. q. 7. §. 5.* ac proinde certum est Christum Dominum sub illo consideratum non contineri in Prędicamento.

P.Fonsec.

P.Soar. P.Lugo P.Fonsec. P.Gil.

26. Potest vltimò considerari Christus Dominus sub hoc nomine, *Christus*. Et valdè controuersum est, Quid nomen *Christus* dicat de formali? P. Soar. Cardinalis Lugo, P. Fonsec. P. Gil. quos infrà referemus *num. 495.* opinantur dicere de formali solam Naturam humanam, & connotare Suppositum Diuinum; Christus enim idem est, atque vnctus oleo Diuinitatis: huiusmodi autem vnctio, quæ facta est per Vnionem hypostaticā, in Naturā humanā facta est. Et in hâc opinione (cui infrà dicto *num. 495.* subscribam) *Christus*, & *hic homo* (ostenso Christo) in eo distinguuntur, quód *Christus* connotat Suppositum Diuinum: at veró *hic homo* solùm aliquod Suppositum, prout abstrahit á Diuino, & creato. Deinde *Christus*, & *IESVS* in eo solùm distinguuntur, quód *Christus* idem sit, atque *Vnctus*: at verò *IESVS* idem, ac *Saluator*. Vtrunque ergo nomen importat Suppositum Diuinum, sed *Christus* ratione Vnionis hypostaticę, quam innuit; *IESVS* verò ratione redemptionis Mundi, quam adsignificat. In hâc opinione sicut *IESVS* ponitur in Prædicamento, ita *Christus* ponitur in Prædicamento; siquidem vtraque vox dicit de formali Naturam humanam.

Tota dubitatio est in aliâ opinione, quæ quidem est valdè communis, asserentium nomen *Christus* dicere de formali duas Naturas Diuinam, & humanam subsistentes in Verbo, quia tunc *Christus* videtur quoddam compositum per accidens: deinde, cùm dicat Naturam Diuinam, est Ens simpliciter infinitum. Adhuc tamen dicendum existimo poni in Prædicamento.

27 Probatur primó, quia ad hoc vt de Christo Domino absoluté affirmemus poni in Prędicamēto, satis est, quòd ponatur secūdùm vnam Naturam. Et hoc ostendo, quia ad hoc, vt de illo absoluté affirmemus quòd sit Animal, Homo, Rationalis, &c. satis est, quód talis sit secundùm vnam Naturam, licèt talis nō sit secundùm aliam: ergo etiam ad hoc, vt absoluté dicatur Prædicamentalis satis erit, quòd talis sit secundùm vnam Naturam, licèt talis non sit secundùm aliam. Secundó, quia de Christo Domino non potest absoluté dici non poni in Prædicamento. Et ratio est, quia cùm negatio sit malignantis Naturæ, atque proinde neget omnia, quæ inuenit post se, non potest absolutè dici de subiecto, quod secundum aliquam partem habet formam negatam: at verò Christus Dominus secundùm Naturam humanam ponitur in Prædicamento.

28 Obijcies. Ex hâc doctrinâ sequitur hoc compositum per accidens *Socrates albus* absolutè poni in Prędicamento ratione vnius partis. Respondeo primò negando Sequelam, quia *Socrates albus* non habet vnam vocem, quæ est prima ex conditionibus ad Prędicamentum requisitis: aliter se res habet in Christo Domino, quatenus significatur hâc vnâ voce *Christus*. Respondeó secundò, & meliùs, has voces *Socrates albus* ex communi vsu loquendi significare Socratem, & albedinem inter se, ex quibus sic consideratis non potest non resultare Ens per accidens: at verò *Christus* significat duas Naturas non inter se, sed quamlibet subsistentem in Verbo. Dixi

L hanc

hanc secundam solutionem esse meliorem; quia *Socrati albo* facilè potest aptari vox simplex: nimirum *blictri*.

§. 2.

Argumenta soluta.

29 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit Christum Dominũ esse Ens per accidens) patet solutio ex dictis. Dicendũ enim est non esse Ens per accidens, sed Ens per se; nõ enim significat Naturas inter se, sed quamlibet subsistentẽ in eodẽ Supposito Verbi, cũ quo quælibet facit vnũ per se. Explico me exẽplo Sanctissimæ Trinitatis, quæ est Ens per se; nõ enim significat Personas inter se, sed cũ Naturâ Diuinâ, cũ quâ quælibet facit vnum per se.

30 Ad secundũ (quâtenus dicit Christum Dominũ esse Ens infinitũ) respõdeo solùm esse infinitũ ratione Naturæ Diuinæ, nõ ratione Naturæ humanæ: hæc autẽ est illi ratio ingrediendi Prędicamentũ. Instabis: Etiã Subsistẽtia est illi aliqualis ratio saltẽ partialis ingrediendi: hæc autem est infinita. Respondeo cum P. Fonsec. cit. Subsistentiam non esse rationem ingrediendi Prædicamentum, sed tantum conditionem ad ingrediendum requisitã.

31 Vrgebis: Etiam actiones humanæ Christi Domini erant valoris, & meriti infiniti: ergo etiam, quâ homo, erat, & est infinitus. Respondeo actiones Christi Domini quòad entitatem physicam esse finitas: solùm moraliter esse infinitas ex infinitâ dignificatione Suppositi Diuini, quod moraliter censetur dignificare actiones Naturæ humanæ subsistentis in ipso.

32 Ad tertium (quâtenus dicit Christũ Dominũ non esse indiuiduum Naturæ humanæ) respõdeo esse verum indiuiduum. Deinde dato, quòd Verbum Diuinum simul assumeret Naturam Angelicam, & humanam, dico in eo euentu Christum Dominum solùm materialiter esse vnum indiuiduum, formaliter esse duplex pro multiplicatione Naturæ assumptæ: vnde nihil mirum quòd sub duobus Generibus formaliter collocaretur.

33 Instabis: Solum indiuiduum, quod continetur sub aliquâ Specie Prædicamentali, est Prædicamentale: at verò Christus Dominus non continetur sub homine, vt sub Specie; nam Species prædicatur complerè: at verò homo non prædicatur de Christo Domino complerè; non enim dicit Naturam Diuinam, quæ in Christo Domino continetur. Respondeo Christum Dominũ, vt patet ex dictis, esse duplex indiuiduum, Diuinum, & humanum; & ad hoc, vt *homo* de illo prædicetur completè, satis est, quòd prædicetur completè de illo, vt indiuiduo humano; neque enim ad hominem spectat, quòd dicat, vel non dicat indiuiduum Diuinum, sicut non spectat quòd dicat, vel nõ dicat indiuiduum Angelicum, licèt hoc per accidens coniungeretur cum humano.

34 Dices: Homo prædicatur adiacenter de Christo: ergo non vt Species; hæc enim debet prædicari per modum subsistentis. Antecedens ostenditur in meâ sententiâ, quam inculcaui *in Log. tract. 4. n.* 324. vbi dixi omnem formam adiacentem prædicari adiacenter: illam verò formam esse adiacentem, quæ aduenit rei, vel alicui eius parti iam in suo esse cõstitutæ: at verò Natura humana Christi Domini aduênit Naturę, & Supposito Diuino iã in suo esse constituto. Et confirmatur, quia ex hoc capite loco cit. diximus hominem prædicari adiacenter de Supposito Diuino.

35 Respondeo hominẽ prædicari adiacẽter de Supposito Verbi: nõ ita de Christo. Diuersa ratio est, quia inprimis in meâ opinione Christus solùm dicit de formali Naturam humanam, cui aduênit Vnio hypostatica ad Suppositum Verbi; vnde patet nõ Naturam humanã esse formã adiacentẽ respectu Vnionis hypostaticæ, sed potiùs Vnionẽ hypostaticã respectu Naturæ humanę: *Homo* itaque prædicatur adiacẽter de Verbo Diuino, quia respectu illius est forma adiacens, illi nimirũ aduêniẽs iã in suo esse cõstituto. Respectu Christi Dñi nõ prędicatur adiacẽter, quia, cũ Christus idẽ sit, atque Natura humana vncta oleo Diuinitatis per Vnionẽ hypostaticam ad Verbũ, & significet de formali Naturã humanã, cui aduênit vnctio Diuina, seu Vnio hypostatica, clarũ est Naturã humanã respectu illius nõ esse formã adiacentẽ, sed subsistentẽ, cui aduênit vnctio, seu Vnio hypostatica tãquã forma adiacẽs.

Quod si procedatur in opinione asserente Christum significare de formali vtrâque Naturã Diuinã, & humanã subsistẽtes in Verbo, adhuc dico hominẽ non prædicari de Christo per modũ adiacẽtis, sed per modũ subsistẽtis: quia nõ prædicatur de illo in quantũ Christus est *Deus*; sic enim solùm dicit Naturã Diuinam subsistentẽ in Supposito Verbi, sed solùm prædicatur de illo in quantũ Christus est *hic homo*, quo pacto dicit Naturã humanã, cui aduênit Vnio hypostatica, & Suppositũ Diuinũ; priùs enim in *hoc homine* fuit Natura humana, quàm eius Vnio hypostatica, & eius terminus, nimirũ Subsistentia Verbi; neque enim Natura aduênit Vnioni hypostaticæ, sed potiùs Vnio hypostatica aduênit Naturę: vnde patet Naturam nõ esse formã adiacẽtẽ respectu Vnionis hypostaticæ, sed potiùs Vnionẽ hypostaticã respectu Na-

ctu Naturę. Itaque in hâc prædicatione *Verbū Diuinū est homo*, Natura humana, & eius Vnio hypostatica sunt formæ adiacentes, quia significantur vt aduenientes Verbo, at in hâc verò prædicatione, *Christus est homo*, Natura humana non est forma adiacens, quia non significatur vt adueniens Vnioni hypostaticæ, aut Subsistentiæ Verbi, sed potiùs Vnio hypostatica, & Subsistentia Verbi significantur vt aduenientes Naturæ humanæ, illamque terminantes.

36 Replicabis: Homo non prædicatur de Christo Domino essentialiter: ergo non vt Species. Antecedens ostenditur, quia veritas huius propositionis, *Christus est homo*, fundatur ex parte subiecti in Vnione hypostaticâ, quæ est cōtingens. Respōdeo hanc prædicationē, *Christus est homo*, habere duplicē sensum: primus est, *Christus existit homo*; & in hoc sensu propositio est cōtingens, quia Christus contingenter existit: secundus sensus est, *Christus essentialiter est homo*; & sic propositio est essentialis, sicut hæc *Petrus albus est albus*. Et huius ratio est, quia hæ propositiones non supponunt existētiam Vnionis, quæ est contingens, sed eius possibilitatem. Vide quæ diximus *in Log. tr. 4. n. 290.*

§. 3.

Vtrùm Deus saltem reductiuè ponatur in Prædicamento?

37 Secunda difficultas: Vtrùm Deus saltem reductiuè ingrediatur Prędicamentum? Ex ijs, quæ diximus *in Logic. tract. 5. num. 31.* constat Deum non poni per se, ac directè in Prædicamento. Nunc videndum, Vtrùm ponatur saltem reductiuè, in eo sensu, quo pars ponitur ratione Totius, v. g. Materia ratione hominis? Pars affirmatiua traditur à nonnullis Recentioribus, & suaderi potest. Primò, quia Deus est pars Christi Domini, qui quidem, vt proximè ostendimus, est Substantia Prædicamentalis: partes autē Totius Prædicamentalis ratione illius ponuntur in eodem Prædicamento, quo Totum. Secundò, quia Deus est causa, & principium omnis Prædicamenti: ergo vt tale poterit ad illud reuocari; nam id, quod est connexum cum alio, deuoluitur cum illo.

D. Thom. P. Fons. P. Rub. P. Gil. P. Soar. P. Recupit. P. Præposit. P. Tellez.

38 Nihilominus dicendum Deum neque reductiuè collocari in Prædicamento. Ita D. Thom. 1. p. q. 3. a. 5. P. Fons. 5. *Met. c. 7. q. 9. s. 1.* P. Rub. *in Log. q. 2. de Substantia à n. 31.* P. Gil. *lib. 2. tr. 4. c. 7. n. 6.* P. Soar. *in Met. d. 30. s. 4. à n. 30.* P. Recupit. *de Deo lib. 2. q. 8.* P. Præposit. 1. *p. q. 3. a. 5. n. 7.* P. Tellez *d. 54. s. 2. n. 1.* vbi quāplures allegat. Probatur, quia ea ponuntur reductiuè in Prædicamento, quæ nōn pertinēt ad perfectionem rerum, quæ per se in illo collocantur, quo pacto se habent partes physicæ, & integrantes; item partes quasi physicæ, vt modi substantiales, qui constituunt Cōpositū: Deus autem desinit collocari in Prædicamento, non quòd non perueniat ad perfectionem rerum, quæ per se in illo collocantur, sed quòd ob suā infinitatē illas omnes excedit. Hæc Minor traditur expressè à D. Maximo *centuria 3. cap. 4.* ibi: *Solus Deus est extra Prædicamentum, & idcircò ab omni circumscriptione liber, vtpote in infinitum celsior omni Substantia, & mente, & ratione, & intelligentia, &c.* D. Max.

39 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo Deum non esse partem Christi Domini secūdùm id, ratione cuius ille ingreditur Prædicamentum: nam Christus Dominus solùm ingreditur Prædicamentum secundùm Naturam humanam, cuius pars integrans Deus non est. Dices, esse partem Naturæ in concreto, nimirum hominis. Respondeo non esse partem, sed terminum: neq; esse rationem partialem, sed conditionem.

40 Ad secundum, dico non satis esse quòd Deus sit causa, & principium omnis Prædicamenti, ad hoc vt illud ingrediatur; sin minùs etiam Substantia ingrederetur Prædicamenta Accidentium, quia est causa, & principium illorum: imò ipse Deus illa omnia ingrederetur, quia est illorum omnium causa, & principium.

§. 4.

Vtrùm Deus ingrediatur Prædicamentum per communicationem idiomatum?

41 Tertia difficultas: Vtrùm Deus per communicationē idiomatum dicatur poni in Prædicamento? Negant nonnulli Recentiores. Primò, quia Deus non potest dici creatura per communicationem Idiomatum. Secundò, quia non potest dici compositus ex duabus Naturis: aut ex Materiā, & Formā: aut ex Genere, & Differētiā. Tertiò, quia nō potest dici Caro. Quartò, quia nō potest dici, quòd nō fuerit ab æterno: ergò neque quòd ingrediatur Prædicamentum. Quintò, quia Prædicamenta inuenta sunt ad distinguendas entitates: & si Deus per communicationem idiomatum collocaretur in Prædicamento, confunderentur Ens finitum, & infinitum. Sextò, quia Deo per communicationem idiomatum non sunt attribuenda nisi ea prędicata, quæ illi attribuuntur à Theologis, &

& Sanctis Patribus ... non dicitur Deum poni in Prædicamento ... perfectiorem ...

42 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Deum poni in Prædicamento per communicationem idiomatum. Ita P. Rubius in Logic. q. 2. de Substantia num. ... P. Tellez ubi proximè num. 9. & plures Recentiores. Probatur, quia omnia, quæ dicuntur de hoc homine *Christo* sumpto in concreto, dici possunt de Deo per communicationem idiomatum, nisi aliqua specialis obstet repugnantia. Hæc regula est receptissima apud Theologos, desumitur ex Concilio Ephesino *canon.* 4. item ex Synodo 6. *act.* ... exprimitur à D. Thom. 3. *p. q.* 16. *art.* 5. Pezantio ibidem *d.* 1. *conclus.* 2. Medin. ibidem, P. Valent. *disp.* 1. *q.* 16. *puncto* 1. vnde de Deo dicitur, quòd sit natus ex Mariâ Virgine, quòd sit passus, quòd sit mortuus, quòd sepultus; quòd prædestinatus ad gloriam, & ad Filiationem Dei, quia hæc omnia dicuntur de hoc homine *Christo* sumpto in concreto: sed etiam poni in Prædicamento dicitur de hoc homine *Christo* sumpto in cócreto: Probo hanc Minoré, quia Substantiæ non ingrediuntur Prædicamentum nisi in cócreto: ergo poni in Prædicamento potest dici de Deo.

43 Dixi, *nisi obstet aliqua specialis repugnantia*; quia in aliquibus prædicatis aliqua specialis reperitur, vt videre est in prædicato *Creatura* respectu Verbi Diuini: nam aliqui hæretici dixerunt Verbum Diuinum non esse Deum, sed creaturam, factumque ex nihilo, & in tempore, licèt ante hunc mundum, qui per illum, posteà ex mandato Patris, factus est. In hanc hæresim primus lapsus est Arius, quem postea secuti sunt eius sectatores, & hac tempestate Transsylvani, quos latè referunt, & conuincunt P. Bellarmin. *tom.* 1. *Controu. ... de Christo à cap.* 4. P. Valent. 1. *p. d.* ... P. Soarez *de Incarnat. d.* 12. ... in hoc modo loquendi cum hæreticis sentire videremur, illum ablegandum ab scholis, & ore fidelium Concilia, & Sancti Patres anathematè sancierunt.

P. Rub.
P. Tellez.
Côc. Eph.
D. Thom.
Pezant.
Medin.
P. Valent.
P. Bellar.
P. Valent.
P. Soar.

§. 5.

Argumenta soluta.

44 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit Deum non posse dici creaturam per cómunicationé idiomatú: ergo neq; quòd ponatur in Prædicamento) respondent aliqui creaturá non dici de Deo, quia non dicitur de hoc homine *Christo* in concreto, sed de solâ humanitate in abstracto, quæ sola fuit creata. Sed cótrà, quia prædicata *natus*, & *mortuus* dicuntur de hoc homine *Christo* in concreto; dicitur, inquam, *hic homo natus, mortuus*: ergo etiá creatus. Occurrunt, dicendo denominationes *nati*, & *mortui* dici de hoc homine, quia sunt denominationes desumptæ à passionibus: hæ autem non solùm denominant Naturam, sed etiam Suppositum, iuxta illud Principium *actiones, & passiones sunt Suppositorum*. Sed contrà, quia etiam denominatio creaturæ, seu creati desumitur ab actione, & passione. Quare aliter respóderi debet. Dico igitur prædicatum, *Creatura*, non posse dici de Deo, quia videtur sapere errorê in Fide: & ex eodem Principio non potest dici de Verbo Diuino, quia, vt proximè obseruimus, in hoc modo dicendi est specialis repugnantia, & prohibitio rectè quidem imposita, cùm talis modus loquendi hæresim sapiat, & in illo cum Arianis iuxta superiùs dicta consentire videamur: hac autem repugnantia non vitiatur eo, quòd Deus dicatur poni in Prædicamento. Et ita sanè P. Wadingus *de Incarnat. disp.* 13. *num.* 19. Cardinalis Lugo *de Incarnat. disp.* 23. *sect.* 4. & 5. cum P. Vazquez & alijs.

P. Wad.
P. Lugo
P. Vasq.

45 Ad secundum, dico in primis Deum non posse dici compositum ex duabus Naturis, quia hoc prædicatú non dicitur de Christo in quantùm est *hic homo*, sed in quantùm *Christus* adæquatè sumptus. Dico deinde prædicatú cópositum ex Materiâ, & Formâ, & ex Genere, & Differétiâ posse sumi dupliciter: primò in concreto, prout scilicet constat Materiâ, & Formâ; itê ex Genere, & Differétiâ sumptis in cócreto cú Subsistentiâ; & in hoc sensu dicitur de hoc homine *Christo*, & cósequenter de Deo: secúndo modo potest sumi in abstracto, prout scilicet constat ex Materiâ, & Formâ, & ex Genere, & Differentiâ in abstracto sumptis sine Subsistentiâ; & tunc non potest dici de hoc homine, sed de hac humanitate; & consequenter non potest dici de Deo.

46 Ad tertium, dico similiter prædicatum *Caro* posse sumi dupliciter: primò, in abstracto; in quo sensu solùm potest affirmari de humanitate: secundò, in concreto cum Subsisté̃tiâ; & sic potest affirmari de hoc homine *Christo*, & consequenter de Verbo Diuino, ad eum modum, quo de illo affirmatur, quòd sit Corporeum, Materiatum, &c.

47 Ad quartum respondeti potest primò, illud prædicatum *non esse ab æterno* non posse dici de Verbo Diuino ob specialem repugnantiam, quæ in eo inuoluitur; nam propositio illa *Verbum Diuinum non fuit ab æterno* sapit hæresim Arianam, quam suprà retulimus, idcircò

idcircò nec per communicationem idiomatum debet dici de Verbo Diuino, ne cum hæreticis aliquo modo sentire videamur. Et hæc videtur mens D.Thom. 3 *p. q.16. a 8. ad 2.* vbi dicit hunc hominem Christum non esse dicẽdum impassibilem per communicationẽ idiomatum, ad vitandum errorem Manichæorum, qui negabant Christum Dominum habuisse verum corpus, & verè passum esse. Respondent alij secundò apud P. Wading. cit. *de Incarnat. disp.* 13. *num.* 64. non posse dici de Verbo Diuino *non esse ab æterno*, quia cùm negatio sit malignantis naturæ, omnia tollit, ac proinde non potest absolutè affirmari de subiecto, quod secundum aliquam partem habet formam negatam: Deus autem secundùm suam Naturam Diuinam fuit ab æterno. Sed contrá, quia etiam mors, seu negatio vitæ potest absolutè dici de Deo, & saltem in triduo mortis eius fuit vera hæc propositio, *Deus meus mortuus est, non viuit*: vnde quidquid sit de alijs negationibus, illæ quidem, quæ affirmantur de Deo per communicationem idiomatum, non videntur tollere formam negatam, quæ in eo est physicè.

D.Thom.

P.Wadi.

48 Ad quintum (quâtenus dicit ex collocatione Entis Diuini in Prędicamento per communicationem idiomatum sequi confusionem Entis infiniti cum Ente finito) respondeo negando sequi talem confusionem; cùm enim audimus Deum poni in Prędicamento rectè intelligimus eam prædicationem primarió competere homini, & Deo solùm secundariò per communicationem idiomatum.

49 Ad sextum, respondeo hanc prędicationem etiam á Theologis, ac Sanctis Patribus attribui Deo; non quidem explicité, sed saltem implicitè, dum illi attribuunt prędicatum *homo*, & consequenter quidquid pertinet ad tale prædicatum.

SECTIO III.

De alijs Substantijs impossibilibus, de quibus dubitari potest, dato quòd forent possibiles, Vtrùm essent Prædicamentales?

50 PRIMA difficultas, dato quód foret possibilis Substantia supernaturalis, Vtrùm foret Prædicamentalis? Videtur non fore Prædicamentalem, quia esset simpliciter infinita; siquidem posset naturaliter videre Deum, quod est proprium solius Entis simpliciter infiniti. Sanè qui sentiunt talem Substantiam fore simpliciter infinitam, tenentur illam excludere à Prędicamento, quia vna ex conditionibus requisitis, vt aliqua entitas ingrediatur Prędicamentum, est vt non sit simpliciter infinita, vt patet ex dictis *in Log. tract.* 5. *n.* 31. Sin autem talis Substantia non esset infinita, foret Prædicamentalis, & in vulgari Prædicamento Substantiæ collocaretur. Hoc etiam est euidens, & probatur, quia Qualitas supernaturalis Prædicamentalis est, & de facto spectat ad vulgare Prædicamentum Qualitatis: ergo Substantia supernaturalis Prædicamentalis foret, & spectaret ad vulgare Prædicamentum Substantiæ.

51 Secunda difficultas, dato quòd foret possibilis Substantia secundùm suam essentiam, in aliquo determinato Genere, vel Specie, infinita v. g. in Genere *Viuentis*, *Spiritus*, aut *Rationalis*, Vtrùm foret Prædicamentalis? Negat P. Tellez *d.* 54 *n.* 6. & negandũ videtur. Primò, defectu conditionis Entis *finiti*, quæ est vna ex octo ad Prædicamentum requisitis. Et ratio est, quia Genus infinitum non potest præscindere á Differentiá; sin minùs careret aliquá perfectione in tali Genere; nam Differentia est perfectio sui Generis. Secundó, quia alioquí Personæ Diuinæ, quæ non sunt infinitæ simpliciter, sed in aliquo certo Genere, essent Prædicamentales. P.Tellez.

52 Nihilominus dicendum videtur talem Substantiam fore Prædicamentalem, nec excludi á Prædicamento, nisi solam simpliciter infinitam. Et probatur, quia talis Substantia adhuc componeretur ex vulgari Genere, & Differentiá sibi peculiari infinitá, v. g. si esset infinita in Genere *Viuentis*, componeretur ex communi Gradu *Viuentis*, & ex tali Viuente infinito: si esset infinita in Genere *Rationalis*, componeretur ex communi Gradu *Rationalis*, & ex tali Rationali infinito. Itaque ex parte rationis participatæ daretur idem Genus prout abstrahit á finito, & infinito: tota infinitas haberet se ex parte Differentiæ contrahentis, quod non obstat, quominùs Genus præscindat á Differentiá, quod satis est ad rationem Vniuersalis, & Prædicamenti, licèt alioquí Differentia ratione suæ infinitatis non posset præscindere à Genere, nec illud non includere, quod non requiritur ad rationem Vniuersalis: vt videre est in homine, ad cuius Vniuersalitatem

 satis

satis est, quòd ipse præscindat à Socrate, licèt Socrates non præscindat ab illo.

53 Præterea dato, quòd esset infinita ex parte Generis, & rationis participatæ, adhuc non est necesse quòd in tali Genere includantur Differentiæ formaliter, v. g. licèt esset infinita in Genere Viuentis, non est necesse quòd formaliter includat omnes Differentias Viuentium. Probo hoc exemplo Personæ Patris, quæ est infinita in Genere Personæ, item in Genere Substantiæ, & in Genere Relationis: & tamen non includit formaliter alias duas Personas, & Relationes. Et confirmatur, quia linea infinitè extensa potest stare cum eo, quòd non includat omnes partes, sed possunt illi detrahi plures, ac plures, quin destruatur eius infinitas, vt liquet ex dictis *in Physica tract. 4. num. 166.* ergo etiam benè potest stare cum eo, quód Substantia sit infinita in Genere Viuentis, quòd non includat formaliter Differentias, nimirum *Vegetatiuum, Sensitiuum, Rationale.*

54 Dices primò: Infinitum in aliquo Genere debet includere omnem perfectionem talis Generis: Differentiæ autem sunt perfectiones sui Generis. Respondeo ad Infinitum non oportere quòd includat omnem perfectionem, sed quòd in eâ, quam includit, non possit exhauriri; aliás linea infinitè longa includeret omnes partes lineæ, quod non admittunt, etiam qui talem lineam admittunt: sic etiam Persona Patris est infinita in Genere Personæ (nihil enim finitum includit) & tamen non includit omnes perfectiones Personæ; non enim includit perfectiones Filiationis, & Spirationis passiuæ.

55 Dices secundò: Ex dictis sequitur Personam Diuinam posse esse Genus ad tres Personas; quod negauimus *in Logic. tractat. 4. num. 100.* Respondeo ex speciali titulo Personam Diuinam non posse formaliter præscindere à Differentijs, titulo scilicet *Diuinæ*; nam titulo Diuinæ est essentialiter existens in actu exercito; ergò singularis: item non potest concipi cum potentialitate virtuali ad Differentias, prout pleniùs constat ex dictis loco cit. *in Log. tract. 4. n. 103. & 104.* Ex dictis patet solutio ad fundamenta opinionis contrariæ.

56 Tertia difficultas (dato quòd possibilis foret Substantia inhærens) Vtrùm foret Prædicamentalis? Respondent communiter affirmatiuè, quia adhuc esset Substantia; deinde haberet omnes conditiones ad Prædicamentum requisitas: ergo spectaret ad vulgare Prædicamentum Substantiæ.

57 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò: Si aliqua Substantia solùm supernaturaliter inhæreret; adhuc spectaret ad vulgare Prædicamentum Substantiæ. Hæc resolutio est contra P. Tellez *disp. 54. num. 4.* vbi dicit hanc Substantiam manere incompletam defectu Subsistentiæ, ac proinde incapacē ad ingrediendum Prædicamentum. Probatur tamen, quia loco Subsistentiæ illi substitueretur inhærentia. Et confirmatur, quia Accidens, cui loco inhærentiæ confertur perseitas, adhuc manet completum: ergo idem dicendū de Substantiâ, cui loco Subsistentiæ conferretur inhærentia; nam in vtroque euentu loco vnius modi ponitur alius. P. Tellez.

58 Dico secundò: Si aliqua Substantia suâpte naturâ inhæreret, constitueret nouum Prædicamentū. Hæc resolutio etiā est contra P. Tellez proximè, qui talem Substantiam excludit ab omni Prædicamento. Probatur tamen, quia talis Substantia, neque esset adæquatè Substantia, neque adæquaté Accidens, sed tertia quædam entitas á Substantiâ adæquatâ, & ab Accidente adęquato contradiuisa, ad eum modum, quo visio, quæ simul est visio albi, & visio nigri, est tertia quędam Species á solâ visione albi, & à solâ visione nigri contradiuisa: ergo neque spectaret ad Prædicamentum Substantiæ, neque ad Prædicamentum Accidentis, sed aliud contradiuisum constitueret. P. Tellez.

59 Quarta difficultas (dato quód possibilis foret Substantia relatiua) Vtrùm esset Prædicamentalis? Respondeo affirmatiuè, quia haberet omnes conditiones requisitas ad ingrediendum Prædicamentum. Procedit resolutio in euentu, quòd talis Substantia foret completa: nam si solùm esset Subsistentia, aut modus alius incompletus, tunc clarum est nō ingredi Prædicamentum per se, sed ad summum reductiuè.

60 Dubium est, Vtrúm talis Substantia relatiua completa spectaret ad hoc vulgare Prædicamentum Substantiæ: an potiùs aliud de nouo constitueret? Videtur constituere aliud nouum diuersum. Primò, quia Accidens relatiuum, & absolutum spectant ad diuersa Prædicamenta: ergo idem dicendum de Substantiâ relatiuâ, & absolutâ. Secundò, quia in Diuinis Substantia relatiua, & absoluta spectant ad diuersa Prædicamenta, eo modo, quo res Diuinæ ad Prædicamentum spectant. Et hoc traditur à Boëtio *de Trinitat.* & á D. Augustin. similiter *de Trinitat. lib. 5. cap. 8.* quâtenus asserunt duo Prædicamenta Substantiæ, & Relationis locum habere in Deo. Boët. D. Aug.

Sed

61 Sed probabiliùs dicendum existimo talem Substantiam spectare ad hoc vulgare Prædicamentum Substantiæ. Probatur, quia talis Substantia relatiua conueniret vniuocè cum absolutâ: ergo sub eodem Genere Substantiæ collocaretur. Et confirmatur, quia ad hoc vulgare Prædicamentum spectat omnis Substantia subsistens: & talis esset illa relatiua.

62 Dices: Accidens relatiuum, & absolutum non conueniunt vniuocè: ergo neque Substantia relatiua, & absoluta. Respondeo esse diuersam rationem, quia Accidens relatiuum minùs inhæret, quàm absolutum; ac proinde est minùs Accidens, vt constat ex dictis *tract. 1. à num. 591.* at verò Substantia relatiua æquè existeret per se, ac absoluta; vnde esset æquè Substantia, ac proinde posset conuenire vniuocè cum Substantiâ absolutâ.

63 Ad primum de Accidente relatiuo, quod spectat ad diuersum Prædicamentum ab absoluto: respondeo Prædicamenta Accidentium colligi, ac constitui per diuersas denominationes, quas tribuunt Primæ Substantiæ: Prædicamentum verò Substantiæ solùm colligitur, & constituitur per modum existendi per se, vt constat ex dictis *tract. 1. num. 619.*

64 Ad secundum de Substantiâ relatiuâ, & absolutâ in Diuinis, quæ videntur spectare ad diuersa Prædicamenta: respondeo non spectare, & Boëtium, ac D. August. solùm velle in Diuinis inueniri rationem Substantiæ, & rationem Relationis, quæ in creatis spectant ad diuersa Prædicamenta.

DISPVTATIO II.

De Subsistentiâ.

PARTITA in quinque Sectiones. In primâ quæritur, Quid sit Subsistentia? In secundâ agitur de illius distinctione à Naturâ. In tertiâ, Vtrum Subsistentia sit simplex, an composita compositione physicâ, vel integrali? In quartâ, In quibus rebus inueniatur? In quintâ, Quâ necessitate illis conueniat?

SECTIO I.

Quid sit Subsistentia?

65 DIXIMVS Substantiam Prædicamentalem esse *Ens per se subsistens*, conflarique ex Substantiâ, & Subsistentiâ. De Substantiâ egimus *tract. 1. disp. 3.* vbi diuisimus Ens in Substantiam, & Accidens: & de essentiâ Substantiæ, sicut etiam de essentiâ Accidentis latè disseruimus. Superest doctrinæ ordine agendum de Subsistentiâ, quod in hâc, & sequenti Disputatione præstabimus: in vltimâ tandem de conflato, seu Concreto ex Substantiâ, & Subsistentiâ sermo erit.

66 In primis suppono nomine *Subsistentiæ* intelligi terminum, seu complementum Naturæ Substantialis, siue alioquì hoc sit positiuum, siue negatiuum; siue à parte rei, siue virtualiter tantùm distinctum à Naturâ, quod statim examinabimus. Suppono secundò, dari in rebus huiusmodi Subsistentiam: imò negari non posse sine errore in Fide, quæ docet humanitatem Christi Domini carere propriâ, & sibi connaturali Subsistentiâ, cuius loco substituitur Diuina, quæ in ipsâ humanitate altiori quodam modo præstat quidquid propria, & connaturalis præstaret, si adesset. Ratione verò ostendi potest dari in homine Subsistentiam. Primò, quia homo aliquid amplius dicit, quàm humanitas. Secundò, quia, vt definit Concilium Calcedonense *actio. 5. Verbum assumpsit humanitatem, & non hominem.* Tertiò, quia homo est concretum; humanitas verò abstractum: ergo in homine præter humanitatem Concilium Calcedon.

reperitur aliquid amplius, & hoc dicimus esse Subsistentiam. Suppono tertiò, Subsistentiam esse veluti coronam Substantiæ, & communiter definiri in scholis hoc modo: *Naturæ Substantialis terminus, & vltimum complementum.* Suppono vltimò, quòd licèt *Subsistentia, Suppositum, Persona*, & *Hypostasis* pro eodem vsurpentur, aliquo tamen discrimine dissidere: nam *Subsistentia* dicitur de omnibus Substantijs siue completis, siue incompletis: *Suppositum* non ita, sed de solis completis: *Persona*, & *Hypostasis* de solis completis intellectiuis; vnde equus dicitur Suppositum, non tamen Persona, aut Hypostasis.

§. 1.

Vtrùm Subsistentia sit aliquid positiuum, an negatiuum?

67 PRima difficultas: Vtrùm Subsistentia sit aliquid positiuum, an negatiuum? Celebris est hoc loco opinio Scoti asserentis Subsistentiam solùm addere supra Naturam negationem vnionis ad aliud Suppositum; vnde humanitas Christi, inquit Scotus, caret propriâ Subsistentiâ, quia non habet negationem Vnionis, imò habet Vnionem hypostaticam ad Verbum Diuinum. Ita docet *in 1. dist.* 23. illum sequuntur eius discipuli Bassol. Mayron. Lychetus, Aureol. Gabriel. Ocham. Marsil. & alij, quos citat, & sequi videtur P. Molin. *1. p. q 29. art. 1. d. 2. §. Est ergo.* Inclinat vehementer P. Wadingus *de Incarnat. disp. 4. dub. 2.* qui plures refert *à n. 43.*

Scotus. Bassol. Mayron. Lychet. Aureol. Gabr. Ocham. Marsil. P. Molina. P. Wadi.

68 Probatur primò, quia hæc negatio sufficit ad explicandam rationem Subsistentiæ: entia verò non sunt admittenda absque necessitate. Secundò, quia si Subsistentia esset aliquid positiuum, aut foret Substantia: aut Accidens. Non potest esse Substantia, quia hæc, vt docet Aristoteles *2. de Anima cap. 2.* aut est Materia, aut Forma, aut Compositum ex vtrâque: Subsistentia verò neque est Materia, neque Forma, neque Compositum ex vtrâque. Non Accidens, sin minùs subsistens non esset vnum per se.

Aristot.

69 Tertiò, quia si Subsistentia esset aliquid positiuum, sequerentur duo incommoda: primum, falsum esse illud celebre dictum D. Damasc. *lib. 3. de Fide cap. 6.* vbi: *Verbum Diuinum*, inquit, *assumpsit quidquid in Natura humana plantauit*; atqui non assumpsit Subsistentiam: ergo hæc non est aliquid positiuum ab eo plátatum. Secundum incommodum est, quia humanitas Christi Domini careret aliquâ perfectione sibi connaturali, ac debitâ; ac proinde esset violenta.

D. Dama.

70 Quartò: sequitur Subsistentiam Naturæ humanæ fuisse conuersam in Personam Verbi. Probo hoc, quia conuerti in Personam Verbi nihil aliud est, quàm desinere esse ad præsentiam illius, quæ substituitur eius loco. Et hoc ostendo, quia idcircò in Sanctissimo Eucharistię Sacramento Substantia panis, & vini conuertitur in corpus, & sanguinē Christi, quia hæc desinit esse ad præsentiam eorum, quæ eius loco substituuntur.

§. 2.

Concluditur Subsistentiam addere supra Naturam aliquid positiuum.

71 NIhilominus probabilior est contraria resolutio asserentiū Subsistentiam addere supra Naturam creatam aliquid positiuum. Ita D. Thom. *3. p. q. 2. art. 2.* & *q. 4 art. 4.* P. Soar. ibidem *disp. 11. sect. 4.* & *in Met. disp. 34. sect. 2. n. 10.* P. Vasq. *3. p. d. 31. c 6.* P Fons. *5. Met. c. 8. q. 6. s. 2.* P. Hurt. *in Met. d. 11. s. 3.* & *de Incarnat. d. 32. §. 1.* P. Albertin. *d. 3. de Substantia q. 1.* Eminentissimus Lugo *de Incarnat. d. 2. s. 2 n. 17.* in fine, Cursus Thomist. *in Physic. q. 7. de Subsistent. art. 1.* P. Valent. *tom. 4. disp. 1. q. 4. punct. 2.* P. Arriaga *in Met. d. 4. n. 4.* P. Ouiedo *in Met. controuers. 6. punct. 2. n. 16.* P. Tellez *disp. 55. sect 1. n. 5.* vbi alios refert, P. Bellarm. *lib. 3. de Christo cap. 8.* P. Theoph. Raynaud, *in sua Theologia naturali dist. 3. q. 56.* P. Valent. *3. p. d. 1. q. 4. puncto 2.* P. Marrinon *d. 26. de Trinit. num. 2.* P. Compton. *in Metaph. d. 8. s. 3. num. 3.*

D. Thom. P. Soar. P. Vasq. P. Fonsec. P. Hurt. P. Albertin. P. Lugo. Cursus Thomist. P. Valent. P. Arriaga. P. Ouiedo. P. Tellez. P. Bellar. P. Theoph. Raynaud. P. Valent. P. Martin. P. Compt.

72 Probatur in primis auctoritate: quia in contrariâ sententiâ non potest benè explicari Concilium Chalcedonense *actione 1.* quâtenus dicit Verbum Diuinum assumpsisse humanitatem, & non hominem; nam idem esset, ac dicere Verbum Diuinum assumpsisse Naturam humanam, non verò negationem vnionis ad aliud Suppositum: videtur autem ridiculū occupari Concilium definiendo Verbum Diuinum non assumpsisse negationem Vnionis hypostaticæ, quæ sanè negatio assumptibilis non est, nec eius assumptio venit in mentem alicui hæretico.

Concil. Chalcedon.

73 Probatur secundò ratione: quia Subsistentiæ Diuinæ addunt supra Naturam aliquid positiuum: ergo idem dicendum de Subsistentiâ creatâ; nam hæc est participatio Diuinæ. Antecedens probatur ex Concilio Florentino *sess. 16.* & Toletano *11. in confessione Fidei*, quâtenus dicunt Personas Diuinas constitui Relationibus. Item traditur à D. Athanasio,

Concil. Florent. Toletan. D. Athan.

D. Diony. D. Nazianz. D. Basil. D. Fulg. D. Aug. D. Ansel. Boët. Magist. D. Thom. P. Granad. P. Vasq. P. Arrub. Concilium Ephes.

sius D. Dionys. D. Nazianz. D. Basil. D. Fulg. D. August. D. Anselm. Boëtius, Magist. D. Thom. & alijs, quos citat P. Granad. 1. p. tr. 3. d. 1. P. Vasq. ibidem d. 114. cap. 1. P. Arrub. d. 99. cap. 1. & ab alijs Theologis communiter. Et confirmatur, quia Natura humana fuit assumpta ad Subsistentiam Verbi, vt definitur in Concilio Ephesino canone 2. non autem fuit assumpta ad negationem. Præterea, quia aliquid Pater Æternus supra id, quod addit supra Naturam, esset aliquid negatiuum.

74 Neque ditas, non benè probari Subsistentiam creatam esse positiuam ex eo, quòd Diuinæ positiuæ sint: sicut non rectè probaretur Subsistentiam creatam esse relatiuam, aut virtualiter distinctam, ex eo, quòd Diuinæ tales sint. Non, inquam, hoc dicis, quia ex eo, quòd creaturę participent suum esse ab esse Diuino, non sequitur quòd illud imitentur quoad omnia; alioqui quemadmodum Deus est Ens supernaturale, simplicissimum, & infinitum, etiam creaturæ tales forent; sed tamen sequitur, quòd imitentur Deum quoad aliquam rationem Entis realis, hoc est, quòd sicut Deus est Ens reale, ita sint & illæ.

75 Probatur tertiò, quia in contrariâ opinione non potest intelligi quomodò Natura humana dependeat à Verbo in ratione termini, cùm nihil positiuum, & necessarium ad existendum illi detur, sed sola negatio Vnionis hypostaticæ. Quartò, quia sequitur quòd Natura Socratis sit tam completa Substantia, ac ipse Socrates, cùm hic supra illam nihil addat substantiale, aut positiuum. Quintò, quia Subsistentia est perfectio; alioqui Natura humana Christi Domini nullâ careret propriâ perfectione: at verò negatio non est propriè perfectio. Sextò, quia Subsistentia est naturale complementum Substantiæ: huiusmodi verò complementum spectat ad idem Prædicamentum, quo res completa.

§. 3.

Argumenta soluta.

76 AD primum fundamentum opinionis contrarię (quâtenus dicit sufficere negationem: & non esse multiplicanda entia absque necessitate.) respondeo solam negationem non esse sufficientem ad explicandam rationem Subsistentiæ, vt patet ex fundamentis nostræ resolutionis, quę quidem videntur rem conficere.

77 Ad secundum (quâtenus asserit Subsistentiam neque esse Substantiam, neque Accidens) respondeo esse Substantiam: Aristoteles autem *de Anima cap. 2.* solùm locutus est de Substantiâ, prout hæc coincidit cū Naturâ; Natura enim aut est Materia, aut Forma, aut Compositum ex vtrâque: non locutus est de Substātiâ sumptâ in totâ suâ latitudine; ideò nō fecit mentionē de vnionibus substātialibus, de actionibus similiter substantialibus, de Subsistentijs; imò neque de Angelis, qui neque sunt Formæ, neque Materia, neque ex vtrâque componuntur: solùm igitur mentionem fecit de Naturâ physicâ, quę scilicet à Physicis cōsideratur. Aristot.

78 Ad tertium, nego ex eo, quòd Subsistentia sit aliquid positiuum, sequi illa duo incommoda. Non primum, nimirum falsum esse illud D. Damasceni asserentis: *Verbum Diuinum assumpsisse quidquid in Naturâ humanâ plantatum.* Nam D. Damascenus solùm voluit Verbum Diuinum assumpsisse quidquid erat assumptibile in Naturâ humanâ: aut potiùs solùm voluit assumpsisse quidquid ad veritatem, & constitutionem Naturę humanę spectat: nō verò quidquid spectat ad constitutionem Personę creatę; hoc enim, siue positiuum sit, siue negatiuum, non erat assumptibile. Dices: Ergo in Personâ humanâ aliquid manet non sanatum, hoc est, non redemptum; quia Verbum Diuinum solùm curauit quod assumpsit. Respondeo totam Naturam fuisse sanatam: atque huiusmodi autem modum sequi Naturam, quia *Accessorium sequitur naturam sui principalis Reg. Accessorium de reg. iuris lib. 6. l. Etiam C. de iure dotium.* D. Damasc.

79 Quod attinet ad secundum incommodum de violentiâ, plures cum Lycheto *in 3. dist. 1. q. 1. num. 4.* (quibus è Recentioribus subscribunt P. Theophilus Raynaudus *in sua Morali disciplina dist. 2. q. 1. a. 2. n. 15.* & P. Tellez *d. 57. s. 4. n. 20.*) admittunt humanitatem Christi Domini sub Subsistentiâ Verbi esse violentam (licèt hanc violentiam P. Theophilus dicat esse humanitati gratam, ac optabilē) Est tamen, inquiunt, violenta, quia habet inclinationem ad propriam Subsistentiam; hæc enim inclinatio non distinguitur ab ipsâ humanitate. Lychetus. P. Raynaud. P. Tellez.

Sed meliùs dicendum non esse violentam, quia licèt humanitas Christi Domini careat propriâ Subsistentiâ (quę quidem negari non potest esse aliqua Naturę perfectio) hæc tamē suppletur per Subsistentiam longè præstantiorem, quæ nobiliori modo continet eius effectum formalem: quando autem aliqua perfectio suppletur in eodem genere ab aliâ perfectiori, Natura carens tali propriâ perfectione non dicitur violenta. Ita P. Soar. *de Incarn. disp. 8. sect. 3.* P. Ragusa *de Incarnat. disp. 58.* P. Vasq. P. Soarez. P. Ragusa.

P. Vasq. P. Compton. Vasq. de Incarn. d. 34. cap. 4. P. Compton. cit. §. 3. n. 8. Neque obstat, quód humanitas Christi Domini habeat appetitum desiderij, & inclinationem ad propriam Subsistentiam: nam ita habet appetitum ad illam, vt magis gaudeat, & complaceat in Subsistentiâ Verbi.

Dices: Intellectus Beatus carens Scientiâ naturali esset violentus, licèt talis Scientia naturalis suppleretur longé præstantiori, nimirum Scientiâ Beatâ: ergo licèt Subsistentia propria suppleatur Diuinâ, humanitas carens propriâ erit violenta. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia Scientia Beata naturaliter non excludit naturalem; vnde intellectus priuatus Scientiâ naturali maneret violentus: at verò Subsistentia aliena excludit propriam: altera ergo earum habenda est Naturæ: & Natura potiùs complacet in Diuinâ, quàm in Creatâ.

Instabis: Natura humana, si loco propriæ Subsistentiæ haberet Angelicam, maneret violenta; & tamen Angelica est nobilior: ergo etiam cum Subsistentiâ Diuinâ manet violenta. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia Subsistentia Angelica nō est proportionata Naturæ humanæ: Diuina verò maximé; continet enim humanam perfectiori modo, est enim infinita. Dici etiam potest, & fortasse meliùs, Naturam humanam terminatam per Subsistentiam Angelicam nō esse violentam.

80 Ad quartum (quatenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ Subsistentiam Naturæ humanæ in mysterio Incarnationis fuisse conuersam in Personam Verbi, ad eum modum, quo Substantia panis, & Substantia vini in mysterio Eucharistiæ conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi) respondeo negando Sequelam. Diuersa ratio est, quia, vt ex D. August. D. Cyrillo, & alijs cum Patribus Conimbricens. 1. de Generat. cap. 4. q. 11. a. 1. P. Albertin. in Prædicamento Substantiæ d. 3. docuimus tract. de Gener. n. 40. ad veram conuersionem inter alias conditiones requiruntur duæ: prima, *vt id, quod conuertitur, priùs extiterit*: secunda, *vt eius terminus, in quem fit conuersio, accipiat aliquam mutationem intrinsecam.* Et ita se res habet in mysterio Eucharistiæ; nam panis, & vinum priùs existunt, quàm conuertantur: deinde eorum termini, scilicet corpus, & sanguis Christi accipiunt aliquam mutationem intrinsecam, nimirum Vbi, & præsentiam sacramentalem. Aliter se res habet in mysterio Incarnationis; nam neque Subsistentia Naturæ humanæ priùs extitit, quàm ipsa Natura assumeretur: neque Verbum Diuinum per Vnionem hypostaticam aliquam subijt mutationem intrinsecam, sed solùm extrinsecam, & in ratione puri termini.

(Margin: D. Aug. D. Cyrill. Patres Conimbr. P. Alberti.)

§. 4.

Quidnam sit illud positiuum, in quo formalis ratio Subsistentiæ consistit?

81 SEcunda difficultas: Quidnam sit illud positiuum, in quo formalis ratio Subsistentiæ collocatur? Hîc in re plures sunt opiniones. Prima asserit Subsistentiam creatam in suâ entitate esse Accidens. Ita Heruæus, Iauellus, & alij. Probari potest, primó, quia Subsistentia potest abesse, & adesse absque Naturæ corruptione, vt patet in humanitate Christi. Secundò, quia aduenit Naturæ iam in suo esse constitutæ. Hæc tamen sententia reijcitur á P. Soar. in Met. d. 34. §. 3. n. 5. P. Hurtad. in Met. d. 11. §. 39. & ab alijs communiter. Primó, quia Subsistentia non inhæret, imó est ratio existendi per se vltimò, & completè. Secundó, quia Concil. Lateranense sub Martino I. can. 5. & 9. & Sexta Synodus Generalis act. 4. definiunt humanitatem Christi Domini fuisse assumptam cum omnibus Accidentibus sibi connaturalibus: & tamen fuit assumpta absque Subsistentiâ. Tertió, quia Verbum Diuinum, cùm sit Substantia, non potest se ipso supplere effectum formalem Accidentis: supplet verò effectum formalem Subsistentiæ creatæ.

(Margin: Heruæus. Iauellus. P. Soar. P. Hurt. Concil. Lateran. Synod. VI.)

82 Nonnulli his rationibus conuicti fatentur quidem Subsistentiam in suâ entitate non esse Accidens; dicunt tamen esse ipsam Accidentium affectionem: hic est eorum modus loquendi: & iuxta illum, *subsistere*, nihil aliud est, quàm substare seu supponi Accidentibus. Non dum placent. Primó, quia Aristotel. cap. 2. de Substantia distinguit *substans*, & *subsistens*. Secundó, quia humanitas Christi Domini est affecta suis Accidentibus: & tamen caret propriâ Subsistentiâ. Tertiò, quia Natura aliter, atque aliter Accidentibus afficitur: & tamen eius Subsistentia immota perseuerat. Quartò, quia hæc affectio etiam est Accidens; aut enim est vnio ipsorum Accidentium ad subiectum; aut eorum effectus formales: vtrunque autem est Accidens.

(Margin: Aristot.)

83 Neque fundamenta opinionis contrariæ sunt alicuius momenti. Ad primum, respondeo ex eo, quòd Subsistentia possit abesse, & adesse absque Naturæ corruptione, non sequi esse Accidens; nam etiam Anima potest abesse, & adesse Materiæ absque eius corruptione, & tamen non est Accidens. Illud solùm

solùm est Accidens, quod potest abesse, & adesse absque subiecti inhæsionis corruptione: Subsistentia autem non habet subiectum inhæsionis; siquidem facit vnum per se cum Naturâ. Ad secundum, dico Subsistentiam nõ aduenire Naturæ in suo esse perfecto, & vltimato constitutæ.

84 Secunda sententia docet Subsistentiam nihil aliud esse, quàm ipsam differentiam indiuiduantem. Probatur ex D. Basil. *in Epistol. ad Greg. de differentia Naturæ & hypostasis*, & ex D. Damasc. *lib. 3. de Fid. cap. 4* & 6. quâtenus dicunt Suppositum includere singulares proprietates, quas non includit Natura. Reijcitur hæc sententia à P. Soar. citat. *n.* 2. & ab alijs communiter. Primò, quia humanitas Christi Domini habet suam differentiam indiuiduantem; non tamen propriam Subsistentiam. Secundò, quia ita se habet Subsistentia ad Substantiam, ac inhærentia ad Accidens; atqui hæc non est differentia Accidentis: ergo neque illa erit differentia Substantiæ.

D. Basil.
D. Dama.
P. Soar.

85 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondetur nomen *Suppositum* sumi posse dupliciter: primò, pro primâ Substantiâ singulari completâ, prout distinguitur à communi: secundò, pro Subsistentiâ completâ, quæ est proprietas Naturæ. D. Basilius, & D. Damascenus locis citatis loquuntur de Supposito sumpto in primo sensu: nostra verò quæstio procedit de Supposito sumpto in secundo.

86 Tertia sententia tenet Subsistentiam nihil aliud esse, quàm ipsam Substantiæ existentiam per se completam. Ita Palatius, Medin. Zumel, & alij Thomistæ; quibus videtur subscribere P. Molin. 1. *p. q* 3. *art. 4. disp.* 2. *§. Sententia hæc*, & *q. 29. a. 2. d. 1.* Reijcitur tamen. Primò, quia humanitas Christi Domini fuit assumpta cum suâ existentiâ per se: & tamen non fuit assumpta cum suâ Subsistentiâ. Secundò, quia existentia, & Subsistentia habent effectus formales diuersos: nam existentia ponit Substantiam extra causas; Subsistentia verò illam vltimò terminat, & reddit incommunicabilem alteri Supposito sumpto in ratione Suppositi.

Palatius
Medina
Zumel
P. Molin.

87 Quarta sententia est Caiet. 3. *p. q.* 4. *a.* 2. & Ferra. 4. *contra Gentes c.* 43. distinguentium realiter *Naturam, subsistentiam*, & *Existentiam*, Subsistentiam dicunt esse mediam inter vtrãque, & eius munus esse præparare Naturam in ratione subiecti ad recipiendam existentiã, & alias proprietates. Reijcitur tamen hæc sententia à P. Soar. cit. *n.* 20. & ab alijs communiter. Primò, quia Natura per se ipsam, & non per aliud superadditum est capax, & susceptiua suæ existentiæ. Secundò, quia in hâc

Caietan.
Ferrar.

opinione prior est Subsistentia, quàm Existẽtia; & iuxta illam dicendum est priùs Naturam humanam fuisse assumptam, quàm extiterit. Probo hoc, quia fuit priùs assumpta, quàm subsisteriterit: videtur autem inintelligibile posse fieri Vnionem realem, qualis est hypostatica, ad Naturam nondum productam, nec existentem: quomodò enim potest intelligi Natura iam assumpta, & nondum producta?

§. 5.

Recens opinio cuiusdam Magistri.

88 QVinta sententia esse potest aliquorum asserentium Subsistentiam nihil aliud esse, quàm actionem, quâ Substantia producitur incommunicabiliter, seu independenter ab alio Supposito in ratione termini. Ita nonnulli Recẽtiores, quos citat non tamen sequitur Eminẽtissimus Lugo *de Incarnat. d. 12. s. 2. à n. 14.* quibus subscribit quidam Magister optimæ notæ, qui pro hâc sententiâ viriliter contendit, & illam probat. Primò, quia hæc actio sufficit ad explicandam veram rationem Subsistentiæ, & superflua est omnis alia entitas. Secundò, quia Subsistentiæ Diuinæ simul sunt productiones, & Subsistentiæ. Tertiò, quia eadem met entitas actionis, quæ quâtenus est dependentia ab Agente constituit actionem, quâtenus est dependentia à subiecto constituit passionem: ergo quâtenus est independentia ab vlteriori termino constituet Subsistentiam.

P. Lugo

89 Nihilominus hæc opinio mihi placere non potest, quia videtur esse contra omnes Theologos, quorum illud Proloquium est desumptum à Sanctis Patribus, & Concilijs, *Subsistentia Verbi in Natura humana supplet propriam Subsistentiam creatam.* In hâc autem opinione, & modo dicendi, Subsistentia creata non suppletur per Subsistentiam Verbi, sed potiùs per illam actionem, quâ Natura humana produceretur dependenter á Verbo; nam vna actio nõ nisi per aliam suppletur.

Secundò, quia humanitas Christi Domini priùs Naturâ fuit existens, quàm assumpta ad Subsistentiam Verbi. Itaque in eo priori iam intelligebatur producta per actionem, & nondum subsistens: ergo Subsistentia non consistit in tali actione. Dices, consistere in independentiâ ab vlteriori termino, quæ superuenit tali actioni. Sed contrà, quia talis independentia poterat aduenire, vel non aduenire perseuerante eâdem actione: ergo distinguitur ab illâ ex naturâ rei. Tertiò, quia si actio

produ-

productiua Substantiæ est identicè Substantia, illa actio productiua humanitatis Christi Domini esset supernaturalis, & diuersæ speciei; siquidem physicè, & à parte rei non esset id, quod aliæ actiones productiuæ humanitatum sunt, ac suâpte naturâ esse postulant.

Quartò, quia perseitas Substantiæ est aliquid distinctum ab actione, quâ ipsa Substantia producitur independenter à subiecto inhæsionis, vt latè ostendimus *tract. 1. à n.378.* similiter independentia Angeli, Animæ Rationalis, & Materiæ primæ à subiecto eductionis est aliquid distinctum ab actione, quâ ipse Angelus, Anima Rationalis, & Materia prima producuntur independentes à tali subiecto eductionis, vt constat ex eodem *tract. 1. n.379.* ergo etiam Subsistentia erit aliquid distinctũ ab actione, quâ Substantia producitur independenter ab aliquo Supposito.

Quintò, quia non potest intelligi quomodò actio illa sit dependentia Naturæ à Subsistentiâ Verbi: in communi opinione optimè intelligitur quomodò Natura humana depẽdeat à Subsistentiâ Verbi; dependet enim ab illâ, vt à suâ Subsistentiâ propriâ, quâ denudata periret, nisi eius loco Subsistentia Verbi substitueretur. Sextò, & à priori, quia Subsistentia est essentialiter terminus, vt patet ex eius definitione: ergo debet habere se ex parte Naturæ, quæ est terminus actionis, & non ex parte actionis, quæ est essentialiter via.

90 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ respondetur, illam actionem nõ sufficere ad explicãdam veram rationem Subsistentię, vt patet ex dictis. Ad secundum, dicò Subsistentias Diuinas simul à parte rei esse Subsistentias, & productiones; verùm hæ duæ formalitates virtualiter distinguuntur, vt cum D. Thom. & communi Theologorum docent P. Soar. *6. de Trinit. c. 1. n 2* & P. Vasq. *1. p. d. 158 c. 4.* inde tamen non valet argumẽtatio ad creata; sicut etiam non valet: Subsistentia Diuina est relatiua, & idem à parte rei cum Existentiâ: ergo idem dicendum de Subsistentiâ creatâ. Imò retorqueri potest argumentum: nam ea, quæ in Diuinis distinguuntur virtualiter solent distingui in creatis ex naturâ rei; sed in Diuinis Subsistentia, & productio distinguuntur virtualiter: ergo hæc duo in creatis distinguuntur ex naturâ rei. Adde, quòd in Diuinis productio actiua, quæ respondet actioni creatæ, distinguitur realiter à Subsistentiâ productâ, quæ respondet Subsistentiæ creatę: ergo etiam in creatis actio, & Subsistentia distinguuntur ex naturâ rei.

D. Thom. P. Soares P. Vasq.

91 Ad tertium, concedo eandem entitatem actionis posse esse dependentiam à subiecto, & constituere passionem: & nego posse esse independentiam formalem ab alio Supposito in ratione termini, & constituere Subsistentiam. Diuersa ratio est, quia Subsistentia, vt suprà notauimus, est essentialiter terminus, ac proinde debet habere se ex parte Naturæ, quæ est terminus actionis: & non ex parte actionis, cùm hęc sit essentialiter via. Et hinc est quòd existentia, & perseitas Substantiæ, item independentia Angeli, Animæ Rationalis, & Materiæ primæ à subiecto eductionis non possit coincidere cum actione; habent enim hæc se ex parte termini, in quo essentialiter includuntur; ac proinde debent subire eandem distinctionem ab actione, quã sortitur ipse terminus, seu Natura. Eadem entitas actionis potest esse simul passio, quia hæ duæ formalitates cùm sint essentialiter vię, seu causalitates, quibus mediantibus aliquid fit, aut recipitur, possunt coincidere.

§. 6.

Vera sententia.

92 SExta igitur communis, & vera sententia docet Subsistentiam esse aliquid positiuum substantiale distinctum à Naturâ, quo illa vltimò terminatur, & completur in ratione existendi: vnde definitur Subsistentia est *Natura substantialis terminus, & vltimum complementum.* Ita P. Soar. *in Met. d. 34. s. 4. n. 24.* P. Vasq. *tom. 1. in 3. p. d. 31. cap. 6.* P. Fonsec. *5. Met. cap. 8. q. 6. s. 2.* P. Hurt. *in Met. d. 11. s. 3.* P. Albertin. *q. 1. de Substantia num. 13.* & alij communiter. Hæc resolutio non aliter meliùs probari potest, quàm per exclusionem aliarum opinionum: nam in primis Subsistentia, vt ostendimus contra Scotum, est aliquid positiuum: deinde, vt ostendimus contra Heruæum, est aliquid substantiale. Prætereà ostendimus esse aliquid distinctum à Differentiâ indiuiduante: item ab existentiâ, & ab actione: non apparet aliud commodius, in quo Subsistentia collocetur: ergo consistit in aliquo substantiali distincto à Naturâ, quo illa vltimò terminatur, & completur in ratione existendi.

P. Soar. P. Vasq. P. Fonse. P. Hurt. P. Albertin.

SECTIO II.

De distinctione Subsistentiæ à Naturâ.

93 HActenus de entitate Subsistentiæ. Videndum superest, Quo pacto à Naturâ distin-

distinguatur, quâ in re plures, & grauissimæ sunt difficultates, quibus omnibus quâ potero diligentiâ, & breuitate suo ordine satisfaciã.

§. I.

Vtrùm Subsistentia distinguatur á Naturâ à parte rei?

94 PRima difficultas: Vtrùm Subsistentia distinguatur à Naturâ á parte rei? Distingui solùm virtualiter sentire videntur omnes illi, qui dicunt mysterium Incarnationis posse intelligi, & defendi cum solâ distinctione rationis inter Naturam, & Subsistentiam: nam eâ distinctione inter Naturã & Subsistentiam debemus esse contenti, quæ sufficit ad intelligentiam huius mysterij; non enim apparet alia necessitas distinctionis; & non sunt distinguendæ entitates absque necessitate. Quòd autem mysterium Incarnationis possit intelligi, & defendi cum solâ distinctione rationis inter Naturam, & Subsistentiam sentiunt ex Scholasticis Victor. & Sotus, quos citant, & sequuntur Bañes 1. *p. art.* 3. *disp.* 1. Medin. 3. *p q.* 2. *art.* 2. Petrus Ledesm. 1. *p. q.* 4. & alij 38. Doctores, quos citat, & sequitur P. Wadingus *de Incarnat. d.* 4. *dub.* 2. §. 6. *num* 47. qui expresse defendit Subsistentiam solùm virtualiter distingui à Naturâ. Consentiunt Lælius *de Incarnat. cap.* 2. Caruajalus 1. *sententiarum cap.* 50. P. Salmeron *tom.* 2. *tract.* 27. vbi: *Re vera*, inquit, *sola ratione distinguitur Natura, & Suppositum*, P. Granado *tom.* 3. *in* 3. *p. tract* 4 *d.* 3. vbi dicit Subsistentiam esse modum realem, distinctum saltem ratione, P. Martinon *d.* 36. *de Angelis num.* 28. vbi citat Hẽricum, Richardum, Bassol. Mayron. Durand. Typhanum, Caietan. & alios plures, quibus multis cum Patribus Græcis accedit P. Petauius *tom.* 2. *Dogmatum Theologicorum.*

Victor. Sotus Bañes Medin. Ledesm. P. Wadi. Lelius Caruajal. P. Salmer. P. Grana. P. Martin. Henricus Richard. Bassol. Mayron. Durand. Typhanus Caietan. P. Petaui. Aristot.

95 Probatur primò ex Aristotel. 7. *Met. c.* 6. & 11. ibi: *Quidquid est*, inquit, *est idem cum eo, cuius est.* Quæ verba videntur facere hunc sensũ. Quidquid est, nimirum Natura, est idem cum eo, cuius est, hoc est, non distinguitur à parte rei á Supposito, cuius est.

D. Thom.

96 Probatur secundò ex D. Thom. *q.* 9. *de Potentia art.* 1. vbi loquens de Subsistentiâ Angelicâ dicit eam solùm virtualiter distingui á Naturâ. *In Substantijs*, inquit, *immaterialibus Suppositum cum Essentia est omninò idem secundùm rem, sed differunt ratione.* Idem repetit 1. *p. q.* 3. *art.* 3. eadem autem videtur ratio de Subsistentiâ Angelicâ, ac de ceteris Subsistentijs creatis. Eandem sententiam videtur expressisse in 3. *dist.* 6. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 5. ibi: *Hoc, quod facit coniunctum ex Anima, & Corpore esse hominem, non est præter Animam, & Corpus, & Vnionem aliquid positiuè: sed ex hoc ipso, quòd compositum ex Anima, & Corpore non adiungitur alteri subsistenti in Natura composita, sequitur quòd coniunctum sit homo. Vnde si Christus humanam Naturam, quam assumpsit, demitteret, ex hoc ipso esset homo illud coniunctum.* Idem videtur exprimere 1. *contra Gentes cap.* 25. ibi: *Esse per se in Subsistentia non videtur importare nisi negationem tantùm; dicitur enim Ens per se ex hoc, quòd non est in alio, quod est pura negatio.* Ex quibus verbis constare videtur Sanctum Doctorem sentire Subsistentiam nihil aliud esse, quàm Naturã connotantem negationem Vnionis hypostaticæ, & addere supra Naturã solam ipsam cõnotationẽ.

97 Probatur tertiò, quia Natura est apta per se subsistere: ergo per se subsistit, & non per aliquid distinctum ex naturâ rei; alioquí non per se, sed per aliquid distinctum ex naturâ rei subsisteret. Quartò, quia Persona definitur á Boëtio: *Rationalis Naturæ indiuidua Substantia*: at verò Natura se ipsâ á parte rei absque alio superaddito est indiuidua. Quintò, & efficaciter, quia non sunt multiplicanda Entia absque necessitate: nulla autem apparet necessitas admittendi Subsistentiam à parte rei distinctam á Naturâ.

98 Dices primò, dari maximam necessitatem ad intelligendum mysterium Incarnationis: nam si Subsistentia non distinguitur á Naturâ á parte rei, videtur sequi hæresis Nestorij, & Eutychetis, qui asserebant dari in Christo Domino propriam Subsistentiam. Videtur, inquam, sequi, quia quando duo sunt á parte rei indistincta, vnum non potest separari ab alio; atquí in Christo Domino datur Natura humana: ergo etiam eius propria Subsistentia. Respondent mysterium Incarnationis optimè posse saluari cum solâ distinctione rationis inter Naturam, & Subsistentiam. Ea, quæ virtualiter distinguuntur, possunt separari, si alterum eorum consistat in connotatione alicuius separabilis: sic relatio per distinctionẽ sui termini potest separari á suo fũdamẽto, á quo in cõmuni opinione solũ virtualiter distinguitur: sic Subsistẽtia poterit separari á Naturâ per destructionẽ negationis subsistendi in alio, quam connotat.

99 Dices secundò: Si Subsistẽtia nõ distinguitur á Naturâ á parte rei, sequitur fuisse assũptã á Verbo Diuino. Probo hoc, quia fuit assũpta Natura: quidquid autem conuenit vni, etiã conuenit alteri ab eo indistincto. Respondent argumentum supponere falsum, quòd adueniente Vnione hypostaticâ, adhuc perseueret Subsistentia creata. Et ratio est, quia per aduentũ

Vnionis hypostaticæ tollitur negatio illius, in cuius connotatione consistit Subsistentia.

100 Dices tertiò: Si Subsistentia non distinguitur à Naturâ à parte rei perperam dicitur à Concilijs extingui, & consumi per Subsistentiam Verbi; nã sola negatio, aut connotatio illius non dicitur extingui, vel consumi. Respõdēt negationes etiam dici extingui, iuxta illud *Eleemosina extinguit peccatum*; peccatum enim est quędam negatio rectitudinis debitæ.

101 Dices quartò: Si Subsistentia cõsisteret in negatione Vnionis hypostaticæ, aut in cõnotatione illius ridicula redderētur Decreta Sanctorum Patrum, & Conciliorũ asserentiũ in humanitate Christi Domini non dari propriam Subsistentiam, hoc est, negationem Vnionis hypostaticæ. Ridicula, inquam, reddenentur, quia satis erat definire dari in humanitate Christi Vnionem hypostaticam: illud alterũ, scilicet non dari propriã Subsistentiam (si hæc consistit in negatione Vnionis, aut in cõnotatione illius) est ridiculum; clarum enim est non posse simul dari negationem, & formam negatam. Respondent Nestorium, & Eutychetem per summam impudentiam dixisse Naturam humanam non fuisse vnitam Verbo per Vnionem propriam, sed solùm per Vnionem affectiuam, hoc est, per solùm affectum Voluntatis, qui quidem cum negatione Vnionis propriæ stare poterat. Ad hunc igitur errorem extirpandum coactum fuit Concilium Toletanum 11. in quo, vt D. Cyrillus testatur *in Apologia contra Theodorum*, definita fuere duo: primùm, inter Naturam humanam, & Verbum Diuinum dari Vnionem hypostaticam: secundum, hanc Vnionem esse propriã, ac veram; ac proinde Subsistentiam creatam (cum hæc cõsistat in connotatione negationis talis Vnionis) extinxisse.

Concil. Toletan.
D. Cyrill.

102 Hâctenus P. Wadingus citatus. Et certè hæc eius opinio est hodie valdè celebris in Scholis. Illam sequuntur grauissimi Recentiores in suis manuscriptis, alij vt probabiliorem; alij saltem vt probabilem.

§. 2.

Concluditur Subsistentiam distingui á Naturâ distinctione á parte rei.

Ferrar.
Zumel
Nauarre.
Gabr.
P. Soar.
P. Vasq.
P. Fonsec.
P. Valent.
Patres Conimbr.
P. Rub.
P. Lugo
P. amicus

103 Nihilominus tutior, & quidem vera est, contraria resolutio asserentium Subsistentiam creatam distingui á Naturâ distinctione á parte rei. Ita Ferrar. Zumel, Nauarrete, Gabr. P. Soares varijs in locis, P. Vasq. P. Fons. P. Valent. Patres Conimbr. P. Rub. Cardinalis Lugo, P. Franc. Amicus, P. Petr. Hurt. & P. Gasp. Hurt. P. Tanner. P. Rag. P. Theoph. Rayn. Lorca, & alij, quorũ loca pauló inferiùs referemus, quâtenus dicunt Subsistentiam distingui à Naturâ realiter, aut saltē modaliter. Certè Lorca *de Incarnat. d.* 28. *memb.* 1. *n.* 3. dicit contrariam sententiam, quæ tantúm admittit distinctionē virtualem inter Naturã, & Subsistentiã esse temerariam: & P. Soar. *in Met. d.* 34. *s.* 2. *n.* 5 dicit contrariã sententiam, licèt non possit solâ ratione naturali cõuinci, supposito tamen Incarnationis mysterio, nullo modo posse defendi: sententiam sequuntur P. Arriag. *in Met. d.* 4. *n.* 96. P. Tellez *d.* 55. *s.* 1. *n.* 13. cũ pluribus, P. Ouiedo *in Met. controuers.* 6. *punct.* 2. *n.* 6. vbi dicit contrariam sententiam esse intolerabilem. Eandem sententiam nouissimé sequitur P. Thomas Comptonus Carleton *in Met. d.* 8. *s.* 3. *n.* 9.

P. Petrus Hurt.
P. Gaspar Hurt.
P. Tanner.
P. Ragusa
P. Rayna.
Lorca
P. Arriaga
P. Tellez
P. Ouiedo
P. Compt.

104 Probari potest in primis auctoritate. Quia Sancti Patres frequenter docēt idcircò hæreticos errasse in mysterio Incarnationis, quia inter Naturã, & Personã non distinxerũt. Ita Vigilius Papa *l.* 2. *cõtra Eutychetem* propè medium. Expressiùs D. Damascen. *l.* 3. *de Fide cap.* 3. D. Euseb. *l.* 10. *historiæ c.* 29. Et grauiter D. Epiphanius *in* 7. *Synodo action.* 6. ibi: *Ideò hæretici errant, quia nihil aliud agunt, quàm, vt ostendant Naturam, & Hypostasim idem esse, quæ sanè inter se differre veri Ecclesiæ Catholicæ alumni cognôscunt.* Ex quibus verbis sequitur hanc propositionem, *Humanitas est homo* (quam Duran. & alij contrariæ sententiæ defensores in sensu identico admittunt, & admittere tenentur) esse falsã, hæresis sapientem, & fautricē. Et cõfirmatur primò, quia Sancti Patres docent propriũ Dei esse, vt sit essentialiter subsistens á parte rei: & quòd eâ de causâ *Deus, & Deitas* solùm virtualiter distinguantur; ac proinde dicunt verã esse hãc propositionē in sensu identico, *Deus est Deitas, Deitas est Deus*, vt cum Magistro *in* 1. *dist.* 8. & D. Thom. 1. *p. q.* 3. *art.* 3. & 4. docet communis sententia Theologorum, & significat D. Leo Papa *epistol.* 93. *cap.* 5. D. Augustin. *l.* 11. *de Ciuitat. Dei cap.* 10. & 15. *de Trinitat. cap.* 17. D. Anselm. *in Monologio cap.* 15. & 16. D. Bernard. *sermon.* 80. *in Cantica*, quos latè allegat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.* 34. *s.* 2. *n.* 6. & *de Incarnat. d.* 11. Itaque in sensu identico hæc est vera, *Deitas est Deus*; & hæc falsa, *Humanitas est homo*: ergo sicut *Deitas, & Deus* non distinguuntur á parte rei, ita *Humanitas, & Homo* distinguũtur á parte rei: homo verò supra humanitatem solùm addit Subsistentiam.

Vigil. Papa
D. Dama.
D. Euseb.
D. Epiph.
Magist.
D. Thom.
Leo Papa
D. Aug.
D. Ansel.
D. Bern.
P. Soar.

Deinde probari potest rationibus. Primò, quia si Subsistentia virtualiter tantùm distingueretur à Naturâ, simul cum illâ foret assumpta; hoc est hæreticum, & contra Cõciliũ Ephe-

Ephesinum 1. & Chalcedonense *action* 5. quatenus definiunt Naturam assumptam nō retinuisse propriam Subsistentiam. quod vno ore confitentur, & prędicant Sancti Patres, quos laté allegat Coccius *tom.* 1. *thesauri catholici lib.* 2. *art.* 2. Sequela autem ostenditur; quia ea, quæ virtualiter tantúm distinguuntur, separari non possunt.

Iudocus Coccius

105 Respondent primó, separari non posse quòad realitatem, posse quòad denominationem. Et confirmant hoc, exemplo Relationis, quæ defectu alicuius conditionis tolli potest quòad denominationē, licèt alioquì tolli nō posit quóad entitatē: ita aiunt Subsistentiam tolli à Naturâ assumptâ quóad denominationem defectu negationis Vnionis hypostaticę. Non placet hæc solutio, & modus dicendi: admittit enim dari in Naturâ assūptâ propriam Subsistentiam quóad realitatē, quod videtur contra Concilia, quę, vt diximus, definiunt non dari in Naturâ assumptâ propriam Subsistentiam. Verùm verò denominet, vel nō denominet? est alia quæstio.

106 Respondent secundó, bené posse separari aliquid virtualiter distinctum. Et hoc ostendunt pluribus exemplis: primò, quia existentia separatur ab essentiâ: secundó, quia relationes separantur á fundamēto: tertió, quia operationes Dei liberæ poterant non esse in Deo. Non etiam placet ista euasio, quia intelligi non potest quomodó idem separetur á se ipso; alioquì posset iste gradus *Rationalis* in Socrate separari á gradu *animalis*. Neque dicas, gradum Rationalis esse de essentiâ Socratis. Non, inquā, hoc dicas, quia, licèt sit de essentiâ Socratis, non est de essentiâ gradûs Animalis illius. Exempla non cōuincunt. Nam existētia nō separatur ab essentiâ actuali; separatur quidē à possibili: verùm hæc, cùm nihil sit actuale, distinguitur ab existentiâ actuali plusquám virtualiter. Itē relationes creatæ non separantur á fundamentis quóad realitatē, & entitatem intrinsecā, sed solùm quòad denominationem, & terminationem similiter ad extrinsecum in opinione asserentium relationes solùm virtualiter distingui à fundamentis. Operationes Dei liberæ non poterant non esse in Deo quóad entitatē intrinsecam, sed solū quóad denominationem, & terminationē ad extrinsecum.

107 Probatur secundó, quia Subsistentiæ Diuinæ non consistunt in Naturâ, prout connotat negationē cōmunicationis, sed in aliquo virtualiter distincto á Naturâ, nēpe in Relatione, in quâ talis negatio cōmunicationis fundatur. Hoc videtur manifestum ex principijs Fidei, quæ docet in Deo dari tres Relationes cōstitutiuas Personarum, vt cōstat ex Concil. Florēt. *sess.* 16. & Toletan. 11. *in Confessione Fidei*: ergo etiam Subsistentia creata non consistet in Naturâ, prout connotat negationem cōmunicationis, sed in aliquo distincto, in quo fundetur talis negatio.

Concil. Florent. Toletan.

108 Probatur tertiò, quia si sublatâ solâ negatione Vnionis hypostaticę, tolleretur ratio Subsistentiæ, non posset intelligi quomodò Natura humana dependeat á Verbo per solam additionem Vnionis hypostaticæ; per quam, in opinione contrariâ, nihil aufertur positiuū ipsi Naturæ, sed sola negatio, quâ Natura respiciebat; ac proinde Natura adhuc manet cum omni entitate reali requisitâ ad existendum. Itaque in contrariâ sententiâ non potest intelligi quomodò Natura humana innitatur, & sustentetur in Verbo, ab illoque dependeat: ex doctrinâ verò Sanctorum Patrum constat Naturam humanam sustentari in Verbo, ab illoque dependere, quos latè refert P. Vasquez 3. *p. d.* 63. *cap.* 2. P. Wadingus *de Incarnat. d.* 4. *à num.* 55. in communi opinione optimè intelligitur quomodò Natura humana dependeat à Verbo; dependet enim ab illo, vt á suâ propriâ Subsistentiâ, cuius loco Subsistentia Verbi substituitur.

P. Vasq. P. Wading.

§. 3.
Argumenta soluta.

109 AD primum fundamentum opinionis cōtrariæ propositum *n.* 95. & deductum ex Aristotele, respondeo illū textum, *quidquid est est idem cum eo, cuius est*, efficere hunc sensum, *quidquid est*, hoc est, definitio *est idem cum eo, cuius est*, nimirum cum definito. Ita hunc locum interpretantur Aphrodis. & alij Expositores, quos citat, & sequitur P. Theoph. Raynaud. *in sua Theologia naturali dist.* 3. *num.* 58. P. Vasq. 3. *p. d.* 31. *n.* 20. P. Soar. *in Met. d.* 34. *s.* 3. *n.* 21.

Aphrodis. P. Raynaud. P. Vasq. P. Soar.

110 Ad secundum deductum in primis ex illo loco D. Thom. vbi dicit in Angelis nō distingui Naturam, & Suppositum, respōdeo primò retorquendo argumentū, quia D. Tho. eo in loco concedit in Substantijs corporeis, qualis est homo, distingui à parte rei Naturā, & Suppositum; eadē autem est ratio in Substātijs spiritualibus, ac corporeis, vt ipsimet Aduersarij fatentur.

111 Respondeo secundò, D. Tho. *quodlib.* 2. *a.* 4. expressè dicere Naturā, & Suppositum distingui in Angelis á parte rei; vnde ne sibi cōtradicat, dicēdū est in præsenti loco nomine *Suppositi* intellexisse *Individuū singulare*, quod apud

 illum,

illum, & Aristotelem frequenter venit nomine *Suppositi*: dicit ergo Sanctus Doctor, quòd in rebus, quæ sunt Materiæ expertes, Natura communis non distinguitur á Supposito, hoc est, ab indiuiduo: in Substantijs verò materialibus posse in aliquo sẽsu distingui. Et ratio est, quia, vt ipse loco citatò verbis expressis loquitur, *Materia singularis, quæ includitur in hoc indiuiduo, quatenus habet formam corporis includit hanc carnem, & hæc ossa, quæ cùm sint accidentia respectu Materiæ in communi non includuntur in illa; atque inde in hoc sensu distinguitur hoc corpus singulare à Materia in communi ex natura rei.* Vide D.Thom. 3.p. q.3. vbi hæc inuenies. D.Thom.

112 Ad alium locum (vbi dicit: Hominem nihil aliud esse quàm Animam, Corpus, & Vnionem non adiuncta alteri subsistenti) respondetur D. Thom. hoc in loco explicare Subsistentiam per suum effectum secundarium negatiuum, non quód neget primarium positiuum, quem alijs in locis expressit, sed quòd secundarius, & negatiuus sit magis notus.

113 Ad tertium (quàtenus dicit Naturam esse aptam per se subsistere: ergo per se, & non per aliquid distinctum subsistere) respondeo Naturam esse aptam per se subsistere radicaliter, quo sensu *subsistere* idem est, atque *existere per se*: non esse aptam per se subsistere formaliter, sic enim non subsistit per se, sed per Subsistentiam distinctam à parte rei. Ad quartum desumptum ex definitione Personæ traditâ á Boëtio, respondetur Naturam non esse se ipsâ indiuiduam, hoc est, incommunicabilem alteri Supposito, sed id habere per Subsistentiam. Ad quintum, dico distinctionem ex naturâ rei inter Naturam, & Suppositum esse omninó necessariam ad intelligendum mysterium Incarnationis, imò & ad intelligendum mysterium Trinitatis, vt constat ex dictis.

§. 4.

Vtrùm Subsistentia sit realitas, an modus?

Caietan. Ferrar. P. Valent. Bañ. Zumel Nauarre. Herrer. Pantusa Medin. Gabr. Cabrer. P. Albertin. P. Hurt.

114 SEcunda difficultas: Vtrùm Subsistentia sit realitas, an modus? Plures sentiunt esse realitatem. Ita Caiet. 3.p. q.4.a.2. Ferrar. 4. *contra Gentes cap.* 43. P. Valēt. tom.4. d.1. q.4. punct.2. §. *Quare, vt hoc videmus*, Bañes 1.p. q.3. a.3. §. *Sit vltima conclusio*, Zumel ibidem *conclus.* 3. Nauarrete ibidem *art.* 4. *controuers.* 14. §.5. Herrera, Pantusa, Medin. Gabriel. Cabrer. P. Albertin. & alij, quos citant, & sequuntur P. Petrus Hurtad. *in Met.* d.11. s.5. & *de Incarnat.* d.32. §.1. P. Arriaga in *Met.* d.4. n.94. P. Cōpton. *in Met.* d.8. s.12. n.5. P. Arriag. P. Copto.

115 Probatur primó ex P. Hurtado, quia omnis modus est formalis determinatio vnius ad aliud, v. g. vnio est determinatio vnius extremi ad aliud; actio, & passio sunt determinationes effectûs ad agens, & ad passum; Vbi, & Situs sunt determinationes subiecti ad spatium, & sic de cæteris; sed Subsistentia nō est determinatio Naturæ ad aliud: ergo non est modus.

116 Verùm hoc fundamentum non subsistit, quia non omnis modus est determinatio vnius ad aliud, vt patet in modo accidentium Sacræ Eucharistiæ: item in Figurâ, quę resultat ex terminatione Quantitatis. Accedit, quòd Subsistentia est determinatio Naturæ vt subsistat in se, seu, est determinatio Naturę ad hoc Suppositum; nam Natura, quādiu est sine Subsistentiâ manet indifferens ad hoc, & ad illud Suppositum.

117 Secundó probatur ex P. Arriag. cit. n.92. vbi dicit modū esse immediatā, & essentialē sui vnionē ad suā realitatē, à quā idcircò fieri non potest, vt separetur: & hæc est cōmunis doctrina. Addit tamen P. Arriaga signum huius essentialis immediationis illud esse quādo ex eo, quód talis entitas vniatur mediante alio sequitur processus in infinitū: & sanè hic sequeretur si vnio vniretur mediante aliâ; nam hæc etiā vniretur mediante aliâ, & hæc mediāte aliâ, & sic in infinitū: ergo vnio vnitur per suā essentiam immediatè; & consequenter est modus. Sic etiam dicendū de actione, & passione; nam si hæ vnirentur mediante alio, illud aliud etiam produceretur, & reciperetur mediante aliâ actione, & passione: & hæ vnirentur mediāte alio; & sic in infinitū. Hic processus inquit P. Arriaga non sequitur ex eo, quód albedo vniatur mediante vnione: ergo non est modus, sed realitas: item non sequitur ex eo, quòd Subsistentia vniatur mediante vnione: ergo similiter non est modus, sed realitas.

118 Hoc fundamentum etiam non cōuincit, quia huiusmodi processus non intelligitur sequi ex eo, quòd modus accidentium Sacræ Eucharistię vniatur mediante vnione; & tamen est modus: item non sequitur ex eo, quòd Figura vniatur mediante vnione; & tamē Figura est modus. Adde, quòd ex eo, quòd actio creatiua Angeli, vel eductiua albedinis vniretur mediante vnione, non sequitur processus in infinitū; nā illa actio vnionis vniretur se ipsâ, sicut actio Subsistentię subsistit se ipsâ, & actio vbicationis vbicatur se ipsâ. Quód si renuis admittere, admitte etiam processum in infinitum in Subsistentiâ; nam si hæc vniretur

tur mediante vnione, hæc vnio subsisteret mediante aliâ Subsistentiâ; & hæc alia Subsistentia vniretur mediante aliâ vnione; quæ rursum subsisteret mediante aliâ Subsistentiâ, & sic in infinitum. Quare omissis his duobus fundamentis, meliùs probatur ab alijs, quód Subsistentia non sit modus, sed realitas.

119 Primò, quia actus videndi, & amandi sunt entitates reales, & non modales: ergo etiam Subsistentia. Secundò, quia Subsistentiæ Diuinæ sunt realitates: ergo etiam creatæ. Tertiò, quia terminus Quantitatis est realitas: ergo idem dicendum de termino Substantiæ. Quartò, quia modus nō potest suppleri per realitatem: at verò Substantia creata suppletur per Diuinam, quæ est realitas. Maior est manifesta, nam ex eo, quòd Figura sit modus Quantitatis, Quantitas non potest figurari per realitatem; & idem de sessione respectu sedentis dici solet. Quintò, quia Subsistentia est formalis independentia: modus verò non potest non dependere. Sextò, quia perfectior est Subsistentia, quàm existentia, sed existentia est realitas: ergo idem dicendum de Subsistentiâ.

120 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Subsistentiam creatam esse modum. Illam tenent Argentin. Sot. & alij plures quos citant, & sequuntur P. Soar. in Met. d. 34. s. 4. n. 24. & de Incarnat. d. 8. s. 1. §. Sit nihilominus, & sect 4. §. Ex his ergo, P. Fonsec. 5. Met. cap. 8. q. 6. s. 4. P. Vasq. 1. p. d. 126. num. 14. & 3. p. d. 31. cap 6. Patres Conimbricens. q. 1. de Substantia art. 1. & 1. de Generat. cap. 4. q. 6. art. 3. P. Theophil. Raynaud. in sua Theologia naturali dist. 3. num. 56. Cardinalis Lugo de Incarnat. d. 12. s. 7. num. 83. P. Franciscus Amicus tom. 1. disp. 5. n. 28. P. Tellez disp. 55. sect. 1. num. 13. P. Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 4. P. Rub. 1. Physicor. tract. 1. de Materia q. 4. n. 1. P. Ragusa 3. p. ad q. 4. a. 4. d 57. . 2. vers. Quinto ergo, P. Gaspar Hurtado tract. de Incarnat, disp. 4. diffic. 5. à n. 15. P. Tanner. Lorca, & alij communiter quibus subscribit P. Ouiedo in Met. controuers. 4. punct. 6. n. 7.

Argent. Sotus P. Soares P. Fonse. P. Vasq. Patres Conimbr. P. Reyna. P. Lugo P. Amicus P. Tellez P. Bellar. P. Rub. P. Ragusa P. Gaspar Hurt. P. Tanner. Lorca P. Ouiedo

121 Probatur primò, quia non sunt admittendæ entitates absque necessitate: nulla autem est necessitas admittendi maiorem entitatem, quàm modalem. Hæc Minor ex solutione eorum, quæ pro parte contrariâ obijciuntur, fiet manifesta. Secundò, quia si Subsistentia foret realitas, Natura humana in illâ inexisteret, ad eum modum, quo dicitur inexistere in Verbo: quod tamen est contra cōmunē modū loquendi Philosophorū. Tertiò, quia terminus Accidentis, nimirū inhærētia, est modus accidentalis; ergo terminus Substantiæ, nimirum Subsistentia, erit modus substantialis. Quartò, quia si Subsistētia foret realitas posset existere separata á Naturâ: hoc autē licèt concedatur á P. Petro Hurt. in Met. d. 11. § 47. non tamen facilé intelligitur. Quintò, quia repugnat Substantia realis formaliter se ipsâ subsistēs, vt inferiùs ostēdemus: talis autē esset hæc Subsistentia. *P. Hurt.*

122 Addunt aliqui sextò, quòd Subsistentia spiritualis foret intellectiua; implicat enim Substantia realis, spiritualis, nō intellectiua, vt constat ex tract. 1. n. 502. & quod inde sequitur, Subsistentia Angeli esset nobilior illo; siquidē præterquàm quòd foret intellectiua, foret etiam formaliter se ipsâ subsistēs. Sed hæc minùs benè, quia Subsistentia Diuina non est intellectiua, nec nobilior Naturâ. Dicunt tamen Subsistentiam Diuinam identicè esse intellectiuam, & ab ipsâ Naturâ indistinctam.

§. 5.

Argumenta soluta.

123 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quâtenus dicit eandem esse rationem de Subsistentiâ, ac de actibus intelligendi, & amandi, qui tamen non sunt modi, sed realitates) respōdeo omnes actus potentiarū esse realitates: nā ad modos non dantur potentiæ distinctæ: non enim intenduntur, sed resultant á Naturâ. Dices: Potentia motiua est ad vbicationes, quæ sunt modi. Respondeo potentiam motiuâ esse ad impulsū, qui est realitas: ab hoc impulsu resultat latio, seu motus, cuius terminus est vbicatio.

124 Instabis: Non est maior ratio cur albedo, & nigredo sint realitates: non verò Subsistentia. Respondeo magis connecti Materiā cū Quantitate, quàm Quantitatē cū albedine, vel nigredine; nam hæ non sunt proprietates Quantitatis; Quātitas verò est proprietas Materiæ: & tamen nobis constare Quantitatē posse existere separatam à Materiâ, vt patet in mysterio Eucharistiæ; ac proinde Quantitatē esse realitatem: ergo á fortiori albedo, vel nigredo poterunt existere separatæ á Quantitate; ac proinde sunt realitates. Nullum autem habemus fundamentum vt dicamus Subsistentiam posse existere separatam á Naturâ, sicut nec inhærentia, nec præsentia, nec dependentia possunt existére separatæ á suis realitatibus: ergo sicut hæ sunt modi, ita & Subsistentia. De his pleniùs tract. 7. cùm de Vbicatione, Vtrùm scilicet sit modus, an realitas? agendum erit.

125 Ad secundum (quatenus dicit Subsistentias Diuinas esse realitates) concedo Subsistentias Diuinas esse realitates: & dico Subsistentias creatas esse modos. Diuersa ratio est, quia Subsistentiæ Diuinæ sunt perfectissimæ, creatæ verò imperfectæ.

126 Ad tertium (quatenus asserit terminum Quantitatis, nimirum punctum esse realitatem) concedo esse, aut saltem concipi per modum realitatis: & nego id de Subsistentiâ. Diuersa ratio est, quia punctum, cùm concipiatur vt indiuisibile, non potest concipi identificari cum re diuisibili; cum ea autem conciperetur identificari, si conciperetur vt modus: Subsistentia verò optimé potest sequi Naturam, cuius est modus, siue hæc diuisibilis sit, siue indiuisibilis. Instabis: Vbi corporis Christi Domini in Eucharistiâ identificatur cum re diuisibili, & tamen est indiuisibile: ergo non idcircò punctum est realitas, quia est terminus indiuisibilis rei diuisibilis. Respondeo Vbi corporis Christi Domini in Eucharistiâ non esse indiuisibile in entitate, sed in effectu constituendo scilicet corpus Christi totum in toto spatio, & totum in quolibet puncto spatij. Non est, inquam, indiuisibile quoad entitatem, quia identificatur cum toto corpore Christi, quod est diuisibile.

127 Ad quartum (quatenus asserit modum suppleri nō posse per realitatē) respōdeo Subsistentiā creatā exercere rationē modi, & termini: Subsistentia Diuina illam supplet quoad munus terminandi, licèt illam supplere nequeat quoad munus modificandi. Responderi potest secundò, modum posse suppleri per realitatem, quando hæc continet propriam rationem, & effectum formalem ipsius modi: at verò Subsistentia Diuina ita est realitas, vt contineat veram rationem, & effectum formalem Subsistentiæ.

128 Ad quintum (quatenus dicit Subsistentiam esse formalem independentiam; ac proinde non posse esse modum; hic enim non potest non dependere) respondeo Subsistentiam esse formalem independentiam ab alio Supposito, non á Naturâ in ratione subiecti; vnde potest dependere á subiecto, licèt alioqui sit formalis independentia á termino. Ad sextum (quatenus dicit Subsistentiam esse perfectiorem existentiâ: quæ quidem est realitas: ergo à fortiori Subsistentia) respondeo Subsistentiam non esse perfectiorem existentiâ; nam existentia non distinguitur á Naturâ; ac proinde est realitas, sicut ipsa Natura. Adde, quòd per modum Naturæ exigit Subsistentiam vt suam proprietatem.

§. 6.

Vtrùm possibilis sit Subsistentia realiter distincta?

129 Tertia difficultas: Vtrùm possibilis sit Subsistētia creata, quæ sit realitas? Affirmant in primis omnes illi Doctores, qui dicunt Subsistentiam de facto esse realitatem. Affirmant etiam alij plures, qui cum P. Ouiedo *in Met. controuers. 4. puncto 6.* dicunt, licèt Subsistentia de facto sit modus, nō repugnare quòd sit realitas de possibili. Eorū fundamentum est, quia nulla assignabitur manifesta contradictio. Et confirmatur, quia non repugnat ex eo, quòd sit terminus; nam terminus Quantitatis est realitas: non ex eo, quòd sit talis terminus, nimirum Subsistentia; nam Subsistentia Diuina est realitas: & non assignabitur alia repugnantia. P. Ouiedo

130 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium impossibilem esse Subsistentiam creatam, quæ sit realitas. Hæc est de mēte P. Soar. *in Met. d. 34. s. 4. n. 38.* eam defendit P. Tellez vbi proximè *sect. 2. n. 9.* Alij aliter hoc probant minùs benè: Ego sic: quia de conceptu Subsistentiæ creatæ est, quòd sit modus suæ Naturæ. Et hoc ostenditur exemplo omnium aliarum entitatum, quæ in creatis sunt modi; non enim realitates de possibili esse valent, v. g. repugnat inhærentia, quæ sit realitas; item figura quæ sit realitas; similiter relatio creata, quæ sit realitas; nec Deus potest facere, quòd Socrates referatur ad filium per relationem, quæ non sit modus, sed realitas; item repugnat quòd actio, & passio, Situs, & Vbi sint realitates; implicat enim quòd Socrates sedeat per sessionem, quæ non sit modus, & stet per stationem, quæ modus non sit; de conceptu enim omnium harum entitatum ob suam limitationem, & imperfectionem est, quòd sint modi: ergo idem dicendum de Subsistentiâ. P. Soar. P. Tellez

131 Et confirmatur, quia si Subsistentia esset realitas posset existere separata: at de conceptu Subsistentię est, quòd non possit existere separata; sicut enim intelligi nō potest existere separata inhærētia, præsētia, dependētia, statio, sessio, relatio, &c. ita intelligi nō potest separata Subsistentia. Scio hæc omnia verbis posse diludi: certè non rebus, & minùs ijs, quas Aduersarij inducere conantur, realitatibus.

132 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondeo dari manifestam implicationem, quia de conceptu Subsistentiæ creatæ est,

est, esse modum. Ad confirmationem, dicendum est repugnare Subsistentiam creatam, quæ sit realitas, non ex eo, quòd sit terminus; neque ex eo, quòd sit Subsistentia; sed ex eo, quòd sit talis subsistentia, nimirùm creata: quæ ob suam imperfectionem, & limitationē solùm habet, quòd sit modus propriæ Naturæ, quod patet exemplo inhærentiæ creatæ, vbicationis, figuræ, relationis, &c. nam hæc omnia ob suam limitationem, & imperfectionem, solùm habent, quòd sint modi suarum realitatum.

§. 7.

Vtrùm possibilis sit Subsistentia creata virtualiter distincta?

133 Qvarta difficultas: Vtrùm possibilis sit Subsistētia creata virtualiter distincta à suâ Naturâ? Celebris est resolutio affirmatiua. Illam (præter Auctores citatos, qui dicūt Subsistentiam de facto distingui virtualiter à Naturâ) defendunt Albertus M. *in 3 dist. 21 a 2.* Murcia *tract. de Anima d. 2. q. 2 §. Obijcies*, & communiter Recentiores cum P. Arriagâ *in Met. d 4 s. 13. subsect. 1.* & P. Ouied. *in Met. controuers. 6. punct. 2. n. 18.* qui dicunt licèt de facto non detur Natura creata virtualiter distincta à suâ Subsistentiâ, non repugnare de possibili. Primò, quia in eo nulla videtur manifesta contradictio. Secundò, quia datur Accidens virtualiter distinctum à suâ inhærentiâ, quales sunt modi accidentales: ergò etiam possibilis erit Substantia virtualiter distincta à suâ Subsistentiâ. Tertiò, quia existentia virtualiter distincta non est propria solius Dei: ergo idem dicendum de Subsistentiâ virtualiter distinctâ.

Albert. M. Murcia P. Arriaga P. Ouiedo

134 Nihilominus probabiliùs dicendū existimo non esse talem Substantiam possibilem. Et certè ita tenent D. Thom. 2. *contra Gentes cap. 53* P. Soar. *in Met. d. 34 s. 3. à n. 12.* & *lib. 1. de essentia Dei cap. 4 n. 4.* P. Vasq. *de Incarnat. d. 31. n. 5.* quibus accedunt P. Hurt. *in Met. d. 11. n. 38.* & P. Tellez proximè *n. 1.* Plures adducere conantur hi Doctores implicationes, sed quæ re verâ non sunt manifestæ, & facilè possunt dissolui.

D. Thom. P. Soar. P. Vasq. P. Hurt. P. Tellez.

135 Prima implicatio: quia dicunt impossibilem esse Substantiam, quæ sit in loco per Vbi virtualiter distinctum: ergo & quæ subsistat per Subsistentiam virtualiter distinctam. Sed hæc parum vrget, maximè in meâ sententiâ, in quâ non implicat Substantia existens in loco per Vbi virtualiter distinctū; & talis esset, quæ formaliter se ipsâ esset in vno loco; nam cùm in eo esset affixa per suam essentiam, nec ab eo posset auelli, clarum est esse in eo per aliquid indistinctum. De quo pleniùs *tract. 7 n. 33.*

136 Secunda implicatio: quia dicunt impossibile esse Accidēs reale inhærēs per inhærentiam virtualiter distinctam: ergo similiter est impossibilis Substantia subsistens per Subsistentiam virtualiter distinctam. Sed neque hæc vrget; facilè enim diuersa ratio assignari potest. Est enim contra rationem Accidentis realis inhærere formaliter se ipso; aliter non posset separari à subiecto, & consequenter respectu illius non esset realitas, sed modus. Quæ repugnantia nō videtur in eo, quòd detur Substantia subsistens formaliter se ipsâ.

137 Tertia implicatio: quia impossibilis est effectus, qui producatur per actionem virtualiter distinctam: ergò & qui subsistat Subsistentiâ virtualiter distinctâ. Responderi tamen potest, Antecedens esse falsum; & certè in meâ opinione non continet verum; nam vt *tract. 6 n. 34.* ostendam, non repugnat creatura, quæ essentialiter postulet actu produci ab aliquâ causâ; & hæc cùm actu produceretur per suam essentiam, per aliquid indistinctum produceretur.

138 Quarta implicatio: quia impossibilis est qualitas habens gradus intensionis virtualiter distinctos: ergo etiam Substantia habens Subsistentiam virtualiter distinctam. Sed in primis dici potest Consequentiam habere ferè nullam connexionem cum Antecedente. Deinde, non videò cur repugnet qualitas virtualiter intensa, æquipollens nimirum pluribus gradibus formalibus.

139 Quinta implicatio: quia impossibilis est Substantia operans actione virtualiter à se distinctâ: ergo subsistens Subsistentiâ virtualiter distinctâ. Responderi potest esse diuersam rationem, quia actio creata, cùm sit dependentia, tenet se ex parte effectûs; ac proinde non potest non realiter distingui à causâ.

140 Sexta implicatio: quia impossibilis est linea virtualiter distincta à punctis; corpus à figurâ; Materia à Formâ. Sed responderi potest, & quidem benè, non repugnare primum, neque secundum. De Materiâ, & Formâ est specialis ratio, quia *tract. 1 n. 490.* ostendimus repugnare Substantiam corpoream cōpletam physicè simplicem, sed id prouenit ex speciali ratione assignatâ loco cit. quæ non militat in Subsistentiâ virtualiter distinctâ.

(?)

§. 8.

Melior implicatio in Subsistentiâ creatâ virtualiter distinctâ.

141 QVare his, & alijs minoris momēti implicationibus reiectis, illa videtur probabilior, quæ habet sic: Quia Natura formaliter se ipsâ subsistens foret, & non foret perfectior hâc, quæ de facto datur. Foret perfectior, quia esset simplicior; & cæteris paribus, quæ est simplicior, perfectior est. Deinde non foret perfectior, quia esset incapax assumi à Deo, & reddi Diuina, vt Difficultate sequenti *num.* 149. ostendam.

142 Declarari hoc potest in duobus Angelis, quorum vnus cęteris paribus esset se ipso formaliter subsistens; alter verò subsistens per Subsistentiam distinctam ex naturâ rei: nā ille primus perfectior propter suam perfectionem non posset fieri Diuinus: secundus verò maximè. Dico igitur primum esse, & nō esse perfectiorem secundo: esse, quia est simplicior: non esse, quia est incapax reddi Diuinus. Et quod hîc vltimó notandum moneo, est, quód maior perfectio primi reddit illum incapacem Diuinæ perfectionis, quod est contra intrinsecam rationem ipsius maioris perfectionis; nam quó perfectio est maior, eò debet magis accedere ad Deum: non ergo potest reddere Naturam minùs capacem ipsius Dei. Itaque Natura virtualiter distincta à suâ Subsistentiâ, repugnat ex duplici titulo: primo, quia cæteris paribus esset, & non esset perfectior hâc, quæ de facto datur. Secūdo, quia propter suam maiorem perfectionem esset incapax magis accedendi ad Deum, & identificandi se cum illo, quod est contra intrinsecam rationem ipsius maioris perfectionis.

143 Obijcies primò. Quilibet Angelus est perfectior quálibet muliere; & tamen hæc est capax fieri Mater Dei; non ita Angelus: ergo benè potest Natura perfectior esse incapax maioris perfectionis, cuius Natura imperfectior capax est. Respondeo hoc nullum esse inconueniens, quando Natura perfectior est capax alicuius maioris perfectionis, in quâ illa alia minor continetur eminenter; & sic Angelus est capax Vnionis hypostaticæ, in quâ eminenter continetur perfectio Maternitatis Dei. Itaque fieri Deum est maius, quàm fieri Matrem Dei; & consequenter hoc continetur eminenter in illo: vt autem vna Natura sit perfectior non requiritur quòd sit capax omnis perfectionis formalis, cuius Natura imperfectior capax est; sufficit quód sit capax alicuius perfectionis, in quâ contineatur, saltem eminenter, omnis alia minor perfectio, cuius est capax Natura imperfectior: sic Angelus in meâ, & satis communi opinione, non est capax Discursûs formalis circa euidentia, cuius homo est capax; saluatur tamen maior Angeli perfectio, quia est capax Iudicij perfectissimi, in quo Discursus formalis virtualiter continetur.

144 Obijcies secundó. Lapis est perfectior quám intellectus: & tamen hic est capax Visionis Beatæ, lapis verò minimè. Respondeo in primis lapidem esse capacem Vnionis hypostaticæ, quæ quidē est maxima perfectio, in quâ Visio Beata eminenter continetur; & hoc iuxta proximè dicta satis, superque est. Secundò, assero intellectum ordinari ad Substantiam intellectiuam, in quâ radicatur: est ergo intellectus capax maioris perfectionis quám lapis, quia radicatur in nobiliori substantiâ. Itaque satis est quòd aut ipse, aut substantia, in quâ radicatur, & ad quam essentialiter ordinatur, sit nobilior.

145 Neque fundamenta opinionis contrariæ oppositum suadent. Ad primum (quâtenus dicit nullam apparere repugnantiam in Naturâ creatâ, quæ subsisteret Subsistentiâ virtualiter distinctâ) patet implicatio ex dictis. Dicendum enim est talem Naturam cæteris paribus esse, & nō esse perfectiorem hâc, quæ de facto datur; item repugnare, quia propter suam maiorem perfectionem esset incapax magis accedendi ad Deum, & identificandi se cum illo, quod est contra intrinsecam rationem ipsius maioris perfectionis.

146 Ad secundum (quâtenus dicit darî Accidens virtualiter distinctum à suâ inhærentiâ) respondeo, quidquid sit de Accidente modali, non dari Accidens reale virtualiter distinctum à suâ inhærentiâ: & quomodò inde colligitur dari Substantiam realem virtualiter distinctam á suâ Subsistentiâ? Quód si solúm contenditur dari modum substantialem se ipso formaliter subsistentem, nos id non negamus; nam ipsa Subsistentia est modus substantialis formaliter se ipso subsistens.

147 Ad tertium (quâtenus asserit existentiam virtualiter distinctam non esse propriam solius Dei: ergo neque Subsistentia virtualiter distincta) respondeo nullum esse inconueniens in eo, quód Natura distinguatur virtualiter ab existentiâ; repugnat verò distingui virtualiter á Subsistentiâ; esset enim, & non esset nobilior hâc, quæ de facto datur, & propter suam maiorem perfectionem esset incapax magis accedendi ad Deum, & identificandi

candi

candi se cum illo, quod, vt diximus, est contra intrinsecam rationem ipsius maioris perfectionis.

§. 9.

Vtrùm foret assumptibilis Natura, quæ virtualiter distingueretur à suâ Subsistentiâ.

148 Qvinta difficultas: Dato quòd foret possibilis Natura creata virtualiter distincta à suâ Subsistentiâ, Vtrùm esset assumptibilis? Affirmant in primis omnes illi, qui dicunt Subsistentiam de facto distingui virtualiter à Naturâ; adhuc enim defendunt Naturam humanam fuisse assumptam. Affirmant etiam non pauci eorum, qui dicunt Subsistentiam de facto distingui à Naturâ à parte rei, nec esse possibilẽ virtualiter distinctam; addunt enim, dato quòd esset possibilis, fore assumptibilẽ. Et probatur, quia idcircò non esset assumptibilis, quia non posset assumi, quin eius Subsistentia assumeretur: sed potest. Et hoc ostendunt primò, quia etiam Subsistentia Verbi relatiua solũ virtualiter distinguitur ab absolutâ: & tamen sola Subsistentia relatiua, non uerò absoluta assumpsit Naturam humanam. Secundò, quia in Patre Æterno Natura, & Paternitas solùm virtualiter distinguuntur: & tamen Natura, non verò Paternitas communicatur Filio. Tertiò, quia in communi opinione Relationes creatæ solùm virtualiter distinguuntur à Naturâ: & tamen Natura fuit assumpta: non verò Relationes.

149 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium talem Naturam non fore assumptibilem. Eam tenent P. Soar. *in Met. d.* 34. *s.* 3. *n.* 9. & *de Incarnat. d.* 14. *s.* 2. *§. Dico primo*, asserens contrarium non esse intelligibile. Subscribunt P. Arriaga *in Met. d.* 4. *n.* 120. P. Fasol. 1. *p. q.* 3. *a.* 3. *dub.* 1. *n.* 3. P. Tellez *disp.* 55. *sect.* 2. *n.* 2. P. Vasq. *de Incarnat. d.* 34. *n.* 5. P. Ouiedo *in Met. controuers.* 6. *punct.* 5. *n.* 14.

P. Soar. P. Arriaga P. Fasol. P. Tellez. P. Vasq. P. Ouiedo

150 Fundamentum est, quia hæc Natura non posset assumi quin etiam assumeretur Subsistentia: Subsistentia autem est inassumptibilis; siquidem essentialiter est vltimus terminus: & si assumeretur, fieret non vltimus, quia vlterius terminaretur. Quòd autem, si hæc Natura assumeretur, etiam assumeretur Subsistentia, res est euidens, quia Vnio hypostatica est intrinseca Naturæ: & in creatis quidquid intrinsecum à parte rei conuenit vni, etiam conuenit alteri ab eo indistincto.

§. 10.

Effugia præclusa.

151 Occurrunt Aduersarij primò distinguendo sic: Quidquid intrinsecum conuenit vni, conuenit etiam alteri indistincto, si sit capax; non verò si sit incapax: at verò Subsistentia est incapax vnionis hypostaticæ. Sed contrà, quia ex hâc doctrinâ sequitur in dicto euentu solam Naturam à parte rei assumi, & non Subsistentiam: hoc autem stare non potest cum solâ distinctione virtuali inter Naturam, & Subsistentiam; nam si vnum à parte rei assumitur, & aliud à parte rei non assumitur, sequitur dari duo à parte rei, quorum vnum à parte rei assumitur; & aliud non. Vel si non sunt duo, sed vnũ, idem à parte rei assumitur, & à parte rei non assumitur, quæ sunt intrinsecè contradictoria.

152 Neque dicas, Naturam Diuinam à parte rei communicari, non veró Relationem: & tamen distingui solùm virtualiter. Non, inquam, hoc dicas, quia hoc est specialissimum Mysterio Sanctissimæ Trinitatis propter eius infinitam capacitatem iunctam cum oppositione, vt constat ex dictis *tr.* 1. *n.* 681. & pleniùs *n.* 696. in creatis hoc possibile non est; sin minùs admittes in creatis Mysterium Trinitatis, quod est proprijssimum solius Dei.

153 Occurrunt Aduersarij secundò: Quod conuenit vni conuenire etiam alteri indistincto, identicè: non formaliter. Et sic assumptâ Naturâ formaliter, assumeretur etiam Subsistentia identicè, non formaliter: de ratione autem Subsistentiæ solùm est quòd non assumatur formaliter. Non repugnat posse assumi identicè. Et hoc potest probari primò, quia Indiuisibile potest identicè esse diuisibile, vt videre est in lineâ, quæ solùm formaliter est indiuisibilis, identicè secundùm longitudinem est diuisibilis. Secundò, quia Substantia, quæ formaliter talis est, potest esse Accidens identicè, ratione Accidentium logicorum, à quibus solùm distinguitur virtualiter. Tertiò, quia Subsistentia non est minùs inassumptibilis, quàm Accidens: & tamen Accidentia solùm formaliter non possunt assumi, identicè assumi queunt; & de facto Accidentia logica humanitatis Christi Domini fuere assumpta identicè ratione humanitatis: similiter ergo Subsistentia solùm formaliter est vltimus terminus vlterius inassumptibilis formaliter, identicè poterit fieri non vltimus, & vlteriùs terminari.

154 Sed contrà, quia ea, quæ sunt formaliter

§. 8.

Melior implicatio in Subsistentiâ creatâ virtualiter distinctâ.

141 QVare his, & alijs minoris momēti implicationibus reiectis, illa videtur probabilior, quæ habet sic: Quia Natura formaliter se ipsâ subsistens foret, & non foret perfectior hâc, quæ de facto datur. Foret perfectior, quia esset simplicior; & cæteris paribus, quæ est simplicior, perfectior est. Deinde non foret perfectior, quia esset incapax assumi à Deo, & reddi Diuina, vt Difficultate sequenti *num.* 149. ostendam.

142 Declarari hoc potest in duobus Angelis, quorum vnus cęteris paribus esset se ipso formaliter subsistens; alter verò subsistens per Subsistentiam distinctam ex naturâ rei: nã ille primus perfectior propter suam perfectionem non posset fieri Diuinus: secundus verò maximè. Dico igitur primum esse, & nō esse perfectiorem secundo: esse, quia est simplicior: non esse, quia est incapax reddi Diuinus. Et quod hîc vltimó notandum moneo, est, quód maior perfectio primi reddit illum incapacem Diuinæ perfectionis, quod est contra intrinsecam rationem ipsius maioris perfectionis; nam quó perfectio est maior, eò debet magis accedere ad Deum: non ergo potest reddere Naturam minùs capacem ipsius Dei. Itaque Natura virtualiter distincta à suâ Subsistentiâ, repugnat ex duplici titulo: primo, quia cæteris paribus esset, & non esset perfectior hâc, quæ de facto datur. Secũdo, quia propter suam maiorem perfectionem esset incapax magis accedendi ad Deum, & identificandi se cum illo, quod est contra intrinsecam rationem ipsius maioris perfectionis.

143 Obijcies primò. Quilibet Angelus est perfectior quâlibet muliere; & tamen hæc est capax fieri Mater Dei; non ita Angelus: ergo benè potest Natura perfectior esse incapax maioris perfectionis, cuius Natura imperfectior capax est. Respondeo hoc nullum esse inconueniens, quando Natura perfectior est capax alicuius maioris perfectionis, in quâ illa alia minor continetur eminenter; & sic Angelus est capax Vnionis hypostaticæ, in quâ eminenter continetur perfectio Maternitatis Dei. Itaque fieri Deum est maius, quàm fieri Matrem Dei; & consequenter hoc continetur eminenter in illo: vt autem vna Natura sit perfectior non requiritur quód sit capax omnis perfectionis formalis, cuius Natura imperfectior capax est; sufficit quód sit capax alicuius perfectionis, in quâ contineatur, saltem eminenter, omnis alia minor perfectio, cuius est capax Natura imperfectior: sic Angelus in meâ, & satis communi opinione, non est capax Discursûs formalis circa euidentia, cuius homo est capax; saluatur tamen maior Angeli perfectio, quia est capax Iudicij perfectissimi, in quo Discursus formalis virtualiter continetur.

144 Obijcies secundó. Lapis est perfectior quàm intellectus: & tamen hic est capax Visionis Beatæ, lapis verò minimè. Respondeo in primis lapidem esse capacem Vnionis hypostaticæ, quæ quidẽ est maxima perfectio, in quâ Visio Beata eminenter continetur; & hoc iuxta proximè dicta satis superque est. Secundò, assero intellectum ordinari ad Substantiam intellectiuam, in quâ radicatur: est ergo intellectus capax maioris perfectionis quàm lapis, quia radicatur in nobiliori substantiâ. Itaque satis est quòd aut ipse, aut substantia, in quâ radicatur, & ad quam essentialiter ordinatur, sit nobilior.

145 Neque fundamenta opinionis contrariæ oppositum suadent. Ad primum (quâtenus dicit nullam apparere repugnantiam in Naturâ creatâ, quæ subsisteret Subsistentiâ virtualiter distinctâ) patet implicatio ex dictis. Dicendum enim est talem Naturam cæteris paribus esse, & nō esse perfectiorem hâc, quæ de facto datur; item repugnare, quia propter suam maiorem perfectionem esset incapax magis accedendi ad Deum, & identificandi se cum illo, quod est contra intrinsecam rationem ipsius maioris perfectionis.

146 Ad secundum (quâtenus dicit dari Accidens virtualiter distinctum à suâ inhærentiâ) respondeo, quidquid sit de Accidente modali, non dari Accidens reale virtualiter distinctum à suâ inhærentiâ: & quomodò inde colligitur dari Substantiam realem virtualiter distinctam á suâ Subsistentiâ? Quód si solúm contenditur dari modum substantialem se ipso formaliter subsistentem, nos id non negamus; nam ipsa Subsistentia est modus substantialis formaliter se ipso subsistens.

147 Ad tertium (quâtenus asserit existentiam virtualiter distinctam non esse propriam solius Dei: ergo neque Subsistentia virtualiter distincta) respondeo nullum esse inconueniens in eo, quód Natura distinguatur virtualiter ab existentiâ; repugnat verò distingui virtualiter á Subsistentiâ; esset enim, & non esset nobilior hâc, quæ de facto datur, & propter suam maiorem perfectionem esset incapax magis accedendi ad Deum, & identificandi

candi

candi se cum illo, quod, vt diximus, est contra intrinsecam rationem ipsius maioris perfectionis.

§. 9.

Vtrùm foret assumptibilis Natura, quæ virtualiter distingueretur à suâ Subsistentiâ.

148 QVinta difficultas: Dato quòd foret possibilis Natura creata virtualiter distincta à suâ Subsistentiâ, Vtrùm esset assumptibilis? Affirmant in primis omnes illi, qui dicunt Subsistentiam de facto distingui virtualiter à Naturâ; adhuc enim defendunt Naturam humanam fuisse assumptam. Affirmant etiam non pauci eorum, qui dicunt Subsistentiam de facto distingui à Naturâ à parte rei, nec esse possibilē virtualiter distinctam; addunt enim, dato quòd esset possibilis, fore assumptibilē. Et probatur, quia idcircò non esset assumptibilis, quia non posset assumi, quin eius Subsistentia assumeretur: sed potest. Et hoc ostendunt primò, quia etiam Subsistentia Verbi relatiua solū virtualiter distinguitur ab absolutâ: & tamen sola Subsistentia relatiua, non verò absoluta assumpsit Naturam humanam. Secundò, quia in Patre Æterno Natura, & Paternitas solùm virtualiter distinguuntur: & tamen Natura, non verò Paternitas communicatur Filio. Tertiò, quia in communi opinione Relationes creatæ solùm virtualiter distinguuntur à Naturâ: & tamen Natura fuit assumpta: non verò Relationes.

149 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium talem Naturam non fore assumptibilem. Eam tenent P. Soar. *in Met. d.* 34. *s.* 3. *n.* 9. & *de Incarnat. d.* 14. *s.* 2. *§. Dico primo*, asserens contrarium non esse intelligibile. Subscribunt P. Arriaga *in Met. d.* 4. *n.* 120. P. Falol. 1. *p. q.* 3. *a.* 3. *dub.* 1. *n.* 3. P. Tellez *disp.* 55. *sect.* 2. *n.* 2. P. Vasq. *de Incarnat. d.* 34. *n.* 5. P. Ouiedo *in Met. controuers.* 6. *punct.* 5. *n.* 14.

P. Soar. P. Arriaga P. Falol. P. Tellez. P. Vasq. P. Ouiedo

150 Fundamentum est, quia hæc Natura non posset assumi quin etiam assumeretur Subsistentia: Subsistentia autem est inassumptibilis; siquidem essentialiter est vltimus terminus: & si assumeretur, fieret non vltimus, quia vlterius terminaretur. Quòd autem, si hæc Natura assumeretur, etiam assumeretur Subsistentia, res est euidens, quia Vnio hypostatica est intrinseca Naturæ: & in creatis quidquid intrinsecum à parte rei conuenit vni, etiam conuenit alteri ab eo indistincto.

§. 10.

Effugia præclusa.

151 OCcurrunt Aduersarij primò distinguendo sic: Quidquid intrinsecum conuenit vni, conuenit etiam alteri indistincto, si sit capax; non verò si sit incapax: at verò Subsistentia est incapax vnionis hypostaticæ. Sed contrà, quia ex hâc doctrinâ sequitur in dicto euentu solam Naturam à parte rei assumi, & non Subsistentiam: hoc autem stare non potest cum solâ distinctione virtuali inter Naturam, & Subsistentiam; nam si vnum à parte rei assumitur, & aliud à parte rei non assumitur, sequitur dari duo à parte rei, quorum vnum à parte rei assumitur; & aliud non. Vel si non sunt duo, sed vnū, idem à parte rei assumitur, & à parte rei non assumitur, quæ sunt intrinsecè contradictoria.

152 Neque dicas, Naturam Diuinam à parte rei communicari, non verò Relationem; & tamen distingui solùm virtualiter. Non, inquam, hoc dicas, quia hoc est specialissimum Mysterio Sanctissimæ Trinitatis propter eius infinitam capacitatem iunctam cum oppositione, vt constat ex dictis *n.* 1. *n.* 681. & pleniùs *n.* 696. in creatis hoc possibile non est; sin minùs admittes in creatis Mysterium Trinitatis, quod est proprijssimum solius Dei.

153 Occurrunt Aduersarij secundò: Quod conuenit vni conuenire etiam alteri indistincto, identicè: non formaliter. Et sic assumptâ Naturâ formaliter, assumeretur etiam Subsistentia identicè, non formaliter: de ratione autem Subsistentiæ solùm est quòd non assumatur formaliter. Non repugnat posse assumi identicè. Et hoc potest probari primò, quia Indiuisibile potest identicè esse diuisibile, vt videre est in lineâ, quæ solùm formaliter est indiuisibilis, identicè secundùm longitudinem est diuisibilis. Secundò, quia Substantia, quæ formaliter talis est, potest esse Accidens identicè, ratione Accidentium logicorum, à quibus solùm distinguitur virtualiter. Tertiò, quia Subsistentia non est minùs inassumptibilis, quàm Accidens: & tamen Accidentia solùm formaliter non possunt assumi, identicè assumi queunt; & defacto Accidentia logica humanitatis Christi Domini fuere assumpta identicè ratione humanitatis: similiter ergo Subsistentia solùm formaliter est vltimus terminus vlterius inassumptibilis formaliter, identicè poterit fieri non vltimus, & vlteriùs terminari.

154 Sed contrà, quia ea, quæ sunt formaliter

liter talia, nec identicè possunt fieri non talia; alioqui identicè amitterent suam essentiam: at entitates neque identicè possunt amittere suam essentiam. Et hinc est (vt vel ipsi Aduersarij concedunt) quòd Angelus, qui est formaliter indiuisibilis, non potest identicè diuidi ratione suæ vbicationis, quæ in multorum opinione (de quâ nos *tract. 7.*) est formaliter diuisibilis, & solùm virtualiter distincta ab ipso Angelo: item creatio neque identicè potest educi in opinione eorum, qui ipsam creationem solùm virtualiter distinguunt à termino: & passio neque identicè potest creari, per creationem, quæ formaliter terminaretur ad generationem passiuam, identicè ad passionē. Non, inquam, possunt creatio identicè educi, & eductio, seu passio creari, quia nimirum creatio se ipsâ formaliter independet à subiecto, & eductio formaliter se ipsâ dependet: si ergo creatio identicè dependeret, & eductio independeret, amitterent suas essentias identicè.

155 Hinc etiam est, quòd linea, quæ formaliter diuiditur secundùm longitudinem, nō diuiditur identicè, neque potest diuidi secundùm latitudinem: & modus, qui essentialiter est actualis coniunctio ad suam realitatem, neque identicè potest ab illâ separari; & ideò nō admittitur actio separatiua modi á suâ realitate, quæ formaliter terminetur ad eius Accidens logicum, v. g. ad eius durationem, & idēticè ad eius entitatē; parum enim refert quòd res amittant suam essentiam primariò, aut secundariò; formaliter, aut identicè; per se, vel per accidens, dummodò illam amittant: at veró si Subsistentia assumeretur identicé, ac per accidens ratione Naturæ, identicè, & per accidens amitteret suam essentiam; desineret enim esse vltimus terminus, siquidem vlteriùs terminaretur: ergo neque identicè potest vniri hypostaticè.

156 Et confirmatur, quia ex hoc principio in Diuinis Paternitas, nec identicè, Filio communicatur, quia si saltem identicè communicaretur, desineret esse vltimus terminus; siquidem identicé vlteriùs terminaretur. Certè in opinione contrariâ nullum assignabitur principium, cur Paternitas identicè ratione Naturæ non communicetur. Si dicas, non communicari ratione distinctionis: contrà est, quia communicatio stare potest cum distinctione; nam Anima rationalis communicatur nouis partibus Materiæ, quæ per generationem accrescunt; & tamen ab illis distinguitur realiter. Si dicas, non communicari ratione oppositionis: contrà est, quia in tuâ opinione necessariò tibi fatendum est oppositionem stare posse cum communicatione identicâ, & solùm tollere communicationem formalem; sin minùs assignetur maior ratio, cur oppositio nō solùm tollat communicationem formalem, sed etiam identicam; & Subsistentia, quæ est vltimus terminus solùm tollat vlteriùs terminari formaliter, non verò vlteriùs terminari identicè.

157 Neque exempla adducta Indiuisibilis, quod identicè est diuisibile; & Substantiæ, quæ identicè est Accidens logicum; item Accidentium logicorum, quæ identicé, assumptâ humanitate, fuere assumpta, sunt alicuius momenti. Nam in ijs nihil assignatur, quod idēticè amittat suam essentiam. Nam Indiuisibile, nimirum linea, quæ est indiuisibilis secundùm latitudinem, neque identicè secundùm latitudinem fit diuisibilis; Substantia neque identicè secundùm suum esse physicum, ac substantiale inhæret; Substantia sub ratione Substantiæ, neque identicè desinit existere per se; neque Accidens logicum, quá Accidēs, desinit inhærere: at Subsistentia, quá talis, sub ratione vltimi termini, identicé desineret esse vltimus terminus, siquidem vlteriùs terminaretur.

§. II.

Primum argumentum solutum.

158 SVperest, vt ad fundamenta opinionis contrariæ respondeamus. Ad primum (quâtenus dicit si Subsistentia esset virtualiter distincta á Naturâ, benè posse hanc assumi, quin Subsistentia assumeretur. Et hoc probat exemplo Verbi Diuini, quod solùm assumit humanitatem, quin illam assumat Subsistētia absoluta, cum tamen Subsistentia Verbi, & Subsistentia absoluta solùm virtualiter distinguantur) respondeo in primis esse diuersam rationem: nam in Diuinis non quidquid intrinsecè conuenit vni, conuenit etiā alij indistincto: & sic Paternitas nō communicatur; Natura veró maximè: Relatio producit, & producitur; non ita Natura. At verò in creatis quidquid intrinsecè conuenit vni, conuenit etiam alij indistincto; vnde si Subsistentia esset solùm virtualiter distincta, non posset assumi Natura, quin etiam Subsistentia assumeretur.

159 Responderi potest secundó assignando aliam diuersam rationem. Quia Vnio hypostatica recipitur in Naturâ creatâ, & cū illâ identificatur, & quidquid intrinsecè, hoc est, per modum formæ, vel subiecti conuenit vni, conuenit etiam alteri ab eo indistincto:

ut Vnio hypostatica non recipitur in Subsistentiâ relatiuâ, sed illam tamen respicit vt purum terminum, qui modus respiciendi non est intrinsecus ipsi termino; siquidem non est per modum Formæ, vel subiecti. Adde, quod si talis modus respiciendi esset intrinsecus per Vnionem hypostaticam mutaretur Verbum Diuinum; inciperet enim aliter se habere intrinsecè: quo admisso, difficilè saluatur Immutabilitas Diuina (de quâ re infrà à num. 354.) benè potest ergo Vnio hypostatica respicere solam Subsistentiam relatiuam, quin identicè respiciat absolutam; nam illud, quod non conuenit intrinsecè, benè potest conuenire vni, quin conueniat alteri indistincto, vt patet in cognitione, quâ potest cognosci vnus gradus metaphysicus, quin cognoscatur alius in meâ opinione, quæ ad mittit distinctionem virtualem intrinsecam, vt patet ex dictis *tract. 1. à num. 180.*

§. 12.

Obiter, An Vnio hypostatica sit intrinseca Verbo Diuino?

160. Dixi, *Vnionem hypostaticam non esse Verbo intrinsecam*, non quòd ad illud non terminetur physicè, immediatè (ad illud enim physicè, ac immediatè terminatur) sed quia in illo non recipitur, nec cum eo identificatur. Et in hoc sensu illam communiter dicunt Verbo extrinsecam Thomistæ, necnon Lorca *de Incarnat. d. 15. n. 4.* P. Lessius *de Diuinis perfectionibus lib. 12. cap. 6. n. 52.* Quem modum loquendi approbat, & dicit communem Cardinalis Lugo *de Incarnat. d. 11. n. 82.* Illum tenet D. Bonau. *in 3. dist. 1. q. 1.* vbi dicit Verbum Diuinum per Vnionem hypostaticam incipere denominari vnitū, sicut vnum album posito alio albo incipit denominari simile; & sicut columna posito homine incipit denominari dextra, vel sinistra: quæ sanè denominationes sunt extrinsecæ. De hoc pleniùs infrà à n. 354.

Lorca
P. Lessius
P. Lugo
D. Bonau.

161. Obijcies primò cum P. Petro Hurtado *de Incarnat. d. 22. n. 22.* vbi cum alijs Recentioribus contendit Vnionem hypostaticam esse Verbo intrinsecam; quia, quod extrinsecè se habet respectu alterius, illudque extrinsecè denominat, non constituit cum illo vnum verè physicè, ac realiter vnum: Vnio verò hypostatica constituit cum Verbo Diuino vnum hominem verè, physicè, ac realiter vnum.

P. Petrus Hurt.

162. Respondeo, Quod extrinsecè se habet respectu alterius, illudque extrinsecè denominat vt partē nō cōstituere cum illo vnum verè, physicè, ac realiter vnum; secùs dicendum si extrinsecè se habeat respectu alterius, illudque extrinsecè denominet vt terminum. Sic terminus, seu obiectum creatum dictum in obliquo, extrinsecè se habet respectu Voluntatis Diuinæ; & tamen in communi opinione constituit cum illâ actum liberum verè, physicè, ac realiter vnum: & tempus imaginarium dictum in obliquo, extrinsecè se habet respectu existentiæ rei durantis: & tamen in communi opinione constituit cum illâ durationem verè, ac realiter vnam.

163. Maior autem ratio cur partes physicæ debeant esse sibi inuicem intrinsecæ, non verò Natura, & terminus, in eo est, quia partes physicæ vniuntur vnione informatiuâ, quæ requirit quandam veluti penetrationem Formæ cum Materiâ: Natura verò, & terminus contenti sunt vnione purè terminatiuâ, maximè quando terminus est purus.

164. Obijcies secundò. Verbum est homo intrinsecè: ergo intrinsecè vnitur humanitati, ac proinde Vnio hypostatica est vtrique intrinseca. Respondeo Verbum esse hominem intrinsecè, sumptâ particulâ *intrinsecè ex parte* hominis: non ex parte Verbi, hoc est, Verbum est intrinsecum homini: homo non est intrinsecus Verbo.

165. Dices: Verbum est intrinsecum homini: ergo homo est intrinsecus Verbo; non enim potest intelligi quomodò Verbum sit intrinsecum homini, & homo non sit intrinsecus Verbo. Respondeo ex communi doctrinâ apud P. Ouied. *in Phys. contr. uers. 4. punct. 2. n. 17.* illud esse intrinsecum rei, quod illam respicit vt formam, quam recipiat; vel vt subiectum, in quo recipiatur: quæ duo non militant in Verbo Diuino; neque enim est Forma, neque subiectum, sed purus terminus. Tertiò modo dicitur intrinsecum rei, quod est de eius constitutione: & in hoc sensu Verbum Diuinum est intrinsecum homini, quia est de eius constitutione: homo non est intrinsecus Verbo, quia nō est de eius constitutione.

P. Ouiedo

166. Obijcies tertiò. Si idcircò Vnio hypostatica potest terminari ad Subsistentiam relatiuam, quin identicè terminetur ad absolutam, quia respicit relatiuam vt purum terminum, hoc est, extrinsecè, sequitur etiam Vnionem, quæ se habet ex parte Materiæ posse terminari ad vnam virtualitatem Formæ, & non ad aliam; quia hæc vnio etiam respicit Formam vt purum terminum; non enim in illâ recipitur, nec cum eâ identificatur. Respondeo negando sequelam, quia Vnio Materiæ non respicit Formam vt purum terminum, sed vt Formam suæ Materiæ, in quâ ipsa Vnio recipitur, & cum quâ identificatur; at verò

Vnio

Vnio hypostatica respicit Subsistentiam Verbi vt purum terminum.

§. 13.

Alia duo argumenta soluta.

167 AD secundum fundamentum propositum initio difficultatis n. 148. (quàtenus dicebat solam Naturam, non verò Paternitatem Filio communicari: & inde inferebat posse solam Naturam relictâ Subsistentiâ vniri hypostaticè) respondeo illud esse specialissimum in Mysterio Trinitatis, in quo propter eius infinitatem, & oppositionem potest vnum intrinsecè communicari, quin communicetur aliud virtualiter distinctum.

168 Instabis: Etiam in creatis linea componit superficiem quàtenus indiuisibilis, non veró quàtenus diuisibilis; deinde lux per solam virtutem calefactiuam producit calorem, non veró per virtutem illuminatiuam, cùm tamen hæ duæ virtutes solùm virtualiter distinguuntur: ergo etiam sola Natura poterit assumi, quin eius Subsistentia virtualiter distincta assumatur. Respondeo lineam etiam identicè componere quàtenus diuisibilem. Deinde lucem secundùm se totam identicè calefacere. Nisi velis dicere actionem calefactiuam, cùm sit extrinseca suo principio, posse illud denominare secundùm vnam virtutem, non verò secundùm aliam virtualiter distinctam.

169 Ad tertium desumptum ex Relationibus, & alijs Accidentibus logicis quæ nõ fuerunt assumpta, licèt Natura assumeretur, respondeo Relationes in opinione, quæ illas solùm virtualiter distinguit á Naturâ, & alia Accidentia logica etiam fuisse assumpta non formaliter, sed identicè: at repugnat Subsistentiam etiam assumi identicè, vt constat ex dictis *num.* 154.

SECTIO III.

Vtrùm Subsistentia sit simplex, an composita?

170 NON est sermo de simplicitate metaphysicâ: certum enim est omnem Subsistentiam creatam componi metaphysicè ex Genere, & Differentiâ, vt ostendimus in *Log. tract.* 4. *num.* 59. Quæstio solùm procedit de simplicitate physicâ, & integrali: & quærimus, Vtrùm Subsistentia rerum corporearum sit composita ex partibus integrantibus: an potiùs omninò simplex? Item, Vtrùm Subsistentia compositi physici aliquam etiam induat compositionem physicam ex Materiâ, seu quasi Materiâ, & Formâ? Dixi, *Subsistentiam rerum corporearum*, quia certum est Subsistentiam rerum spiritualium esse omninò simplicem tùm simplicitate physicâ, tum integrali; sicut ipsæ Naturæ spirituales, cum quibus identificantur; neque enim tales Subsistentiæ habent vnde desumant diuisibilitatem.

§. 1.

Vtrùm Subsistentia sit composita compositione integrali?

171 PRima difficultas: Vtrùm Subsistentia sit composita compositione integrali? Nonnulli existimant esse omninò simplicem, & partium expertem. Ita P. Fons. 5. *Met. c.* 8. *q.* 6. *s.* 5. in fin. Caietan. & alij, quos citat, & sequitur P. Albertin *tom.* 2. *d.* 3. *de Substantia q.* 6. *n.* 5. Et probatur primó, quia si Subsistentia constaret partibus, necessariò vna eius pars communicaretur alij: implicat verò, quód vna Subsistentia, siue totalis, siue partialis communicetur alteri. Secundó, quia cùm tales partes essent omogeneæ, quælibet esset Suppositum, sicut est tota Subsistentia, ad eum modum, quo quælibet pars aquæ est aqua: & quod inde sequitur, in quolibet indiuiduo corporeo reperientur multa supposita. Tertiò, quia plures dantur modi, qui non sequuntur diuisibilitatem Naturæ, cuius sunt modi, vt patet in Vbi Eucharistico, quod est indiuisibile, quantumuis eius subiectum, nimirum corpus Christi, sit diuisibile: item in Vbi Angeli correspondentis spatio diuisibili: & in Vnione Animæ Rationalis, quæ sunt diuisibilia, quantumuis Naturæ, cum quibus identificantur, sint insectiles, & indiuisibiles. P. Fons. P. Albert.

172 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Subsistentiam rei corporeæ esse sectilem in partes integrantes, ac diuisibilem. Ita P. Soar. *in Met. d.* 34. *s.* 5. *n.* 9. P. Vasq. *de Incarnat. d.* 32. *n.* 21. P. Tellez *disp.* 15. *sect.* 3 *n.* 4. & 5. vbi allegat Paludan. Ferrar. & alios, Cardinalis Lugo *de Incarnat. disp.* 12. *sect.* 4. *n.* 55. P. Hurtad. *in Phys. disp.* 2 *sect.* 17. §. 77. P. Arriaga *in Met. d.* 4. *n.* 70. P. Cõpton. cit. *s.* 9. *n.* 9. Probatur, quia modus sequitur Naturam, cuius est modus: at verò Natura corporea P. Soar. P. Vasq. P. Tellez. P. Lugo P. Hurt. P. Arriag. P. Cõpton.

corporea est composita compositione integrali. Et confirmatur primò, quia si Subsistentia esset indiuisibilis, aut esset tota in totâ Materiâ, & tota in quâlibet eius parte: aut esset tota immediatè in vnâ tantùm parte, mediatè verò in alijs. Primũ dici nõ potest, quia ille modus essendi videtur proprius rei spiritualis: illa verò Subsistẽtia est corporea. Secundũ etiã intelligi nõ potest, tũ quia nõ est maior ratio cur Subsistentia potiús sit in vnâ parte, quám in aliâ: tum quia Existentia non est in vnâ tantùm parte: ergo neque Subsistentia. Confirmatur secundò, quia inhærentia Accidentis corporei habet partes integrantes correspondentes partibus ipsius Accidentis inhærentis: ergo etiam Subsistẽtia Substãtiæ corporeę habebit partes integrantes correspondentes partibus ipsius Substantiæ subsistentis.

173 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo Subsistentiæ non repugnare cõmunicari, & vniri alteri quomodocũque, sed solùm communicari, & vniri alteri tanquam termino: aliter se habent partes Subsistentiæ; non enim vnitur vna alteri, vt termino, sed vt pars parti, ex quibus tota Subsistentia integratur.

174 Ad secudũ, nego quãlibet partem Subsistentiæ esse Suppositum; nam Suppositum est idem, ac Subsistentia totalis, & cõpleta: quælibet quidem pars est Subsistentia; non tamen quęlibet est Totum, seu Suppositum, ad eum modũ, quo quælibet pars Materiæ est Materia; nõ tamen quælibet est Materia cõpleta: neque hoc tollit quominùs partes sint omogeneæ; nã ad id satis est, quód quælibet habeat eandẽ essentiam cum Toto, licèt non habeat eandẽ denominationem Totius, seu Suppositi, quæ est accidentalis respectu Subsistentię.

175 Ad tertium, dico in primis omnẽ modum sequi Naturam, cuius est modus. Vbi Eucharisticum est diuisibile entitatiuè, licèt indiuisibile sit quòad effectum, vt constat ex suprà dictis. Vbi Angelicum est indiuisibile, vt suo loco ostendemus: Vnio Animę Rationalis etiã est indiuisibilis, vt *in Phys. tract. 1 n 403.* ex professo probauimus. Deinde, dato quòd Vbi Angelicum, & vnio Animæ Rationalis non sequerentur Naturas, quarum sunt modi, adhuc id non concederem Subsistentiæ rei corporeæ. Diuersa ratio est, quia Vbi Angelicum, & vnio Animæ Rationalis respiciunt essencialiter terminos diuisibiles, nimirum spatium diuisibile, & Materiam diuisibilem: quod non visitur in Subsistentiâ.

§. 2.

Vtrùm sit sectilis per modum aquæ in plures totales?

176 QVæres, Vtrùm Subsistentia possit diuidi in plures, quæ post diuisionẽ maneant totales, & cõpletæ? Quæstio procedit de Subsistentiâ totali Totius omogenei: & quæritur, An sicut aqua potest diuidi in plures, quę post separationem manent plures aquæ totales, & completæ, ita Subsistentiæ cum eâdem aquâ diuisæ maneant plures totales, & completæ? Negat P. Fonsec. cit. *l. 5. Met. cap. 8. q. 6. sect. 5.* asserens quando destruitur Totum omogeneum, deperdi totam Subsistentiam, & in partibus diuisis resultare alias. Probatur primò, exemplo relationis æqualitatis inter duos cubitos; nam illis diuisis in partes æquales deperditur illa relatio totalis, & resultant aliæ nouæ in singulis cubitorum partibus. Secundò, quia aliàs idem Suppositum posset diuidi in plura: at sicut Persona non potest diuidi in plures Personas, ita neque vnum Suppositum in plura Supposita. P. Fonsec.

177 Probabilior tamen est resolutio affirmatiua, quam tenent P. Soar. *in Met. d. 34. s. 5. n. 25.* P. Hurt. cit. §. 77. Cardinalis Lugo cit. *n. 55.* fine. Probatur, quia Subsistentiæ partiales sequuntur ipsas partes aquæ, ad eũ modũ, quo vniones ipsius aquæ inter eius Materiam, & Formam sequuntur ipsas partes aquæ: sicut ergo partes aquæ diuisæ manent aquæ totales; & earũ vniones inter partiales Materias, & Formas manent vniones totales: ita etiam Subsistentiæ manebunt totales. Et confirmatur primó, quia dicere diuisâ aquâ in partes deperdi Subsistentias partiales correspondentes ipsis partibus videtur sine fundamento, ac liberè dictum; sicut enim vniones partiales inter partiales Materias, & Formas illis correspondentes non deperduntur; ita neque earum partiales Subsistentiæ deperdentur. Confirmatur secundó, quia sine necessitate admittuntur nouę illę generationes Subsistentiarum resultantium in quâlibet parte: & quod inde sequitur in toto Oceano, in quo semper amittuntur, & acquiruntur nouæ partes per continuum influxum fluuiorum, qui in illum ingrediuntur, & ab illo egrediuntur, absque necessitate admittuntur perpetuæ Subsistentiarum vicissitudines. P. Soar. P. Hurt. P. Lugo

178 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum desumptum ab exemplo relationis æqualitatis, quæ nec sicatur cum

cum partibus sui cubiti, respondeo relationem per suam essentiam esse indiuisibiliter respectiuam fundamenti ad terminum, ac proinde eo destructo non posse perseuerare: non ita se habet Subsistentia, sed quęlibet pars respicit quamlibet partem suæ Naturæ, sicut & partes vnionum respiciunt partes extremorũ, inter quas versantur; ac proinde illas sequuntur. Et huius diuersa ratio est, quia tam Subsistentia, quàm vnio sunt modi intrinseci ipsis partibus, cum quibus identificantur: relatio verò est extrinseca termino, quem proinde potest tota indiuisibiliter respicere.

179 Ad secundum, concedo idem Suppositũ posse diuidi in plura, quæ nimirũ accipiant denominationem Suppositi post diuisionẽ, & non ante; sicut ipsæ partes aquæ, quæ ante diuisionẽ pro illo statu denominantur incompletæ, & inadæquatæ, post diuisionẽ dicuntur adęquatæ, & cõpletæ. Neque obstat, quòd vna Persona nõ possit diuidi in duas: ergo neq; vnũ Suppositũ in duo. Diuersa enim ratio est, quia Persona nõ constat partibus omogeneis, nec est Totũ omogeneũ: Supposito verò id nõ repugnat, vt visitur in aquâ, in igne, &c.

§. 3.

Vtrùm Subsistentia sit composita compositione physicâ?

P. Lugo. P. Arriaga. P. Vasq. Cursus Thomist. P. Gaspar Hurt.

180 Secunda difficultas: Vtrùm Subsistentia Cõpositi physici sit etiã physicè cõposita ex Materiâ, & Formâ? Negat Cardinalis Lugo *de Incarn. d. 12. s. 4. n. 39.* P. Arriaga *in Met. d. 4. s. 9.* P. Vasq. 1 *p. d. 125. n. 27. & disp. 174. à num. 15. & tom. 1. in 3. p. disp. 32. cap. 3. & 4.* Cursus Thomist. *in Physic. q. 7. art. 5.* & colligitur ex Gaspare Hurtad. *de Incarnat. disp. 4. à difficult. 8.* Et probatur primò, quia in Composito physico dantur duo Vbi totalia, alterum correspondens Materiæ, alterum correspondens Formę: similiter dantur duæ actiones totales: ergo etiam duæ Subsistentiæ totales. Secundò, quia ex duobus actibus non fit vnum per se: at verò illæ duæ Subsistẽtię Materiæ, & Formæ sunt actus.

P. Soar. P. Tellez. P. Ouiedo. P. Molin. P. Rub. P. Petrus Hurt.

181 Nihilominus dicendum Subsistentiã in Composito physico esse compositam cõpositione physicâ ex partibus essentialiter diuersis. Ita P. Soar. *in Met. d. 34. s. 5. n. 7.* P. Tellez vbi proximè cũ Paludano, P. Ragusâ, & alijs, P. Ouiedo *in Met. controuers. 6. puncto 4. n. 13.* P. Molin. 1. *p. q. 8. a. 1.* P. Rub. 1. *Physic. tr. 2. q. 5. n. 44.* P. Petrus Hurt. *in Physic. d. 2. n. 69.* Probatur, quia Subsistentia Materiæ, & Subsistentia Formæ, cũ quælibet sequatur suam realitatẽ, sunt essentialiter diuersæ. Quod saltem negari non potest in Composito humano; nam Subsistentia Materiæ est corporea, & Subsistentia Animæ Rationalis est spiritualis. Negari etiam non potest in Subsistentijs aliarum Formarũ, quæ cùm sequantur ipsas Formas, non possunt non esse essentialiter diuersæ à Subsistentiâ Materiæ: atqui ex Subsistentiâ Materiæ, & ex Subsistentiâ Formę resultat vnum Compositum. Et hoc ostenditur, quia ex ipsâ Materiâ, & Formâ resultat vnũ Cõpositum physicum: item ex vnione Materiæ, & ex vnione Formæ resultant vnũ Cõpositũ: ergo etiã ex Subsistẽtiâ Materiæ, & ex Subsistentiâ Formæ resultabit aliud: Subsistentia Materiæ habet se per modũ Materiæ, Subsistentia Formæ per modũ Formæ: non quòd hæc subiectetur in illâ; subiectatur enim in ipsâ Formâ (vt inferiùs dicemus *n.* 311) sed quòd illi vniatur.

182 Dices: Si Subsistentia Formæ informaret Subsistentiã Materiæ illi cõmunicaret suũ effectũ formalẽ; omnis enim Forma cõmunicat Materiæ, quã actuat, suũ effectũ formalem: at Subsistentia Formæ non potest cõmunicare Subsistentiæ Materiæ suũ effectũ formalẽ; hic enim est reddere Formã incõmunicabilem alij Supposito: at Subsistentia Formæ non præstat talem effectũ in Subsistentiâ Materię. Respondeo Subsistentiã Formæ, vt dixi, non subiectari in Subsistentiâ Materiæ, sed tantùm illi vniri; vnde nõ est necesse, quòd illi cõmunicet suũ effectũ formalẽ: sicut vnio Formæ non communicat suum effectum formalem vnioni Materiæ in opinione, quam sequimur, admittente in Composito physico duas vniones partiales.

183 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus asserit Vbi Materiæ, & Vbi Formæ non componere vnum, sed quodlibet esse totale) plures asserunt etiam huiusmodi Vbi esse partialia, & componere vnum totale; nam vni subiecto totali vnum competit Vbi totale: sed de hoc nos posteà *tract. 7.* Respondeo interim, dato quòd Vbi Materiæ, & Vbi Formæ sint totalia, & completa, esse diuersam rationem in Subsistentijs Materiæ, & Formæ; nam Vbi Materiæ, & Vbi Formę, cùm sint Accidentia, non faciunt vnum per se cum suis subiectis, sed quodlibet respicit suum diuisibiliter, & independenter ab alio, ac proinde quodlibet se solo est totale; similiter dicendum de actionibus Materiæ, & Formæ; quælibet enim, quà talis, est Accidens completum in ordine ad Agens: at verò Subsistentiæ partiales sequuntur suas realitates, ac proinde sunt incompletæ vt illæ, & similiter compositę vt illæ.

Ad

184 Ad secundum (quatenus dicit ex duobus actibus, quales sunt Subsistentiæ, non fieri vnum per se) respondeo illas Subsistentias partiales esse quidem actus respectu Materiæ, & Formæ: hoc tamen non obstare quominùs Subsistentia Materiæ habeat aliqualem rationem Materiæ respectu Subsistentiæ Formæ, ad eũ modũ, quo vniones Materiæ, & Formæ sunt quidam actus respectu earum: & tamen vnio, quæ se habet ex parte Materiæ habet aliqualem rationem Materiæ respectu vnionis, quæ se habet ex parte Formæ. Imò id non obstaret etiam si haberet perfectam rationem subiecti, seu Materiæ, nam benè potest vna entitas esse Forma respectu vnius, & subiectum respectu alterius, vt patet in Quantitate, quę est actus respectu Materiæ, & subiectum respectu albedinis, quę in illâ immediatè subiectatur.

§. 4.

Quâ ratione partiales Subsistentiæ Materiæ, & Formæ inter se uniantur?

185 Tertia difficultas: Quâ ratione partiales Subsistentiæ Materię, & Formæ vniãtur inter se? P. Vasq. *de Incarn. d.* 32. c. 4. existimat non vniri immediatè peculiari, & sibi propriâ vnione, sed solùm mediatè ratione vnionum Materiæ, & Formæ. Probatur primò, quia non sunt multiplicandæ entitates absque necessitate: sufficiunt autem partiales vniones Materiæ, & Formæ, quæ primariò vniant ipsam Materiam, & Formam; secũdariò earum Subsistentias inter se. Secundò, quia albedo sufficienter vnitur subiecto mediante Quantitate: ergo etiam Subsistentiæ sufficienter vnirentur mediante Materiâ, & Formâ. Tertiò, quia vnus modus, qualis est vnio, non potest esse modus alterius, sed alicujus realitatis: non ergo potest dari specialis vnio inter duas Subsistentias partiales. Quartò, quia partes integrantes Subsistentiæ Materiæ nõ vniũtur per sibi speciales vniones: sed per vniones ipsarũ partium Materiæ. Et hoc probatur exẽplo vbicationũ partialiũ ex quibus coalescit vbicatio totalis Quantitatis; non enim hæ inter se vniuntur per sibi speciales vniones, sed per vniones ipsarũ partiũ Quãtitatis: ergo similiter dicendum de partibus integrantibus Subsistentiæ Materiæ; & quod inde sequitur, sicut hæ vniuntur per vniones partium Materię, ita Subsistentiæ Materiæ, & Formæ vniẽtur per vniones ipsius Materiæ, & Formæ. (P. Vasq.)

186 Nihilominus probabiliùs dicendum videtur huiusmodi Subsistẽtias vniri immediatè per proprias, & sibi peculiares vniones. Ita P. Soar. *in Met. disp.* 34. *sect.* 2. *num.* 23. & *de Incarnat. d.* 17. *sect.* 5. §. *Quod autem*, P. Hurtad. *in Phys. d.* 2. §. 124. P. Rub. 1. *Physicor. tract.* 2. *q.* 4. P. Tellez *disp.* 55. *sect.* 7. *n.* 2. Probatur primò, quia diuersa extrema diuersas postulant vniones. Hoc est certum, quia vnio dependet essentialiter ab extremis, & per illa specificatur: atqui Materia, & Forma sunt extrema distincta à suis Subsistentijs; siquidẽ hæ sunt modi, illæ verò realitates: ergo habent distinctas, & sibi speciales vniones. (P. Soar. P. Hurt. P. Rub. P. Tellez)

187 Dices, diuersa extrema primaria requirere diuersas vniones; aliter dicendum de diuersis extremis secundarijs: at verò Subsistẽtię, inquies, sunt extrema secũdaria. Sed cõtrà. Primò, quia nulla est ratio, ob quam illæ partiales Subsistentiæ nõ sint extrema primaria respectu alicuius vnionis sibi propriæ, & peculiaris. Secũdò, quia si vniones Materię, & Formæ vnirẽt earũ partiales Subsistentias, etiã in Christo Dño vnirent earũ partiales Vniones hypostaticas: hoc autem præterquãquòd sit contra cõmunem sententiam Theologorũ, videtur stare non posse, quia vniones naturales non sunt proportionatæ ad vnienda extrema supernaturalia.

188 Tertiò, & efficaciter, quia alioquì etiam partiales vniones Materiæ, & Formæ vnirent ipsa Accidentia Materiæ, & Formæ inter se, & cum ipsâ Materiâ, & cum ipsâ Formâ; ac proinde vnirent Quantitatem Animæ Rationali, & Intellectui, & iterum Intellectum, & Animam Rationalem Quantitati, quod est aperté falsum.

189 Quartò, quia Subsistẽtia creata ex eo quòd sit modus, nõ potest cõmunicare suũ effectũ formalẽ alteri Naturę, in quâ immediatè nõ est: ergo etiã vniones Materiæ, & Formæ nõ possunt cõmunicare suũ effectũ formalem Subsistentijs, in quibus immediatè non sunt.

190 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit huiusmodi partiales Subsistẽtias sufficiẽter posse vniri per vniones Materię, & Formę; nõ esse autẽ multiplicãdas vniones absq; necessitate) respõdeo Subsistentias esse sufficiẽtes ad cõstituẽda extrema primaria diuersa: deinde ex illis cõstitui Totũ diuersũ, quod stare nõ potest sine diuersâ vnione.

191 Ad secundum (quatenus dicit albedinem vniri subiecto mediante Quantitate) respondeo albedinem non esse proportionatam vniri subiecto, nisi mediante Quantitate, cui subordinatur: at verò duas partiales Subsistentias esse proportionatas vniri immediatè inter se.

192 Ad tertiũ (quatenus dicit vnũ modũ nõ posse esse modũ alterius, sed alicujus realitatis)

respondeo vnum modum benè posse esse modum alterius. Ostenditur hoc primò, quia actio, quâ producitur vnio, est illius modus. Secundò, quia actio, quâ producitur Subsistentia, etiam est illius modus. Tertiò, quia Vniones hypostaticæ partiales vniuntur medijs alijs vnionibus, vt diximus *in Physic. tr. 1. n. 390.* & est commune Theologorum.

193 Ad quartum de partibus integrantibus Subsistentiæ, quæ non vniuntur mediantibus vnionibus distinctis: respondeo eodem modo de illis philosophandum esse, quo de vnionibus inter partes Continui, de quibus diximus ex professo *in Physic. tract. 4. num. 49.* vbi resoluimus has partes, cùm non sint actu distinctæ, sed solâ potentiâ, vniri se ipsis prout connotant vlteriorem extensionem, seu negationem termini.

§. 5.

Vtrum partiales Subsistentiæ Materiæ, & Formæ vniantur per partiales Subsistentias suarum vnionum?

194 DIximus Subsistentias partiales Materiæ, & Formæ non vniri inter se per vniones Materiæ, & Formæ, sed per alias distinctas, & speciales. Aliqui putant has distinctas, & speciales vniones coincidere cum Subsistentijs vnionum Materiæ, & Formæ. Ad cuius intelligentiam, suppono opinionem (quam inferiùs sequemur) asserentium non solas realitates, sed etiam modos substantiales habere suas peculiares Subsistentias; ac proinde vniones Materiæ, & Formę habere suas speciales Subsistentias. In hac ergo opinione plures Recentiores cum P. Ouied. *in Met. controuers. 6. punct. 4. n. 15.* contendunt Subsistentias vnionum esse vniones Subsistentiarum Materiæ, & Formę. Probatur, quia hæ Subsistentiæ vnionum sunt vniones sui ipsarum; aliàs si vnirentur vnionibus distinctis, hæ vniones subsisterent alijs Subsistentijs, & sic iretur in infinitum: ergo etiam erunt vniones Subsistentiarum Materiæ, & Formæ: imitantur igitur Subsistentiæ vnionum ipsas vniones; & sicut hę vniunt Materiam, & Formam, ita earum Subsistentiæ vniunt Subsistentias Materiæ, & Formæ.

195 Cohærentiùs tamen, & probabiliùs dicendum videtur prædictas Subsistentias vnionū non esse vniones Subsistentiarū Materiæ, & Formę, seu, quod idē est, Subsistentias Materiæ, & Formæ non vniri Subsistentijs vnionum, sed per vniones speciales distinctas. Probatur, quia sunt distincta extrema: ergo requirunt distinctas vniones. Et confirmatur, quia possunt Subsistentiæ Materię, & Formæ manere vnitæ, destructis à Deo Subsistentijs vnionum: item possunt manere Subsistentiæ vnionum, destructis Subsistentijs Materiæ, & Formæ: ergo Subsistentiæ vnionum sunt aliquid distinctum ab vnione Subsistentiarū Materiæ, & Formæ.

196 Neque obstat, quòd Subsistentiæ vnionū sint vniones sui: ergo etiā erūt vniones Subsistentiarum Materiæ, & Formæ. Non, inquam, hoc obstat, quia Antecedens est falsum; Subsistentię enim vnionum non vniuntur se ipsis (cùm ipsæ non sint vniones) sed per ipsas vniones, quarum sunt Subsistentiæ. Per has, inquam, & non per alias, ne detur processus in infinitum. De quo plenè paulò infrà.

SECTIO IV.

In quibus rebus detur Subsistentia?

197 SVPPONO in primis in Deo dari tres Relationes, quibus constituuntur tres Diuinæ Personæ sunt hæ, Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiua. Suppono deinde dari aliam quartam Relationem, quæ à Theologis vocatur Spiratio actiua. Hæc est communis Patri, & Filio, & cum illis constituit vnum Spiratorem indistinctum quidem ab ipso Patre, & Filio, distinctum tamen à Spiritu Sancto. Tres priores Relationes sunt de Fide definitæ in Concilio Florentin. *sess. 16.* & Tole- *Concil.*
tano 11. *in Confessione Fidei.* Quarta Relatio, *Florent.*
aut est de Fide, vt docet P. Molin. *1. p. q. 28.* *Toletan.*
art. 4. aut saltem negari non potest sine erro- P. *Molin.*
re, & temeritate, vt docet P. Soar. *5. de Trinitate* *P. Soar.*
cap. 4. de eâ ex professo infrà *tract. 5. de Relatione.* Suppono tertiò, hanc quartam Relationem non esse Subsistentiam, vt communiter docent Theologi, de quo videri potest idem P. Soar. cit. *c. 8. n. 6.* & P. Martin. *d. 26. de Trinit. n. 21.*
Non est, inquam, Subsistentia. Primò, quia cō- P. *Martin.*
municatur Patri, & Filio: incommunicabilitas autem est de ratione Subsistentię. Secundò, quia alioqui darentur in Deo quatuor Subsistentiæ Relatiuæ, quod est contra communem sententiam Patrum, & Conciliorum agnoscentium in Deo tres tantùm Subsistentias, seu hypostases. Tertiò, quia Paternitas, & Filiatio, non essent Subsistentię, hoc est, vltimi termini; siquidem vlteriùs communicarentur isti termino, nimirum Spirationi actiuæ.

Quibus

Quibus omnibus supersedeo, quia sunt propria Theologorum, ad quos tantùm spectat tractare de Deo Trino, cuius certa cognitio haberi non potest nisi lumine supernaturali: ea, quæ spectant ad Deum Vnum sunt intra sphæram Metaphysicæ, & præstantissima eius pars. Relictis igitur Subsistentijs Relatiuis, videndum nobis est

§. I.

Vtrùm in Deo detur Subsistentia absoluta?

198 PRima difficultas: Vtrùm in Deo, prout præscindit à tribus Diuinis Personis, detur Subsistentia absoluta? Affirmare videtur D. Tho. 1. p. q. 39. a. 4. in corpore, & 3. p. q. 2. a. 2. & q. 3. a. 3. Certè affirmant Scot. Duran. Richar. Almai. Ocham. Capreol. Palud. Caiet. & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *de Incarnat. d. 11. s. 3.* & *in Met. d. 34. s. 1.* & *l. 4. de Trinit. c. 11.* & 14. P. Molin. 1. p. q. 29. a. 2. ad 3. *conclus.* 2. P. Fonsec. 5. *Met. cap. 8. q. 5. s. 7.* P. Bellarm. *tom. 1. lib. 2. de Christo cap. 15.* §. *Nota secundò*, P. Ragusa *de Incarnat. d. 50.* P. Granad. *tract. 4. d. 6.* P. Gil. *lib. 3. tr. 4. c. 5.* Ægid. Lusit. *tom. 1. lib. 5. q. 4. a. 4. n. 5.* Pezant. *de Incarnat. q. 3. art. 1. ad 2.* Zumel 1. p. q. 70. *art. 1. q. vnica conclus.* 1. Bañes ibidem q. 29. *art. 3.* §. *Præterea*, P. Florauant. *de Trinitat. lib. 2. notat. 22.* & alij. Probatur primò auctoritate D. Augustin. D. Thom. D. Hier. & Boëtij apud P. Soar. quatenus videntur sentire Deum subsistere Subsistentiâ absolutâ. Quibus adde locũ Agathonis *in epist.* quæ habetur in Synodo VI. *actione* 4. ibi: *Confitemur trium Personarum vnam Subsistentiam:* sic enim habet editio antiqua Concilij, non *Substantiam*.

D. Thom. Scotus Durand. Richard. Almai. Ocham. Capreol. Palud. Caietan. P. Soar. P. Molin. P. Fonsec. P. Bellar. P. Ragusa P. Grana. P. Gil. Ægid. Lus. Pezant. Zumel Bañes P. Florau. D. Aug. D. Hieron. Agatho Boëtius

199 Secundò ratione: quia subsistere est independere ab aliquo sustentante, vt docet Boëtius *l. de duabus Naturis*, ibi: *Subsistit, quod alio non indiget, vt sit*: atquí ita se habet Natura Diuina; non enim dependet ab aliquo, vt docent D. Cyrill. Alex. & D. Anastas. *in explicatione Fidei*, quæ habetur *tom. 4. Bibliot.* ibi: *Quid est Deus? res quæ per se est, neque altero indiget ad hoc vt ipsa subsistat.* Quòd si Natura Diuina cõmunicatur Personis, id non est ex dependentiâ, seu indigentiâ, vt ab illis sustentetur: sed ex fœcũditate, vt illis communicetur.

D. Cyrill. D. Anast.

200 Tertió, quia omne Concretum substãtiale includit Subsistentiam: atquí Deus, vt abstrahit à Relationibus, est Concretum substantiale. Ostendo hanc Minorem in primis ex Concilio Rhemensi, vbi definitur Deum talem esse, & dici in concreto, etiam prout præscindit à Personis. Deinde ratione, quia antequam Mysterium Trinitatis reuelaretur, iam cognoscebatur Deus in concreto præcisus quidem à Relationibus; siquidem hæ non agnoscebantur.

Concil. Rhemense

201 Quartó, quia Deus, prout antecedit Relationes, cõcipitur vt principiũ operationis; idque tam ad extrá, quia concipitur Omnipotens; quàm ad intrá, quia concipitur amans se ipsum amore essentiali, & intelligens se ipsum Intellectione Essentiali: (& hoc est euidens, quia huiusmodi potentiæ, & operationes sunt absolutæ, & essentiales: at verò in Deo prædicata absoluta essentialia sunt priora relatiuis, & notionalibus) atquí Natura non intelligitur posse operari antequàm subsistat. Et huius ratio est, quia Subsistentia est perfectio, & complementum Naturæ in suo esse: at verò priùs est rem perfici, & compleri in suo esse, quàm operari. Et hoc nititur illis duobus Principijs in Philosophiâ receptissimis. *Operatio supponit esse: Actus secundus supponit primum.*

202 Quintò, quia si Natura Diuina, prout præscindit á Personis, non subsisteret, sequeretur duo absurda: primum, communicari Personis non ex fœcunditate, sed ex indigentiâ, & necessitate subsistendi: secundum, non subsistere in omni genere; siquidem solùm subsisteret ministerio Relationum: hæ verò, cùm solùm subsistant in certo genere, non possunt dare subsistere in omni; nemo enim dat id, quod non habet.

203 Sextò, quia Natura Diuina, prout præscindit à Personis, includit omnem perfectionem simpliciter simplicem: sed subsistere est perfectio simpliciter simplex. Probo hoc, quia perfectio simpliciter simplex est illa, quæ in quolibet subiecto melior est ipsa, quàm non ipsa: at veró in quolibet subiecto melius est subsistere, quám non subsistere. Et hoc ostenditur, quia subsistere est existere perfectè, & completè absque dependentiâ ab alio Supposito: hoc autem in quolibet subiecto melius est, quám oppositum.

204 Septimò, quia Subsistentia est complementum, & perfectio Naturæ in genere existentis: atquí Natura Diuina, prout præscindit á Personis, est cõpleta, & perfecta in genere existẽtis. Et hoc ostẽditur, quia est infinita in genere existẽtis: ergo includit omnẽ perfectionem, & complementum in tali genere.

205 Vtrùm verò in hâc opinione, & modo dicendi Deus, prout præscindit á Relationibus sit Suppositũ, an Persona? Rayn ũd. Lullius existimauit esse Personã & Suppositũ absolutum, quia, inquis, Deus ita sumptus constat

Raynaud. Lullius

Naturâ, & Subsistentiâ completâ singulari, ac individuali; ex quibus duobus constat Persona. Verùm hæc sententia est erronea, & damnatur in Directorio Inquisit. Himerici *p. 2. q.* 2. Caietanus fatetur quidē non esse Personā, aut Suppositum; docet tamen esse Semipersonam, & Semisuppositum; quia Persona, inquit, seu Suppositum dicit duo, nimirum subsistere, & esse incommunicabile: at veró Deus prout præscindit à Relationibus, solùm habet primum, non secundum. Alij Doctores suprá citati absolutè dicunt Deum præcisum á Relationibus esse quidem subsistentem, non tamen Personam, seu Suppositum defectu incommunicabilitatis, & grauiter reprehendunt Caietanum temerè in re grauissimâ vtentem hoc vocabulo, *Semisuppositi*, & *Semipersonæ*.

Himerici
Caietan.

§. 2.

Præfertur, & explicatur sententia, quæ non agnoscit in Deo Subsistentiam absolutam.

206 Nihilominus, ne in quæstione de vocabulo laboremus, distinctione opus est. Aut enim loquimur de Subsistentiâ impropriè, ac latè sumptâ; quo pacto nihil aliud est, quàm existentia perfecta per se independens ab omni sustentante: aut de Subsistentiâ propriè, & pressè acceptâ; quo pacto definitur à Metaphysicis, *Vltimus terminus, & complementum Naturæ.*

207 Dico primò. Si quæstio procedat de Subsistentiâ latè, & impropriè sumptâ, datur in Deo Subsistentia absoluta. Et ratio est manifesta, quia in Deo, prout præscindit á Personis, reperitur vna Existentia absoluta perfectissima per se independens ab omni sustentante. Et certé hoc saltem conuincunt argumenta adducta pro opinione contrariâ.

208 Dico secundò. Si quæstio procedat de Subsistentiâ propriè, & pressè acceptâ, prout idem est, ac vltimus terminus Naturæ, non datur in Deo Subsistentia absoluta. Ita Alens. D. Bonau. Marsil. Henric. Genebr. & alij, quos citant, & sequuntur P. Vasq. 1. *p. d.* 125. *c.* 3. P. Valentia ibidem *disp.* 2. *q.* 13. *punct.* 3. & 3. *p. disp.* 1. *q.* 3. *punct* 5. §. *Contraria*, P. Becan. ibidem *tract.* 2. *c.* 3. *q.* 6. P. Albertin. *tom.* 2. *corollar.* 2. *ex Prædicamento Substantia dub.* 1. Lorca *de Incarnat. d.* 24. P. Gaspar Hurt. *de Incarnat. d.* 3. *diffic.* 4. *n.* 17. P. Wading. *de Incarnat. disp.* 4 *dub.* 6. *n.* 76. P. Ruiz *de Trinit. disp.* 34. *sect* 6. P. Arrub. *disp.* 119. *c.* 2. P. Alarcon *tract.* 5. *disp.* 4. *cap.* 4. Mendoç. *in quodlibet. q.* 3. *dub.* 2. Cardinalis Lugo *de Incarnat. disp.* 12. *sect.* 3. *n.* 43. P. Franciscus Amic. *tom.* 2. *disp.* 21. *num.* 18. P. Tanner. *disp.* 4. *q.* 1. *dub.* 6. P. Præposit. 1. *p. q.* 23. *c.* 4. *dub.* 3. P. Tellez *disp.* 56. *sect.* 1. Forest. *de Trinit. disp.* 6. *cap.* 4. & 5. Caspensis *de Trinit. disp.* 3 *sect.* 5. P. Arriag. *in* 1. *p. tom.* 1. *disp.* 51. *n.* 7. P. Mæratius *tract. de Deo disp.* 54. *sect.* 1. P. Martinon *d.* 26. *de Trinit. n.* 19.

Alensis
D. Bonauent.
Marsil.
Henricus
Genebr.
P. Vasq.
P. Valent.
P. Becan.
P. Alberti.
Lorca
P. Gaspar Hurt.
P. Wadin.
P. Ruiz
P. Arrub.
P. Alarc.
Mendoça
P. Lugo
P. Amicus
P. Tanner.
P. Præpos.
P. Tellez
Forest.
Caspens.
P. Arriaga
P. Marat.
P. Martin.

209 Quinque sunt huius resolutionis fundamenta, quibus moueor. Primum desumitur ex ipsâ ratione Subsistentiæ, quæ essentialiter est vltimus terminus, vt constat ex eius definitione: atqui nullum absolutum in Deo potest esse vltimus terminus. Et hoc ostenditur, quia omne absolutum vlteriùs terminatur per Subsistentias Relatiuas, quibus communicatur.

210 Occurrunt Aduersarij solam Subsistentiam creatam propter suam limitationem, & Diuinam Relatiuam propter suam oppositionem esse vltimum terminum; nō veró Subsistentiam Diuinam absolutam. Non satisfaciunt, quia solùm assignant rationem cur nullum prædicatum absolutum sit vltimus terminus; & ego non dico aliquod prædicatum absolutum esse vltimum terminum, imó assero nullum esse vltimum terminum: at inde infero nullum absolutum posse esse propriam Subsistentiam, quia Subsistentia propriè sumpta est vltimus terminus.

211 Secundum fundamentum: quia Existentia Dei præstat quidquid in Deo præstare potest Subsistentia absoluta distincta: ergo hæc est superflua. Antecedens ostenditur, quia Subsistentia absoluta in sententiâ contrariâ nō reddit Naturam vltimò terminatam, & incommunicabilem; siquidem fatentur adhuc vlteriùs terminari per Subsistentias Relatiuas, illisque communicari: solùm ergo reddit Naturam perfectè, & completé existentem: atqui hoc habet Natura Diuina à suâ Existentiâ. Quod sic ostendo, nam Existentia Diuina est formaliter infinita in genere existendi: ergo se ipsâ formaliter est perfectissima, & cōpleta in tali genere; sin minùs illi deesset aliqua perfectio in genere existendi, & consequenter in eo non esset perfectissima.

§. 3.

Tertium fundamentum.

212 Tertium fundamentum: quia Subsistentia propriè sumpta debet esse incommunicabilis; atqui nullum absolutum in Deo est incommunicabile, vt habetur in Concilio Florent. *sess.* 18. ergo nullum potest esse Subsistentia. Maior est certa non

Concil. Florent.

non solùm in creatis, vt contendunt Aduersarij, sed etiam in Diuinis. Quod sic ostenditur, quia ideò in Diuinis Spiratio actiua non est Subsistentia, quia est communicabilis.

213 Respondent Aduersarij Spirationem actiuam non esse Subsistentiam, quia aduenit Personis iam in esse personali constitutis; nam Personalitates, cùm sint vltimi termini, non possunt vlteriùs terminari: vlteriùs autem terminarentur, si Spiratio actiua illis adueniens esset Subsistentia, seu terminus. Sed contrà, quia vnde probas primam Personam in ratione Personæ adæquatè constitui per solam Paternitatem; & non etiam per Spirationem actiuam? Certè non aliunde, nisi quia sola Paternitas est incommunicabilis, non ita Spiratio actiua.

214 Dices, Spirationem actiuam non esse constitutiuam Personæ, quia solùm aduenit vt forma. Sed contrà, quia vnde tu mihi ostendis, aut ostendere potes, Spirationem actiuam esse formam, & non terminum, nisi quia est communicabilis? Cur item Spiratio passiua erit terminus, & non talis erit Spiratio actiua, nisi quia Spiratio passiua est incommunicabilis, non ita Spiratio actiua?

215 Occurrunt Aduersarij secundò, Spirationem actiuam etiam esse Subsistentiam, non tamen constituere Personam, seu Suppositum, quia est communicabilis. Et pro hac opinione, & modo dicendi allegare possunt P. Becan. cap.6 q.5. n.7. in fine, P. Molin. q.36. art.4. d.2. § 5. Obj.14. vbi dicunt Spirationem, prout constat ex Essentiâ, & Spiratione actiuâ subsistere Subsistentiâ Relatiuâ communi Patri, & Filio. Non satisfaciunt. Primò, quia neque hic Spiratio actiua est Subsistentia propriè sumpta, sin minùs esset terminus, & quod inde sequitur, Personalitates non essent vltimi termini; siquidem alio termino vlteriùs terminarentur. Secundò, quia ad nostrum intentum satis est, quòd Spiratio actiua ex eo, quòd sit communicabilis, non sit Subsistentia pressè sumpta prout recurrit cum vltimo termino; inde enim probo non dari in Deo Subsistentiam absolutam sumptâ Subsistentiâ pressé, prout est vltimus terminus. Quód autem Spiratio actiua in hoc sensu non sit Subsistentia, est indubitatum inter Theologos, & contrariam sententiam erroneam, ac temerariam appellat P. Ruiz de Trinitat. disp. 70. sect. 3. num. 4. & 11. P. Becan. & P. Molin. loquuntur de Subsistentiâ latè, prout recurrit cum Existentiâ perfectâ.

P. Becan. P. Molin. P. Ruiz.

(?)

§. 4.

Quartum fundamentum.

216 QVartum fundamentum: quia Aduersarij distinguunt in Deo Existentiam, Subsistentiam absolutam, & Subsistentias Relatiuas, seu Personalitates, asseruntque Existentiam constituere rem actu; Subsistentiam reddere independentem à sustentante; Personalitates reddere incommunicabilem. Et ex hoc modo dicendi sequitur etiam in creatis, v.g. in homine, & in Angelo distingui Existentiam, Subsistentiam, & Personalitatem, ita vt per Existentiam reddatur homo extra causas: per Subsistentiam reddatur independens à sustentante; per Personalitatem reddatur incommunicabilis: Natura ergo hun ana antecedenter ad Personalitatem, & vnionem cum Verbo subsisteret per suam essentialem perseitatem, & independentiam à subiecto; & quod inde sequitur, per Personalitatem Verbi solùm cōstitueretur Persona; at subsisteret per propriã Subsistentiam; quod tamen est destructiuum Mysterij Incarnationis contra Concilia, & Sanctos Patres, quatenus asserunt Naturam humanam in Christo Domino non subsistere per propriam Subsistentiam, sed solùm per Subsistentiam Verbi.

217 Dices: Ergò nullo modo datur in Deo Subsistentia absoluta; sin minùs aliquo modo daretur in Christo Domino Subsistentia creata. Antecedens est contrà nostram primam Conclusionem, in quâ diximus dari in Deo Subsistentiam absolutam sumpto nomine Subsistentia latè prout recurrit cum Existentiâ perfectâ. Respondeo me non admittere quãcunque Existentiam posse dici Subsistentiam, sed solam Diuinam, quæ est perfectissimè cōpleta in genere Existentiæ, & ratione huius complementi potest dici Subsistentia: non ita Existentia creata, quæ in genere Existētiæ est imperfecta, & indiget cōplemento, eius sustentatiuo, quod est Subsistentia.

§. 5.

Quintum fundamentum.

218 QVintum fundamentum hoc loco esse poterat, & eo maximè innititur P. Vasq. quia licèt antiquitùs liberum esset vti hâc voce Subsistentia pro Existentiâ, & re communicabili, tamen post Concilium Toletan. 11. non licèt vti prædi-

P. Vasq. Concil. Toletan.

prædictâ voce nisi pro termino, & re incommunicabili, vt habetur *in confessione Fidei Imperatoris Iustini missa ad Ioannem II.* prout refertur in Concilio cit. *tom. 2. Conciliorum pag. 392. in veteri editione Coloniensi*, vbi Iustinus Imperator postquam dixit; licèt vna sit Subsistentia Deitatis, & humanitatis Christi, non tamen vnam esse Naturam, *Quoniam non idem est Natura, & Subsistentia*, addit *Omnes enim Sancti Patres consonanter nos docent aliud esse Naturam siue Substantiam, & Formam; aliud Subsistentiam, siue Personam: & Naturam quidem, vel Substantiam hoc, quod est commune, significare, Subsistentiam verò, siue Personam hoc, quod est speciale.* Imò sequentibus Concilijs definitum est voces, *Personam*, & *Subsistentiam* in Naturâ rationali omninó coincidere, vt habetur in Concil. Florent. *sess. 19.* ibi: *In specie intellectiua subiectum* (id est Natura singularis, de quâ communis prædicatur) *dicitur Subsistentia, & Persona.* Et in Concilio Ephesino *anat. 4.* sub excommunicatione prohibetur diuisio harum vocum, ibi: *Siquis in Personis duabus, vel Subsistentijs eas voces diuidit*, ex quibus sic potest confici argumentum: Nam in Naturâ rationali singulari voces *Subsistentia*, & *Persona* coincidunt, & recurrunt; atquí in Deo, in quo est Natura rationalis singularis, non potest admitti Persona absoluta, vt ex Directorio Inquisitorum retulimus suprà: ergo neque Subsistentia absoluta.

Concil. Florent.

Concil. Ephesin.

§. 6.

Argumenta soluta.

219 AD primum fundamentum opinionis contrariæ desumptum ex D. August. D. Thom. (quàtenus dicunt Deum subsistere Subsistentiâ absolutâ) respondeo eos loqui de Subsistentiâ impropriâ, prout recurrit cum Existentiâ perfectâ in primo sensu nostræ prioris Conclusionis. In eodem sensu potest accipi locus Agathonis, quamuis re verâ ille typographorum vitio sit deprauatus, qui pro vnâ Substantiâ vnam Subsistentiam typis mandarunt, vt notat P. Vasq. citat. vnde in nouâ Conciliorum editione à Surio factâ non *vnam Subsistentiam* legimus, sed *vnam Substantiam.*

220 Ad secundum (quàtenus dicit *subsistere* esse independere ab alio sustentante: & ita se habere Naturam Diuinam antecedenter ad Relationes) respondeo *subsistere* impropriè sumptum esse existere independenter ab omni sustentante: proprium verò *subsistere* addere incommunicabilitatem alteri Supposito; est enim Subsistentia vltimus terminus: de ratione autem vltimi termini est vlteriùs non communicari.

221 Ad tertium (quàtenus dicit omne Concretum substantiale importare Subsistentiam: Deū verò antecedēter ad Relationes esse Concretum substantiale) respondéri potest primó, omne Concretum substantiale dicere Subsistentiam aut propriè, aut impropriè sūptam: Natura Diuina, prout abstrahit á Personis, importat Subsistentiam sumptam impropriè. Responderi potest secundò, Naturam Diuinam præcisam á Subsistentijs posse sumi dupliciter: primó, prout abstrahit ab omni Subsistentiâ, ita vt nullam omninò dicat neque determinatè, neque indeterminatè sumptam: & sic adhuc potest sumi aut in sensu formali; aut in sensu identico: in sensu formali non potest dici Deus, sed Deitas; in sensu idêtico potest dici Deus. In hoc sensu definit Côcilium Rhem. Naturam Diuinam, prout abstrahit á Personis, esse Deum.

222 Instabis: Verba Concilij Rhemensis sunt hæc, *Credimus semper Naturam Diuinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin Diuinitas sit Deus, & Deus Diuinitas*: non ergo potest negari in sensu formali Naturam Diuinam esse Deum. Respondeo S. Concilium solùm velle Naturam Diuinam à parte rei, & in sensu identico esse Deum, & hoc dicit nullo modo posse negari à viro Catholico. Solùm, inquam, id vult, quia hoc loco solùm agit contra Gilbertum Porretanum, qui asserebat Naturam Diuinam distingui realiter á Subsistentijs, ac proinde sumptam in abstracto, neque in sensu identico esse Deum, sed solùm Deitatem.

223 Secundò potest Natura Diuina considerari, prout quidem abstrahit ab omni Subsistentiâ determinatâ, prout tamen aliquam dicit indeterminatam præscindendo ab eo quód sit relatiua, vel absoluta, vna, vel triplex: & in hoc sensu adhuc Natura Diuina manet Deus; siquidem connotat aliquam Subsistentiam, & sic cognoscebatur ab antiquis Philosophis, antequam Mysterium Trinitatis reuelaretur; concipiebant enim hi Philosophi Naturam Diuinam subsistentem in aliquâ Subsistentiâ; Vtrúm hæc esset vna, an triplex: absoluta, vel relatiua? ignorabant: sciebant tamen esse aliquam.

§. 7.

Quartum argumentum solutum: & obiter An, & quo sensu Omnipotentia antecedat Personalitates Diuinas?

224 AD quartum (quàtenus dicit Deum, prout antecedit Perso-

nas

bus concipi vt principium operationis ad intrà per Intellectionem, & Amorem; & ad extrà per Omnipotentiam: & inde infert iam esse subsistentē; nā prius est Naturam subsistere, quàm operari) aliqui renuunt concedere Deum, prout antecedit Relationes, posse intelligi Omnipotentem; nam Omnipotentia est in ordine ad creaturas: hæ verò non intelliguntur ante Relationes. Præterea, quia Omnipotentia est in ordine ad actiones liberas, quales sunt omnes Diuinæ ad extrà; Relationes verò sunt principia actionum naturalium, quales sunt Diuinę ad intrà: in Deo autem actiones liberæ sunt posteriores necessarijs.

225 Dicendum tamen Omnipotentiam posse cōsiderari dupliciter: primò, secundùm suam rationem, & conceptū primarium, prout est virtus quædam absoluta perfectissima potens producere omne producibile conditionatè sumptum, hoc est, si quod fuerit, adhuc tamen nullum cognoscitur absolutè possibile: secundò, penès suas connexiones, perfectiones, & conceptus secundarios, quatenus terminatur ad hoc, & ad illud possibile, quod iam cognoscitur possibile. Omnipotentia sumpta primo modo est prædicatum essentiale, & absolutum, neque est in ordine ad creaturas, aut ad earum actiones absolutè, sed solùm conditionatè sumptas; ac proinde antecedit Relationes; siquidem hæ non sunt de Essentiâ Dei; Omnipotentia verò maximè. Sin autem consideretur secundo modo, quo pacto non est de ratione primariâ, & Essentiâ Dei, tunc est posterior Relationibus; imò & ipsis creaturis sumptis in esse possibili, ad quas dicit habitudinem, & connexionem, easque supponit vt terminum, & obiectum.

226 Ex dictis colliges Omnipotentiam non esse respectum transcendentem ad creaturas; siquidem eas antecedit, & potest intelligi sine illis, de quo *in Phys. tract. 2. num. 462.* Colliges secundò, Quæ sit perfectio primaria Omnipotentiæ, quæ secundaria; quod vulgò *tract. de Visione*, minùs benè intelligi solet: *minùs*, inquam, *benè*, quia dicunt perfectiones secundarias Omnipotentiæ Dei esse illius partes integrantes; quod modò impugnare mei instituti non est. Vide quæ diximus *in Phys. tract. 2. num. 479.*

227 Ad argumentum igitur, quod instat, concedo Deum, prout antecedit Relationes, intelligi constitutum in ratione principij suarum operationum essentialium; dico tamen ad id sufficere quòd subsistat Subsistētiā, quatenus hæc coincidit cum Existentiâ perfectâ. Dices: Natura creata non potest operari, quin subsistat propriâ Subsistentiâ; ergo idem dicendum de Naturâ Diuinâ. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia Natura creata indiget Subsistentiâ propriâ vt existat; non potest autem operari, quin existat: aliter se res habet in Naturâ Diuinâ; nam Natura Diuina perfectè, licèt communicabiliter, existit per suam Existentiam ante Subsistentias; neque illis indiget vt existat perfectè, sed vt existat incommunicabiliter: ac proinde ante illas concipitur constituta in ratione principij suarum operationum essentialium. Neque instes, Naturam Diuinam non posse operari, nisi existat vltimò terminata. Non, inquam, sic instes; nam etiam in tuâ opinione Natura Diuina subsistens Subsistentiâ absolutâ adhuc non est vltimò terminata: & tamen potest operari. Ex dictis colliges quomodò intelligenda sint in Diuinis illa duo Principia, *Operatio supponit esse: Actus secundus supponit primum*, non enim est necesse quòd operatio supponat esse, & actus secundus supponat primum vltimò terminatum, & incommunicabilem: satis est quòd illum supponat perfectè existentem, licèt communicabiliter.

§. 8.

Alia argumenta soluta.

228 AD quintum (quatenus dicit in nostrâ opinione non agnoscēte in Deo Subsistentiam absolutam sequi duo absurda: primum, Naturam Diuinam communicari Relationibus non ex fœcunditate, sed ex necessitate subsistendi: secundum, solùm subsistere per Relationes: ac proinde non in omni genere; nam Relationes Diuinæ solùm sunt infinitæ in certo genere) respondeo non sequi huiusmodi duo absurda: non primum, quia licèt Natura Diuina ante Subsistentias non subsistat propriè, hoc est, non existat incommunicabiliter, existit tamen perfectè: incommunicabilitas igitur, quam solam Subsistentiæ Diuinę addunt supra Existentiam, non aduenit Deo ex necessitate essendi; siquidem ante illam Deus perfectè existebat, sed ex fœcunditate intelligendi, & amandi; hi enim actus, cùm ratione suæ fœcunditatis sint productiui, ratione illius requirunt distinctionem, quæ in Deo ad intrà sine incommunicabilitate, & oppositione stare, & intelligi non potest. In opinione contrariâ sequitur hoc, quod nobis imponitur, nempe Naturam Diuinam communicari Subsistentiis absolutæ ex necessitate perfectè existendi.

229 Secundum absurdum etiam non sequitur in nostrâ sententiâ: quia in eâ dicimus

Naturam

Naturam Diuinam per suam Existentiam existere perfectè in omni genere, & solùm accipere à Subsistentijs Relatiuis incommunicabilitatem, quæ per quamlibet Subsistentiam illi præstatur in omni genere; nam quælibet est vltimus terminus respectu cuiuscúque alterius Suppositi.

230 Obijcies primò. Quælibet Relatio Diuina solú talis est in certo genere: ergo &c. Respondeo quamlibet Relationem in ratione Relationis non excurrere extra suum genus, Paternitatis, v. g. si sit Paternitas; vel Filiationis, si sit Filiatio: at verò in ratione vltimi termini respectu omnis alterius est vltimus.

231 Obijcies secundò. Natura terminata per Paternitatem adhuc vlteriùs terminatur per Filiationem: ergò Paternitas non est vltimus terminus in omni genere. Respódeo Paternitatem nulli alij termino communicari: at verò Paternitas non reddit Naturam incommunicabilem, sed Suppositum, hoc est, Patrem.

232 Ad sextum (quâtenus dicit Naturam Diuinã prout præscindit á Personis includere omnẽ perfectionẽ simpliciter simplicẽ: subsistere verò esse perfectionem simpliciter simplicem) respondeo subsistere propriè sumptũ secundùm incommunicabilitatem, quam solũ addit supra Existentiam Diuinam, non esse perfectionem simpliciter simplicem, cùm secum afferat oppositionem, quæ destruit rationem perfectionis simpliciter simplicis.

233 Ad septimum (quâtenus asserit Subsistentiam esse complementum, & perfectionem Naturæ in genere existentis: Naturam verò Diuinam esse completam, & perfectam in genere existentis) respondeo Subsistentiam in diuinis solùm esse complementum, & perfectionem Naturæ in genere existentis relatiuè, non absolutè: Naturam verò Diuinam antecedenter ad Personas esse perfectam, & cópletam absolutè, non relatiuè.

§. 9.

Vtrùm Anima Rationalis habeat partialem Subsistentiam?

234 SEcunda difficultas: Vtrúm Anima Rationalis habeat Subsistentiam? Non est dubium omnem Substantiam completam siue spirituale, siue corpoream habere Subsistentiam, cùm hæc sit proprietas illius. Dubitatio solùm esse potest de Substantijs incompletis, quales sunt Anima Rationalis, Materia prima, Formæ materiales, Partes integrantes, & Modi substantiales: quæ omnia vt expendam, initium sumo ab Animâ Rationali.

235 P. Vasq. 1. p. d. 125. n. 17. & d. 174. n. 15. & 3. p. d. 32. cap. 3. & 4. Necnon Cardinalis Lugo *de Incarnat. d.* 12. *s.* 3. *n.* 39. P. Albertin. *tom.* 2. *in Prædicamento Substantiæ disp.* 3. *q.* 6. *à n.* 24. Lorca *de Incarnat. disp.* 29. P. Gaspar Hurtad. *tract. de Incarnat. disp.* 4. *difficul.* 9. *à n.* 28. P. Arriaga *in Met. d.* 4. *n.* 67. existimant nullam dari in rerum naturâ Subsistentiam partialem, ac proinde omni carere Animam Rationalem, prout est in corpore. P. Vasq. P. Lugo P. Albertin. Lorca P. Gasp. Hurt. P. Arriaga

236 Probatur primò, quia aut hæc Animæ Subsistẽtia esset totalis: aut partialis. Nó totalis, quia Anima Rationalis non est integra Natura, sed eius pars: ergo non potest habere integram Subsistentiam. Non partialis, quia nulla datur partialis. Et huius ratio est, quia de ratione Subsistentiæ est esse incómunicabilem alteri: si autem aliqua daretur partialis, hæc esset communicabilis alteri partiali. Probatur secundó, quia si Anima Rationalis haberet Subsistentiam, non posset communicari, & vniri Materiæ; nam Subsistẽtia reddit Naturam incommunicabilem; atqui communicatur, & vnitur Materiæ: ergo non habet specialem Subsistentiam. Tertió, quia in Supposito superfluæ sunt duæ Subsistentiæ, altera peculiaris Animæ, altera peculiaris Materiæ: sufficit vna, quæ terminet, & compleat vtramque, vt patet in humanitate Christi Domini, cuius ambæ partes terminantur, & cómplentur per vnicam Subsistentiam Verbi indiuisibilem. Dicunt huiusmodi Doctores Animam, prout est in corpore, non habere specialem Subsistentiam, quia separatæ extra corpus concedunt specialem Subsistentiam, quæ in eâ tunc resultat.

§. 10.

Præfertur resolutio affirmatiua.

237 NIhilominus verior est contraria resolutio asserentium Animam Rationalem, etiam prout est in corpore, habere sibi propriam Subsistentiam partialem. Ita sentire videtur D. Thom. 1. *p. q.* 75. *a.* 2. Caiet. Ferrar. & alij, quos citant, & sequuntur P. Rub. 1. *Physicor. tr.* 2. *de Forma q.* 5. *n.* 44. P. Fonsec. 5. *Met. c.* 8. *q.* 5. *s.* 4. §. *Denique* Patres Conimbricens. 2. *de Anima c.* 1. *q.* 2. *a.* 2. P. Molin. 1. *p. q.* 29. *a.* 1. P. Hurtad. *in Physic. d.* 2. *s.* 7. quâtenus absolutè docẽt Animam Rationalem habere Subsistentiam. Illam in terminis docet P. Soar. *in Met. d.* 34. *sect.* 5. *n.* 3. & 5. & *de Incarnat. disp.* 8. *sect.* 1. §. *Ex hac ergo,* & D. Thom. Caietan. Ferrar. P. Rub. P. Fonsec. Patres Conimbric. P. Mol. P. Hurt. P. Soar.

P. Ragusa. P. Becan. Palud. Aluarez. P. Tellez. P. Ouiedo. P. Martin. P. Compto.

& §. *Ad 3.* & d. 14. *s.* 3. §. *Dico secundo*, & d. 17. *s.* 1. P. Ragus. 3. *p. q.* 4. *a.* 1. *disp.* 56. P. Becan. *de Incarnat. c.* 5. *q.* 4. Palud. *in* 3. *dist* 2. *q.* 2. Aluarez 3. *p. ad q.* 4. *disp.* 2. P. Tellez *disp.* 57. *s.* 2. *n.* 1. P. Ouied. *in Met. controuers.* 6. *punct.* 4. *num.* 13. P. Martinon d. 26. *de Trinitate n.* 10. P. Compton. *in Met. d* 8. *s.* 9. *n.* 6.

238 Probatur primò quia absque necessitate admittuntur illæ duæ Subsistentiæ totales diuersæ, altera Compositi, quam dicunt habere Animam, prout est in corpore: altera, quam dicunt resultare in Animâ, cùm separatur à corpore: ad quid admittuntur illæ Subsistentiæ diuersæ, cùm sufficiat vna partialis, quæ semper comitetur Animam siue in corpore, siue extra corpus? Et hoc argumentum maximè valere debet apud Aduersarios, qui ex eo dicunt nō admitti oportere Subsistentiam peculiarem Animæ Rationalis, quia non sunt admittendæ entitates absque necessitate, & contendunt sufficere vnam Subsistentiam Compositi communem vtrique parti.

239 Secundò probatur, quia Subsistentia Compositi est modus: ergo non potest esse vnus communis vtrique parti; aut enim hic subiectatur in solâ Materiâ, cum eâque identificatur: aut cum solâ Animâ Rationali: aut cum vtrâque simul. Non cum solâ Materiâ, nam si cum earum alterâ identificari oporteret, potiùs debebat identificari cum Animâ Rationali; hæc enim est nobilior, & independentior, quàm Materia. Non cum solâ Animâ Rationali, nam hæc Subsistentia Compositi esset corporea vtpote dependens à Materiâ, vt ipsimet Aduersarij concedunt apud P. Arriagam *in Met. d.* 4. *n.* 71. at modus materialis non potest subiectari in realitate spirituali; modus enim rei sequitur eius entitatem. Tandem non cum vtrâque simul. Primò, quia aut esset materialis; & sic non posset subiectari in Animâ: aut spiritualis; & sic non posset subiectari in Materiâ. Secundò, quia si esset modus vtriusque, foret idem realiter cū vtrâque; ac proinde Materia, & Forma essent idem realiter inter se; nam *Quæ sunt idem in vno tertio sunt idem realiter inter se*, quod Axioma etiam valet in ijs, quæ sunt idem in vno modo, vt ostendimus *in Phys. tr.* 5. *n.* 336.

P. Soares

240 Tertiò probatur, quia Anima Rationalis Christi Domini fuit assumpta per peculiarem Vnionem hypostaticam non solùm quandiu fuit extra corpus in triduo mortis, vt est de Fide, sed etiam quandiu fuit in corpore, vt est communior sentētia grauissimorum Theologorum apud P. Soar. *de Incarnat. d.* 14. *s.* 3. §. *Dico secundò*; & *disp.* 17. *sect.* 1. ergo ei correspondebat specialis Subsistentia; nam specialis Vnio hypostatica non ponitur nisi loco specialis Subsistentiæ; Vnio enim hypostatica substituitur loco Subsistentiæ: ergo specialis Vnio non nisi loco specialis Subsistētiæ.

241 Et confirmatur, quia quando Anima Christi Domini in morte separata est à corpore, non amisit Vnionem hypostaticam, quam habebat, & acquisiuit aliam; hæc enim mutatio in primis non agnoscitur à Sanctis Patribus: deinde absque necessitate ponitur; ad quid enim dicis Animam Christi Domini amisisse suam Vnionem hypostaticam, & acquisiuisse aliam adeò diuersam?

242 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo Animam Rationalem habere Subsistentiam partialem: neque est cōtra rationem Subsistentiæ esse partialem; nam Subsistētia nō est incōmunicatio partis ad partē, sed Naturæ ad terminū: at verò Anima Rationalis vnitur Materiæ vt pars parti: similiter eius Subsistētia vnitur Subsistētiæ Materiæ, vt vna pars alteri parti, non vt Natura suo termino. Ex quo patet solutio ad secundum. Ad tertium ostensum est nullam committi superfluitatem in admittendis duabus Subsistentijs partialibus respectu Compositi; nam prætérquamquòd non possit admitti vna tantùm, vt probauimus, maior superfluitas conceditur ab Aduersarijs, qui dum nolūt admittere in Animâ vnam Subsistentiam partialem, admittunt in eâ duas totales, alteram quandiu est in corpore, alteram quando separatur.

§. II.

Vtrùm Materia prima, & Partes integrantes habeant partiales Subsistentias?

P. Lugo. P. Fonse. P. Arriaga. P. Gaspar Hurt. P. Ragusa. P. Molin. P. Vasq.

243 Tertia difficultas: Vtrùm Materia prima habeat partialē Subsistentiam? Negant Cardinalis Lugo *de Incarn. d.* 12. *s.* 3. *n.* 38. P. Fonsec. 5. *Met. c.* 8. *q.* 5. *sect.* 4. P. Arriaga *in Met. disp.* 4. *n.* 67. P. Gasp. Hurt. cit. *diffic.* 10. P. Ragusa 3. *p. d.* 56 § 3. P. Mol. 1. *p. q.* 29. *a.* 2. *ad* 3. P. Vasq. 1. *p. d.* 127. *n.* 17. & *d.* 174. *n.* 38. Probatur, quia prętérquamquòd hi Doctores negent specialem subsistentiam Animę Rationali, quandiu est in corpore (nolunt enim admittere vnam Subsistentiam partialem in Animâ Rationali, & aliam partialem in Materiâ, sed dicunt in Composito physico, vnam totalem reperiri physicè simplicem, quâ totum Compositum terminatur, ad modum Subsistentiæ Verbi, quæ, vna cùm sit, terminat totum Compositum, nimirum Materiam, & Formam:) prætér hoc, inquam, illud potest addi speciale in Materiâ,

teriâ, quia Subsistentia reddit Naturam formaliter independentem: at veró Materia prima dependet á Formâ in genere causæ formalis.

P. Soar. P. Rub. P. Hurt. P. Tellez. P. Ouied. P. Martin. P. Compt.

244 Nihilominus dicendum Materiam primam habere suam partialem Subsistentiam. Ita P. Soar. *in Met. d. 34. sect. 5. n. 27. & 35. & de Incarnat. d. 14. s. 3.* P. Rub. *1. Physicor. tract. 1. de Materia q. 4. n. 4.* P. Hurt. *in Physica d. 2. §. 75.* P. Tellez vbi proximè *num. 7.* P. Ouied. *in Met. controuers. 6. punct. 4. n. 13.* P. Martinon *d. 26. de Trinitat. n. 10.* P. Compton. *in Met. d. 8. s. 9. n. 10.* Et probatur primò, quia, vt in proximâ Difficultate resolutum est, Subsistentia totalis Compositi non potest existere in solâ Animâ Rationali, & cum eâ identificari; est enim materialis; siquidem dependet á Materiâ, & modus corporeus non potest identificari cum Animâ spirituali: necesse est ergo admittere Subsistentiam partialem identificatam cum Materiâ.

245 Secundó probatur, quia non sunt multiplicandæ entitates absque necessitate: at in contrariâ opinione multiplicantur Subsistentiæ; nam diuersa Subsistentia admittitur in Materiâ, quandiù est sub vnâ Formâ, & diuersa quandiù est sub aliâ; fiunt enim diuersa Composita; & quando fit diuersum Compositum, dicunt extingui Subsistentiam prioris Compositi, & resultare aliam de nouo: in nostrâ opinione sicut perseuerat eadem Materia, ita perseuerat eadem Subsistentia illius.

246 Tertiò probatur, quia Materia Christi Domini, cùm in morte separata est ab Animâ, non amisit Vnionem hypostaticam, quam habebat, & acquisiuit aliam de nouo: at ex contrariâ opinione sequitur amisisse Vnionem hypostaticam, quam habebat, & acquisiuisse aliam de nouo; nam, vt diximus præcedenti Difficultate, Vnio hypostatica substituitur loco propriæ Subsistentiæ: at Materia Christi Domini, si haberet propriam Subsistentiam, per mortem illam amitteret, & acquireret aliam de nouo: ergó amisit Vnionem hypostaticam, quam habebat, & acquisiuit aliam de nouo: at hoc est valdè nouum in Theologiâ, & inducitur absque necessitate.

P. Soar. P. Arriaga P. Tellez. P. Ouiedo P. Marti.

247 Ex dictis sequitur etiam Partes integrãtes habere suas peculiares Subsistẽtias integrantes vnam totalem, vt contra Cardinalem Lugo, P. Molin. & P. Vasq. citatos, tenet P. Soar. *in Met. d. 34. sect. 5. n. 25.* & *de Incarnat. d. 14. sect. 3. §. Dico tertiò* Cui subscribunt P. Arriag. cit. *n. 70.* P. Tellez similiter cit. *num. 9.* P. Ouied. & P. Martinon cit. Probatur primò, quia modus rei sequitur Naturam, cuius est modus; sed Subsistentia corporis est modus illius: ergo debet habere partes integrantes correspondentes partibus integrantibus ipsius Materiæ, seu corporis. Secundó, quia omnes, & singulę partes integrantes corporis Christi Domini fuere assumptæ hypostaticè; imó quaelibet pars, v. g. cor, caput, &c. relictis alijs poterat assumi, vt laté docet P. Soar. *de Incarnat. d. 14. sect. 3.* ergo cuilibet competit sua peculiaris Subsistentia integrans. Tertiò, quia nemo negat partes terræ, & aquæ subsistere post diuisionem: diuisio autem, vel pura negatio continuationis non dat illis formaliter modum positiuum essendi per se. (P. Soar.)

248 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis. Dicendum enim est non posse non admitti Subsistentiam specialem Materiæ, nec intelligi vnum modum posse identificari cum duabus partibus realiter diuersis; sequitur enim non posse inter se distingui realiter, vt patet ex dictis in præcedenti Difficultate. Exemplum Subsistentiæ Verbi Diuini non venit ad rem; nam Subsistentia Verbi non est modus, sed realitas. Deinde ad illud, quod pro Materiâ specialiter allegatur: respondeo Subsistentiam solùm reddere subsistens incommunicabile alteri termino in ratione termini. De quo nos inferiùs, vbi de effectu formali Subsistentiæ sermo erit.

§. 12.

Vtrùm Formæ materiales habeant partialẽ Subsistentiam?

249 QVarta difficultas: Vtrùm Formæ materiales habeant partialem Subsistentiam? Negare videtur D. Thom. *1. p. q. 75. art. 3.* qui tamen loquitur de Subsistentiâ, prout hæc idem est, atque Existentia perfecta. Certè negat P. Fonseca *5. Met. cap. 8. q. 5. sect. 4.* P. Rub. cit. *tract. 2. de Forma q. 4. n. 38.* P. Gaspar Hurt. *de Incarnat. disp. 4. diffic. 8. n. 24.* P. Ragusa *3. p. q. 4. art. 1. disp. 56. §. Dico ergo*, P. Vasq. P. Arriaga, & Cardinalis Lugo citat. Eorum fundamentum tactum est suprá, quia scilicet hi Auctores nõ admittunt partiales Subsistentias. Addi potest, quòd de ratione Subsistentię est reddere Naturam independentem ab alio sustentante: at verò Formę materiales dependent à Materiâ, vt à subiecto sustentante. Et sanè ob hanc rationem huic sententiæ subscribit P. Martinon cit. *d. 26. de Trinit. n. 10. & 13. vers. Instabis.* (D. Thom. P. Fonseca P. Rub. P. Gasp. Hurt. P. Ragusa P. Vasq. P. Arriaga P. Lugo. P. Martin.)

250 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Formas materiales habere suas partiales Subsistentias. Ita Durand. quem citat, & sequitur P. Soar. *in Met.* (Durand. P. Soar.)

in Metaph. d. 34. sect. 5. à num. 45. & de Incarnat. disp. 14. sect. 2. §. Vltima, & sect. 3. §. Dico secundò, P. Ouied. in Metaph. controuers. 6. punct. 4. n. 6. P. Tellez disp. 57. sect. 3. n. 4. P. Compton. proximè cit. Probatur primò, quia Subsistentia est terminus complens, & vltimò terminans Substantiam; sed Forma materialis est Substantia vltimò terminata, & completa in ratione Formæ: ergo habet Subsistētiam. Secundò, quia Materia est ignobilior Formâ: & tamen habet Subsistentiam. Tertiò, quia Forma materialis potest assumi, vt ostendemus, & de facto Forma sanguinis Christi Domini fuit immediatè assumpta, vt cum D. Thom. 3. p. q. 5. tradidimus tract. 1. de Anima n. 220. & id latè probat ex Scripturâ, Patribus, & Doctoribus P. Ragusa 3. p. q. 5. art. 2. disp. 60. §. 1. id autem, quod est capax partialis Vnionis hypostaticæ, suâpte naturâ est capax partialis Subsistentiæ, cuius loco substituitur Diuina. Ad fundamentum opinionis contrariæ dicendum est, de ratione Subsistentiæ non esse reddere subsistens independens, sed solùm incōmunicabile alteri termino in ratione termini, vt sæpè dictum est.

P. Ouiedo. P. Tellez. P. Compt. D. Thom. P. Ragusa

§. 13.

An partialis Subsistentia Formæ materialis sit propria Subsistentia?

251 QVæres primò, Vtrùm hæc partialis Subsistentia Formæ materialis sit propria Subsistentia? Aliqui existimant non esse propriā Subsistentiam, sed modum quendam Subsistētiæ. Et ratio est, quia propria Subsistentia videtur habere duo: primum, reddere Naturam independentem: secundum, reddere vltimò terminatam, & incommunicabilem alteri Supposito: Subsistentia Formæ materialis non habet primum, sed solùm secundum. Ita P. Soar. in Met. d. 34. s. 5. à n. 35. & de Incarn. d. 14. s. 3. quem sequuntur plures recentiores Magistri.

P. Soar.

252 Nihilominus dicendum videtur huiusmodi Subsistentiam Formæ materialis esse propriè Subsistentiam. Ita nonnulli, quos tacito nomine refert P. Soar. cit. in Met. num. 41. quibus subscribunt P. Hurt. in Phys. d. 2. s. 8. & 83. & 88. P. Meratius de Incarnat. d. 19. sect. 2. §. Quarta assertio, ad finem. Probatur primò, quia Subsistentia Verbi in Formâ sanguinis solùm supplet effectum formalem eius Subsistentiæ: & tamen exercet munus propriæ Subsistentiæ. Secundò, quia propria ratio Subsistentiæ non est reddere Naturam independentem, sed vltimò terminatam, & prout sic incommunicabilem alteri Supposito, vt inferiùs ostendemus: Subsistentia autem Formæ materialis illam vltimò terminat; ac prout sic reddit incommunicabilem alteri Supposito. Ex quo patet responsio ad fundamentum opinionis contrariæ.

P. Soar. P. Hurt. P. Merat.

§. 14.

Quid de Subsistentiâ Formæ materialis diuinitùs collocatæ extra Materiam?

253 QVæres secundò in euentu, quo Forma materialis diuinitùs collocaretur extra Materiam, Vtrùm acquireret nouam Subsistentiam, an retineret suam partialem? Aliqui dicunt cum P. Soar. in Met. d. 34. sect. 5. à num. 51. & de Incarnat. d. 14. s. 3. §. Secundò ergo, P. Vasq. quem sequitur Cardinalis Lugo de Incarnat. d. 12. s. 7. n. 94. Formam materialem diuinitùs collocatam extra Materiam acquirere Subsistentiam completam, & supernaturalem: completam, non quoad entitatem; terminat enim Naturā incompletam; sed quoad effectū, penes quem non ordinatur ad Subsistentiā Materiæ: supernaturalē, quia ita se habet, ac Modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ, qui est supernaturalis. P. Soar. P. Vasq.

254 Supponit hæc doctrina Formam nō posse tunc habere suam propriam Subsistentiam. Primò, quia sortitur independentiam à Materiâ: ergo aliam Subsistentiam, per quam ita reddatur independens. Secundò, quia acquirit aliū modū existendi: ergo aliū modū subsistendi: & quòd hic sit cōpletus in effectu, & supernaturalis, patet ex dictis.

255 Nihilominus probabiliùs dicendum videtur Formā in eo euentu adhuc retēturam suam propriam Subsistentiā. Et probatur, quia hæc est proprietas sequens ipsam Formā, nec est aliquid, quod eam destruat; nam Subsistentia Formæ nō depēdet à Materiâ, nec illi per se immediatè vnitur, sed mediāte Vnione. Et confirmatur, quia omnis alia Subsistentia admittitur absque necessitate: & nō sunt admittendæ nouę entitates absque necessitate.

256 Dices, Subsistentiam Formę materialis habere se respectu Subsistentiæ Materiæ per modū Formæ Materialis, vt patet ex suprà dictis: ergo dependet ab illâ, vt à subiecto eductionis; ac proinde separata à Formâ destruetur. Respondeo, Subsistentiā Formæ nō educi à Subsistentiâ Materiæ, neq; in illâ propriè recipi, sed in suâ Naturâ, hoc est, in ipsâ Formâ: solùm dicitur esse per modum Formæ respectu Subsistentiæ Materiæ, quia componit vnā

O Sub-

Subsistentiam per modum Formæ cum illâ sumptâ per modum Materiæ.

257 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit Formam materialem collocatam extra Materiam sortiri independentiam ab illâ, ac proinde aliam Subsistentiam, per quam independeat, concedi in eâ oportere) respôdeo Formam materialem sufficienter tunc reddi independentem á Materiâ per actionem creatiuam, quæ poneretur á Deo loco eductiuæ.

258 Dices: Accidentia extra subiectum præter actionem creatiuam, quæ ponitur loco eductiuæ, sortiuntur nouum modum existendi per se, nimirum quandam perseitatem: ergo etiam Forma materialis præter actionem creatiuam, quæ ponitur loco eductiuæ, indiget nouâ perseitate, seu Subsistentiâ. Respondeo admisso Antecedente, de quo *tr.1.n.546.* negâdo Consequentiam, quia in eâ opinione, quam admitto, quando Accidens ponitur extra subiectum amittit duo: primum, dependentiam á subiecto; & hæc suppletur per creationem: secundum, terminum, seu inhærentiam; & hæc suppleri debet per alium terminum, nimirum per perseitatem. At quando Forma materialis collocatur extra Materiam solùm amittit dependentiam, & non terminum: vnde cùm hic non varietur, satis est, quòd loco dependentiæ ponatur actio creatiua.

259 Ad secundum (quâtenus asserit Formam materialem extra Materiam acquirere alium modum existendi, ac proinde acquirere debere alium modum subsistendi) respondeo Formam materialem extra Materiam acquirere alium modum existendi quoad independentiam á Materiâ, non quoad independentiam ab vlteriori termino; primus modus præstatur per creationem, ad illamque spectat; secundus præstatur per Subsistentiam; verùm cùm hæc non varietur, neque ille variabitur.

§. 15.

Vtrùm Modi substantiales habeant specialem Subsistentiam?

260 Q Vinta difficultas: Vtrùm Modi substantiales habeant suas partiales Subsistentias? Respondetur communiter negatiuè cum P. Hurt. *in Phys. d.2.s.82.* Et certè ita videtur supponi ab Auctoribus antiquis. Probatur primò, quia Subsistentia est terminus Naturæ: Modi verò non sunt Natura. Secundò, quia non datur Modus alterius Modi, sed realitatis. Tertiò, quia Modi cômunicantur suis realitatibus, á quibus depêdent. Quartò, quia si Vnio inter Materiã, & Formam haberet Subsistentiam, immediatè assumeretur à Verbo: atquì Verbum eam immediaté non assumpsit. Probo hoc, quia eam in triduo mortis demisit: quod autem semel assumpsit, nunquam demisit, vt est commune Axioma Theologorum.

P. Hurt.

261 Nihilominus dicendû videtur Modos substantiales habere suas partiales Subsistentias. Hæc assertio est hodie satis recepta, & certé P. Hurt. cit. illâ existimat probabilê: nec non Pezant. *3.p.q.6.d.1.concl.2.* & P. Soar. *de Incarn.d.17.s.5.§. Hic dicendi modus.* Eam tenent P. Ouied. *in Met. controu.6.punct.4.n.14.* & P. Tellez *d.56.s.2.n.10.* Ostendi potest primó, quia Subsistentia est vltimus terminus Substantiæ: Modi autê substantiales sunt Substantiæ. Secundó, quia benè potest Modus dependere á suâ realitate, illique cômunicari vt subiecto: & tamen subsistere. Ostendo hoc in ipsâ Subsistentiâ, quæ dependet à suâ realitate, illique communicatur vt subiecto: & tamen subsistit. Tertiò, quia ea, quæ immediatè possunt assumi, habent Subsistentiam: atquì Modi substâtiales, v.g. Vnio inter Materiam, & Formam humanitatis Christi Domini fuit immediatè assumpta á Verbo.

P. Ouiedo
P. Tellez.

262 Scio hanc Minorê negari á P. Petro Hurt. *de Incarn.d.45.n.26.* á P. Côninck ibidê *d.10.n.46.* Quibus si obijcias aliter non posse intelligi quomodó humanitas fuerit assûpta; nã humanitas nô est sola Materia, & Forma, sed etiã Vnio: & in triduo mortis mãsit vnita Materia ad Verbû, & mãsit vnita Forma: nô tamê humanitas, quia scilicet nô mansit vnita Vnio inter Materiã, & Formã. Respôdent humanitatê assûptã super Materiã, & Formã assûptas, dicere Vnionê inter partiales Vniones hypostaticas Materiæ, & Formæ: vnde idcircó in triduo humanitatem nô mansisse assumptam, quia Vniones partiales hypostaticæ non manserunt vnitæ.

P. Hurt.
P. Côninc.

263 Scio, Inquã, hoc dici ab Auctoribus citatis, alijs verò cômuniter, id maximè displicet, vt videre est apud P. Gran. *de Incarn. contr. 1. tr. 4. d.4.n.9.* P. Tãner. *de Incarn. d.1. q.4. n.16.* & apud Cardinalê Lugo ibidê *d.12. s.1. n.6.* qui côtendunt côcedi oportere Vnionê inter Materiam, & Formã fuisse immediatè assûptã; nam de Fide est fuisse immediatè assûptã humanitatem, vt constat ex Concil. Ephesin. *canon.13.* ex Chalcedo. *act.2. & 5.* & ex Synodo VI. Generali *act.18. in edicto Fidei*: at si non esset assumpta Vnio, non esset assumpta humanitas; hæc enim includit essentialiter Vnionem. Itaque si non est assumpta Vnio, non est assumpta humanitas; nam id, quod est assumptum, nô est humanitas, sed sola Materia, & Forma:

P. Grana.
P. Tanner.
P. Lugo
Concil.
Ephesin.
Chalcedo.
Synodo VI.

sola

sola autem Materia, & Forma non est humanitas.

264 Dices, Materiam, & Formam vnitas esse humanitatem: Materiā verò, & Formam assumptas vniri per Vnionem inter partiales hypostaticas. Sed contrà, quia Vnio hypostatica terminata est ad humanitatem constitutam in ratione humanitatis antecedenter ad ipsam Vnionem antecedentiā naturæ, vt communiter dicitur *tractat. de Incarnatione*: humanitas autem antecedenter ad Vnionem hypostaticam constituitur per aliam Vnionem distinctam ab Vnione hypostaticâ inter partiales. Præterea humanitas assumpta fuit immediatè, & formaliter genita á Beatâ Virgine: nō constituitur autē formaliter, & immediatè genita per Vnionem inter partiales hypostaticas, sed per aliam immediatam inter Materiam, & Formam. Sed his, quia sunt propria *Materiæ Incarnationis*, omissis,

265 Quartò probatur eadem resolutio, quia Modi accidentales inhærent: ergo substātiales subsistent. Dices: Nullus Modus accidētalis inhæret per inhærentiam á se distinctam: ergo nullus substantialis subsistet per Subsistentiam distinctam. Respondeo in primis Antecedens non esse verum, quia in *Phys. tract.* 1. n. 256. ostendimus Modos posse creari, & in hoc *tomo Metaphysicæ tr.* 1. n. 542. inhærentiam actualem non esse de essentiā Modi. Et quidquid sit de inhærentiā, est maior ratio de Subsistentiā; nam Modus est immediata dependentia á suâ realitate; vnde per se immediatè dependet: non est autem vnde colligatur, quód per se immediatè subsistat.

§. 16.

Argumenta soluta.

266 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit Subsistentiam esse terminum Naturæ: Modos autem non esse Naturam) respondeo Subsistentiam nō esse terminū Naturæ, prout hæc sumitur strictè; alioquí nō daretur in Angelis: solùm est terminus Naturæ latè sūptæ, prout hæc idē est, atque Subsistentia: at verò Modi substantiales sunt Substantia.

267 Ad secundum, nego non dari Modum alterius Modi; nā actio, quâ resultat ipsa Subsistentia, est illius Modus. Idem dicendum de actione, quâ producitur Vnio, &c.

268 Ad tertiū (quâtenus dicit Subsistētiā inducere incōmunicabilitatē: Modos verò necessariò cōmunicari suis realitatibus) respōdeo Modos cōmunicari suis realitatibus vt partes partibus: non vt partes terminis, seu Subsistentijs: hæc tamen cōmunicatio non tollit rationem Subsistentiæ, vt patet in ipsâ Subsistētiâ, quæ suæ realitati communicatur, ab eâque dependet; & tamen est Subsistentia.

269 Ad quartum (quâtenus dicit, quòd si Vnio inter Materiā, & Formā haberet Subsistentiam, assumeretur à Verb.) patet solutio ex dictis. Dicēdū enim est Verbū Diuinū immediatè assumpsisse Vnionē inter Materiam, & Formā humanitatis. Illud Axioma Theologorū, *Quod semel assumpsit, numquam dimisit*, intelligēdū est, vt Verbum Diuinum nunquā dimiserit per se id, quod semel assumpsit; per accidens tamen plura dimisit, vt patet in partibus Materiæ, quæ ex actione caloris natiui amittebāt Vnionem cum Animâ Rationali, ex quâ amissione sequebatur per accidens dimissio à Verbo: sic etiam contigit in triduo mortis, in quo ex separatione Animæ à corpore desiuit esse Vnio, & consequenter secuta est eius dimissio á Verbo, per accidens tamen.

§. 18.

An tradita doctrina extendatur ad omnes Modos: & An etiam ad Accidentia?

270 QVæres primò: Vtrùm omnes Modi Substantiales subsistant? Respondeo omnes subsistere: non tamen omnes subsistere per Subsistentiā distinctā. Prima pars constat ex proximè dictis. Secunda ostenditur primò, quia ipsa Subsistētia subsistit formaliter se ipsâ; nam id, quod est formaliter tale, non indiget alio, vt sit tale. Secundò, quia actio, siue emanatio productiua Subsistentiæ subsistit ratione termini, ad eum modum, quo actio, siue emanatio productiua vbicationis, est in loco ratione ipsius vbicationis. Et ratio est, quia alioquí si talis actio subsisteret per peculiarem Subsistentiam, actio productiua illius peculiaris Subsistentiæ etiam subsisteret per aliam peculiarem, & sic in infinitum, ad eum modum, quo actio productiua Vbi, nisi esset in loco ratione termini, etiam vbicaretur per aliud Vbi distinctum: deinde actio productiua illius alterius Vbi distincti, etiam vbicaretur per aliud distinctum, & sic in infinitum. Tertiò, quia Vnio hypostatica nō subsistit per Subsistentiam distinctam á Subsistentiâ Personæ assumentis. Et ratio est, quia talis Vnio est formalis assumptio ad Personam assumentē tanquā ad terminum: ergo non indiget alio termino, seu Subsistentiâ distinctâ, ad eum modum, quo actio constitutiua rei in loco non indiget alio Vbi distincto à suo termino.

271 Quæres secundò, Vtrùm Accidentia habeant Subsistentiam? Videtur illam habere, quia magis dependent modi Substantiales á suis realitatibus, quám Accidentia à subiectis; sed illi habent Subsistentiam: ergo etiam hæc illam habebunt. Nihilominus dicendum cum communi Accidentia non habere Subsistentiam. Primò, quia Subsistentia est proprietas Substantiæ. Secundò, quia est modus substantialis. Tertió, quia idcircó modus Accidentium Sacræ Eucharistiæ non est Subsistentia, quia non est substantialis. Quartò, quia Accidens non potest assumi, vt inferiùs ostendemus. Ad id veró de modis substantialibus, quod adducitur in contrarium, respondeo esse longè diuersam rationem, quia modi substantiales sunt Substantia: omnis verò Substantia, cùm sit existens per se, postulat terminari per aliquam Subsistentiam: aliter dicendum de Accidentibus, quę, cùm existant in alio, solúm postulant terminari inhærentiâ.

SECTIO V.

Quâ necessitate rebus conueniat Subsistentia?

272 PRIMA difficultas: Vtrùm Substantia possit diuinitùs conseruari absque omni Subsistentiâ? Negant P. Soar. *in Metaph. d.* 34. *s.* 6. *num.* 27. & *de Incarnat. d.* 8. *s.* 3. *§. Quartò quæres*, P. Fonsec. 5. *Met. cap.* 8. *q.* 6. *s.* 5. *§. Obijcies præterea*, P. Vasq. 3. *p. d* 21. *n.* 32. & *d.* 31. *n.* 35. P. Rub. 5. *Physicor. tract.* 2. *q.* 2. *n.* 23. Patres Conimbric. 1. *Physicor. cap.* 9. *q.* 6. *a.* 4. *ad* 4. Cabrer. 3. *p. q.* 4. *d.* 6. *n.* 10. P. Tellez *d.* 17. *s.* 3. *num.* 30. vbi pro se allegat D. Thom. *in* 3. *dist.* 5. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 3. Probatur primò, quia implicat conseruari Naturam absque suo termino intrinseco. Et ostenditur specialiter in Subsistentiâ; nam Natura neque existeret in se; siquidem careret propriâ Subsistentiâ; neque in alio, quia careret alienâ. Secundò, quia Quantitas non potest cōseruari absque omni Figurâ. Tertió, quia linea non potest conseruari absque omni puncto terminatiuo. Quartó, quia Substantia non potest conseruari absque omni vbicatione. Quintó, quia non potest conseruari absque omni actione. Sextò, quia omnis Substantia aut dependet hypostaticè ab alio Supposito; aut non: si primum, subsistit per Subsistentiam alienam: si secundum, subsistit Subsistentiâ propriâ.

P. Soar. P. Fonseca P. Vasq. P. Rub. Patres Conimbr. Cabrer. P. Tellez D. Thom.

273 Nihilominus probabilior videtur cōtraria resolutio affirmatiua. Ita dicendū existimat Scot. in opinione asserentiū Subsistentiā cōsistere in aliquo positiuo. Cōsentiūt Caiet. Med. Ledesma, Zumel, & alij, quos citāt, & sequuntur P. Valent. 1. *p. d.* 4. *q.* 8. *punct.* 4. *ad* 4. & 3. *p. d.* 1. *q.* 1. *punct.* 2. *§. Nec obstat*, & *q.* 4. *pūct.* 2. *§. atque ex his patet*, P. Hurt. *in Met. d.* 11. *§.* 123. P. Albertin. *d.* 3. *de Supposito q.* 3. *n.* 7. Lorca 3. *p. d.* 29. *n.* 6. Cardinalis Lugo *de Incarn. d.* 12. *n.* 93. P. Ouied. *in Met. controu.* 6. *pūct.* 6. *n.* 2. P. Arriag. *in Met. d.* 4. *n.* 135. P. Cōpto. *in Met. d.* 8. *sect.* 11. *n.* 4. Probatur primò, quia nulla apparet manifesta implicatio: & hoc constabit ex solutione eorum, quæ pro opinione contrariâ obijciuntur. Secundò, quia Deus, vt Aduersarij admittunt, potest conseruare Materiā absque omni Formâ: ergo etiam Naturā absque omni Subsistentiâ; neque enim Materia minús depēdet à Formâ, quám Natura á Subsistētiâ. Tertiò, quia Accidens potest conseruari absque omni subiecto. Quartó, quia Anima Rationalis potest conseruari absque Intellectu, & Volūtate: Intellectus verò, & Voluntas, cùm sint proprietates vitales, non sunt minùs intrinsecè connexæ cum Animâ, quàm Subsistentia cum Naturâ.

Scotus Caiet. Medin. Ledesm. Zumel P. Valent. P. Hurt. P. Alberti. Lorca P. Lugo P. Ouiedo P. Arriaga P. Compt.

§. I.

Argumenta soluta.

274 AD primū fundamentū opinionis contrariæ (quātenus dicit implicare cōseruari Naturam absque termino intrinseco) respōdeo, nō implicare conseruari absque termino intrinseco á parte rei distincto; neque enim Natura habet maiorē dependentiam ab illo, quám Materia á Formâ; Accidens à subiecto; Anima ab Intellectu, & Voluntate. Ad confirmationem dico, Naturam in eo euentu existere in se negatiuè, quātenus non existit in alio, ad eum modum, quo Forma materialis diuinitùs collocata extra Materiam existeret in se negatiuè, hoc est, non in aliquâ Materiâ.

275 Ad secundum (quātenus dicit Quantitatē nō posse cōseruari absque omni Figurâ) respōdeo primò cū P. Hurt. cit. Quātitatē benè posse existere absque omni Figurâ, imò de facto ita existit quando redigitur ad punctum, vt videre est in Quantitate corporis Christi Domini existentis in Sacrâ Eucharistiâ. Quód si sermo sit de Quantitate actualiter extensâ, adhuc possumus procedere in duplici opinione, alterâ asserentium Figuram nō distingui

distingui á Quantitate ex naturâ rei ; & tunc non potest ab eâ tolli : alterâ asserentium Figuram distingui á Quantitate ex naturâ rei ; & tunc potest ab eâ auelli, in quo euentu manebit Quantitas figurata fundamentaliter, non formaliter, ad eum modum, quo duo albi absque relatione manent similia fundamẽtaliter, non formaliter.

276 Ad tertium (quâtenus asserit lineam non posse conseruari absque omni puncto terminatiuo) respondeo primó, Indiuisibilia distingui solùm virtualiter, vt diximus *in Phys. tr. 4. n. 147.* idcircò nõ posse separari à parte rei. Respondeo secundó, in aliâ opinione, quæ etiã est cõmunis, asserentium Indiuisibilia distingui realiter á Quantitate, posse rẽ procedere; aut in opinione eorum, qui dicunt lineam non constare solis punctis, sed etiam partibus extensis: & in hâc opinione dicendũ est lineam posse cõseruari absque omni puncto terminatiuo. Possumus secundò procedere in opinione eorũ, qui dicunt lineã constare solis pũctis; & in hâc non potest conseruari absque aliquo puncto terminatiuo; nam sublato vltimo puncto, illi proximum manet vltimum.

277 Sed (quia sumus in hâc lineâ) instabis: Linea non potest nõ esse, nisi aut recta, aut curua: ergo similiter Natura non poterit non esse, nisi aut cum propriâ Subsistentiâ, aut cum alienâ. In primis non est bonum Antecedens; nam si partes lineæ confundantur, aut penetrentur, linea tunc neque erit recta, neque curua. Replicabis, loqui te de lineâ extẽsâ; hæc enim non potest nõ esse, nisi aut recta, aut curua: ergo neque Natura, nisi aut cum propriâ, aut cum alienâ Subsistentiâ. Mala Consequentia. P. Arriaga cit. n. 129. assignat hanc diuersam rationem, quia inquit, rectitudo, & curuitas sunt differentiæ lineæ extensæ; est enim linea actualiter extensa per Vbi Circunscriptiuum, cuius differentiæ sunt curuitas, & rectitudo: at verò res non potest auelli à suis differentijs; aliter conseruaretur Genus extra suas species: at veró Subsistentia nõ est differentia, sed proprietas Naturæ; & Natura potest à suâ proprietate diuinitùs auelli. Sed in hâc solutione illud difficile est, quia, vt ipse P. Arriaga fatetur, linea est actualiter extensa per Vbi Circunscriptiuum; est autẽ recta, & curua per Situm, & Situs nõ est differentia Vbi, sed spectat ad aliud Prædicamentum diuersum. P. Arriaga

278 Meliùs ergo responderi potest, Consequentiam ex alio titulo esse malam: quia implicat lineam non esse rectam, aut curuam; nam aut est á puncto ad punctum breuissima puncti via; aut non: si primum, est recta: si secundum, est curua: at hæc implicatio non sequitur ex eo, quód Natura existat sine Subsistentiâ.

279 Et hinc manifesta fit solutio ad aliã instantiam, quæ hîc moueri poterat de Numero: Nam numerus non potest non esse, nisi aut par, aut impar. Et ratio est, quia aliàs sequitur implicatio; nam aut Numerus est par; aut non: si primum, benè est: si secundum, est impar; nã ex eo, quód non sit par, infallibiliter sequitur esse imparem: hæc autem implicatio non sequitur ex eo, quòd Natura existat sine Subsistentiâ, vt est manifestum.

280 Ad quartum (quâtenus dicit Substantiam non posse conseruari absque omni vbicatione: ergo neque absque omni Subsistentiâ) responderi potest cũ aliquibus Recentioribus, dato quòd Substantia nõ possit cõseruari absq; omni Vbi, adhuc posse cõseruari absq; omni Subsistentiâ. Diuersa ratio est, quia Vbi est essentialis correspondentia ad extrinsecũ, nimirum ad spatium imaginarium: implicat igitur rẽ correspondere alicui spatio imaginario, & non habere aliquod Vbi: aliter dicendum de Subsistentiâ, cùm non sit respectiua ad extrinsecum. Respondent alij secundò, negando Antecedens, dicendóque posse se remesse absque omni Vbi; quo in euentu correspondebit spatio imaginario non positiuè, quâtenus est in illo, sed negatiuè, quâtenus non est extra illud. De quo nos late *tract. 7.*

281 Ad quintum (quâtenus asserit Substantiam non posse cõnseruari absque omni actione: ergo neque absque omni Subsistentiâ) respondeo esse diuersam rationem, quia Substantia, cùm sit creatura, non potest non depẽdere à Deo; huiusmodi autem dependentia est actio: at verò Natura minùs dependet à Subsistentiâ, quàm creatura á Deo.

Ad sextum (quâtenus dicit omnem Substãtiam, aut dependere hypostaticé ab alio Supposito, & sic subsistit in alio: aut nõ depẽdere ab alio Supposito, & sic subsistit in se) respondeo Substantiã conseruatã diuinitùs absq; omni Subsistẽtiâ nõ depẽdere ab alieno Supposito: neq; inde sequitur subsistere in se positiuè, sed negatiuè, quâtenus non subsistit in alio.

§. 2.

Aliæ duæ Difficultates solutæ.

282 Secunda difficultas: Vtrùm Natura in prædicto euentu, quo maneret absque omni Subsistentiâ, cõseruaretur eâdem numero actione, quâ anteà? Negat P. Alberti *d. 3. de Prædic. Subst. q. 3. n. 8.* Sed probabilior videtur resolutio affirmatiua, quam tenet P. Alberti

P.Soar. P.Hurt. P.Arriaga P.Ouiedo

P.Soar. *de Incarnat*.d.8.*f*.3.*§*.*Ad argumenta*,post medium, P.Hurtad. *in Met.d*.11.*§*.96.P.Arriaga cit. *n*.137. P.Ouied. *in Met.controuerf*.6. *punct*.6.*n*.7. Et probatur,quia perseuerat idem numero terminus, nimirum eadem numero Natura: ergo etiam eadem numero actio. Et confirmatur, quia Anima potest conseruari absque Intellectu, & Voluntate eâdem numero actione, quâ anteà: item Materia absque omni Formâ per eandem numero actionem, vt diximus in *Phyf.tract*.1.*n*.96.

283 Tertia difficultas: Vtrùm Natura conseruata absque omni Subsistentiâ possit operari,idque absque nouo miraculo? Respondeo affirmatiuè cum P. Soar. *in Met.d*.34. *f*.7.*n*.15. P.Hurtad. *in Met. d*.11. §.97. P.Arriagâ vbi suprá *n*.125. P.Tellez cit.*n*.40. Et probatur,quia, vt ex inferiùs dicendis constabit,Subsistentia non est principium operationis, sed tantùm conditio physicé requisita, vt Natura existat: dato ergo quòd miraculosè existeret absque omni Subsistentiâ, cur non poterit operari? Et confirmatur, quia Accidens cõseruatum absque omni inhærentiâ extra subiectum sine nouo miraculo operatur: ergo idem dicendum de Substantiâ conseruatâ absque omni Subsistentiâ.

P.Soares P.Hurt. P.Arriaga P.Tellez

DISPVTATIO III.

De causis,& effectibus Subsistentiæ.

DIVISA in Sectiones quinque. Disputo in primâ de causis Subsistentiæ. In secundâ de eius effectibus. In tertiâ inquiro, Vtrùm Subsistentia possit præstare suum effectum formalem in Naturâ alienâ? In quartâ, Vtrùm plures Subsistentiæ simul præstare possint suum effectum formalem in vnâ, eâdemque Naturâ? In quintâ agitur de Naturis, in quibus Subsistentia aliena potest præstare suum effectum formalem.

SECTIO I.

De causis Subsistentiæ.

284 CErtum in primis est Subsistentiam habere aliquam causam exemplarem. Et ratio est, quia Subsistentia habet aliquod esse: ergo debet habere in Deo aliquam mensuram, & exemplar illius. Certum est secundó,Subsistentiam habere aliquam causam finalem, tum quia Natura nihil operatur frustrá: tum quia Subsistentia ordinatur ad suum effectum formalem, tanquam ad aliquem finem. Tertiò certum est, Subsistentias partiales esse causam formalem intrinsecam Subsistentiæ totalis in eo sensu,quo partes sunt causa formalis Totius. Dubitatio solùm est de causâ efficiente, & materiali.

§. 1.

Vtrùm Subsistentia emanet à Naturâ: an potiùs immediatè producatur ab externo agente?

285 PRima difficultas: Vtrùm Subsistentia emanet immediatè à Naturâ: an potiùs immediatè producatur ab externo agente? Produci immediatè ab externo agente existimant Medin. Ledesm.Zumel, Bañes. Cabrer. & alij,quos citant, & sequitur P. Vasq. 3.*p*.*d*.34. *c*.4. *n*.15. P.Albertin. *tom*. 2. *d*. 3. *de Prædicamento Substantiæ q*. 10. Probatur primò, quia prius est Naturam esse vltimatè completam in suo esse, quàm operari;sed completur per Subsistentiam: ergo ante illam non poterit ipsam operari. Maior nititur tribus Principijs in Philosophiâ receptis, *Operatio supponit esse: actus secundus supponit primum: Actiones sunt Suppositorum.*

Medin. Ledesm. Zumel Bañes Cabrer. P.Vasq. P.Albertin.

Proba-

286 Probatur secundó, quia ita se habet Subsistentia ad Substantiam, ac inhærentia ad Accidens: at verò inhærentia non emanat ab Accidente, sed producitur ab externo agente simul cum ipso Accidente, vt ostendit P. Soar. *in Met. d. 34. s. 6. n. 12.* Probatur tertiò, quia sufficit actio externi agentis, cùm hęc non possit non terminari ad Subsistentiam. Et hoc sic ostendo, quia actio, quæ terminatur ad formam dependentem á subiecto, non potest nō terminari ad eius communicabilitatem, seu vnionem cum illo, vt ostendit P. Soar. *de Incarnat. d. 9. s. 1. §. Secundò infero*: ergo actio, quę terminatur ad rem independentem á Supposito alieno, non potest nō terminari ad eius incommunicabilitatem, seu Subsistentiam.

P. Soar.

287 Probatur quartó, quia in contrariâ sententiâ sequitur, quòd Natura priùs producat aliquod accidens, nimirum suū Vbi, quám suum complementum substantiale, nimirum Subsistentiam. Sequitur hoc, inquam, quia Natura non potest producere Subsistentiam, nisi priùs sit alicubi.

288 Quintò, quia in contrariâ sententiâ sequitur Angelum non creari, sed educi. Et hoc ostenditur, quia in cōtrariâ sententiâ Subsistentia Angeli educitur; sufficit autem quód quælibet pars Angeli, licèt minima, educatur, vt totus Angelus dicatur educi, ad eum modum, quo sufficit quòd minima pars hominis, nimirum Vnio, educatur, ad hoc vt homo totus dicatur educi.

289 Sextó, quia si Subsistentia emanet á Naturâ, non poterit eius resultantia etiam diuinitùs impediri: hoc autem est contra Mysterium Incarnationis. Sequela ostenditur, quia resultantia modi, qui intrinsecè emanat á subiecto, non potest diuinitùs impediri, vt patet in Vbi, & Figurâ respectu sui subiecti. Et hoc argumentum sentiunt Patroni huius sententiæ habere magnam vim.

290 Septimò, quia in contrariâ opinione sequitur humanitatem Christi Domini pati violentiam. Et hoc probatur, quia Violentum est id, *quod fit ab externo agente, passo non conferente vim, sed renitente per contrarium impetum efficacem.* Octauò, quia Theologi dicunt Subsistentiam concreari cum Naturâ: ea veró, quæ concreantur, comproducuntur ab externo agente. Hæc opinio est valde probabilis, & optimis rationibus fundata.

(·?·)

§. 2.

Probabilius est Subsistentiam emanare á Naturâ.

291 Nihilominus probabilior est cōtraria resolutio asserentiū Subsistentiam immediatè emanare á Naturâ. Ita D. Thom. *3. p. q. 16 ar. 12.* in corpore, & *ad 1.* Caiet. Genebr. & alij quos citant, & sequuntur P. Fonsec. *5. Met. cap. 8. q. 6. sect. 5. §. Ad posteriorem*; P. Valent. *3. p. disp. 1. q. 4. punct. 2. §. Respondet bené*, P. Soar. *in Met. d. 34. sect. 6. n. 9. & de Incarnat. d. 8. sect. 1. Nihilominus, & sect. 4. §. Contrariam*, Cardinalis Lugo *de Incarnat. d. 12. n. 104.* & hanc certè tenet P. Rub. *1. Physicor. tr. 1. de Materia q. 4. n. 12. & 13.* P. Petrus Hurt. *in Met. d. 11. §. 91. & 93.* P. Gasp. Hurtad. *de Incarnat. d. 4. diffic. 6* P. Arriaga *in Met. d. 4. n. 139.* P. Ragusa *3. p. q. 4. a. 3. d. 56. §. Secunda sententia.* P. Tellez *disp. 57 sect. 1. n. 1.* P. Ouiedo *in Met. controu. 6. punct. 6. n. 19.* P. Comptonus *in Met. d. 8. s. 12. n. 9.*

D. Thom. Caiet. Geneb. P. Fons. P. Valent. P. Soar. P. Lugo P. Rub. P. Petrus Hurt. P. Gaspar Hurt. P. Arriaga P. Ragusa P. Tellez P. Ouiedo P. Cōpton.

292 Probatur primò, quia Substantia immediatè producit cæteras suas proprietates, v. g. Anima immediatè producit suū Intellectum, suam Voluntatem, suum Vbi: ergo etiam suam Subsistentiam. Dicunt Aduersarij esse diuersam rationem: quia Natura in ordine ad alias proprietates est principium cōpletum per Subsistentiam: at verò in ordine ad Subsistentiam est principium incompletū. Sed contrá, quia licèt Subsistentia requiratur, vt Natura operetur extra se, & producat suas proprietates accidentales, non requiritur ad productionem ipsius Subsistentiæ. Et hoc ostendo, quia Natura, prout antecedit Subsistentiam, habet suum esse existens. Neque obstat, quód tale esse sit incompletum, & dependens à Subsistentiâ. Non, inquam, id obstat, quia Materia, prout antecedit Formam, est incompleta, & depēdens ab illâ: & tamen producit suam Quantitatem.

293 Probatur secundó, quia generatio Christi Domini est eiusdem speciei cum generationibus aliorum hominum. Hæc traditur à D. Thom. *3. p. q. 6. a. 3.* quem Theologi communiter sequuntur; atqui generatio Christi Domini nō fuit terminata ad eius Subsistentiam, cùm in eâ nulla fuerit creata: ergo idem dicendum de generationibus aliorum hominum. Respondent Aduersarij nullam generationem humanam terminari ad Naturam, hoc est, ad Materiam, & Animam: sed ad solam Vnionem; vnde nil mirum, quòd non terminetur ad Modū Naturæ, hoc est, ad Subsistentiam.

D. Thom.

sistentiam. Sed contrà, quia Aduersarij admittunt, & admittere tenentur partialem Subsistentiam propriam vnionis: hanc dicimus non fuisse productam à Beatâ Virgine, quando genuit vnionem: ergo idem dicendum de generationibus aliarum parentum.

294 Probatur tertiò, quia re verâ Natura priùs existit, non quidem prioritate temporis, sed prioritate naturæ. Patet hoc in humanitate Christi Domini; priùs enim naturâ extitit, quàm vniretur hypostaticè Verbo: ergo Natura in eo priori poterit producere suã Subsistentiam: ergo superfluum est recurrere ad agens externum. Et hoc ostenditur, quia connaturalius est quòd ipsa Natura præexistens producat suum intrinsecum complementum, quàm quód producatur ab externo agente.

§. 3.

Argumenta soluta.

295 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit prius esse Naturam esse completam in suo esse, quám operari: compléri verò per Subsistentiam; ac proinde ante illam nõ posse eam operari) respondeo distinguendo Maiorem: Prius est Naturam esse vltimatè completam in suo esse, quàm operari extra se, concedo Maiorem: quàm producere suum complemẽtum, nego Maiorem. Diuersa ratio est, quia priùs Natura ordinatur ad suum esse intrinsecum, quám ad extrinsecum: priùs ergo constituitur in suo esse intrinseco, quám producat extrinsecum; sumpta verò in ordine ad suum complementum iam habet quidquid potest habere ante illud, nimirum existentiam: cur ergo non poterit ordinari ad complemẽtum, illudque producere?

296 Ex dictis colliges, quo sensu intelligenda sint illa tria Principia, quę penes sententia contraria inclinata récumbit. Primum, *Operatio supponit esse*, nobis non officit: nam emanatio Subsistentiæ supponit Naturam in suo esse existentiæ. Dices, non illam supponere in suo esse completo. Respondeo esse completum solùm requiri ad operationes extrinsecas, & posteriores Subsistentiâ ordine naturę. Secundum Principium, *Actus secundus supponit primum*, non facit contra nostram doctrinam: nã Natura est actus primus, Subsistentia secundus: Subsistentia verò supponit Naturam. Tertium, *Actiones sunt Suppositorum*, aut solùm procedit de actionibus proprijs, prout distinguuntur ab emanationibus: aut, vt alij potiùs interpretantur, nomine *Suppositorum*, hoc loco veniunt Naturæ singulares: nos verò dicimus solam Naturam singularem producere suam Subsistentiam.

297 Ad secundum (quâtenus asserit ita se habere Subsistentiam ad Substantiam, ac inhærentiam ad Accidens: inhærentiam verò non produci ab Accidente, sed ab externo agente) respondeo esse diuersam rationem, quia inhærentia non potest emanare ab Accidente. Et huius ratio est, quia vt inhærentia emanaret ab Accidente, debebat supponere illud existens: at veró Accidens non supponitur existens ante inhærentiam; nam aut esset creatum; & hoc non, vt est manifestum: aut eductum; & si eductum: ergo iam dependens, & existens in subiecto; ac proinde in eo inhærens.

298 Quid de Accidente creato, v. g. Eucharistico cùm per corruptionem specierum iterum vnitur Materiæ? producitnè suam inhærentiam? Respondeo negatiuè, quia tale Accidens, quâtenus existit per actionem creatiuam, non producit sui inhærentiam, quia hæc naturaliter repugnat cum actione creatiuâ: debet ergo supponi eductum; & non potest supponi eductum, quin supponatur dependens, & existens in subiecto: ergo iam inhærens in illo. Et ita docet P. Soar. *in Met. d.* 34. *s.* 6. *n.* 13. vbi retractat contrariam opinionem, quam tenuit 3. *p. to.* 1. *d.* 8. *s.* 3. *§. Contrariam*, ad medium. Vtrùm autem inhærentia producatur eâdem actione, quâ Accidens: an potiùs actione distinctâ? Respondeo produci actione distinctâ, quia est terminus distinctus, iuxta ea, quæ *tr. de Generat. n.* 35. diximus de vnione Formæ materialis, quam ibi ostendimus produci distinctâ actione à Formâ: & bené potest esse actio distincta, & tamen ab externo agente. P. Soar.

299 Dices: Ergo sicut inhærentia non potest emanare ab Accidente, sed producitur ab externo agente, ita Subsistentia non poterit emanare à Substantiâ, sed producetur ab externo agente. Respondeo negando Consequentiam, quia, vt dixi, Accidens non supponitur existens ante inhærentiam: at Substantia supponitur existens ante Subsistentiam. Ex dictis colliges non ita se habere in omnibus inhærentiam ad Accidens, ac Subsistentia ad Substantiam. Quod præter dicta, etiam patet ex eo, quód Accidens ponitur in Prædicamẽto sine inhærentiâ: Substantia veró cum Subsistentiâ.

300 Ad tertium (quâtenus dicit, sufficere actionem externi agentis) respondeo emanationes debere emanare á principio magis intrinseco: ergo á Naturâ, & non ab externo agente

agente. Ad confirmationem autem (quâtenus dicit actionem externi agentis, quæ terminatur ad Formam dependentem à subiecto, non posse non terminari ad ipsam communicationem, seu vnionem: ergo actio, quæ terminatur ad Naturam independentem, & incommunicatam Supposito alieno, non poterit non terminari ad ipsam incommunicationem, seu Subsistentiam) respondeo, esse diuersam rationem, quia, vt patet ex proximè dictis, Forma dependens non supponitur existens ante vnionem; non enim supponitur existens per creationem, vt patet: si per eductionem: ergo iam dependens, & existens in Materiâ: ergo iam illi vnita. Quod inconueniens non visitur in eo, quód Natura supponatur existens ante Subsistentiam, vt patet in Naturâ humanâ Christi Domini, quæ priùs prioritate naturæ fuit existens, quám assumpta, seu subsistens.

301 Ad quartũ (quâtenus dicit sequi in nostrâ sententiâ Naturam priùs producere suum Vbi, quám suam Subsistentiam; siquidem priùs intelligitur existens: ergo in aliquo loco) respondeo, priús intelligi existentem, deinde subsistentem, tandem vbicatam. Quod nullum est inconueniens, imò necessariò ad mittendũ; nam sicut Natura, prout antecedit suum Vbi, illud producit, ita, prout antecedit suum Vbi, producet suam Subsistentiam: & sicut, prout antecedit suum Vbi, intelligitur esse in loco fundamendaliter, hoc est, indistans ab illo, non formaliter, ita prout ipsum antecedit, & producit suam Subsistentiam, dicetur esse in loco fundamentaliter, non formaliter.

302 Ad quintum (quâtenus asserit sequi in nostrâ sententiâ Angelum non creari, sed educi, quia eius pars, nimirum Subsistentia, non creatur, sed educitur) respondeo negando sequi Angelum educi; aut enim procedimus in opinione asserentium Angelum non dicere Subsistentiam in recto, sed in obliquo; & in hâc sententiâ, quæ vera est, non est dubium Angelum creari: aut possumus procedere in opinione minùs communi asserentium Angelum dicere Subsistentiam in recto, licèt minùs principaliter; & stando in hâc sententiâ adhuc eius sectatores dicunt Angelũ creari ratione sui principalis significati.

303 Instabis: Homo dicit vnionem minùs principaliter; & tamen ratione illius denominatur genitus, non creatus: ergo etiam Angelus denominabitur genitus ratione partis minús principalis, qualis est Subsistentia. Responderi potest primó, vnionem dici magis principaliter, quám Subsistentiam; nam vnio est pars Naturæ; Subsistentia solùm proprietas. Responderi potest secundò, hominem magis exprimere compositionem, hoc est, vnionem inter Materiam, & Formam, quám Angelus compositionem inter Naturã, & Subsistentiam. Et hoc inde ostenditur, quia vterque æqualiter exprimit compositionem inter suam Naturam, & Subsistentiam; homo autem magis exprimit compositionem inter Materiam, & Formam, quám inter suam Naturam, & Subsistentiam.

304 Ad sextum (quâtenus dicit si Subsistentia emanaret á Naturâ non posse eius resultantiam diuinitùs impediri) respondeo adhuc posse, vt constat ex dictis suprà. Ad septimum (quâtenus dicit sequi humanitatem Christi Domini esse violentan) respondeo nõ sequi, quia propria Subsistentia suppletur per Subsistẽtiam nobiliorẽ. Ad octauũ (quâtenus asserit Theologos dicere Subsistẽtiã cõcreari cũ Naturâ) respondeo Subsistentiam dici concreari cum Naturâ in eo sensu, quo Intellectus, & Voluntas dicuntur concreari cum Animâ; non quia terminent eandem actionem creatiuam, sed quia producuntur in eodem instanti reali, quo illa.

§. 4.

Vtrùm Subsistentia pendeat à Naturâ, vt à causâ materiali?

305 Secunda difficultas: Vtrùm Subsistentia sit in Naturâ tanquam in causâ materiali? Negant P. Soar. *in Met. d. 34. s. 6. n. 23* P. Albertin. *in Predicamento Substantiæ d. 3. q. 2. n. 17.* & alij, quos tacito nomine allegat P. Arriaga cit. n. 137. Probatur primò, quia Subsistentia non est Forma, sed purus terminus Naturæ: quod autem Forma non est, subiectum, & causam materialem habere nequit. Antecedens ostenditur; tum quia si Subsistentia esset Forma, non faceret vnum per se cum Naturâ; nam vna Forma non potest informare aliam: tum quia non posset suppleri á Subsistentiâ Verbi; hæc enim non potest exercere rationem Formæ: tum quia Subsistentia Verbi præstat in Naturâ humanâ quidquid prestaret propria Subsistentia creata, si adesset: at veró solùm præstat munus puri termini. Secundó, quia Subsistentia non magis pendet à Naturâ, quàm modus actionis à suo termino; sed iste non dependet á suo termino, nimirum á Naturâ, tanquam á subiecto, & causâ materiali: ergo idem dicendum de Subsistentiâ. Tertiò, quia Subsistentia est formalis independentia Naturę à subiecto: ergo ipsa non potest dependere. Quartò, quia inhærentia

P. Soar. P. Albertin.

rentia non subiectatur in Accidente tanquam in causâ materiali: ergo neque Subsistentia in Substantiâ. Quintò, & efficaciter, quia Subsistentia Formæ subiectatur in partiali Subsistentiâ Materiæ, vt liquet ex dictis *n.* 181. ergo non subiectatur in ipsâ Formâ, sin minùs esset in duobus subiectis.

306 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Subsistentiam dependere à Naturâ tanquam à causâ materiali, & subiecto, è cuius potestate educitur. Ita P. Hurtad. *in Met. d.* 11. §. 94. P. Vasq. 3. *p. d.* 34. *n.* 17. P. Ripald. *de Ente supernaturali d.* 7. *s.* 1. P. Arriaga proximè, P. Tellez *disp.* 57. *sect.* 1. *n.* 30. P. Ouied. *in Met. controuers.* 6. *punct.* 6. *n.* 17. Scot. & alij, quos refert, & sequitur P. Rub. 1. *Physicor. tract.* 2. *q.* 2. *n.* 17. Accedit P. Comptonus *in Met. d.* 8. *s.* 12. *n.* 8. Et probatur, quia ea dependent à Naturâ, tanquam à subiecto, & causâ materiali, quæ educuntur de illius potentiâ, hoc est, quæ fiunt dependenter ab illâ in fieri, & conseruari, vt ostendimus *in Phys. tract.* 1. *n.* 245. at verò Subsistentia fit dependenter in fieri, & conseruari à Naturâ ipsam recipiente, & sustentante. Et confirmatur primò, quia aut Subsistentia Formæ materialis emanat ab ipsâ Formâ: aut fit ab externo agente; quocunque dato talis Subsistentia non creatur, sed educitur; creatio enim non egreditur nisi à Solo Deo: ergo Subsistentia educitur de potestate Naturæ in ratione subiecti. Secundò, quia Subsistentia est modus: omnis autem modus supponens Naturam, quam modificat, causatur ab illâ materialiter. Tertiò, quia Natura est causa materialis aliarum proprietatum: ergo & Subsistentiæ.

P. Hurt.
P. Vasq.
P. Ripal.
P. Arriaga
P. Tellez
P. Ouiedo
Scotus
P. Rub.
P. Compt.

307 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit Subsistentiam non esse Formam, sed purum terminum) respondeo Subsistentiam creatam habere aliqualem rationem Formæ. Neque obstat primò, quòd si Subsistentia esset Forma, non faceret vnum per se cum Naturâ; est enim Subsistentia Forma subordinata ipsi Naturæ, cuius est modus: ex duabus autem Formis subordinatis ad componendum, benè potest fieri vnum per se, vt patet in Vnione, quæ facit vnum per se cum Formâ. Non obstat secundò, quòd si Subsistentia esset Forma, non posset suppleri à Subsistentiâ Verbi. Non, inquam, id obstat, quia Subsistentia creata nō suppletur per Subsistentiam Verbi in ratione Formæ intrinsecè afficientis, sed solùm in ratione termini: in ratione Formæ suppletur per Vnionem hypostaticam. Et hinc manifesta fit solutio ad tertiam instantiam (quâtenus dicit Subsistentiam Verbi præstare in Naturâ humanâ quidquid præstaret Subsistentia propria) nam Subsistentia Verbi solùm præstat in Naturâ creatâ quidquid præstaret Subsistentia creata in ratione termini; clarum enim est quòd Subsistentia Verbi non est modus, neque afficit, neque recipitur intrinsecè in Naturâ humanâ: solùm ergo supplet Subsistentiam creatam in ratione termini.

308 Ad secundum (quâtenus asserit actionem non subiectari in termino; ergo neque Subsistentiam in Naturâ) respondeo diuerso modo pendere Subsistentiam á Naturâ, diuerso actionem á termino: Subsistentia dependet á Naturâ à priori; actio á termino á posteriori: sola autem dependentia Formæ á priori inducit rationem causæ materialis ex parte subiecti.

309 Ad tertium (quâtenus dicit Subsistentiam esse formalem Naturæ independētiam, ac proinde ipsam non posse dependere) respondeo Subsistentiam non esse formalem independentiam Naturæ á subiecto, vt sæpè diximus, & inferiùs ex professo ostendemus, sed solùm esse formalem incommunicabilitatem, seu independentiam ab alio Supposito in ratione termini.

310 Ad quartum (quâtenus dicit inhærentiam non subiectari in Accidente: ergo neque Subsistentia in Substantiâ) respondeo esse diuersam rationem, quia inhærentia non supponit Accidens existens; nam Accidens ante inhærentiam non supponitur existens; aut enim supponeretur creatum; & hoc non, vt est manifestum: aut eductum; & si eductum, dependens, & existens in subiecto: ergo inhærēs in illo. At verò Subsistentia supponit Substātiam existentem.

311 Ad quintum (quâtenus asserit Subsistentiam Formæ subiectari in Subsistentiâ Materiæ; ergo non in ipsâ Formâ) respondeo Subsistentiam Formæ non subiectari in Subsistentiâ Materiæ, tanquam in subiecto eductionis, sed solùm in ipsâ Formâ. Subsistentia Formæ solùm vnitur Subsistentiæ Materiæ, sicut vnio Formæ vnioni Materiæ, & sicut Anima Rationalis corpori; & hoc tantùm diximus *n.* 181.

SECTIO II.

De effectibus Subsistentiæ.

312 SVPPONO in primis Subsistentiam aliquo modo esse causam finalem suæ

suæ Naturæ, cùm sit aliquod eius bonum. Suppono secundò, esse causam formalem saltem in propriam alicuius denominationis illius, cùm aliquo modo illam informet, & intrinsecè afficiat.

§. 1.

Vtrùm Subsistentia creata sit principium immediatè effectiuum operationum, quæ Supposito tribuuntur?

313 PRima difficultas: Vtrùm Subsistentia creata sit principium immediatè effectiuum operationum, quę Supposito tribuuntur? Videtur esse earum principium. Primò, quia id suadet illud Axioma: *Actiones sunt Suppositorum*. Secundò, quia Subsistentia Verbi Diuini in Naturâ humanâ solùm exercet munus proprię Subsistentiæ creatæ, cuius loco substituitur: atqui influit in actiones Christi Domini. Hæc Minor probatur, quia à Subsistentiâ Verbi desumunt operationes Christi Domini suum valorem infinitum. Tertiò, quia Subsistentię Diuinę sunt operatiuæ ad intrà: ergo idem dicendum de Subsistentijs creatis. Quartò, quia Subsistentiæ creatæ sunt operatiuæ, & de facto producunt suum Vbi, suas relationes, &c.

314 Nihilominus tenenda contraria resolutio asserentium Subsistentiam creatam nō esse principium effectiuum operationum, quæ Supposito tribuuntur. Ita D. Thom. 1. p. q. 39. a. 5. ad. 1. P. Soar. in Met. d. 24. s. 7. a n. 1. & de Incarnat. d. 4. s. 4. P. Vasq. ibidem d. 21. cap. 3. P. Wading. de Incarnat. d. 5. n. 24. Cardinalis Lugo de Incarnat. disp. 12. sect. 7. n. 95. P. Hurtad. ibidem disp. 27. n. 35. & disp. 59. n. 51. & 52. & in Met. disp. 11. n. 83. P. Tellez vbi suprà sect. 2. n. 1. P. Arriaga in Met. disp. 4. n. 61. & 123. P. Martinon d. 26. de Trinitate n. 31. P. Compt. proximè cit. n. 2.

D. Thom. P. Soar. P. Vasq. P. Wadi. P. Lugo P. Hurt. P. Tellez. P. Arriaga P. Marti. P. Cōpto.

315 Et probatur primò, quia Subsistentia creata est Modus, & terminus Naturæ: sed nullus Modus, & terminus est operatiuus. Hæc Minor non aliter meliùs probari potest, quàm inductione factâ per omnes Modos, Vbicationem, Figuram, &c. Et aliqua illius ratio assignari potest; nam ad agendum propriè requiritur maior perfectio, & actualitas, quàm quæ in Modo reperitur.

316 Probatur secundò, quia humanitas Christi Domini carebat Subsistentiâ creatâ: & tamen habebat adæquatum, & immediatum principium suarum actionum. Nec potest dici Subsistentiam Diuinam influere loco Subsistentię creatæ, quia aliàs Persona Verbi haberet aliquam operationem ad extrà, quam non haberent aliæ duæ Personę Patris, & Spiritûs Sancti: hoc autem est contra illud Axioma Theologorum, *Operationes Trinitatis ad extrà sunt indiuisæ*.

317 Tertiò probatur, quia actiones Dei ad extrà non egrediuntur formaliter à Personalitatibus, sed tota ratio agendi est Omnipotentia Diuina; ideò operationes ad extrà dicuntur indiuisę à totâ Sanctissimâ Trinitate: si ergo Personalitates Diuinæ non sunt operatiuæ ad extrà, à fortiori non erunt Personalitates creatæ.

§. 2.

Argumenta soluta.

318 AD primum desumptum ex illo Axiomate, *Actiones sunt Suppositorum*, respondeo *Actiones* dici *esse Suppositorum* nō quòd procedant immediatè ab ipsâ Subsistentiâ, seu Suppositalitate; sed quia omnia principia proxima, à quibus actiones immediatè eliciuntur, sunt aliquid ipsius Suppositi, quasi domini sui; vnde ipsæ actiones ipsius Suppositi esse censentur; nam quæ per nostros facimus, per nos metipsos facere censemur. Respondere potest secundò, in prædicto Axiomate nomine, *Suppositorum*, venire Naturas singulares, prout dicti loquuntur à communibus.

319 Ad secundum (quâtenus dicit actiones Christi Domini accipere à Subsistentiâ Verbi valorem infinitum) respondeo Subsistentiam Verbi Diuini non influere physicè in actiones Christi Domini. Verum quidem est, quòd illæ habeant valorem infinitum, nō physicè loquendo, hoc est, secundùm suam entitatem physicam, sed tantùm moraliter, quâtenus procedunt à Naturâ infinitè dignificatâ per Subsistentiam Verbi: verùm ad id non requiritur quòd Subsistentia Verbi influat, satis est quòd Natura influens habeat talem Subsistentiam, ad eum modum, quo ad hoc, vt nostrę operationes sint meritoriæ de condigno non requiritur quòd Gratia sanctificans in illas influat, satis est quòd procedant ab Animâ habente Gratiam sanctificantem, & per illam dignificatâ.

320 Ad tertium (quâtenus dicit Subsistentias Diuinas esse operatiuas ad intrà) communis opinio docet Subsistentias Diuinas nō esse productiuas ad intrà, sed solùm Intellectum, & Voluntatem: Intellectum, quâtenus connotat Relationem Patris, quæ ad generandum requiritur, vt conditio sine quâ non; Voluntatem, quâtenus connotat Relationem

Spira-

Spiratoris actiui, quæ similiter ad spirandum requiritur vt conditio sine quâ non. Intellectus, inquam, quâtenus connotat Relationem Patris, & Voluntas, quâtenus connotat Relationem Spiratoris actiui, quia sic Intellectus videtur habere sufficientem distinctionem ad producendum realiter Filium; & Voluntas sufficientem ad realiter producendum Spiritum Sanctum. Et in hâc opinione, quæ, vt dixi, est plurium Theologorum communis, vt videre est apud P. Soar. *6. de Trinitate c. 5. n. 6.* & P. Vasq. *1. p. d. 164. cap. 3.* retorqueri potest argumentum; nam si Subsistentiæ Diuinæ nō sunt operatiuæ, idem à fortiori dicendum erit de Subsistentijs creatis. P. Soar. P. Vasq.

321 Alia in hâc materiâ est opinio asserentium Intellectum cum solâ connotatione Relationis Patris non distingui sufficienter ad producendum Filium, neque Voluntatem cum solâ connotatione Spirationis actiuæ distingui sufficienter ad producendum Spiritum Sanctum; ac proinde ipsam Relationem Patris, simul cum Intellectu esse formale Principium Filij; & Relationem Spiratoris actiui simul cum Voluntate esse formale Principiū Spiritûs Sancti. Verùm in hâc opinione (sicut & in meâ, quam in Materiâ de Trinitate professus fui, asserentium solam Relationem sine Intellectu esse Principium productiuum Filij, quia sola ab illo distinguitur, & solam Relationem sine Voluntate esse Principium productiuum Spiritûs Sancti, quia sola ab illo distinguitur) adhuc negandum est Subsistentias creatas esse productiuas. Neque valet exemplum à Diuinis, quia Subsistentiæ Diuinæ sunt realitates, & perfectissimæ, & solùm possunt producere ad intrà, quia solæ distinguuntur.

322 Ad quartum (quâtenus asserit quòd Subsistentiæ creatæ sunt operatiuæ; producunt enim suas vbicationes, relationes &c.) concedo Subsistentiam creatam hæc producere, si hæc à subiectis distinguuntur à parte rei: inde tamen solùm colligitur Subsistentias esse productiuas suarum proprietatum, & emanationum; quæ efficientia transcendentalis est per omnes entitates, & cōuenit etiam Materiæ primæ, licèt sit pura potentia, item Modis omnibus: non tamen colligitur esse operatiuas per proprias actiones, quæ per se denominant totam Substantiam, ac Suppositum; quales sunt actiones generandi, intelligendi, an audiendi, de quibus procedit quæstio.

(?)

§. 3.

Vtrùm Subsistentia creata sit principium immediatè passiuum operationum, quæ Supposito tribuuntur?

323 Secunda difficultas: Vtrùm Subsistentia creata sit principium materiale immediatè receptiuum operationum, quæ Supposito tribuuntur? Videtur esse. Primò, quia passiones sunt Suppositorum. Secundò; quia non obstat quòd Subsistentia sit Modus; nam hoc, quod est pati, est imperfectio. Tertiò, quia Processiones Diuinæ, & Origines actiuæ manent in Personis, & Subsistentijs producentibus, iuxta illud, *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.*

324 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Subsistentiam creatam non esse principium immediatè passiuum operationum, quæ Supposito tribuuntur. Ita P. Soar. *in Met. d. 34. s. 4. n. 18*, P. Vasq. cit. & Cardinalis Lugo *num. 96.* & cum illis omnes Recentiores. Probatur primò, quia sublatâ diuinitùs Subsistentiâ Socratis nō immutarentur eius Accidentia. Secundò, quia Subsistentia Verbi in Naturâ humanâ nihil recipit: & tamen supplet Subsistentiam creatam. Tertiò, quia omnia Accidentia materialia recipiuntur in solâ Quantitate, vt videre est in Accidentibus Sacræ Eucharistiæ: deinde etiam alia Accidentia commodè recipientur in alijs subiectis immediatis, nimirum in potentijs Animæ, aut in ipsâ Animâ, præcisâ Subsistentiâ. P. Soar. P. Vasq. P. Lugo

325 Ad primum patet responsio ex proximè dictis in præcedenti Difficultate. Dicendum enim est passiones dici Suppositorū; quia exercentur in eorum Naturis: quæ autem per nostros recipimus, per nos metipsos recipere censemur: item ibi nomine *Suppositorum*, venire Naturas singulares, prout distinguuntur à communibus.

326 Ad secundum, dico Subsistentiæ etiam obstare quòd sit Modus; ex eo enim, quòd talis sit habet minorem entitatem, quàm quę requiritur ad sustentandam realitatem. Ad tertiū, quidquid in primis sit de Processionibus Diuinis, non inde valet consecutio ad Subsistentias creatas; nam Diuinę sunt realitates perfectissimæ: creatæ verò Modi, ac proinde incapaces sustentandi realitates. Deinde dico cum communi Theologorum Processiones Diuinas, & Origines actiuas non manere immediatè in Subsistentijs, sed in Intellectu, & Voluntate, prout illas connotant. Dixi,

cum

cum communi; nam in meâ opinione, quam proximè insinuaui, constituente Processiones, & Origines actiuas in ipsis Relationibus sūptis per modū vię, Processiones, & Origines actiuæ manent in ipsis Relationibus. Verùm ex hoc nō fit bonū argumentum ad Subsistentias creatas; quia hæ sunt modi minimæ entitatis; Diuinæ verò perfectissimæ realitates, vt dictum est. Adde, quòd in Diuinis solùm in Relationibus inuenitur distinctio requisita.

§. 4.

Vtrùm saltem Subsistentia creata sit conditio per se requisita ad agendum, vel patiendum?

327 TErtia difficultas: Vtrùm Subsistentia creata sit saltē cōditio per se, an solùm per accidens requisita ad hoc, vt Natura operetur, & patiatur? Illa cōditio dicitur per se requisita, quâ sublatâ Natura non ageret, neque pateretur; sic se habet approximatio in igne: illa cōditio dicitur per accidēs, qua sublatâ dūmodò persisteret Natura, adhuc illa ageret, vel pateretur; sic se habet inhærētia respectu Quantitatis, vt visitur in Eucharisticâ. His positis,

328 Aliqui dicunt Subsistentiā esse conditionē per se requisitā ad hoc, vt Natura operetur, & patiatur. Ita P. Soar. *in Met. d. 34. s. 7. n.* 10. Cardin. Lugo *de Incarn. d. 12. s. 7. n. 100* P. Hurt. *in Met. d. 11. §. 113.* & *de Incarn. d. 27. n. 35.* & cōmuniter Recentiores. Probatur primò, quia Subsistentia requiritur per se ad esse agentis, vel patiētis; hoc autē per se requiritur ad operandū, vel patiendū: ergo & illa. Secūdò, quia in Diuinis Subsistentiæ sunt conditiones per se requisitæ ad Productiones ad intrà. Tertiò, quia alioquì actiones, & passiones solùm per accidēs dicerentur Suppositorū. Quartò, quia actiones Christi Dñi erant infiniti valoris ratione Subsistentiæ Verbi; si autem hæc per accidens se haberet ad illas, nō posset eis cōferre valorem infinitum.

P. Soar. P. Lugo P. Hurt.

329 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentiū Subsistentiā solùm requiri per accidens, & cōcomitanter, ad eum modū, quo vbicatio, seu præsētia alicubi, quātūuis necessariò requiratur ad agendū, non est tamē cōditio per se, sed solùm per accidēs requisita. Ita P. Vasq. *de Incarn. d. 21. c. 3.* & plures Nominales apud P. Soar. cit. *n. 5.* P. Arriaga *in Met. d. 4. n. 125.* Probatur primò, quia si Natura diuinitùs existeret absque Subsistētiâ, adhuc operaretur. Et hoc ostenditur exēplo Accidentis, quod diuinitùs existēs absque inhærentiâ, adhuc operatur, vt visitur in Accidentibus Sacræ Eucharistiæ. Secundò, quia idcircò Subsistentia per se requireretur, quia sine illâ nō posset persistere Natura; atqui etiam Accidens non potest naturaliter persistere absque inhærentiâ, & ipsa Natura non potest persistere absque aliquo Vbi: & tamen hoc non requiritur per se, sed solùm per accidens.

P. Vasq. P. Arriaga

330 Respōdent Aduersarij, diuerso modo requiri Vbi, diuerso Subsistentiā; nā Subsistentia requiritur vt terminus, & complementum Naturæ in suo esse: Vbi verò non ita, sed supponit Naturam in suo esse constitutam, & cōpletam. Non placet ista respōsio. Primò, quia etiam Materia prima requiritur ad cōplementum, & constitutionem hominis: & tamen, vt ipsi Aduersarij fatentur, habet se per accidens ad aliquas eius operationes spirituales, præsertim supernaturales, intelligendi, & amandi. Secundò, quia actio conseruatiua Dei requiritur ad constitutionem creaturæ: & tamen per accidēs se habet ad eius operationes. Tertiò, quia etiam inhærentia requiritur ad constitutionem Accidentis.

§. 5.

Argumenta soluta.

331 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quàtenus dicit Subsistentiam per se requiri ad esse agētis, & patientis: hoc autē per se requiri ad agendum, & operandum) respondeo distinguendo Maiorem: Subsistentia per se requiritur ad esse agentis sumpti materialiter, quàtenus est Ens existens, concedo Maiorem: ad esse agentis sumpti formaliter, quàtenus agens est, & sub ratione agentis, nego Maiorem. Ad hanc formalitatem per accidens se habet Subsistentia, ad eum modum, quo ad illam per accidens se habet præsentia alicubi, licèt alioquì requiratur ad esse materiale agentis.

332 Ad secundū (quàtenus dicit in Diuinis Subsistentias esse cōditiones per se requisitas) respōdeo eo dato, in Diuinis esse valdè diuersā rationē, quia ad veras productiones requiritur distinctio ex naturâ rei inter producēs, & productū: in Diuinis autem nulla reperitur distinctio ex naturâ rei, nisi ratione Subsistentiarū, & Relationum. Quæ ratio non valet in creatis, nam Naturæ creatæ per se absque Subsistentijs distinguūtur ex naturâ rei. Et hinc est, quòd neque in Diuinis Subsistētię sint cōditiones ad operationes ad extrà; nā licèt Deus per impossibile nō foret Trinus, aut subsistēs, adhuc posset operari ad extrà. Et hoc ostēditur, quia Natura Diuina, cū sit se ipsâ formaliter perfectissima, nō indiget Subsistentijs ex necessitate

 essendi;

essendi, aut operãdi, sed ex fœcũditate se se cõmunicãdi. Vnde optimè in hãc cõmuni opinione retorqueri potest argumentũ; nam Subsistentiæ Diuinę non requirũtur per se ad operãdũ ad extrá: ergo neque Subsistentiæ creatæ. Dixi *in communi opinione*, quia in meâ, quam secutus fui in *materia de Trinitate*, Subsistentiæ Diuinæ non sunt conditiones, sed ipsa formalia Principia Productionum ad intrá. Verùm inde minùs benè argumentabere ad Subsistentias creatas; nam ad Diuinas solùm recurritur, quia in eis solis inuenitur distinctio requisita.

333 Ad tertium (quâtenus dicit ex nostrâ sententiâ sequi actiones, & passiones solùm per accidens esse Suppositorum) respondeo actiones per se esse Suppositorum in eo sensu, quo thezaurus per accidens inuentus manet per se illius domini, qui eum inuenit: item cùm dicitur actiones esse Suppositorum, idem est, ac dicere esse Naturarũ singulariũ, vt colligitur ex Aristotele 1. *Met. c.* 1. actiones verò per se sunt Naturarum singularium.

334 Ad quartũ de actionibus Christi Dñi, quæ sunt infiniti valoris, dico ad hoc, vt actiones Christi Domini sint infiniti valoris, vt re ipsâ sunt, non requiri quòd Subsistentia Verbi ad illas requiratur per se; sed satis esse, quòd procedant à Naturâ dignificatâ per Subsistẽtiã Verbi, licèt hæc per accidens se habeat ad illas; nã etiam Gratia sanctificãs per accidens se habet ad actiones Iusti, & tamẽ illæ desumũt esse meritorium de condigno ex ipsâ Gratiâ sanctificante.

§. 6.

De effectu formali Subsistentiæ.

335 QVarta difficultas: Quid sit effectus formalis Subsistentiæ? Nõ est quæstio de effectu primario; clarũ enim est hũc cõsistere in eo, quòd reddat Naturam vltimó terminatã, & cõpletã; nã effectus primarius alicuius formæ est ipsa forma cõmunicata subiecto capaci: Subsistentia autẽ est vltimus terminus, & cõplemẽtũ, vt laté ostendit Cardinalis Lugo *de Incarn. d.* 12. *s.* 3. ex D. Epiph. Diacono in VII. Synodo general. *consult. 6. to.* 3. post mediũ. item P. Ouiedo *in Met. controuers. 6. puncto* 3. *n.* 19. P. Arriaga cit. *n.* 64. P. Hurt. *in Met. d.* 11. *n.* 63. P. Tellez *d.* 57. *s.* 2. *n.* 7. ergo Subsistentiæ effectus primarius est reddere Naturam vltimó terminatam, & completam.

P. Lugo D. Epiph. P. Ouiedo P. Arriaga P. Hurt. P. Tellez

336 Quæstio solùm procedit de effectu secundario; nã plures formę præter effectum primarium habent alium secundarium ratione alicuius negationis sibi annexæ, quam secum afferunt, & secundarió cõmunicant subiecto: sic vna Quãtitas secũ affert impenetrabilitatẽ cum aliâ; calor incompatibilitatem cum frigore; albedo cum nigredine: sic etiam Subsistentia secum affert incommunicabilitatem alteri; si enim est vltimus terminus, & complementum, non alij communicatur; aliás hic terminus non esset vltimus. Quæritur ergo quid sit ista incommunicabilitas, & respectu cuius? Et relictis alijs sententijs, quæ facilè ex dictis refutari poterunt,

337 Prima asserit istam incommunicabilitatem Subsistentię esse incõmunicabilitatẽ alteri, in quo ipsa aliquo modo esse dicatur; aliquo, inquam, modo; aut vt pars in parte; aut vt forma in subiecto; aut vt Natura in Supposito. Et in hâc opinione neque Anima Rationalis, prout est in Materiâ; neque Formæ materiales, prout sunt in subiecto; neque Natura humana, prout est in Verbo, habent propriã Subsistentiam. Ita P. Vasq. *tom.* 1. *in* 3. *p. d.* 32. *c.* 4. Huius opinionis fundamentum est, quia *subsistere*, idem est, atque *esse in se*; hoc est, idem atque *non esse in alio*: ergo inuoluit incommunicabilitatem alteri, in quo Natura aliquo modo esse dicatur. P. Vasq.

338 Secunda sententia asserit incommunicabilitatem Subsistentiæ esse independentiam ab alio sustentante. Et in hâc opinione Anima Rationalis habet propriam Subsistentiã; Forma materialis minimè. Ita sentire videtur D. Thom. 1. *p. q.* 75. *a.* 2. *ad* 1. & certé sentit P. Soar. *in Met. d.* 34. *s.* 5. *n.* 40. & *de Incarnat. d.* 14. *sect.* 1. §. *Vltima*, Patres Conimbr. *in Logica q.* 1. *de Subsistentia art.* 1. §. *Igitur*. Huius sententiæ fundamentum est, quia Subsistentia, & inhærentia directè opponuntur; sed dependentia á sustentante est effectus inhærentiæ: ergo independentia á sustentante erit effectus Subsistentiæ. Dixi *dependentiam à sustentante esse effectum inhærentiæ*, quia iuxta doctrinam D. Thomæ loco proximè citato omnia, quæ dependent ab alio sustentante, dicuntur inhærere latè sumpto vocabulo *inhærentiæ*; vnde Formæ materiales in doctrinâ D. Thom. dicuntur inhærere.

D. Thom. P. Soar. Patres Conimbr.

§. 7.

Reijciuntur prædictæ sententiæ.

339 NIhilominus hæ duæ sententiæ suppositis ijs, quæ diximus præcedenti Disputatione totâ *Sectione* 3. & 4. á nobis defendi non possunt. Tenenda igitur est tertia sententia, quæ quidem est longè proba-

probabilior assertentiâ incômunicabilitatem Subsistentię esse incômunicabilitatē alteri, vt termino; vnde in hâc sententiâ effectus secūdarius Subsistentiæ est reddere Naturā incômunicabilem alteri vt termino, seu in ratione Subsistentiæ. Quæ vt cômodiùs explicentur,

340 Dico primò: Effectus Subsistētiæ nō est Substātiæ incômunicabilitas alteri, in quo ipsa aliquo modo esse dicatur. Hęc assertio est côtra P. Vasq. traditur tamen à D. Thom. Ferrar. Caie. P. Rub. P. Fōs. Patrib. Conimb. P. Mol. P. Soar. P. Hurt. & alijs suprà citat. n. 237. quatenus dicunt Animā Rationalē, & Materiam primā habere proprias Subsistentias: cùm tamen Anima sit in Materiâ, & Materia in Animâ, vt pars in parte. Probari potest primò ex ijs, quæ diximus n. 237. & 243. vbi multis probauimus Materiam primam, & Animā Rationalem habere proprias, & sibi peculiares Subsistentias. Probari potest secundò, quia humanitas præcisâ Subsistentiâ est incômunicabilis alteri vt comparti, & vt subiecto; & tamē non habet Subsistentiam: ergo huiusmodi incommunicabilitas non est illius effectus. Ex quo patet responsio ad fundamentum P. Vasq. dicentū enim est, subsistere quòad effectū secūdarium nihil aliud esse, quàm existere in se, hoc est, non in alieno Supposito in ratione termini, seu Suppositi.

D. Thom. *Ferrar.* *Caiet.* *P. Rub.* *P. Fonseca* *Patres Conimbr.* *P. Molin.* *P. Soar.* *P. Hurt.*

341 Dico secundò: Effectus Subsistentiæ non est independentia ab alio sustentāte. Hæc videtur esse contra D. Thom. loco citato, re tamen ipsâ contra ipsum non est, quia D. Thom. ibi solùm loquitur de Subsistentiâ, prout hæc idē est, atque Existentia perfecta, atque independens. Certè est côtra P. Soar. & côtra Patres Conimb. cit. & côtra P. Mart. *d. 26. de Trinit. n. 8.* Traditur tamē à P. Hurt. *in Met. d. 11. §. 52. & 63.* P. Wading. *de Incarn. d. 4. dub. 2. §. 1.* P. Vasq. *de Incarn. d. 32.* à Cardinali Lugo *de Incarn. d. 12. f. 3. n. 28.* P. Arriag. *in Met. d. 4. n. 46.* P. Tellez cit. *n. 4.* P. Alberti in. *tom. 2. in Prædicamento Substantiæ q. 2. n. 4.* & communiter à Recentioribus. Probatur primò ex ijs, quæ diximus *n.* 250. vbi ostendimus Formas materiales habere proprias, & sibi peculiares Subsistentias: & tamen dependent à Materiâ, vt à subiecto sustentante. Secundò, quia Anima Rationalis, & Angelus præcisâ Subsistentiâ per suas Existētias sunt formaliter indepēdentes à subiecto sustentante, tum inhæsionis, tum eductionis, vt suo loco probauimus. Tertiò, quia Subsistentia est formaliter talis: & tamen depēdet à Naturâ, cuius est Modus, vt à sustentante. Quartò, quia Natura Diuina præcisis Subsistentijs est independens ab aliquo sustentante. Quintò, quia Subsistentia Verbi est perfectissima: & tamen non reddit formam sanguinis indepeodentem à Materiâ.

P. Hurt. *P. Wadi.* *P. Vasq.* *P. Lugo* *P. Arriaga* *P. Tellez* *P. Alberti.*

342 Ad fundamentum P. Soar. respondeo Subsistentiam, & inhærentiam non esse directè oppositas; inhærentia enim solùm directè opponitur existentiæ per se, nam sicut Accidens per inhærentiam est existens in alio, ita Substantia per suam existentiam est existens per se.

§. 8.

Probabilior sententia.

343 Dico tertiò: Incômunicabilitas, seu effectus secūdarius Subsistentiæ est incommunicabilitas alij termino in ratione termini, seu Subsistētiæ. Hæc est côtra P. Arriagā proximè, & côtra P. Ouied. cit. n. 10. qui côtendunt huiusmodi incômunicabilitatē nō esse effectū Subsistentiæ, imò nullum aliū in eâ agnoscunt, nisi primariū positiuum vltimò terminandi, & complendi Substantiā; quia, inquiunt, hic solùm constat ex Mysterio Incarnationis, & nullum effectum Subsistentiæ cognoscimus aliunde, nisi ex Mysterio Incarnationis. *P. Ouied.*

344 Sed re verâ ex illo primariò, qui constat ex Mysterio Incarnationis, videtur sequi iste secundarius; nam si Natura per Subsistentiam est vltimò terminata, nullo alio termino terminatur; aliàs ille vltimus non est vltimus.

345 Objicies primò. Cùm quærimus effectū Subsistētiæ, inuestigamus illius propriū, & distinctiuū, at huiusmodi incômunicabilitas nō est peculiaris Subsistentiæ, sed trāscendēs per omnes Formas substantiales; omnis enim Forma substantialis reddit Materiā incômunicabilē alij Formæ substantiali: sicut ergo cùm quærimus effectum Formę substantialis, perperā diceretur esse reddere Materiā incômunicabilē alij Formæ; ita, cū quærimus effectū Subsistentiæ, nō rectè dicitur esse reddere Naturam incommunicabilem alij Subsistētiæ. Ita argumentatur P. Ouiedo loco citato.

346 Respondeo tamen esse longè diuersam rationem, quia essentia Formæ substātialis non consistit in eo, quòd sit vltima; vnde eius effectus formalis non benè explicaretur per incommunicabilitatem: at verò essentia, & quidditas Subsistentiæ consistit in eo, quòd sit vltimus terminus; vnde eius effectus formalis optimè explicatur per incommunicabilitatem.

347 Objicies secūdò cum eodē P. Ouied. Aut Natura secundùm se præcisâ Subsistentiâ est incapax terminari alienâ Subsistentiâ:

aut est capax. Si est incapax: ergo ante Subsistentiam habet prædictam incommunicabilitatem, ac proinde hæc non est effectus Subsistentiæ. Nō dices Naturam esse capacē terminari alienâ Subsistentiâ; alioquin ista capacitas esset intrinseca Naturæ, ac proinde per Subsistentiam propriam non posset auelli.

348 Respondeo Naturam secundùm se, prout antecedit propriam Subsistentiam, esse remotè, & radicaliter incapacem terminari alienâ Subsistentiâ: proximè nō redditur incapax, nisi per propriā Subsistētiā. Sic nix, prout antecedit albedinē, est remotè incapax ad nigredinē: hoc tamen non tollit quominus proximè reddatur incapax per albedinem.

349 Objicies tertiò: Natura Diuina terminata Subsistentiâ Patris non redditur incōmunicabilis Subsistentiæ, seu Supposito Filij; neque Subsistentiæ, seu Supposito Spiritûs Sancti: ergo effectus formalis Subsistētiæ non est incommunicabilitas alij Subsistentiæ. Respondeo: Subsistentiam solùm impedire quód ipsa, & consequenter Natura mediante ipsâ, vlteriùs terminetur. Itaque Subsistentia non est vltima, id est sola, sed est vltima, id est, Natura nō vlteriùs terminatur mediante ipsâ, licèt aliunde vlteriùs terminetur, ipsâ Subsistētiâ nō mediante, hoc est, nō vlteriùs terminatâ.

350 Scio P. Tellez *disp. 57. sect. 2. n. 7.* & alios aliter explicare incommunicabilitatem Subsistentiæ; dicunt enim esse independentiam Naturæ ab alio Supposito: Verùm hæc independentia non potest esse effectus Subsistentiæ. Et hoc probo primò, quia Natura Diuina antecedenter ad Personalitates est independēs ab alio Supposito: & tamē nō habet Subsistentiam. Secundò, quia si Deus conseruaret Naturam sine omni Subsistentiâ, talis Natura esset independens ab alieno Supposito; sed hoc non haberet per Subsistentiam, vt patet: ergo Independentia ab alio Supposito non est effectus Subsistentiæ.

P. Tellez.

SECTIO III.

Vtrùm Subsistentia possit præstare suū effectum formalem in Naturâ alienâ?

351 QVÆSTIO potest primò procedere de Subsistentijs Diuinis respectu Naturæ creatæ: secundò, de Subsistentiâ Diuinâ absolutâ in opinione eorum, qui illam admittunt; similiter respectu Naturæ creatæ: tertiò, de Subsistentiâ creatâ respectu Naturę Diuinę: quartò, de eâdem respectu Naturæ creatę alienæ.

§. 1.

Vtrùm Subsistentiæ Diuinæ Relatiuæ possint terminare Naturam creatam?

352 PRima difficultas: Vtrùm Subsistentiæ Diuinæ Relatiuæ possint terminare Naturam creatam? Negabant Ebion, Chirinthus, Porphyr. Iulian. Apostata, Nestorius, & alij hæretici. Primò, quia Subsistentia Diuina non potest mutari: mutaretur autē si sibi assumeret Naturam creatā. Secundò, quia non potest venire in cōpositionem: si verò sibi assumeret Naturam creatam veniret in compositionem cum illâ. Tertiò, quia Subsistentia Diuina nō potest facere vnum per se cū Naturâ creatâ: ex rebus enim, quæ non spectant ad idem Prædicamentum, nō potest fieri vnum per se. Quartò, quia Subsistentia Diuina adæquatur, & exhauritur per Naturam Diuinam, quæ est infinita: ergo non potest terminare aliam Naturam. Et confirmatur, quia ex eo, quòd virtus generatiua Patris adæquetur per vnum Filium, non potest alium generare. Quintò, quia Natura creata non potest existere per Existentiam Diuinam, nec vbicari per eius Immensitatem: ergo neque subsistere per eius Subsistentiam.

Ebion Chirinthus Porphyr. Iulianus Nestorius.

353 Sed de Fide est resolutio affirmatiua, vt constat ex Mysterio Incarnationis, in quo Subsistentia Verbi visitur de facto terminare Naturam humanam; de quo latè Theologi, Concilia, Scripturæ, & Sancti Patres. Et in primis relictâ quæstione de facto, quæ Theologorum propria est, resolutio de possibili (preterquamquód ab actu benè valeat argumentatio ad potentiam) probari potest, quia nulla in eo visitur implicatio: quidquid autem non inuoluit manifestam implicationem, Diuinæ Omnipotentię non est denegandum. Maior non meliùs ostendi potest, quàm soluendo implicationes, quæ ab hæreticis objiciuntur.

§. 2.

Cur Vnio hypostatica non induxerit mutationem in Verbo?

354 AD primū, duę sunt opiniones: altera asserentiū humanitatē, & Vnio-

& Vnionem hypostaticam esse intrinsecam Personæ Diuinæ. Hanc tenent plures Doctores, quos cum P. Soar. cit. refert, & sequitur P. Petrus Hurt. *de Incarn. dis.* à *n.* 4. Verùm in hâc sententiâ, & modo dicendi minùs facilè intelligitur, & saluatur Immutabilitas Diuina; nam mutari nihil aliud videtur esse, quàm aliter se habere intrinsecè.

P. Suarez, P. Petrus Hurt.

355 Respondent aliqui primò cum P. Soar. proximè *d.* 8. *s.* 3. §. *Respondetur*, ad mutationem non sufficere rationem termini, sed requiri rationem subiecti: Vnionem autem hypostaticam non esse in Verbo tanquam in subiecto intrinseco, sed tanquam in termino intrinseco. Hoc licèt sit probabile, non plenè satisfacit: quia non video cur subiectum recipiens aliquid intrinsecè mutetur intrinsecè, & terminus terminans aliquid intrinsecè non mutetur intrinsecè; cùm vtrumque incipiat aliter se habere intrinsecè, & mutari nihil aliud sit, quàm aliter intrinsecè se habere. Et confirmatur, quia licèt Forma informans non se habeat per modũ subiecti; ex eo tamẽ, quòd incipiat aliter se habere intrinsecè, mutatur intrinsecè: ergo licèt terminus intrinsecus nihil recipiat, ex eo, quòd incipiat aliter se habere intrinsecè, mutabitur.

P. Suar.

356 Respondent alij cum Cardinali Lugo *de Incarnat. d.* 11. à *num.* 79. mutari per aduentum alicuius intrinseci, dicere compleri quòad aliquam vacuitatem. Et hoc explicant exemplo vrcei, qui, si vacuus sit, recipit: secùs, si sit plenus. Itaque mutari per aduentum alicuius, est compleri quòad aliquam vacuitatem, quæ cùm in Deo non sit, neque esse possit, neque in eo aliqua mutatio est, aut esse potest. Hoc est valdè probabile: semper tamen illud manet difficilè, quòd mutari nihil aliud videtur esse, quàm incipere aliter se habere intrinsecè. Et sanè Forma informans mutatur: & si aliqua perfectio Diuina informaret Animam Rationalem, mutaretur, licèt ipsa non repleretur quòad aliquam vacuitatem, sed potiùs aliquam vacuitatem Animæ repleret: item si Deus non obstante eius plenitudine aliquid reciperet (nam id non videtur repugnare titulo plenitudinis; posset enim ponere eam perfectionem quasi penetratiuè cum aliâ, sicut in vrceo pleno potest ponere penetratiuè nouam aquam) sanè mutaretur: & tamen non repleretur quòad aliquam vacuitatem, sed solùm inciperet aliter intrinsecè se habere. Alij aliter respondent, sed minùs benè, & facilè impugnantur. Hæ duæ, quas retuli in hâc opinione, sunt probabiliores, & celebriores solutiones, & respondendi viæ.

P. Lugo

357 Quare melior semper mihi visa est contraria opinio asserentium cum D. Bonauent. *in* 3. *dist.* 1. *q.* 1. P. Lessio *de Diuinis perfectionibus lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 32. Lorcâ *de Incarnat. disp.* 15. *num.* 4. & alijs, quos suprà allegauimus *num.* 160. humanitatem, & Vnionem hypostaticam non esse Verbo intrinsecam; sic enim facilè intelligitur quomodò Subsistentia Diuina per Vnionem hypostaticam non mutetur intrinsecè, sed solùm extrinsecè: mutatio verò extrinseca non repugnat Deo, vt videre est in denominatione *Creatoris, Visi,* & *Amati*, quæ Deo aduenêre in tempore.

D. Bonau. P. Lessius Lorca

358 Dices, non posse intelligi quomodò Vnio hypostatica, physica & realis cùm sit, non sit Personæ Diuinæ intrinseca, & consequenter in eo nõ causet mutationẽ. Et hoc probatur primò, quia si per impossibile Vnio hypostatica Naturæ humanæ terminaretur ad Angelũ, illi esset intrinseca, & mutaretur ipse Angelus: ergo idem dicendum de Vnione hypostaticâ terminatâ ad Personã Diuinã. Respondeo Vnionem hypostaticam semper in Angelo inducere aliquid intrinsecũ saltem relationem vniti. Dices: Licèt Deus impediat hanc relationem, adhuc Angelus mutaretur intrinsecè ratione solius Vnionis hypostaticæ. Respõdeo, solùm tũc mutari intrinsecè ratione intrinsecæ postulantiæ relationis vniti.

359 Probatur secundò, quia in opinione asserentiũ in Cõposito physico vnâ tãtùm dari Vnionem, eamque ex parte Materiæ, adhuc Anima per coniunctionem, & separationem, à corpore mutatur intrinsecè: ergo idem dicendum de Subsistentiâ Diuinâ, licèt non recipiat Vnionem hypostaticam, sed illam tantùm terminet. Respondeo, esse diuersam rationem; nam Anima, licèt respectu Vnionis forte aliter solùm habeat rationem termini, respectu Materiæ, habet rationem Formæ intrinsecæ: at verò Verbum Diuinum tam respectu Vnionis, quàm respectu Naturæ creatæ solùm habet rationem termini.

§. 3.

Alia argumenta soluta. Et obiter cur Subsistentia Diuina, non verò Æternitas, & Immensitas, possit communicari Naturæ creatæ.

360 AD primum argumentum hæreticorũ propositũ initio difficultatis *n.* 352. (quatenus dicunt Subsistentiã Diuinam nõ posse venire in cõpositionẽ cum Naturâ creatâ) respondeo cum communi

Theologorum Deo solùm repugnare compositionem cum alio in ratione Materiæ, aut Formæ; non autem in ratione termini, hoc est, non potest venire cum alio in compositionem, in quâ ipse sit Forma, aut Materia; potest tamen venire in compositionem, in quâ ipse solùm exerceat rationem termini; hæc enim cùm sit extrinseca non repugnat Deo; sin minùs neque posset terminare nostram cognitionem, & amorem.

361 Ad tertium (quâtenus dicit Subsistentiam Diuinam non posse facere vnum per se cum Naturâ creatâ) eadem applicanda est solutio, dicendumque Subsistentiam Diuinam sumptam in ratione Materiæ, aut Formæ nõ posse facere vnum per se cum Naturâ creatâ: aliter de illâ sentiendum sumptâ in ratione termini.

362 Ad quartum (quâtenus dicit Subsistentiam Diuinam exhauriri in terminandâ Naturâ Diuinâ; est enim hæc infinita; ac proinde non posse vlteriùs terminare aliam Naturam) respondeo inde solùm probari Subsistentiam Diuinam non posse terminare aliam Naturam eo modo, quo terminat Diuinam, videlicet intrinsecè per idẽtificationem cum illâ: at verò Subsistentia Diuina non ita, sed alio modo valdè diuerso terminat Naturam creatã, hoc est, nõ per identificationẽ, sed per Vniõnẽ hypostaticã. Virtus Generatiua Patris non potest generare aliun Filiũ, quia cùm hic deberet generari ad intrà, deberet generari eodẽ modo. Ita Caspensis *de Incarn. d. 3. à n. 26.* Caspens.

363 Ad quintum (quâtenus dicit, neque Diuinam Immensitatem, neque Diuinam Æternitatem posse præstare suum effectum formalem in Naturâ creatâ: ergo neque Diuina Subsistentia) aliqui assignant hanc diuersam rationem; quia prædicata substantialia non possunt subrogari, & substituere pro prædicatis accidentalibus: at verò si Immensitas, & Æternitas communicarentur Naturæ creatæ, prædicata substantialia subrogarentur, & substituerent pro prædicatis accidentalibus, nẽpe pro Vbicatione, & Duratione accidentali. Quod inconueniens non sequitur ex eo, quód Subsistentia Diuina subrogetur, & substituat pro Subsistentiâ creatâ. Quód verò prædicata substantialia non possint subrogari, & substituere prò prędicatis accidentalibus, ostenditur. Primò, quia omnis Vnio supponit aliquod incomplementum, & vacuitatem, quæ per ipsum extremum aduenicns impleatur: at verò Natura creata non habet vacuitatem substantialem in ordine ad prædicata accidentalia, cuiusmodi sunt Vbicatio, & Duratio. Secundò, quia cùm huiusmodi prædicata aduenianr Naturę iam completę, ex illis, & ipsâ Naturâ resultabit vnum per accidens.

364 Hæc ratio mihi non videtur multùm efficax, quia Essentia Diuina quâtenus habet rationem speciei impressæ concurrit ad sui, & creaturarum cognitionem cum intellectu Beato, vt cum P. Valent. P. Vasq. Ægid. Lusit. P. Molin. P. Soar. P. Arrub. P. Marat. P. Recupit. & P. Erice docuimus *in Log. tr. 6. n. 127.* Itaque Species impressa Diuina cõmunicatur loco speciei creatæ: & tamen Diuina est substantialis, creata veró accidentalis. Adde, quòd prædicta ratio non occurrit difficultati Existentiæ, cur scilicet Subsistentia Diuina possit communicari, non verò Existentia? P. Valent. P. Vasq. Ægid. Lus. P. Molin. P. Soar. P. Arrub. P. Marat. P. Recupit. P. Erice

365 Quare alia assignanda est diuersa ratio: quia scilicet Existentia, Æternitas, & Immensitas Diuina, cùm habeant se per modum formæ, non possunt communicare suum effectum formalem, nisi informando intrinsecè: repugnat autem perfectionibus Diuinis informare intrinsecè Naturam creatam, quia mutarentur; inciperent enim aliter se habere intrinsecè: at verò Subsistentia, vt dixi, solùm habet se per modum puri termini.

366 Scio hanc rationem non placere aliquibus Recentioribus. Primò, quia dicunt rationem speciei impressæ Diuinæ esse formã: & tamen communicari Intellectui Beato. Secundò, quia Sanctitas Diuina est forma: & tamen communicatur humanitati Christi Domini. Tertiò, quia Deitas etiam habet rationem formæ: & tamẽ communicatur humanitati Christi Domini, quæ ideó à Sanctis Patribus dicitur Deificata, & vncta oleo Deitatis. Et sanè propter has rationes existimant prædicti Recentiores omnia Attributa, & perfectiones Diuinas, exceptis vitalibus, posse præstare suum effectum formalem in Naturâ creatâ. Excipiunt perfectiones vitales, cuiusmodi sunt Intellectio, & Volitio Diuina, quia nihil potest dici viuere nisi per id, quod fluit ab intrinseco.

367 His non obstantibus, adhuc persisto in eo, quòd nulla perfectio Diuina per modũ formæ intrinsecæ possit præstare suum effectum formalem in Naturâ creatâ; quia formę intrinsecæ non communicant suum effectum formalem, nisi inform ãdo intrinsecè: at nulla perfectio Diuina potest informare intrinsecè Naturam creatam; quia aliter, vt dixi, mutaretur intrinsecè.

368 Neque obstat primum de specie impressâ Diuinâ, quæ concurrit cum Beato, loco speciei creatæ. Nam Essentia Diuina solùm secundùm quid habet rationem speciei; hoc est,

est, non quatenus informat; non enim informat, sed quatenus in ducendo in cognitionem rerum æquipollet earum speciebus, hoc est, earum intelligibilitati. Itaque species impressa habet duo, nempe quòd sit intelligibilitas obiecti; & quòd id præstet informando: Essentia Diuina habet primum; est enim intelligibilitas rerum: non habet secundum; non enim informat per se, sed per cognitionem; non enim est forma physica, sed intentionalis.

369 Non obstat secundum de Sanctitate Diuinâ, quæ communicatur humanitati Christi Domini. Nam in humanitate Christi Domini quatuor Sanctitates possunt considerari: prima accidentalis consistens in Gratiâ Sanctificante; item in Visione Beatâ, quę etiam est Sanctitas suàpte naturâ excludens peccatum: secunda substantialis consistens in Vnione hypostaticâ: tertia item substantialis cōsistens in Subsistentiâ Verbi, quæ etiam est Sanctitas; nam Sanctitas consistit in eo, quòd expellat peccatum, & reddat Naturam dignam Diuino amore, & amicitiâ, hæredem vitæ æternæ, & participem Naturæ Diuinæ, quæ omnia præstat Subsistentia Verbi in humanitate: quarta Sanctitas est quoddam Attributum Diuinum absolutum: hæc autem, sicut nec Immensitas, neque Æternitas, neque Omnipotentia, non informat humanitatem, & consequenter neque præstat in illâ suum effectum formalem.

370 Dices: Hæc quarta Sanctitas vnitur remotè humanitati, nempe mediante Subsistentiâ Verbi: sufficit autem hæc Vnio remota, ac mediata, vt præstet in illâ suum effectum formalem. Et hoc ostenditur, primò, quia Gratia in probabili opinione solùm ponitur in Voluntate: & tamen præstat suum effectum formalem in Animâ. Secundò, quia peccatum est actus Voluntatis: & denominat totam Animam. Tertiò, quia Visio Beata est in Intellectu: & sanctificat Animam, ab eâque expellit peccatum. Respondeo, benè posse vnam formam mediante aliâ formâ informare mediatè, & solùm id probant exempla allata: at verò nec Sanctitas, nec vllum aliud Attributum informat humanitatem, nec immediatè vt patet, nec mediante aliâ formâ; nam Subsistentia non est forma, sed terminus. Et confirmatur, quia si hæc mediatio termini sufficeret, omnia Attributa Diuina mediante Subsistentiâ informarent humanitatem; ac proinde humanitas Christi Domini esset formaliter Æterna, Immutabilis, Immensa, Omnipotens, Incomprehensibilis, Infinita, &c.

371 Nec tandem obstat tertium de Deitate, quę communicatur humanitati; nam Deitas, sicut non informat humanitatem, ita non pręstat in illâ suum effectum formalem, sin minus faceret cum illâ vnum per accidens. Itaque Deitas non informat humanitatem, nec præstat in illâ suum effectum formalem, sed subsistit in Subsistentiâ Verbi, in quâ etiam subsistit humanitas, & ratione eiusdem Suppositi, in quo simul subsistit Deitas, & humanitas, hoc est, Natura Diuina, & Natura humana, Deus est homo, & homo est Deus. Dicitur autem à Sanctis Patribus humanitas Deificata, hoc est, facta Deus; nam sicut per Vnionem hypostaticam Deus factus est homo, ita homo factus est Deus. Dicitur præterea vncta oleo Diuinitatis propter Vnionem hypostaticam, quam Sancti Patres appellant oleum Diuinitatis. De his pleniùs *tract. 7.*

§. 4.

Vtrùm Subsistentia Diuina absoluta possit terminare Naturam creatam?

372 SEcunda difficultas: Vtrùm Subsistentia Diuina absoluta possit terminare Naturam creatam? Hæc quæstio solùm procedit in opinione asserentium dari in Deo Subsistentiam absolutam. Eâ admissâ, non posse terminare Naturam creatam cōtendunt P. Vasq. *tom. 1. in 3. p. d. 27. c. 2.* Lorca *de Incarnat. d. 24. n. 20.* P. Becan. ibidem *cap. 4. q. 2. n. 6.* Probatur primò, quia Subsistentia absoluta non est Suppositum: Subsistentia verò creata mutilatè, & Suppositum non potest suppleri nisi per aliud Suppositum. Et confirmatur, quia Concilia, & Sancti Patres probant contra hæreticos Vnionem hypostaticam non esse ad Naturam ex eo, quòd solùm fiat ad Suppositum. Secundò, quia non potest intelligi aliquis homo singularis, qui non sit Persona: talis autem non foret ille, qui resultaret ex Naturâ creatâ, & Subsistentiâ Diuinâ absolutâ. Tertiò, quia si Subsistentia Diuina absoluta esset capax assumendi, de facto terminasset Naturam humanam, quod est contra Concilium Toletan. 11. De facto, inquam, eam terminasset, quia quando duo à parte rei non distinguuntur, & ambo sunt capacia alicuius effectûs formalis, vnum non potest illum præstare, quin illum etiam præstet & aliud. P. Vasq. Lorca P. Becan.

373 Nihilominus dato, quòd in Deo admitteretur Subsistentia absoluta, dicendum videtur illam posse sibi hypostaticè vnire Naturam creatam. Ita D. Thom. Scotus, D. Thom. Scotus

Durand. Richard. Gabriel. Ocham. Caiet. P. Soar. P. Valent. Cabrer. Pezant. P. Albert. P. Tanner. P. Gaspar Hurt. P. Ragus. P. Merat. P. Tellez.

Durand. Richard. Gabr. Ocham. Caiet. & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *de Incarn. d.* 13. *s.* 1. *§. Dico secundò*, P. Valent. ibidem *d.* 1. *q.* 3. *pun.* 5. Cabrer. ibidem *d.* 1. *Conclus.* 1. Pezant. ibidem *q.* 1. *d.* 3. P. Albertin. *tom.* 2. *q.* 11. circa *Corollarium* 11. á Prædicam. *Substantia dub.* 2. *n.* 7. P. Tanner. *de Incarnat. d.* 1. *q.* 4. *dub.* 1. *n.* 32. P Gaspar Hurtad. ibidem *disp.* 3. *diffic.* 4. *n.* 19. P. Ragusa 3. *p. q.* 3. *a.* 3. *d.* 50. *§. His non obstantibus*, P. Meratius *de Incarn. d.* 18. *§. Supposita autem*, P. Tellez *disp.* 57. *sect.* 5. *n.* 19. Et probatur, quia nulla visitur implicatio in eo, quód talis Subsistentia terminet Naturā creatam. Et confirmatur, quia Subsistentia relatiua terminat Naturam creatam: ergo etiam Subsistentia absoluta poterit eam terminare.

Verùm autem Vnio ad hanc Subsistētiam absolutā impediret resultantiam Subsistentiæ propriæ creatæ? Respondeo affirmatiuè cum P. Soar. cit. quia talis Vnio redderet Naturam subsistentem in alio: effectus autem subsistendi in alio impedit effectum subsistēdi in se. Dices: Subsistentia absoluta in Deo non impedit Subsistentiam propriam Patris: ergo in hoc homine non impediret Subsistentiā propriam illius. Respondeo esse diuersam rationem, quia Pater per Subsistentiam absolutam non redditur subsistens in alio: at verò hic homo per Vnionem ad Subsistentiam absolutam redderetur subsistens in alio; effectus autem Subsistendi in alio, vt dixi, impedit effectum subsistendi in se.

§. 5.

Argumenta soluta.

374 AD primum (quàtenus dicit Subsistentiam Diuinam absolutam non esse Suppositum; ac proinde non posse supplere Suppositum creatum) concedo Subsistentiam absolutam non esse Suppositum, creatam verò maximè. Dico deinde Suppositum non posse suppleri in ratione Suppositi, nisi ab alio Supposito; posse tamen suppleri in ratione Subsistentiæ, seu termini ab aliā Subsistentiā; neque enim opus est, quód Subsistentia supplens habeat omnes conditiones, & formalitates Subsistentiæ, quæ suppletur, vt videre est in Vnione hypostaticā, quæ de facto datur; nam Subsistentia creata, quæ suppletur, est absoluta; Subsistentia supplens, relatiua: Subsistentia Animæ Christi Domini non est Suppositum; Subsistentia illam supplens, maximè. Et hinc potest retorqueri argumentum: Nam si Subsistētia Animæ, licèt Suppositum non sit, potest suppleri á Supposito Verbi, cur Subsistentia creata, licèt Suppositum sit, non poterit suppleri à Subsistentiā absolutā, quantumuis hæc non sit Suppositum? Ad confirmationem, dicendum est Cōcilia, & Sanctos Patres non agnoscere in Deo Subsistentiam absolutam, vt nos non agnoscimus: deinde (quidquid sit de possibili) dicere de facto Vnionem hypostaticā esse ad Suppositum: ergo non ad Naturam.

375 Ad secundum (quàtenus dicit non posse intelligi hominem singularem, qui non sit Persona: talem autem non fore illum, qui resultaret ex Subsistentiā absolutā) concedo non posse intelligi aliquem hominem singularem, qui formaliter, aut saltem fundamentaliter non sit Persona: ille autem homo saltem fundamentaliter esset Persona.

376 Ad tertium (quàtenus asserit: Quando duo à parte rei non distinguuntur, & ambo sunt capacia, si vnum præstat effectum formalem, illum præstat etiam aliud: & inde infert Subsistentiam absolutam non esse capacem assumēdi, quia de facto terminasset Vnionem hypostaticam) respondeo, illud Principium solùm esse verum in rebus, quæ intrinsecè afficiunt, non in illis, quę aliquo modo se habent extrinsecè, & per modum puri termini; nam hæc licèt sint æquè capacia, & solùm virtualiter distinguantur, possunt nihilominus non simul terminare, vt patet in Visione Beatā, quæ non attingit omnes virtualitates Omnipotentiæ, quæ omnes sunt æquè capaces illam terminare: item in cognitione, quā intellectus cognoscit albedinem non attingendo omnes eius virtualitates, & respectus transcendentales ad subiectum in ratione Accidentis, & ad Deum in ratione Creaturæ: item in cognitione, quā vnus gradus metaphysicus potest cognosci sine alio. At verò Subsistentia absoluta, & relatiua habent se per modum puri termini; ac proinde potuit relatiua terminare Vnionem hypostaticam, quin eam terminauerit absoluta.

377 Instabis: Ex eo, quòd Subsistentia absoluta sit æquè capax cognosci, ac relatiua, non potest Visio Beata terminari ad hanc, quin terminetur ad illam. Et hoc videtur negari non posse, quia Visio Beata non potest terminari ad Relationem, quin terminetur ad Naturam: ergo neque ad Relationem, quin terminetur ad Subsistentiam absolutam: ergo si Subsistentia absoluta est capax terminare, non posset Vnio hypostatica terminari ad Subsistentiam relatiuam, quin terminetur ad absolutam.

378 Aliqui concedunt non posse etiam de potentiā absolutā videri Relationē sine Sub-

sistentiâ absolutâ, & ipsâ Naturâ: imò neque vnam Relationem sine aliâ; nec vnum Attributum sine alio; & adhuc dicunt potuisse; & posse Relationem terminare Naturam creatam, quin eam terminet Subsistentia absoluta. Et assignant diuersam rationem, quia sola Natura, prout etiam coalescit ex Subsistentiâ absolutâ, & non Relationes, est obiectum motiuum Visionis; Relationes solùm sunt obiectum purè terminatiuum: ideò ergo Relationes videantur ratione Naturæ, prout includit Subsistentiam absolutam, non possunt videri, quin videatur ipsa Subsistentia absoluta. Imò ex hoc principio etiam probant non posse vnam Relationem videri sine aliâ, quia videtur ratione Essentiæ, quæ æquè communicatur Relationibus; ac proinde est æqualis ratio, vt omnes videantur. Vnio verò hypostatica potest terminari ad Relationem, quin terminetur ad Subsistentiam absolutam, quia neque Subsistentia absoluta, neque Natura est ratio motiua, cur Vnio hypostatica terminetur ad Relationem.

379 Hic modus respondendi est sufficiens ad explicandum quomodò Visio Beata se habet de facto; terminatur enim de facto ad Relationes ratione Essentiæ absolutæ, ac proinde de facto non videntur Relationes, quin videatur Essentia absoluta; & consequenter Subsistentia in eâ contenta: at verò Vnio hypostatica non terminatur ad Relationem ratione Essentiæ, vel Subsistentiæ absolutæ: & in hoc sensu approbo prædictam solutionem, & illâ vtor. Non est tamen sufficiens ad ostendendum de potentiâ absolutâ nõ posse videri Relationem sine Subsistentiâ absolutâ; nec vnam Relationem sine aliâ; aut vnum Attributum sine alio: nam licèt de facto sola Natura sit obiectum motiuum, & non Relatio, non repugnat quòd Deus imprimat speciem solius Relationis, & non Naturæ: item vnius Relationis tantùm, & non alterius: vel vnius Attributi duntaxat sine alio. Quòd si nolis admittere huiusmodi speciem, saltem non repugnat Naturam Diuinam concurrere cum intellectu creato inadæquatè mouendo ad cognoscendam vnam Relationem, & non ad aliam; ad cognoscendum vnum Attributum, & non ad aliud, prout latiùs diximus *tract. 4. de Animâ à n. 203.*

§. 6.

Vtrùm Subsistentia creata posit terminare Naturam Diuinam?

380 Tertia difficultas: Vtrùm Subsistentia creata possit terminare, & sibi hypostaticè vnire Naturam Diuinam? Videtur posse. Primò, quia in eo nulla videtur manifesta contradictio. Secundò, quia possibilis est, & de facto datur Vnio hypostatica Naturæ humanæ ad Subsistentiam Diuinam: ergo etiam possibilis erit Vnio hypostatica Naturæ Diuinæ ad Subsistentiam humanam.

381 Nihilominus vera est contraria resolutio asserentium Subsistentiam creatam nõ posse terminare Naturam Diuinam. Hæc supponitur ab omnibus communiter, & traditur expressè à P. Gil. *l. 2. tr. 4. c. 12. n. 7.* P. Fasol. *q. 3. a. 8. n. 11.* P. Franc. Amic. *to. 1. d. 5. n. 28.* à Cardinali Lugo *de Incarnat. d. 16. sect. 2. n. 53.* à P. Tellez *disp. 57. sect. 5. n. 12.* & in illâ concordant penè omnes Recentiores, non tamen in fundamento. Probant aliqui primò, quia Natura semper dependet à Supposito: Natura autem Diuina à nullo creato potest depẽdere. Sed contrà, quia Natura Diuina non dependet à Subsistentijs relatiuis: ergo neque dependeret à Supposito creato. Dices, Naturam semper dependere à Supposito alieno. Sed contrà, quia prætérquam quòd id liberè dicatur, non est maior ratio, cur Natura nõ dependeat à proprio, depẽderet verò ab alieno. P. Gil P. Fas. P. Amicus P. Lugo P. Tellez

382 Probant alij secundò, quia effectus formalis Subsistentiæ est complere Naturam: at Natura Diuina à nullo creato potest compleri. Sed contrà, quia Natura Diuina antecedenter ad Relationes est perfectissima, & cõpleta in genere existendi, vt suprà diximus *n. 228.* vnde neque à Subsistentijs Diuinis accipit complementum, sed solam incommunicabilitatem: ergo multò minùs illud acciperet à Subsistentiâ creatâ, si illi vniretur.

383 Probant nonnulli tertiò, quia Natura Diuina est infinita: ergo non potest terminari per terminum finitum. Sed cõtrà, quia Natura Diuina non terminaretur adæquatè, sed inadæquatè.

384 Probant alij quartò, quia si Subsistentia creata terminaret Naturam Diuinam, illam fulciret, ac sustentaret; nam subsistere in alio est ab illo fulciri, & sustentari: repugnat autem quòd Natura Diuina ab aliquo creato sustentetur, & fulciatur. Sed contrà, quia (quidquid sit de Naturâ creatâ, quæ re verâ indiget Subsistentiâ, vt sustentetur, & fulciatur) sanè Natura Diuina non subsistit, vt sustentetur, & fulciatur. Et id patet in ipsâ Naturâ Diuinâ respectu Diuinarum Subsistentiarum; antecedenter enim ad illas nullo indiget fulcimento, aut sustentaculo, vt constat ex dictis *n. 228.* aliàs Relationes, & Subsistẽtiæ Diuinæ essent in Deo ex necessitate es-

sendi,

sendi, & non ex fœcunditate Naturæ. Itaque Natura Diuina non fulcitur, neque sustentatur in Subsistentijs Diuinis: ergo multò minùs in Subsistentiâ creatâ.

385 Quare meliùs resolutio probanda est hoc modo: Quia repugnat; tum ex parte Subsistentię creatæ assumentis; tum ex parte Naturæ Diuinę assumptæ. Ex parte Subsistentiæ creatæ assumentis, quia nulla Subsistētia creata potest terminare Naturam alienam, vt cōstabit ex resolutione sequentis Difficultatis. Repugnat ex parte Naturæ Diuinæ assumptæ. Primò, quia Naturæ Diuinę repugnat recipere; aliàs mutaretur, vt pluribus in locis docuimus, & latè ostendit P. Gil loco cit. sed si assumeret, reciperet Vnionem hypostaticam. Probo hanc Minorem, quia Vnio hypostatica recipitur in Naturâ assumptâ, & non in termino; item omnis vnio, sicut omnis relatio, recipitur in extremo, & non in termino. Secundò, quia Natura perficitur per Subsistentiam; at Natura Diuina non potest perfici per aliquid creatum. Tertiò, quia aliàs destrueretur Simplicitas Dei; idcircò enim non admittimus Subsistentias Diuinas realiter distinctas à Naturâ, quia destrueretur eius Simplicitas.

P. Gil

386 Dices: De facto Natura creata vnitur Subsistentiæ Diuinæ, quin destruatur Diuina Simplicitas: ergo neque destruetur si Subsistentia creata vniatur Naturæ Diuinæ. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia ex Vnione Naturæ ad Suppositum Diuinum resultat homo, cui non repugnat compositio: ex Vnione autem Naturæ Diuinæ ad Suppositum creatum resultaret Deus, essetque realiter compositus, quod illi maximè repugnat.

387 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit nullam apparere repugnantiam in eo, quód Natura Diuina terminetur per Subsistentiam creatam) patet solutio ex dictis. Ad secundum est longè diuersa ratio. Nam ex eo, quòd Natura humana assumatur ad Subsistentiam Diuinam, nulla sequitur implicatio: ex eo autem quòd Natura Diuina assumatur ad Subsistētiam creatam, sequuntur illæ, quas proximè assignauimus.

§. 7.

Vtrùm Subsistentia creata possit terminare Naturam alienam creatam?

388 Qvarta difficultas: Vtrùm Subsistentia creata possit terminare Naturam creatam alienam, V. g. Subsistentia Angelica Naturam humanam? Affirmant Ocham, Durand. Basol. Almayn. Gabr. & alij, quos citat, & sequitur P. Hurtad. *in Met. d.* 11. *s.* 82. Ferrar. Herrera, Medin. Bañes, Zumel, Nauarrete, & alij, quos citat, & sequitur Pezant. 3. *p. q.* 3. *a.* 1. *ad* 1. quâtenus dicunt Subsistentiam creatam esse realitatem distinctam à Naturâ. Pro hâc sententiâ allegari potest Origines, qui (vt refert D. Hieronym. in Malach.) opinatus est Malachiam, & D. Ioannem Baptistam fuisse Angelos, hoc est, eorum Naturas fuisse assumptas per Vnionem hypostaticam ad Subsistentias Angelicas, ad eum modum, quo Natura humana fuit assumpta ad Subsistentiam Verbi. Allegari etiam possunt nonnulli, qui idem arbitrati sunt de Prophetâ Ægæo, quos refert D. Hieronym. *ad Caput* 1. *Ægei* circa finem. Consentit Tertullianus *l. de carne Christi cap.* 4. & 5. vbi existimat assumpta fuisse hypostaticè ab Angelis illa corpora, in quibus perhibentur hominibus apparuisse, *Genes.* 18. *Tobiæ* 19. *Danielis* 8. & 9. Adde D. Ambros. 2. *ad Timot.* Theodoret. *l.* 5. *de Diuin. Decret. c. de Antichristo*, Bed. *in Apocal. c.* 13. quâtenus dicunt Antichristum futurum esse Dæmonem incarnatum, quos omnes latè allegat P. Valent. 3. *p. d.* 1. *q.* 3. *punct.* 6. Eandem sententiam, quóad possibilitatem Vnionis hypostaticæ ad Subsistentiam creatam, sequuntur P. Tellez *disp.* 57. *sect.* 4. *n.* 2. P. Mærat. *de Incarn. disp.* 17. *sect.* 2. P. Arriaga *in Met. d.* 4. *n.* 103. P. Compt. *in Met. d.* 8. *sect.* 8. *n.* 8. Tenent etiam Scotus, P. Præposit. & P. Becan. quos sequitur Caspensis *de Incarnat. disp.* 3. *n.* 4. & alij plures.

Ocham. Durand. Basol. Almayn. Gabriel. P. Hurt. Ferrar. Herrer. Medin. Bañes Zumel Nauarret. Pezant. Origin. D. Hieron. Tertullian. D. Ambr. Theodor. Beda P. Tellez P. Marat. P. Arriaga P. Cōpto. Scotus P. Prepos. P. Becan. Caspens.

389 Probari potest hæc sententia in primis in opinione asserentium Subsistentiam creatam esse realitatem; tunc enim, quidquid sit de facto, de possibili nulla visitur implicatio. Et declaratur, quia punctum vnius lineæ potest aliam diuinitùs terminare; & idem dicendum de lineâ vnius superficiei respectu alterius in opinione admittentium indiuisibilia realiter distincta á partibus Quantitatis: ergo etiam Subsistentia vnius Naturæ poterit aliam diuinitùs terminare.

390 Deinde dato quòd Subsistentia sit modus, adhuc nulla visitur implicatio. Et hoc ostenditur primó, quia modus vnius realitatis potest alium terminare, nimirum Subsistentia Formæ potest terminare Subsistentiam Materiæ, á quâ distinguitur realiter: cur ergo nō poterit diuinitùs terminare aliam Naturam, á quâ distinguatur realiter? Secundó, quia vnus modus benè potest præstare suum effectum formalē in duabus Naturis realiter distinctis, vt patet in Vnione duorum extremorum.

Tertió,

391 Tertiò, quia hoc non repugnat rationi Modi, vt patet in exemplis adductis: non rationi Subsistentiæ; nam effectus formalis subsistentiæ optimè potest exerceri in duabus Naturis afficiendo intrinsecè vnam, & extrinsecè aliam, vt videre est in Subsistentiâ Diuinâ, quæ intrinsecè afficit Naturam Diuinam, & extrinsecè Naturam humanam.

392 Quartò, quia si Subsistentia creata nequit terminare Naturam alienam, Angeli, qui naturaliter vident Naturam humanam Christi Domini denudatam propriâ Subsistentiâ, lumine naturali cognoscent esse terminatam Subsistentiâ Diuinâ; dicent enim: Hæc Natura caret propriâ Subsistentiâ: ergo est terminata Subsistentiâ Diuinâ; ac proinde naturaliter cognoscent Mysterium Incarnationis, quod est contra omnes Theologos.

393 Quintò, quia non minùs est causare materialiter vnam realitatem, quàm eam duntaxat terminare; sed Subsistentia diuinitùs potest causare materialiter realitatem alienam, iuxta ea, quæ diximus in *Phys. tract.* 2 *num.* 138. vbi diximus non repugnare diuinitùs educi vnâ realitatem de potentiâ Modi: ergo Subsistentia, tametsi Modus sit, poterit terminare Naturam alienam.

394 Sextò, quia in Subsistentiâ creatâ sunt duæ formalitates, altera *Modi*, altera *Termini*: poterit ergo Natura aliena diuinitùs assumi ad formalitatem *Termini*, & non ad formalitatem *Modi*. Et confirmatur, quia Vnio hypostatica est termino extrinseca: & ea, quæ sunt termino extrinseca, possunt terminari ad vnam formalitatem, & non ad aliam; vt patet in cognitione, quæ potest terminari ad vnum gradum metaphysicum, & non ad alium; & in Vnione hypostaticâ Christi Domini, quam ex hoc capite diximus suprà posse terminari ad Subsistentiam relatiuam, & non ad absolutam. Hæc opinio est satis probabilis.

§. 8.

Præfertur resolutio negatiua.

395 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium nullam Subsistentiam creatam posse terminare Naturam alienam. Ita D. Thom. 3. *p.* q. 3. *art.* 1. *ad* 2. Caietan. Sot. Durand. Palud. & cæteri Thomistæ ibidem, Cabret. ibidem *d.* 2. *n* 22. P. Soar. *in Met. d.* 34. *sect.* 5. *n.* 56. & *de Incarnat. d.* 13. *s.* 4. & *de Sacramd.* 54. *s.* 1. *§. Secundò dicendum*, Cardinalis Lugo *de Incarnat. d.* 12. *n* 88. P. Henriquez *de fine hominis c.* 23. *num.* 1. Patres Conimbr. 1. *de Generat. c.* 4. *q.* 6. *art.* 3. *§. Prioti*, P. Vasq. 1. *p. d.* 184. *n.* 6. & *disp.* 214 *n* 26. & 3. *p. disp.* 25. *n.* 12. & *d.* 29. *n.* 7. P. Fonseca 5. *Met. c.* 8. *q.* 7. *s.* 6. P. Gaspar Hurt. *de Incarnat. d.* 3. *diffic.* 8. *§. Durandus verò*, P. Ragula 3. *p. q.* 3. *art.* 1. *disp.* 48. P. Ouiedo *in Met. controuers.* 6. *punct.* 5. *n.* 3. P. Valent. cit. *de Incarnat. q.* 3. *puncto* 6. vbi dicit hanc sententiam esse certam.

D. Thom. Caiet. Sotus Durand. Palud. Cabrer. P. Soar. P. Lugo P. Henriq. Patres Conimbr. P. Vasq. P. Fonsec. P. Gaspar Hurt. P. Ragula P. Ouiedo P. Valent.

396 Primum fundamentum est: quia nullus Modus potest præstare suum effectum formalem in Naturâ alienâ. Et hoc ostenditur sic: quia aut hoc præstaret deserendo suam Naturam, & transiliendo in aliam; & hoc non potest esse, quia nullus Modus potest existere separatus à suâ realitate, vt in *Phys. tract.* 1. *num.* 260. dixi. Aut simul intrinsecè afficiendo vtramque Naturam, & cum vtrâque se identificando: hoc etiam est impossibile; quia tunc vtraque realitas esset idem realiter cum tali Modo, & consequenter idem realiter inter se, iuxta commune Principium, *Quæ sunt idem realiter in vno tertio, sunt idem realiter inter se*, quod Effatum habet locum etiam in iis, quæ sunt idem realiter in aliquo Modo, vt probauimus in *Phys. tract.* 1. *à n.* 337. Aut tandem hoc præstaret intrinsecè afficiendo propriam Naturam immediatè se ipso, alienam verò quodammodò extrinsecè in ratione termini, & mediante Vnione hypostaticâ: hoc autem est contra rationem Modi; qui non potest præstare suum effectum formalem, nisi immediatè se ipso. Idque primò, quia Modus est immediata, & essentialis dependentia realitatis, quam modificat. Secundò, quia non potest communicare suum effectum formalem propriæ Naturæ, quin eam modificet: ergo multò minùs poterit illum præstare in Naturâ alienâ, quin eam modificet. Tertiò, quia Forma non potest præstare suum effectum formalem subiecto proprio, vel alieno, quin illud informet: ergo neque Modus poterit præstare suum effectum formalem Naturæ propriæ, vel alienæ, quin eam modificet; nam ita se habet effectus formalis Formæ ad Formam informantem, atque effectus formalis Modi ad Modum modificantem.

§. 9.

Effugium præclusum.

397 Respondent Aduersarij Modum solùm esse talem respectu suæ realitatis; ac proinde posse esse rem respectu alterius, v. g. actio solùm est Modus respectu termini; at res respectu principij: item Subsistentia Formæ est Modus respectu Formæ, at res respectu Materiæ, & ipsius Subsistentiæ; & hinc

& hinc fit (inquiunt) quòd Modus non potest non modificare suam realitatem, quia essentialiter est Modus illius: at potest non modificare realitatem alienam, respectu cuius non est Modus, sed res.

398 Haec solutio, licèt primâ facie videatur satisfacere, re ipsâ non satisfacit: quia quamuis verum sit vnum Modum solùm esse Modum respectu suae realitatis, ac proinde esse rem respectu alienae, tamen effectus subsistendi Subsistentiae creatae necessariò praestatur in Naturâ ab eo, quod exercet rationem Modi respectu illius. Et hoc in opinione, in quâ procedimus, asserentium Subsistentiam creatam essentialiter esse Modum, nec possibilem esse Subsistentiam creatam, quę sit realitas, vt constat ex dictis *n.* 130. est penè euidens; nam ex eo dicimus rationem Modi esse de conceptu Subsistentiae propriae, quia effectus subsistendi Subsistentiae creatae est effectus Modi ipsius Naturae; sicut effectus praesentiae, & effectus dependentiae sunt effectus Modorum ipsius Naturae: quando verò effectus in vnâ Naturâ non potest pręstari, nisi à Modo, clarum est non posse praestari à Modo alieno; nam hic solùm respectu suae Naturae est Modus, & realitas respectu Naturae alienae. Et hinc est, quòd Quantitas nō possit figurari per Figuram alienam; nec vna res vbicari per pręsentiam alienam; nec dependere per dependentiam alienam: quod si plenè intelligatur, & penetretur, est fundamentum efficax.

399 Itaque Aduersariorum euasio, & argumentum optimè retorquetur, quia illi dicunt Subsistentiam solùm esse Modum respectu propriae Naturae, non veró respectu Naturae alienae. Et hinc ego probo non posse praestare suum effectum formalem in Naturâ alienâ; nam effectus Subsistentiae creatae non potest praestari, nisi à Modo creato; ideò enim dicimus Subsistentiam creatam necessariò esse Modum, nec esse possibilem Subsistentiam creatam, quae sit realitas, & non Modus: cùm ergo Subsistentia creata solùm sit Modus respectu propriae Naturae, & non respectu Naturę alienę, benè sequitur solùm in propriâ Naturâ, & non in alienâ, posse praestare suum effectum formalem; aliàs hic praestare posset à realitate creatâ.

§. 10.

Aliud fundamentum nostrae resolutionis.

400 Secundum fundamentum nostrae resolutionis esse potest; quia inhaerentia vnius Accidentis non potest reddere inhaerens Accidens alienum: Vbicatio vnius Naturae non potest vbicare alienam: Figura vnius Quantitatis non potest aliam figurare: & sic dicendum de alijs Modis: ergo neque Subsistentia vnius Naturae poterit terminare alienam.

401 Respondent Aduersarij primó, negando Antecedens. Sed hoc quâ probabilitate? poteritnè pater alienus referri per tuam paternitatem? aut Anima aliena vniri per vnionem tuae Animę? cur ergo Socrates vbicari per tuum Vbi? aut sedere per tuam sessionem? sed de hoc pleniùs *tract.* 7. vbi agendum, An vna Natura possit vbicari per Vbi alienum?

402 Respondent secundó, hunc Modum esse perfectissimum, vtpotè qui substantialis. Sed contrá, quia omnium Modorum perfectissimus est Vnio hypostatica: per hanc tamen non possunt vniri extrema aliena, quia, vt dixi, Vnio hypostatica non minùs affixè respicit sua extrema, quàm relatio respicit sua; atqui haec non potest terminari ad aliena: ergo neque Vnio hypostatica.

403 Respondent tertiò, alios Modos habere rationem formae; solam Subsistentiam habere rationem termini: ratio verò termini faciliùs accommodatur ad Naturam alienam. Sed contrá, quia paternitas, quae est correlatiua cum filiatione, non potest terminare filiationem alienam; neque terminus actionem alienam. Et confirmatur, quia paternitas, & actio non magis essentialiter respiciunt suos terminos, quàm Subsistentia respicit suam Naturam.

§. 11.

Argumenta soluta.

404 Neque ea, quae pro parte contrariâ adducuntur initio Difficultatis *à num.* 388. rem conficiunt. Nam in primis opinio Origenis, Tertulliani, & aliorum asserentium Angelos de facto assumpsisse humanitatem Malachię, Ioannis Baptistae, & Aegaei Prophetae: item opinio aliorum asserentium Angelos de facto assumpsisse illa corpora, in quibus apparuerunt: item Antichristum futurum esse Daemonem incarnatum, communiter reijciuntur à Doctoribus. De quo videri potest P. Valent. cit. 3. *p. d.* 1. *q.* 3. *punct.* 6. Grauiùs reprehenduntur illi, qui dicunt Angelos, & Daemones posse naturaliter sibi assumere Naturam humanam, aut aliam creatam, quorum opinionem non solùm vt falsam, sed etiam vt erroneam latè refutat P. Valent.

Cardinalis

P. Bellar. P. Soar. Cardinalis Bellarmi. *l.3. de Romano Pontifice c.12.* eâdem censurâ illâ ferit P. Soar. *tom.2 in 3.p.d. 54. s.1.* & *in defensione Fidei l.5 c.2.n.4.* Et ratio est, quia Scripturæ, Concilia, & Sancti Patres loquūtur de Vnione hypostaticâ, vt de re propriâ Diuinæ Omnipotentiæ.

405 Ocham. Durand. & alij quos referūt, & sequuntur P. Hurt. & Pezant. citati opinātes posse Subsistentiam creatam diuinitùs terminare Naturam alienam, procedunt ex suppositione, quòd Subsistentia creata sit realitas, in quâ suppositione rectè sentiunt; nam si Subsistentia creata foret realitas, non est dubium posse diuinitùs terminare Naturam alienam. Nos veró procedimus ex suppositione, quód sit Modus, vt re verâ esse latè ostendimus á *n.* 120. & in eâ suppositione dicimus non posse diuinitùs terminare Naturam alienam.

406 Ad rationem adductam in contrariū (quâtenus dicit, etiam si Subsistentia sit Modus, nullam apparere contradictionem in eo, quòd terminet Naturam alienam) respondeo in primis manifestam inuolui cōtradictionem in eo, quòd Subsistentia creata præstet suum effectum formalem mediatum, hoc est, mediante vnione; nam de conceptu, ac ratione huius effectûs formalis est, quód præstetur à Modo; ac proinde immediatè, seu non mediante vnione.

407 Ad primum (quâtenus dicit partialē Subsistentiam Materiæ terminare Subsistentiā Formæ, à quâ distinguitur realiter) respondeo partialem Subsistentiam Formæ non præstare suum effectum formalem in Subsistentiâ Materiæ, sed illi tantùm vniri, vt partem parti, nō vt Subsistentiam Naturæ, quam reddat subsistentem.

408 Ad secundum (quâtenus dicit benè posse vnum Modum præstare suum effectum formalem in duabus Naturis, vt videtur in vnione, quæ præstat suum effectum formalem in vtroque extremo) respondeo in meâ opinione, quam tradidi *in Phys. tract. 1. n.377.* in Composito physico admitti duas vniones. Itaque vna vnio non vnit duo, sed vnum alij vt termino; vnde suum effectum formalem non præstat in duobus subiectis, sed in vno duntaxat, quod vnit alij vt termino; sicut relatio non præstat suum effectum formalem in duobus subiectis, sed in vno, quod refert ad aliud vt ad terminum. Vide quæ diximus *tract. 1. in Phys. à dicto n.377.*

409 Ad tertium (quâtenus asserit terminare Naturam non repugnare neque rationi Modi, neque rationi Subsistentiæ) respondeo repugnantiam prouenire ex eo, quód Subsistentia sit Modus, & contra rationem Modi sit præstare suum effectum formalem mediatè, hoc est, mediante vnione, vt patet ex dictis. Subsistentia Verbi est realitas; idcircó potest præstare suum effectum formalem mediante Vnione hypostaticâ.

410 Ad quartum (quâtenus asserit, si Angeli scirent Subsistentiam creatā nō posse terminare Naturā alienā, cùm videāt humanitatem Christi priuatā propriâ Subsistentiâ, naturaliter cognoscere Mysteriū Incarnationis) respōdeo Angelos quidē nō videre propriam Subsistentiā humanitatis Christi Domini, nō tamen inde certó colligere talē humanitatē esse subsistentem Subsistentiâ Diuinâ, sed adhuc prudenter dubitare, Vtrùm ipsis ex speciali ratione occultetur Subsistentia creata? &, Vtrùm talis Natura careat omni Subsistentiâ? quod possibile esse cognoscunt, vt constat ex dictis *n.273.*

411 Ad quintum (quâtenus asserit non minùs esse causare materialiter realitatem alienam, quàm eam duntaxat terminare) respōdeo magis repugnare hoc vltimū ratione effectûs formalis; nam ad hoc, vt Subsistentia habeat rationem subiecti respectu alicuius realitatis, nō requiritur quód illi communicet suum effectū formalem; forma enim est, quæ communicat suum effectum formalem subiecto; non verò subiectum formæ: ad hoc autem, vt Subsistētia terminet Naturam alienam, requiritur quód illi cōmunicet suum effectum formalem, qui, cùm præstatur à Modo, non potest non præstari immediatè.

412 Ad sextum (quâtenus asserit Subsistentiam creatam habere duas formalitates, alteram *Modi*, alteram *Termini*; ac proinde posse Naturam alienam diuinitùs assumi ad formalitatem *Termini*, & non ad formalitatem *Modi*) respondeo hoc argumentum in primis non habere vim in sententiâ Aduersariorum, qui dicunt Vnionem hypostaticam esse termino intrinsecam; nam in hâc opinione non potest terminari intrinsecè ad vnam formalitatem, quin identicè terminetur ad aliam. In nostrâ verò sententiâ, in quâ asserimus Vnionem hypostaticam esse Subsistentiæ extrinsecam, adhuc respondendum est, sicut Subsistentia Diuina Relatiua nō potest terminare quâ vltimus terminus Naturæ Diuinæ, quin terminet quâ realitas relatiua, quia hæc sunt de ratione formali vltimi termini Naturæ Diuinæ: ita Subsistentiam creatam non posse terminare quâ terminum Naturæ creatæ, quin etiam terminet quâ Modus absolutus; quia hæc sunt de ratione formali termini Naturæ creatæ.

SECTIO IV.

Vtrùm plures Subsistentiæ simul præstare possint suum effectum formalem in vnâ, eâdemque Naturâ?

413 QVæstio non procedit de Naturâ Diuinâ; hâc enim constat de facto terminari pluribus Subsistentijs relatiuis: solùm procedit de Naturâ creatâ. Et in primis certum est id fieri non posse naturaliter; Natura enim abhorret superflua: at verò in vnâ Naturâ creatâ satis est vna Subsistentia propria; plures propriæ, cùm omnes sint eiusdem rationis (de his enim in præsenti loquimur) sunt superfluæ, ad eum modum, quo superfluæ sunt plures albedines in vno lapide.

§. I.

Vtrùm eadem Natura possit diuinitùs terminari pluribus Subsistentijs proprijs?

Scotus. Richard. Alber. Paludan. D. Bonau. P. Vasq.

414 PRima difficultas: Vtrùm eadē Natura possit diuinitùs terminari pluribus Subsistentijs proprijs? Negant Scot. Richard. Alber. Palud. D. Bonau. quos citat, & sequitur P. Vasq. 3. *p. d.* 29. *c.* 1. & *d.* 33. *c.* *n.* 5. Probatur primò, quia vnus effectus nec diuinitùs potest pendere á duplici causâ totali: ergo neque vna Natura terminari pluribus Subsistentijs. Secūdò, quia res, quæ suâpte naturâ habet vnum tantùm terminum connaturalem, nec diuinitùs potest habere plures. Et hoc ostenditur varijs exemplis. Nam vna actio nec diuinitùs potest habere plures terminos: vna relatio, quæ suâpte naturâ respicit vnum tantùm terminū, nec diuinitùs potest respicere plures: vnus cōceptus, qui suâpte naturâ tendit in vnum obiectum, nec diuinitùs potest tendere in plura: tandem vnum Vbi nec diuinitùs potest respicere plura spatia imaginaria: ergo neque vna Natura plures Subsistentias. Probatur tertiò, quia vna Natura non potest existere per plures existentias. Quartò, quia alioqui Subsistentiæ in eâdem naturâ mutuò terminarentur, quod repugnat, cùm qualibet sit vltimus terminus.

D. Thom. Alex. de Ales

415 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium, vnam Naturam creatā posse terminari pluribus Subsistentijs proprijs. Ita D. Thom. 3. *q.* 3. *a.* 6. Alex. de Ales, Henric. Marsil. Ocham. Gabr. Almayn. Durād. Capreol. Caiet. & cæteri Thomistæ, quos citant, & sequuntur P. Soar. *de Incarnat. d.* 13. *s.* 2. Cardinalis Lugo *de Incarnat. d.* 12. *s.* 6. *n.* 78. P. Albertin. *corollar.* 6. *ex Prædicamento Substantiæ dub.* 1. *à num.* 8. P. Tellez *disp.* 7. *sect.* 3. *n.* 2. P. Gaspar Hurt. *de Incarnat. disp.* 4. *difficult.* 14. *n.* 45. P. Marat. ibidem *disp.* 20. *sect.* 2. §. *Ex qua*, P. Arriaga *in Met. d.* 4. *n.* 118. P. Ouied. *in Met. controuers.* 6. *punct.* 5. *n.* 4. P. Comptonus *in Met. d.* 8. *s.* 6. *n.* 4. Et probatur, quia in eo nulla visitur manifesta contradictio, sed solùm aliqualis superfluitas, & contrarietas, quæ diuinitùs vinci potest. Et cōfirmatur primò, quia idē effectus potest pēdere à duplici causâ totali, vt ostēdimus *in Physic. tract.* 2. *á n.* 553. item eadem Materia potest diuinitùs informari pluribus Formis Substantialibus, vt etiā ostendimus *in Phys. tr.* 1. *á n.* 313. ergo etiam eadem Natura poterit diuinitùs terminari pluribus Subsistentijs proprijs. Cōfirmatur secundò, quia de facto Natura Diuina terminatur pluribus Subsistentijs proprijs. Tertiò, quia Natura creata, vt ipse P. Vasq. concedit, potest terminari pluribus Subsistentijs alienis: ergo etiam pluribus proprijs.

Henric. Marsil. Ocham. Gabr. Almayn. Durand. Capreol. Caiet. P. Soar. P. Lugo. P. Alberti. P. Tellez. P. Gaspar Hurt. P. Marat. P. Arriaga. P. Ouiedo. P. Cōpto.

416 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit eundem effectū nō posse pendere à duplici causâ totali) patet responsio ex dictis. Ad secundum, dico rē, quæ suâpte naturâ habet vnum terminum connaturalem, si ab illo pendeat essentialiter, nec diuinitùs posse habere plures; sin minùs variaretur eius essentia: & hoc modo se habent illa omnia, quæ in contrarium afferuntur. Aliter dicēdum de re, quæ suâpte naturâ habet vnum terminum connaturalem, si tamen ab illo non dependeat essentialiter; vnde in communi opinione distinguentium realiter Indiuisibilia à Quantitate, vna linea diuinitùs potest habere plura puncta: vnum Accidens plures inhærentias: vna Natura plures Subsistentias.

417 Ad tertium de pluribus existentijs est longè diuersa ratio, quia existentia non distinguitur á Naturâ á parte rei, Subsistentia verò maximè; implicat ergo quòd existentiæ in eâdem Naturâ sint diuersæ; quæ enim sunt idē in vno tertio, sunt idem inter se.

418 Ad quartum (quâtenus dicit sequi illas Subsistentias in eâdem Naturâ mutuò terminari) respondeo non sequi; quælibet enim solùm terminaret Naturam, & non alias Subsistentias, ad eum modū, quo Subsistentiæ partiales in Composito physico vna non terminat aliam, sed omnes Naturam; & ad eum modū, quo Subsistentiæ Diuinæ omnes terminant Naturam Diuinam, quin vna terminet aliam.

Vtrùm

§. 2.

Vtrùm possibilis sit Natura creata postulans subsistere in tribus Subsistentijs proprijs, ita vt sit Vna in Essentiâ, & Trina in Personis?

419 QVæres: An possibilis sit Natura creata subsistens in tribus Subsistentijs proprijs constituentibus tria Supposita, quæ imitentur Personas Diuinas, ita vt verum sit dicere esse vnam Naturam, & tres Personas? Et pro parte negatiuâ facit primò, quia hoc esset dari, & admittere in creatis Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quod est proprium solius Dei. Secundò, quia Theologi communiter non admittunt possibilẽ cognitionem naturalem probabilem de Mysterio Trinitatis, quia nullũ est possibile naturale vestigium illius, quod nimirum illud probabiliter suadeat: at verò illa Natura subsistẽs in tribus Suppositis esset clarissima imago Sanctissimæ Trinitatis, & illam euidentissimè suaderet; esset enim illa creatura Vna in Essentiâ, & Trina in Personis. Tertiò, quia nõ videtur possibilis Natura postulans tres Intellectus, aut tres Voluntates: ergo neque tres Subsistentias.

420 Nihilominus non video manifestam repugnantiã, aut implicationem in tali creaturâ: cũ aliquibus tamen moderationibus. Nam in primis illæ Subsistentiæ non essent virtualiter, sed à parte rei distinctæ á Naturâ; nam si essent idem cũ illâ, etiã forent idẽ inter se; nã in creatis semper habet locum illud Axioma, *Quæ sunt idem in vno tertio, sunt idem inter se*; solùm in Diuinis non habet locum ratione Infinitatis admixtâ oppositione. Prætereà, illæ Subsistentiæ non essent realitates, sed modi: item non essent relatiuæ, sed absolutæ, quia in creatis nõn admitto possibilem Subsistentiã, quæ sit realitas; neque Substantiam, quæ sit relatiua. De quo dixi suis in locis.

421 Neque obstat primò, quód illa creatura contineret in se Mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Nã punctũ difficultatis in Mysterio Sãctissimæ Trinitatis consistit in eo, quòd Personæ sint indistinctæ ab eadẽ Naturâ, & nihilominus distinctæ inter se: at non ita se haberet illa creatura, sed eius Personalitates essent distinctæ á Naturâ, & inter se.

422 Non obstat secundò, quòd talis creatura esset euidẽtissima imago Sãctissimæ Trinitatis. Nã adhuc talis nõ esset quòad pũctum in hoc Mysterio difficilius, quod cõsistit in eo, quód Personæ sint indistinctæ à Naturâ, & idem cũ illâ, non tamen inter se; nam, vt dixi, Subsistentiæ talis creaturæ essent distinctæ á Naturâ non minùs, quám inter se.

423 Non obstat tertiò, quòd impossibilis sit Anima, vel Angelus postulãs tres Intellectus: ergo etiã Natura postulãs tres Subsistentias. Nam illi tres Intellectus essent superflui, cùm omnes essẽt eiusdẽ rationis, & nõ videtur admittẽda cõnaturalis superfluitas per se intẽta à Naturâ, cũ Natura per se abhorreat superfluũ: at verò ego suppono illas Subsistẽtias fore diuersæ rationis, sicut se habent Subsistẽtiæ Diuinæ. Quòd si dicas loqui te etiam de Intellectibus diuersę rationis, tunc etiam in eo nulla visitur contradictio.

§. 3.

Vtrùm eadem Natura possit terminari pluribus Subsistentijs alienis?

424 SEcunda difficultas: Vtrùm eadẽ Natura creata possit terminari pluribus Subsistẽtijs alienis? Nõ loquor de Subsistẽtijs creatis; has enim dixi esse Modos; & cõsequẽter nõ posse terminare Naturas alienas. Quęstio solùm procedit de Subsistẽtijs Diuinis, An scilicet vna Natura creata possit terminari simul Subsistẽtiâ Patris, & Filij? Negãt Scot. Richar. Albert. M. Palud. & D. Bonau. suprà citati, quibus accedit Cardin. Lugo *de Incarn. d. 12. s. 6. n. 81.* Et probatur primò, quia si eadem Natura simul terminaretur Subsistẽtiâ Patris, & Subsistẽtiâ Filij, vna Persona posset prædicari de aliâ per cõmunicationẽ idiomatũ: vnde vera esset hæc propositio, *Pater est Filius: Filius est Pater.* Et hoc ostenditur, quia verũ esset dicere, *Hic homo est Pater: Hic homo est Filius*: inde autẽ rectè colligeretur: *ergo Pater est Filius*; & è contrá. Secundò, quia si Natura creata posset terminari pluribus Subsistentijs alienis: posset terminari infinitis: at veró infinitis nõ potest; sin minùs ipsa esset infinita.

425 Nihilominus probabilior est cõtraria resolutio asserentiũ vnam Naturã creatã posse terminari pluribus Subsistentijs alienis. Ita D. Thom. 3. p. q. 3. a. 6. Alex. de Ales, Henric. Marsil. Ocham. Gabr. Almayn. Durand. Capreol. Caiet. & cæteri Thomistæ suprá citati, P. Soar. *de Incarnat. d. 13. s. 2.* P. Vasq. ibidem *d. 29. c. 2.* P. Valent. ibidem *d. 5. q. 3. punct. 3.* P. Albertin. suprá cit. *corollar. 6. ex Prædicamento Substantiæ conclus. 1.* P. Ouiedo *in Met. controuer. 6. puncto 5. n. 8* P. Wading. *de Incarnat. d. 13. n. 125.* P. Arriaga *in Met. d. 4. n. 118.* Caspensis *de Incarnat. d. 3. n. 17.* P. Gaspar Hurt. ibidem *disp. 3. diffic. 5. à §. Sanctus Thomas,* P. Ragusa *3. p. q. 3. art. 6. d. 53. §. Secunda sententia,* P. Tellez *disp. 57. sect. 3. n. 10.* P. Comptonus proximè cit. *n. 5.*

(Marginalia: *Scotus. Richard. Albert. M. Paludan. D. Bonau. P. Lugo. D. Thom. Alex. de Ales. Henric. Marsil. Ocham. Gabriel Almayn. Durand. Capreol. Caiet. P. Soar. P. Vasq. P. Valent. P. Albertin. P. Ouiedo. P. Wading. P. Arriaga. Caspensis. P. Gaspar Hurt. P. Ragusa. P. Tellez. P. Compton.*)

426 Probatur, quia nulla in eo visitur manifesta contradictio. Et declaratur, quia in primis non repugnat ex parte Subsistentiarũ; hæ enim possunt plures simul reperiri in eâdem Naturâ, vt patet in Mysterio Sanctissimæ Trinitatis. Deinde, nõ repugnat ex parte Naturæ creatæ; hæc enim potest diuinitùs pẽdere á pluribus causis totalibus, nimirũ eadẽ Materia à pluribus Formis; eadẽ Forma à pluribus Materijs: ergo etiã eadẽ Natura á pluribus Subsistentijs. Neque dicas esse proprium Naturæ Diuinæ habere plures Subsistẽtias: nõ, inquam, hoc dicas, quiá licèt habere plures Subsistentias proprias, easque virtualiter distinctas sit proprium Naturæ Diuinæ ob suam infinitatem: id non tollit quominùs Natura creata possit habere plures distinctas á parte rei, vt constat ex dictis.

427 Vtrùm autem per eandem Vnionem hypostaticam possit eadem Natura simul vniri pluribus Subsistẽtijs alienis, nimirum simul Patri, & Filio, & Spiritui Sancto? Respondẽdum est eodem modo, ac in *Phys. tract. 1. à n. 336.* respondimus ad illam quæstionem, Vtrùm scilicet eadem Materia per vnicam vnionem possit vniri pluribus Formis; eadem enim hîc resolutio est, & esse debet. Videatur locus cit.

428 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ vnam Personam posse prædicari de aliâ) respondeo communicationem idiomatum solùm dari, quando diuersæ Naturæ subsistunt in vno, eodemque Supposito, vt de facto Natura Diuina, & humana subsistunt in eodem Supposito Verbi: non verò quando eadem Natura subsistit in diuersis Suppositis; sin minùs in Mysterio Trinitatis reperiretur communicatio idiomatum, cum eâdem Natura Diuina subsistat in tribus Subsistentijs Relatiuis. Ratio autem, cur solùm in Mysterio Incarnationis detur communicatio idiomatum, non veró in Mysterio Trinitatis, hæc est: quia Natura in concreto, quando sumitur ex parte subiecti, supponit pro Supposito; vnde idem est dicere, *Homo est Deus: Deus est homo*; ac dicere, *Hoc Suppositũ, quod est homo, est Deus: Hoc Suppositum, quod est Deus, est homo*, quod verum est, falsum veró si Supposita sint diuersa, licèt alioqui Natura sit vna; nam hoc Suppositum, quod est Pater, non est illud aliud, quod est Filius. Ille syllogismus, *Hic homo est Pater; Hic homo est Filius: ergo Pater est Filius*, non valet, quia variatur suppositio personalis; nam *hic homo* in Maiori supponit pro *Supposito Patris*, in Minori supponit pro *Supposito Filij*.

429 Ad secundum (quâtenus dicit si Natura creata posset terminari pluribus Subsistentijs alienis, sequi posse terminari infinitis) respondeo in primis Naturam creatam solùm posse terminari pluribus Subsistentijs alienis Diuinis: hæ verò sunt tantùm tres. Deinde dato, quòd posset terminari pluribus Subsistentijs creatis in infinitum, adhuc non sequitur ipsam Naturam fore infinitam; quẽadmodum non sequitur Naturam humanam, ex eo, quód terminetur Subsistentiâ infinitâ Verbi, esse infinitam. Et ratio est, quia Natura creata non postulat ex se illam, vel illas Subsistentias infinitas: solùm illas haberet obedientialiter ab extrinseco, & per miraculum.

§. 4.

Vtrùm eadem Natura possit terminari simul Subsistentiâ propriâ, & alienâ?

430 Tertia difficultas: Vtrùm eadem Natura possit simul terminari Subsistentiâ propriâ, & alienâ? Negare videtur D. Thom. 3. p. q. 3. art. 1. ad 2. & certè negant Caietan. Durand. Palud. Sotus, Henricus, quos citant, & sequuntur P. Soar. *de Incarnat. d. 13. sect. 1. & disp. 14. sect. 1.* P. Vasq. 1. p. *disp. 214. num. 27.* & 31. & 3. *p. d. 29. num. 6.* P. Valent. 3. *p. d. 1. q. 3. punct. 3. §. Ergo*, & *q. 4. punct. 2. §. Et quidem*, P. Fonsec. 5. *Met. cap. 8. q. 5. s. 4.* Patres Conimbric. 1. *de Generat. c. 4. q. 6. a. 3. §. A priori*, P. Rub. 5. *Physicor. tract. 2. q. 2. n. 23.* P. Albertin. *d. 3 de Substantia q. 82. n. 9.* Pezant. 3. *p. q. 4. art. 1. ad 1. §. Secundò dico*, Cabrer. 3. *p. q. 3. art. 6. d. 1. à n. 9.* Lorca 3 *p. d. 30. art. 2.* P. Wading. *de Incarnat. d. 13. à n. 101.* Cardinalis Lugo *de Incarnat. d. 22. sect. 6. n. 79.* P. Gaspar Hurt. *de Incarnat. d. 13. difficult. 5. n. 4.* & *d. 4. difficult. 14. à n. 42.* P. Ragusa 3. *p. q. 3. art. 2. d. 57.*

D. Thom. Caiet. Durand. Paludan. Sotus Henric. P. Soar. P. Vasq. P. Valent. P. Fonsec. Patres Conimbr. P. Rub. P. Alberti. Pezant. Cabrer. Lorca P. Wadi. P. Lugo P. Gaspar Hurt. P. Ragusa

431 Probatur primó, & efficaciter, quia ex eo Cõcilia, & Sãcti Patres docẽt cõtra Nestorium nõ dari in humanitate Christi Domini propriã Subsistentiam, quia in eâ datur Subsistentia Diuina; si autem ambæ simul esse possint, non esset bona argumẽtatio. Secũdò, quia Subsistentia propria habet pro effectu formali excludere Vnionẽ hypostaticam ad Suppositũ alienũ: at verò effectus formalis, nec diuinitùs potest impediri stante causâ formali in subiecto apto, vt est receptissimũ inter Philosophos. Tertió, quia idem Accidens non potest simul existere per se, & inhærere: ergo neque eadem Natura simul existere in se, & in alio Supposito. Quartó, eadẽ linea nõ potest simul esse curua, & recta: ergo neque eadem Natura simul subsistere in se, & in alio. Quintò, quia in eodem intellectu non potest simul esse Scientia, & Opi-

ac Opinio: ergo neque in eâdem Naturâ simul Subsistentia propria, & aliena.

432 Vtrùm autem in diuersis locis possit Natura, in vno terminari propriâ Subsistentiâ, & in alio alienâ? Adhuc negāt Cardinal. Lugo suprà cit. & P. Vasq. 3. p. d. 33. n. 6. Primò, quia ex collocatione Naturæ in diuersis locis nō augetur eius capacitas. Secūdò, quia ea, quæ implicāt cōtradictionē, nec respectu diuersorū locorū possunt verificari; sin minùs hæ prędicationes, *Socrates est homo: Socrates non est homo*, poterunt verificari in diuersis locis.

433 Affirmant è contrà P. Soar. & alij Auctores suprà citati. Probatur, quia nulla in eo visitur cōtradictio. Et cōfirmatur primò, quia Natura potest successiuè in diuersis tēporibus terminari Subsistētiâ propriâ, & alienâ: ergo etiā in diuersis locis pro eodē tēpore. Secundò, quia idē Accidens potest in vno loco inhęrere, & in alio existere per se: eadē Materia potest in vno loco informari, & in alio cōseruari absque omni Formâ: eadē linea potest in vno loco esse curua, & in alio recta: idem homo potest in vno loco stare, & in alio sedere: idem intellectus potest in vno loco scire, & in alio nescire: ergo &c.

434 Neque fundamenta P. Vasq. rē conficiunt. Ad primum (quātenus dicit in diuersis locis non augeri capacitatē) respōderi potest ex collocatione Naturę in diuersis locis augeri eius capacitatem non intensiuè, sed extensiuè, quātenus resultātia propriæ Subsistētiæ, quæ est in vno loco, impeditur in alio, & eius loco subrogatur Subsistentia aliena. Respōderi etiā potest has Subsistentias non esse incompatibiles defectu capacitatis ex parte Naturæ, sed ob repugnantiā, & cōtrarietatem effectuū; vnde in diuersis locis, cùm sint separati, nō pugnant: sic calor, & frigus pugnant in eodem loco, nō in diuerso. Ad secundū (quātenus dicit ea, quæ inuoluunt contradictionem, nec respectu diuersorum locorū posse verificari) respōdeo: Ea, quæ inuoluunt cōtradictionē respectu omnis loci, neque in diuersis posse verificari, & ita se habent illæ prædicationes, *Socrates est homo: Socrates non est homo*; nam in omni loco implicat Socratem non esse hominem: aliter dicendum de ijs, quæ non implicant in omni loco; vnde Natura poterit in vno loco habere Subsistentiam propriam tantùm, & in alio solùm Subsistentiam alienam. Hæc opinio ita explicata (quātenus limitatur ad Naturam in eodem loco, & dicit: Non posse in illo terminari simul Subsistentiâ propriâ, & alienâ: posse tamen in diuersis) est valdè probabilis.

§. 5.

Præfertur resolutio affirmatiua.

435 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserētium Naturam non solùm in diuersis locis, sed etiā in eodem posse diuinitùs terminari simul Subsistentiâ propriâ, & alienâ. Ita Ioann. Rachonius in 3. dist. 5. q. 1. art. 2. ad 2. P. Hurtad. in Met. d. 11. s. 7. à n. 76. & de Incarnat. d. 38. §. 6. P. Arriaga in Met. d. 4. n. 118. P. Ouied. in Met. controuers. 6. punct. 5. n. 8. P. Tellez d. 57. s. 3. n. 16. P. Martinon d. 26. de Trinit. n. 8. P. Salmer. tom. 3. epist. ad Hebr. d. 10. §. Ad sextum, P. Compt. cit. num. 6. Et probatur, quia eadem Materia potest informari pluribus Formis diuersæ speciei: idem Accidens per diuersos modos simul existere per se, & inhærere: eadem entitas simul vbicari vbicationibus diuersæ speciei, vt patet in corpore Christi Domini existentis simul in Cælo, & in Eucharistiâ: ergo etiam eadem Natura poterit simul terminari diuersis Subsistentijs vnâ propriâ, & aliâ alienâ. Et confirmatur, quia hæ duæ Subsistentię, non magis pugnant, quàm quæuis duo contraria, albedo, & nigredo; frigus, & calor in eodem subiecto: quæ tamen possunt simul esse diuinitùs. Tandem, quia in hoc nulla assignabitur manifesta contradictio, vt ex solutione eorum, quæ pro parte contrariâ obijciuntur, fiet manifestum. *Ioann. Rachon. P. Hurt. P. Arriaga P. Ouiedo P. Tellez P. Marti. P. Salmer. P. Compt.*

§. 6.

Argumenta soluta.

436 Ad primum (quātenus dicit Concilia, & Sāctos Patres inferre contra Nestoriū non dari in humanitate Christi Domini propriam Subsistentiam ex eo, quòd detur aliena) respondeo optimè id inferre; nam Subsistentia propria inuoluit incōpossibilitatem physicam cum alienâ: vnde sine nouo miraculo non potuit simul dari cum Subsistentiâ Diuinâ in humanitate Christi Domini; dari autem hoc nouum miraculum non constat: imò constat non dari, cùm semper locutiones Sacræ Scripturę, & Sanctorū Patrū loquantur de Christo Deo, & homine, vt de vnâ, eâdemque Personâ Diuinâ; cōtinuā autem mentio in totâ doctrinâ Fidei vnius tantùm Personæ est virtualiter exclusio alterius, vt ipse P. Soar. citatus fatetur. Et conuincitur ex Mysterio Trinitatis, nā cōtinua mentio, & reuelatio in hoc Mysterio triū tantū Personarū,

est exclusio plurium; vnde sicut erraret contra Fidem, qui in Deo plures Personas, quàm tres admitteret; ita contra erraret eandem Fidem, qui in Christo plures Personas, quàm vnam Verbi Diuini agnosceret.

437 Ad secundum (quatenus dicit Subsistentiam propriam habere pro effectu formali excludere vnionem ad Suppositum alienum) respondeo, huiusmodi exclusionem esse effectum formalem secundarium, non primarium Subsistentiæ propriæ: at veró effectus formalis secundarius potest tolli diuinitùs, vt patet in effectu formali secundario albedinis, qui est excludere nigredinem ab eodem subiecto, & potest diuinitùs tolli, si Deus simul cum ipsâ albedine in eodem subiecto constituat nigredinem.

438 Ad tertium (quatenus asserit idem Accidens non posse simul existere per se, & inhærere) patet solutio ex dictis. Dicendum enim est, posse diuinitùs idem Accidens per vnum modum inhærere, & per alium simul existere per se, idque in eodem loco, cùm in eo nulla videatur manifesta implicatio.

439 Ad quartum (quatenus asserit eandem lineam non posse in eodem loco simul esse curuam, & rectam) respondeo esse diuersam rationem: quia eadem linea non potest simul esse, & non esse *à puncto ad punctum breuissima puncti via*: taliter autem esset, & non esset, si simul esset curua, & recta. Dices: Etiam illa Natura simul subsisteret, & non subsisteret in se. Respondeo solùm subsistere in se, & in alio, idque per modos positiuos diuersos.

440 Ad quintum (quatenus dicit in eodem Intellectu non posse simul esse Sciẽtiam, & Opinionem: ergo neque in eâdem Naturâ simul Subsistentiam propriam, & alienam) respondeo esse diuersam rationem, quia Scientia, & Opinio sibi mutuò destruunt obiecta, sine quibus ipsi actus stare non possunt; at verò Subsistentia propria, & aliena nihil essentiale sibi mutuò destruunt.

SECTIO V.

De Naturis, in quibus Subsistentia aliena potest præstare suum effectum formalem.

441 Quærimus in hac Sectione quæ Naturæ possint assumi ad Subsistentiam alienam? Et quæstio potest primò procedere de Accidente, Vtrùm scilicet possit assumi? Secundò, de omni Naturâ etiam irrationali, & belluinâ? Tertiò, de ipsâ Subsistentiâ, Vtrùm scilicet possit assumi ab aliâ? Quartò, quæri potest, Vtrùm vna pars physica possit assumi relictâ aliâ? Quintò, Vtrùm vnus gradus metaphysicus possit assumi relictis alijs?

§. I.

Vtrùm aliquod Accidens possit assumi?

442 PRima difficultas: Vtrùm aliquod Accidens possit assumi? Affirmant Almayn. Marsil. Gabriel, & Mayron. quos citat, & sequitur P. Valent. 3. *p. d.* 1. *q.* 4. *punct.* 1. Medina ibidem *q.* 4. *art.* 1. Aluarez ibidem *d.* 22. *n.* 17. Probatur, quia omne id, quod est capax subsistendi, potest assumi: sed Accidens est capax subsistendi. Hæc Minor ostenditur primò, quia magis intrinsecum est Substantiæ existere per se, quàm subsistere; siquidem hoc est eius proprietas, illud verò de eius essentiâ; sed Accidens potest eleuari ad existendum per se: ergo etiam ad subsistendum. Secundò, quia subsistere nihil aliud videtur esse, quàm existere per se vltimatè: at verò Accidens ita se habere potest, vt patet in Accidentibus Sacræ Eucharistiæ. Tertiò, quia licèt in opinione P. Soar. Forma materialis, prout est in Materiâ, non subsistat propriè; extra Materiam tamen constituta subsistit Subsistentiâ propriâ supernaturali, vt constat ex doctrinâ P. Soarij, quam retulimus *n.* 253. ergo licèt Accidens, prout est in subiecto, non subsistat, tamen extra subiectum constitutum poterit subsistere Subsistentiâ supernaturali.

Almayn. Marsil. Gabr. Mayron. P. Valent. Medin. Aluar.

443 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium nullum Accidens posse assumi. Ita Bassol. Palat. quos citant, & sequuntur P. Soar. *de Incarnat. d.* 14. *s.* 4. P. Vasq. ibidem *d.* 30. *c.* 1. P. Ragusa *tom.* 1. *q.* 56. *s.* 3. P. Becan. *de incarnat. c.* 5. *q.* 5. Lorca ibidem *d.* 27. *n.* 18. P. Gasp. Hurt. ibidem *disp.* 4. *difficult.* 9. P. Albertin. *corollar.* 8. *ex Prædicamento Substantiæ q.* 8. *dub.* 2. *n.* 1. P. Tellez *disput.* 57. *sect.* 9. *n.* 4. P. Mærat. *de Incarnat. disp.* 19. *sect.* 1. *§. Prima assertio,* P. Compt. *in Met. d.* 8. *sect.* 12. *n.* 12. & communiter Recentiores. Probatur primò, quia Accidens est incapax propriæ Subsistentiæ: ergo & alienæ; nam aliena solùm substituitur loco propriæ. Secundò, quia nihil potest assumi, nisi quod est capax effectûs formalis Subsistentiæ: at verò Accidens neque in subiecto, neque extra subiectum constitutum est capax talis effectûs formalis: hic enim

Bassol. Palat. P. Soar. P. Vasq. P. Ragusa P. Becan. Lorca P. Gaspar Hurt. P. Albert. P. Tellez P. Mærat. P. Cõpto.

nihil

nihil aliud est, quàm reddi Substantiam vltimò terminatam, & completam, vt suo loco ostendimus.

444 Tertiò, quia superficies non potest terminari puncto ob improportionem, quæ datur inter ipsam superficiem, & punctum: ergo neque Accidens poterit terminari Subsistentiâ, ob similem, imò maiorem improportionem. Quartò, quia vnio ad Subsistentiam debet esse talis, vt ex eâ resultet vnum per se; sin minùs res, quæ assumitur, non subsistet: atqui ex vnione Accidentis ad Subsistentiam nō potest resultare vnum per se; siquidem ex Accidente, & Subsistentiâ non fit vnum per se.

445 Dices: Maior improportio datur inter Naturam creatam, & Subsistentiam Diuinam, quàm inter Accidens, & Subsistentiam creatam; nam duo priora distant distantiâ infinitâ, posteriora verò solâ distantiâ finitâ; atqui duo priora constituunt vnum per se in ratione subsistentis: ergo etiam duo posteriora. Respondeo, in primis distinguendo Maiorem: Maior improportio datur inter Naturam creatam, & Subsistentiam Diuinam sumptam in ratione Entis, concedo Maiorem: sumptam in ratione termini, nego Maiorem. Nam Natura substantialis creata est capax effectûs formalis Subsistentiæ, quem in illâ potest præstare Subsistentia Diuina: at verò Accidens non est capax effectûs formalis Subsistentiæ.

446 Quintò addi potest, quòd Accidens non potest terminari Subsistentiâ creatâ: aut enim hæc est accidentalis: aut substantialis. Non accidentalis, quia de ratione Subsistentiæ est esse Substantiam, & terminum Naturæ substantialis. Si substantialis, aut est creata: at verò nulla Subsistentia creata potest terminare Naturam alienam, vt constat ex suprà dictis: Subsistentia autem Diuina solùm potest substitui loco Subsistentiæ creatæ. Ex dictis colliges Accidens comparatum cum Subsistentiâ Diuinâ præter improportionem, quam habet cum illâ in ratione Entis, habere illam aliam in ratione termini.

447 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit omne, quod est capax subsistendi, posse assumi: Accidens verò esse capax subsistendi; potest enim existere per se) respondeo negando Accidens esse capax subsistendi. Neque obstat, quòd possit existere per se; nam Subsistentia non est terminus cuiuscumque existentiæ per se, sed solius substantialis: & hæc non communicatur Accidenti, sed sola perseitas accidentalis.

448 Dices: Detur etiam in Accidente similis perseitas, ita & Subsistentia Accidentalis. Respondeo implicare Subsistentiam accidentalem. Instabis: Non implicat perseitas accidentalis: ergo neque Subsistentia accidentalis. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est; quia perseitas nihil aliud est, quàm independentia à subiecto inhæsionis; non autem implicat Accidens conseruari extra subiectum inhæsionis, cùm realiter ab illo distinguatur: Subsistentia verò est terminus substantialis Naturæ constituens cū illâ vnum per se; hoc verò stare non potest cū eo, quòd sit Accidens.

449 Ad secundum (quatenus dicit subsistere nihil aliud esse, quàm existere per se vltimatè: & ita existere Accidentia Sacræ Eucharistiæ) respondeo subsistere esse terminari in suo esse substantiali incommunicabiliter respectu alterius Subsistentiæ: Accidens verò nullum habet esse substantiale. Ad tertium de Formâ materiali, quæ extra Materiam acquirit Subsistentiam, respondeo Formam materialem, prout est in Materiâ, habere propriā Subsistentiam; quidquid sit de contrariâ opinione, quam suprà reiecimus *n.* 255. Deindè admissâ tali opinione, Forma materialis, prout est in Materiâ, subsistit aliquo modo, licèt minùs propriè: Accidens verò nullo modo subsistit; vnde non fit bona argumentatio à Formâ materiali ad illud.

§. 2.

Vtrùm omnis Natura etiam irrationalis, & belluina possit assumi?

450 SEcunda difficultas: Vtrùm omnis Natura etiam irrationalis, & belluina possit assumi? Nonnulli existimant solam Naturam rationalem posse assumi, nullo modo irrationalem. Ita sentire videntur Alexand. de Ales, D. Bonau. & certè sentiunt Henricus, Carthus. Mirand. Richard. & Gabr. apud P. Soar. vbi infrà. Eandem sententiam tenet P. Petrus Hurt. *de Anima d.* 1. §. 37. & *de Incarnat. disp.* 43. §. 7. Probatur primò quia Natura irrationalis non est capax alicuius operationis Diuinæ: ergo neque Diuini esse, quod per Vnionem hypostaticam participatur. Consequentia fundatur in illo Principio, *Modus operandi sequitur modum essendi*. Secundò, quia si Deus posset assumere Naturam irrationalem, posset dici lapis, equus, &c. quod tamen videtur indecens. Tertiò, quia effectus formalis Subsistentiæ Diuinæ Relatiuæ est constituere Personam: Natura verò irrationalis non est apta constitui Persona; hæc enim definitur, *Rationalis Naturæ indiuidua Substantia*. Quartò, quia effectus formalis Vnionis hy-

Alex. de Ales *D. Bonau.* *Henric.* *Carthus.* *Mirand.* *Richard.* *Gabriel.* *P. Petrus Hurt.*

postaticæ est reddere Naturam sanctam, & gratam Deo: Natura verò irrationalis non est apta reddi sancta, & grata Deo. Quintò, quia Natura irrationalis non potest videre Deum: ergo neque assumi ab illo hypostaticè; hoc enim maius est: & quod non potest minùs, non potest maius.

§. 3.

Præfertur resolutio affirmatiua.

451 Nihilominus dicendum videtur omnem Naturam creatam, siue rationalem Angelicam, siue humanam; siue etiam irrationalem, & belluinam posse assumi. Ita D. August. Magister, D. Thom. Scot. Palud. Durand. Almayn. Marsil. Ocham. Capreol. Caietan. quos citant. & sequuntur P. Soar. *de Incarnat. d.* 14. *sect.* 2. P. Vasq. *d.* 30. *à cap.* 2. P. Valent. ibidem *d.* 1. *q.* 4. *punct.* 1. P. Becan. *de Incarnat. cap.* 5. *q.* 3. P. Ragusa ibidem *d.* 56. P. Tanner. *dub.* 2. *n.* 61. P. Gaspar Hurtad. *d.* 4. *diff.* 16. P. Tellez vbi suprà *n.* 2. P. Mærat. cit. *§. Tertia assertio*, Cardinalis Lugo *de Incarnat. d.* 16. *n.* 10. P. Comptonus cit. *n.* 11. Et probatur in primis de Naturâ rationali Angelicâ ex illo Apostoli *ad Hebræos* 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Quæ verba clarè supponunt vtrunque fuisse possibile; sed tamen Deum hanc gratiam potiùs hominibus, quàm Angelis præstare voluisse.

D. Aug. Magister D. Thom. Scotus Paludan. Durand. Almayn. Marsil. Ocham. Capreol. Caiet. P. Soar. P. Vasq. P. Valent. P. Becan. P. Ragus. P. Tanner. P. Gaspar Hurt. P. Tellez P. Mærat. P. Compt. P. Lugo Ad Hebr. 2

452 Probatur de Naturâ irrationali (nam de Naturâ humanâ constat de facto fuisse assumptam, vt patet in Mysterio Incarnationis). Probatur, inquam, de Naturâ irrationali, quia eius assũptio neque repugnat ex parte Naturæ assũptæ: neq; ex parte Personę assumẽtis. Nõ ex parte Naturæ assũptę, quia hęc distinguitur à parte rei à suâ Subsistẽtiâ: poterit ergo propria Subsistẽtia ab eâ auferri, & loco illius cõferri aliena. Et confirmatur, quia non repugnat ex parte Naturæ rationalis: ergo neque ex parte Naturæ irrationalis. Non ex parte Personæ assumentis, quia si daretur aliqua repugnantia, aut hęc esset physica: aut moralis, nimirum aliqua indecentia. Nulla in primis apparet repugnantia physica; si enim aliqua excogitari posset in ordine ad Naturam irrationalem, ipsa eadem in ordine ad Naturam rationalem daretur. Nulla deinde apparet moralis resultans ex aliquâ indecentiâ. Et hoc ostenditur, quia, vt est communis sententia Theologorum, nulla denominatio per communicationem idiomatum Deum dedecet, nisi quæ aliquam inuolueret malitiam moralem; nulla, inquam, alia Deum dedecet, vt patet ex denominationibus, quæ de facto dicuntur de Deo per communicationem idiomatum; de illo enim dicuntur omnia, quę possunt dici de hoc homine Christo: de hoc autem homine dici possunt multa, quæ primâ facie apud homines imperitos videntur dedecere Deum.

453 Et confirmatur, quia Verbum Diuinum assumpsit Naturam sanguinis, vt patet ex dictis *n.* 250. & in triduo sepulturæ retinuit corpus mortuum sibi hypostaticè vnitũ, imò & Formam cadaueris, vt suprà ostendimus, quidquid repugnet P. Hurtad. *de Anima* loco citato; atquí sanguis, & corpus mortuũ, & Forma cadaueris non sunt Naturæ rationales, sed irrationales, vt est manifestum: ergo &c. Ex dictis colliges illam Naturam assũptam manere per modum corporis, & per modum sanguinis, hoc est, deificatam, dignamque speciali adoratione: item eleuandam esse ad actiones miraculosas. *P. Hurt.*

§. 4.

Argumenta soluta.

454 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit Naturam irrationalem non esse capacem operationis Diuinæ: ergo neque Diuini esse) respondeo cum P. Soar. cit. dato quòd Natura irrationalis non sit capax alicuius operationis Diuinæ (quod alibi examinandum est) negando Consequentiam. Et ratio est, quia per Vnionem hypostaticam non participatur aliquod esse Diuinum, quod sit principium operationis, sed quod tantùm sit conditio, nimirum Subsistentia. Illud autem Principium, *Modus operandi sequitur Modum essendi*, intelligendum est ita, vt modus operandi sequatur modum essendi, qui est principium operationis: non verò modum essendi, qui est tantùm conditio.

455 Ad secundum (quâtenus asserit sequi ex nostrâ sententiâ Deum posse dici lapidem, equum &c.) respondeo cum eodem P. Soar. Deum posse per communicationem idiomatum dici lapidem, equum, &c. si eorum Naturas sibi hypostaticè vniret; neque enim hæ, aut similes aliæ denominationes Deum dedecent, sed illæ solæ, quæ inuoluũt aliquam malitiam moralem, vt patet ex dictis.

456 Ad tertium (quâtenus dicit effectũ formalem Subsistentiæ Diuinæ Relatiuæ esse constituere Personam) respondeo cum distinctione: nimirum effectum formalem Subsistẽtiæ Diuinæ Relatiuæ in Naturâ rationali esse constituere Personam; non autem in Na-

turâ

turâ irrationali. Patet hoc in corpore Christi assumpto in triduo sepulturæ; nam Subsistentia Diuina præstabat suum effectũ formalẽ in tali corpore, imò & in eius sanguine effuso: & tamen neque sanguis, neque corpus dicebantur Persona, imò neque eius Anima, quia denominatio Personæ est denominatio Substantiæ rationalis cõpletæ. Ratio autem cur Subsistentia Diuina in Natura irrationali non exercet effectum formalem constituendi Personam, est, quia effectus formalis vt præstetur, exerceaturque, requirit capacitatem ex parte subiecti: Natura verò irrationalis non est capax constitui Personæ. Instabis: Forma non potest esse in subiecto, in quo non potest communicare suum effectum formalem: Natura verò irrationalis non est capax effectûs formalis Subsistentiæ Diuinæ. Respondeo distinguendo Maiorem: Forma non potest esse in subiecto, in quo non potest communicare suum effectum formalem primarium, concedo Maiorem: in quo non potest communicare suum effectum formalem secundarium, nego Maiorem. Esse autem, aut non esse Personam est effectus formalis secundarius Subsistentiæ: eius effectus primarius solùm est, reddere Naturam vltimò terminatam, & cõpletam, hoc est, incommunicabilem alij terminanti vt termino.

457 Ad quartum (quâtenus asserit effectum formalem Vnionis hypostaticæ esse reddere Naturam sanctam, & gratam Deo) patet solutio ex dictis. Dicendum enim est reddere subiectum gratum, & sanctum, solùm esse effectum formalem secundarium Vnionis hypostaticæ, non primarium: at verò satis est, quòd subiectum sit capax effectûs formalis primarij suæ formæ.

458 Ad quintum (quâtenus dicit Naturam irrationalem non esse capacem videndi Deum: ergo neque Vnionis hypostaticæ; hoc enim beneficium est maius) respondeo negando Consequentiam: Ad illud, *Quod non potest minus &c.* respondeo verum esse quando maius & minus sunt eiusdem ordinis: non autem quando diuersi; nam minus est volare, & generare leonem, quàm ratiocinari, & generare hominem: & tamen homo potest hoc, & non illud: ideò autem Natura irrationalis non potest eleuari ad Visionem Dei, quia non habet intellectum, qui ad videndum Deum est omninò necessarius: potest verò assumi, quia habet Subsistentiam, quæ per aliam, qualis est Diuina, suppleri potest.

§. 5.

Vtrùm Subsistentia possit assumi?

459 Tertia difficultas: Vtrùm Subsistentia sit assumptibilis? Affirmant nonnulli Recentiores. Primò, quia vna vnio potest vniri per aliam, vt patet in Vnionibus hypostaticis partialibus Corporis, & Animæ Christi Domini ad Verbum Diuinum, quæ inter se vniuntur medijs alijs vnionibus. Secundò, quia vna relatio potest referri per aliam: ergo etiam vna Subsistentia subsistere per aliam. Antecedens videtur certum; communiter enim dicitur vnum relatum transcendens fundare relationem prædicamentalem ad suum terminum. Tertiò, quia Subsistentia absoluta in Deo in opinione eorum, qui illam admittunt, terminatur Subsistentijs Relatiuis. Quartò, quia vltimus punctus terminatiuus lineæ potest vlterius terminari: ergo licèt Subsistentia sit vltimus terminus, Natura poterit vlterius terminari.

460 Nihilominus probabilius est vnam Subsistentiam nõ esse assumptibilem ab aliâ. In hâc conueniunt D. Thom. 3. p. q. 4. a. 5. ad 3. Scot. in 3. dist. 1. q. 2. P. Suar. de Incarnat. d. 14. s. 1. §. Contrarium, P. Vasq. ibid. d. 33. cap. 2. P. Becan. c. 5. q. 6. P. Tanner. ibidem d. 1. q. 4. dub. 1. n. 44. P. Gaspar Hurtad. ibidem disp. 4. diffic. 14. n. 44. P. Albertin. Corollar. 8. ex Prædicamento Substantiæ q. 8. dub. 2. n. 9. P. Marat. de Incarnat. d. 19. sect. 1. initio. P. Tellez d. 57. s. 5. n. 8. Et probatur, quia Subsistentia est formaliter vltimus terminus: ergo non potest vlterius terminari; sin minùs desineret esse vltimus: *Quod autem est formaliter tale, nec diuinitùs potest fieri non tale*; quod Axioma declarandum, & prosequendum est, vt illud declarauimus, & prosecuti fuimus *tract. 1. à n. 349.*

D. Thom. Scotus. P. Suar. P. Vasq. P. Becan. P. Tanner. P. Gaspar Hurt. P. Albert. P. Marat. P. Tellez.

461 Ad primum de vnionibus, respondeo vnam vnionem non semper esse formalem sui vnionem ad aliam: idcircò posse aliquando per aliam vniri, vt patet in Vnionibus partialibus hypostaticis, quæ non sunt formales sui vniones ad inuicem, sed Animæ ad Verbum Diuinum, & Corporis ad idem Verbum Diuinum: at verò vna Subsistentia semper est formaliter se ipsa vltimus terminus, idcircò non potest vlterius terminari.

462 Ad secundum de relatione, quæ potest referri per aliam, respondeo vnam relationem prædicamentalem non posse referri per aliam, quia sequeretur processus in infinitum. Non nego vnum relatum transcendens posse referri per aliam relationem prædicamentalem,

mentalem, vt suo loco dicemus. Interim ratio est. Primò, quia relatum transcendens solùm respicit suũ terminum vt possibilem; vnde, vt illum respiciat, vt existentem, indiget alio respectu vlteriori: at veró Subsistentia est essentialiter vltimus terminus. Secundò, quia illa relatio, per quam refertur relatum transcẽdẽs, est in diuerso genere: Subsistentia autem in eodem genere terminaretur; quod implicat, sicut implicat, quòd vnum relatum transcendens per aliud eiusdem generis respiciat suum terminum.

463 Ad tertium de Subsistentiâ absolutâ, quæ vlteriùs terminatur, respondeo in primis non dari in Deo Subsistentiam absolutam, vt suo loco ostendimus. Respondeo secundò, admissâ in Deo Subsistentiâ absolutâ, adhuc non sequi posse Subsistentiam creatam vlteriùs terminari. Diuersa ratio est, quia Subsistentia absoluta in Deo non est vltimus terminus, imò ob suam infinitatem postulat vlteriùs terminari: at verò Subsistentia creata est essentialiter vltimus terminus, vt patet ex eius definitione.

464 Ad quartum de punctò lineę, qui potest vlteriùs terminari: respondeo negando Consequentiam, quia vltimus punctus lineæ (siue hic sit realiter, siue virtualiter distinctus) non est essentialiter vltimus, sed per accidens; quâtenus linea non fit maior, aut minor: at Subsistentia est essentialiter vltimus terminus Naturę. Instabis: Vna albedo potest alteri vniri: ergo & vna Subsistentia alteri. Nego Consequentiam, quia vna albedo non est essentialiter vltima: at Subsistentia est essentialiter vltimus terminus; vnde amitteret suam essentiam, si alteri vniretur.

§. 6.

Vtrùm vna pars physica possit assumi relictâ aliâ?

465 Quarta difficultas: Vtrùm vna pars physica possit assumi relictâ aliâ? Negant P. Vasq. 3. p. d. 32. cap. 2. Cabrer. d. 2. q. 4. P. Ragusa q. 56. §. 3. Probatur primò, quia partes physicæ, prout sunt in Toto, aut non habent Subsistentiam: aut si illam habent, hæc est incompleta; ac proinde suppleri nequit per completam, qualis est Diuina. Secundó, quia Subsistentia Diuina supplens Subsistentiam partialem vnius partis faceret vnum per accidens cũ aliâ partiali creatâ alterius partis; quod est contra rationem Subsistentiæ.

P. Vasq. Cabrer. P. Ragus.

466 Nihilominus probabilius est vnam partem physicam posse assumi relictâ aliâ: & idem dicendum de partibus integrantibus. Ita P. Soar. *de Incarnat.* d. 14. *s.* 3. P. Becan. ibidem c. 5. q. 4. Aluarez d. 22. à n. 11. P. Gaspar Hurt. *d.* 41. *difficult.* 18. P. Maratius vbi suprà §. *Quinta assertio.* Probatur vno verbo, quia omnis entitas, quæ est capax effectûs formalis Subsistentiæ, potest assumi: at veró quælibet pars physica, aut integrans, relictis alijs, adhuc est capax effectûs formalis Subsistentiæ sibi propriæ, & peculiaris, vt diximus n. 244. & n. 247. Ex dictis colliges etiam Modos substantiales posse assumi, cùm etiam capaces sint effectûs formalis Subsistentiæ, vt constat ex n. 261.

P. Soar. P. Becan. Aluarez. P. Gaspar Hurt. P. Marat.

467 Ad primum patet solutio ex dictis. Dicendum enim est partes physicas habere suas proprias Subsistentias. Neque obstat, quòd hæ sint incompletę: Subsistentia autem supplens, completa. Nam quod potest plus, potest & minus: Subsistentia veró Diuina potest supplere Subsistentiam creatam completam: ergo etiam incompletam: & hoc præstabit non concurrendo totaliter, sed quantùm sat erit ad supplendum effectum formalem, quem Subsistentia creata incompleta præstabat.

468 Ad secundum (quâtenus dicit Subsistentiam Diuinam facere vnum per accidens cum aliâ partiali creatâ) respondeo Subsistentiam Diuinam in eo euentu solùm venire in compositionem cum parte, quam sibi assumeret: non verò cùm aliâ Subsistentiâ partiali creatâ, cùm inter hanc, & illam nulla interueniret vnio; vnde illæ duæ Subsistentiæ Diuina, & partialis creata solùm se haberent concomitanter, ad eum modum, quo de facto se habent in Christo Domino Subsistentia Diuina, & Subsistentia capillorum, vnguium, & dentium in opinione asserentium aliquam saltem ex istis partibus non fuisse assumptam.

§. 7.

Vtrùm vnus Gradus Metaphysicus possit assumi relicto alio?

469 Quinta difficultas: Vtrùm vnus Gradus Metaphysicus possit assumi relicto alio? Videtur posse primò, quia vna virtualitas potest assumi relictâ aliâ, vt patet in humanitate Christi Domini, quæ fuit assũpta relictis relationibus. Secundò, quia vna virtualitas potest assumere non assumente aliâ, vt patet in Subsistentiâ relatiuâ, quæ assumpsit humanitatem, non eam assumente Subsistentiâ absolutâ.

470 Verùm hæc non vrgent: ea proposuimus,

posuimus, & resoluimus n. 167. & n. 169. Dicendum igitur est vnum Gradum Metaphysicum non posse assumi, quin alius identicè, physicè, & à parte rei assumatur. Probatur, quia quidquid intrinsecum à parte rei conuenit vni, conuenit etiam alij ab eodem indistincto; sed Gradus Metaphysici sunt indistinct i à parte rei: ergo non potest vnus assumi, quin alius saltem identicè, & physicè assumatur. Vide quæ diximus à n. 150.

DISPVTATIO IV.

De Concreto ex Substantiâ, & Subsistentiâ.

DIVIS A in Sectiones duas. In primâ videndum, Quid Concreta dicant in recto: & quid in obliquo? In secundâ, per quid multiplicentur?

SECTIO I.

Quid Concreta dicant in recto: & quid in obliquo?

471 PRIMA difficultas: Quid Concreta dicant in recto: & quid in obliquo? Dici *in recto* idem est, ac dici in nominatiuo: *in obliquo* verò idem, ac dici in alio casu; v. g. *album* sumptum adiectiuè, quod idē est, ac *habens albedinem*, dicit *habens* in recto, & *albedinem* in obliquo. Et quoniam posuimus hoc exemplum in Concreto adiectiuo, videndum primo loco est, Quid Concreta adiectiua dicant in recto: & quid in obliquo? Deinde sermo erit de Concretis substantiuis.

§. I.

De Concretis adiectiuis.

472 QVæritur ergo primò, Quid concreta adiectiua significent in recto? Vulgò putatur nomen adiectiuum, v. g. *album* significare formam in rectô, & subiectum in obliquo. Primò, quia *album* nihil aliud est, quàm albedo in subiecto: significatur ergo albedo in recto, & subiectum in obliquo. Secundò, quia adiectiuum intelligitur vbi primùm intelligitur significare formam per modum adiacentis: forma verò, v. g. albedo significata vt adiacens dicitur in recto. Tertiò, quia *album* exprimit formam essentiam, non verò exprimit subiectum: ergo sola forma, nimirum albedo, est de essentiâ albi: essentia autem Concreti est eius rectum. Quartò, quia variato subiecto, & persistente diuinitùs eâdem albedine manet idem album: non ergo dicitur subiectum in recto, sed sola albedo.

473 Nihilominus dicendum Concreta adiectiua significare subiectum in recto, & formam in obliquo. Ita P. Alarc. *de Trinitat. d. 5. c. 1. n. 11.* P. Recupit. *de Deo l. 6. q. 7. n. 8.* & P. Arriaga *d. 1. in Summul. n. 66.* P. Ouiedo *in Logica controuers. 3. punct. 9. n. 6.* Probatur primò, quia in hâc prædicatione, *Socrates est albus*, prædicatum idem valet, ac *habens albedinem*, & non idem, ac *albedo in subiecto*; sin minùs prædicatio esset falsa; nam Socrates non est albedo in subiecto. Secundò, quia in eo distinguitur album adiectiuum ab albo substantiuo, quòd illud significet habens albedinem, hoc verò albedinem in subiecto. Et confirmatur, quia ex hoc capite multiplicatis lapidibus sub eâdem albedine multiplicantur alba adiectiua, non substantiua; & è cōtrà, multiplicatis albedinibus in eodem lapide multiplicantur alba substantiua: non verò adiectiua. P. Alarc. P. Recupit. P. Arriaga P. Ouiedo

474 Objicies: Si album adiectiuum diceret subiectum in recto, prædicaretur de illo, v. g. de Petro essentialiter; sed hoc est falsum: ergo album adiectiuum non dicit subiectum in recto. Respondeo album adiectiuum solùm dicere subiectum sub ratione habentis albedinem, & non sub ratione Petri, vel Pauli: habens verò albedinem est quid contingens respectu Petri, vel Pauli; sicut enim sunt habentes albedinem, ita poterant esse habentes nigredinem.

Instabis:

475 Instabis: Nomen adiectiuum significat in recto formam adiacentem: at verò subiectum non adiacet, sed forma. Respondeo subiectum, v. g. Petrum, vel Paulum sub ratione Petri, vel Pauli non adiacere: secùs sub ratione habentis albedinem; nam habens albedinem adiacet Petro; poterat enim Petrus, sicut est habens albedinem, esse habens nigredinem: itaque hoc, quod est habere albedinē, adiacet Petro. Adde, quòd nomen adiectiuum non significat formam adiacentem, sed habens formam adiacentem, vt infrá ex solutione ad 2. fiet manifestum.

476 Neque obstant ea, quæ pro parte contrariâ afferuntur. Ad primum (quâtenus dicit *album* nihil aliud esse, quám albedinem in subiecto) respondeo *album* substantiuum nihil aliud esse, quám albedinem in subiecto: aliter dicendum de *albo* adiectiuo; hoc enim non est albedo in subiecto, sed habens albedinem.

477 Ad secundum (quâtenus dicit adiectiuum intelligi, vbi primùm intelligitur significare formam per modum adiacentis) respondeo non intelligi statim, ac intelligitur significare formam per modum adiacentis; id enim solùm spectat ad nomen connotatiuum, quod non coincidit cum adiectiuo. Candidum enim substantiuè acceptum est nomen connotatiuum, non tamen adiectiuum; adiectiuum ergo quà tale non dicit formam per modum adiacentis, sed habens formam sumptam per modum adiacentis; ideó in oratione indiget substantiuo, cui adiaceat tale habens, in eoque sustentetur.

478 Ad tertium (quâtenus dicit *album* exprimere suam essentiam, non tamen subiectum) respondeo *album* adiectiuum exprimere subiectum sub ratione habentis albedinem. Ad quartum dicendum est variato subiecto, & persistente diuinitùs eâdem albedine manere idemmet *album* substantiuum, & resultare diuersum adiectiuum.

§. 2.

De Concretis substantiuis: & reijcitur imprimis opinio P. Roderici de Arriagâ.

479 QVæritur secundó: Quid Concreta substantiua dicant in recto? P. Arriaga cit. n. 66. contendit substantiua accidentalia etiam dicere subiectum in recto. Et probat in hâc prædicatione, *Album est dulce*, sumpto vtroque substantiuè; efficit enim hunc sensum, *habens albedinem est habens dulcedinem*; aliás fieret hic sensus, *albedo in subiecto, est dulcedo in subiecto*, qui est falsus; ac proinde propositio esset falsa. *P. Arriaga*

480 Ego reijcio hanc sententiam. Primò, quia vt præcedenti resolutione notaui, *album adiectiuum*, & *album substantiuum* in eo distinguuntur, quòd *album adiectiuum* dicat habens albedinem; *album* verò *substantiuum* dicat albedinem in subiecto; nec apparet aliud, in quo distinguantur. Secundó, quia aliás tres lapides habentes diuinitùs vnam tantùm albedinem essent tria alba, non solùm adiectiua, sed etiam substantiua, quod est contra communem sensum Philosophorum. Tertiò, quia albedo in subiecto aliquo nomine *albo* significatur: non adiectiuo, vt patet ex dictis: ergo substantiuo.

481 Neque fundamentum contrarium (quâtenus dicit illam propositionem, *album est dulce*, sumpto prædicato, & subiecto substantiuè efficere hunc sensum, *habens albedinem, est habens dulcedinem*) oppositum conuincit, nam in illâ propositione Terminus *album*, & Terminus *dulce* non accipiuntur in suppositione formali, hoc est, pro formâ, quam dicunt in recto, sed pro subiecto, in quo significant formam: & hæc est valdè volgaris horum Terminorum suppositio. Pro cuius intelligentiâ, aduertendum est ex ijs, quæ diximus in *Logica tract. 7. à n. 67.* Terminos frequenter variare suppositionem, & modò accipi in suppositione materiali pro voce; modò in formali, pro re significatâ: & sic modò pro eo, quod vox dicit vt formam: modò pro eo, quod dicit vt subiectum. Et hoc in omni opinione concedendum est; nam etiam in contrariâ, quæ tenet *album substantiuum* significare habens albedinem, in hac propositione, *album est terminus denotatiuus*, dicendum est Terminum *album*, ibi supponere pro formâ: sicut in meâ sententiâ in hâc propositione, *hoc album currit*, dicendum est Terminum *album* supponere pro subiecto. Itaque Terminorū suppositio est valdè variabilis pro libito, & acceptione vulgi loquentis.

§. 3.

Refellitur opinio Eminentissimi Cardinalis Ioannis de Lugo.

482 CArdinalis Lugo *de incarnat. d. 13. n. 20.* opinatur non sola Concreta substantiua accidentalia dicere subiectum in recto (quà in parte coincidit cum sententiâ Roderici de Arriagâ, & cum illo manet refutatus) sed etiam Concreta substantiua substantialia dicere suppositum in recto, Naturam verò solùm in obliquo. Probatur primó, quia *P. Lugo*

huma-

Homo, & *Persona* idem significant in recto. Et hoc ostenditur, quia alioquí non possent de se inuicem prædicari; omnis enim prædicatio vera requirit identitatem inter rectum prædicati, & subiecti, ita vt verificetur *Hoc est hoc*. Et confirmatur, quia ideò hæc prædicatio non est vera, *Personalitas terminans hanc humanitatē est hæc humanitas terminata hac personalitate*, quia rectū prædicati, & rectū subiecti non sunt idē: si ergo *hic Homo* verè prædicatur de *hac Persona*; & *hæc Persona* de *hoc Homine* signū est, quòd vtriusque rectū sit idē; atqui Persona dicit Subsistentiā, seu personalitatē in recto: ergo Homo eandē dicit in recto. Secundò probatur, quia si Homo significaret humanitatem subsistentē, falsò affirmaretur de Verbo Diuino; nam Verbum nō est humanitas subsistens, sed subsistens in humanitate. Hæc Eminentissimus Lugo, cui Recentiores communiter subscribunt.

483 Ego illum reijcio primò, quia si *Homo* idē esset, ac *Subsistentia terminans humanitatē*, hæc propositio esset falsa, *Homo constat Materia & Forma*; nam Subsistentia terminans humanitatem non constat Materiâ, & Formâ. Secundò, quia Deus esset idē, ac terminans Naturā Diuinā; ac proinde vera esset hæc propositio, *Deus est triplex*, quia triplex est terminans Naturam Diuinam; & falsa esset hæc propositio, *Deus est vnus*, quia nō vnus, sed triplex est terminans Naturam Diuinam. Scio hæc verbis posse deludi; sed ego modò non intendo ludere, sed attingere veritatem.

484 Neque fundamenta cōtraria oppositū suadent. Ad primū, negandū est *Hominē*, & *Personā* idē significare in recto. Instat Cardinalis: Aliter *hæc Persona* nō posset verificari de *hoc Homine*; efficeretur enim hic sensus *Hæc humanitas subsistens est hæc Subsistentia terminans humanitatem*, quod est falsū; nā humanitas subsistens non est Subsistentia terminās humanitatē. Respondeo *hanc personā* non verificari *de hoc Homine* sumpto in suppositione formali, hoc est, pro formâ, quā significat in recto, sed de illo sumpto pro eo, quod dicit vt terminans, & continens humanitatem. Itaque Termini suppositio ex vulgi acceptione est valdè variabilis, & sicut modò accipitur pro voce, modò pro re significatā; ita modò accipitur pro formâ, quam dicit in recto, modò pro habente, & terminante, seu quasi continente illam in suo esse; sic enim se habet Subsistentia; est enim Subsistentia terminus per modū Zonæ aureæ, ac cinguli cōtinens Substātiā in suo esse ne dispereat, sed subsistat.

485 Ad secundū (quatenus dicit si Homo significaret humanitatē subsistentē sequi, quòd falsò affirmaretur de Verbo Diuino) eadem applicanda est solutio: nam cùm dicitur *Verbum Diuinum est Homo*, Terminus *Homo* non supponit pro formâ, quā dicit in recto, sed pro termino continente illam.

§. 4.

Tertia sententia refutatur.

486 His duabus sentētijs reiectis, tertia asserit Concreta substātialia non habere determinatum rectum, vel obliquum, sed determinari à prædicato, hoc est, iuxta Naturam prædicati colligi quid dicat in recto Concretum ex parte subiecti. Hanc sententiam defendunt nonnulli Recentiores. Et eam probant, quia idem Concretum pro variatione prædicati modò significat in recto vnum, modò significat in recto aliud. Et hoc ostendunt multis exemplis: nam si de *hac Persona* affirmes quòd sit *Persona*, dicit in recto Personalitatem; & si de illâ affirmes quòd sit Homo, tunc dicit in recto humanitatem. Item si *de hoc Albo* affirmes quòd sit *dulce*, dicit in recto habens dulcedinem; & si de illo affirmes quòd sit *disgregatiuum visus*, tunc dicit albedinem in recto. Item si *de Deo* affirmes quòd sit *Vnus* Deus, dicit in recto Naturam Diuinam; & si de illo affirmes quòd sit *Trinus*, tunc dicit in recto tres Personalitates: ergo significatum Concreti in recto, vel in obliquo determinatur per prædicatum.

487 Ego refuto hanc sententiam. Primò, quia solum explicat quid Concretum dicat in recto ex parte subiecti; & non quid dicat in recto ex parte prædicati. Secundò, quia significatum rectum est de essentiâ Concreti, & nulla res potest suam essentiam variare; illâ autem Concretum variaret, si modò hoc modò illud in recto significaret.

488 Neque fundamentum oppositum, & eius exempla contrarium conuincunt. Nam aliud est variari significatum, aliud suppositionem: suppositio est mea acceptio nominis extrinseca, hæc potest variari: significatum est de essentiâ nominis; hoc non potest variari. In exemplis adductis variatur suppositio; nam quando de *hac Persona* affirmo quòd sit *Persona*, accipio *Personam* pro Personalitate terminante Naturam: & quando de *eadem Persona* affirmo quòd sit *Homo*, accipio *Personā* pro Naturâ humanâ terminatâ hâc Personalitate. Itē quādo de eodem *Albo* affirmo quòd sit *dulce*, accipio *Album* pro habente albedinem; & quando de eodem *Albo* affirmo quòd sit *disgregatiuum visus*, accipio *Album* pro albedine in subiecto. Item quando *de Deo* affirmo quòd sit *Vnus*, accipio *Deum* pro Naturâ Diuinâ; & quando

de Deo affirmo, quod sit *Trinus*, accipio *Deum* pro tribus Personalitatibus terminātibus Naturam Diuinam.

§. 5.

Quarta sententia non admittitur.

489 QVarta igitur sententia tenet Concreta substantiua substantialia dicere in recto Naturam simul, & Subsistentiam. Ita Patres Conimbr. q. 8. *Vniuersal. a.* 3. Ægid. Lusit. *de Beatitud. l.* 5. q. 4. n. 2. P. Granad. *to.* 3. *in* 3. *p. tract.* 4. *disp.* 3. *n.* 3. Probatur primò, quia Concreta substantiua accidentalia dicunt in recto formam simul, & inhærentiam: ergo substantialia dicent formam simul, & Subsistentiam. Secundò, quia Concretum substantiale in eo distinguitur ab Abstracto, quòd illud dicit in recto Subsistentiam, Abstractū verò non. Tertiò, quia aliàs *Homo* secundùm id, quod dicit in recto, esset ens incompletum; & quod inde sequitur, non posset poni in Prædicamento, sicut nec ponitur in abstracto. Quartò, quia linea etiam dicit in recto suum terminum, nimirum punctum: ergo etiam *Homo* dicet in recto suū terminum id est Subsistentiam.

Patres Conimbr. Ægid. Lus. P. Grana.

§. 6.

Probabilior philosophandi via.

490 CÆterùm hæc, vt clariùs procedamus, distinctione indigent. Possumus enim loqui, aut de nominibus Naturæ, vt *Homo, Leo*, aut de nominibus Subsistētiæ, vt *Persona, Suppositum, Hypostasis*; aut de nominibus, de quibus dubitatur, An sint nomina Naturæ, vel potiùs Subsistentiæ, vt *Socrates, Plato, Christus*?

491 Dico primò: Nomina Naturæ dicunt in recto Naturam, seu formam, vt connotantem, & concernentem Subsistentiam, seu subiectum; ipsam verò Subsistentiam, seu subiectum in obliquo. Ita D. Thom. & alij plures, quos referunt, & sequuntur P. Vasq. *de Trinit. d.* 155. *c.* 4. P. Soar. ibidem *l.* 3. *c.* 3. *à n.* 5. P. Fons. 5. *Met. c.* 8. *q.* 5. *s.* 10. *ad.* 2. P. Gil. *de Attrib. l.* 2. *tract.* 4. *c.* 5. *n.* 7. P. Molin. 1. *p. q.* 36. *a.* 4. *d.* 3. P. Hurt. *in Met. d.* 11. § 98. P. Alarc. *de Trinit. d.* 5. *cap.* 1. *num.* 8. March. ibidem *d.* 22. P. Amicus ibidem *d.* 25. *n.* 71. P. Ouiedo *in Logica controuers.* 3. *punct.* 9. *n.* 6. P. Tellez *d.* 58. *s.* 1. *n.* 4. P. Ruiz 1. *p. d.* 70. *s.* 2. *n.* 21. Probatur vno verbo, quia vbi primùm intelligitur forma, seu Natura significata, vt concernens, & connotans Subsistentiam, seu subiectum, optimè intelligitur Concretum Naturæ: & è contrá sublatā huiusmodi significatione non intelligitur tale Concretum, v. g. vbi primùm intelligitur Natura humana significata, vt concernens, & cōnotans Subsistentiam, optimè intelligitur *Homo*, imò aliter non intelligitur *Homo*: item *Album substantiuum* intelligitur vbi primùm intelligitur albedo significata, vt inhærens subiecto; dicunt ergo hæc formam, seu Naturam in recto: Subsistentiam verò, seu subiectum in obliquo.

D. Thom. P. Vasq. P. Soar. P. Fons. P. Gil. P. Molin. P. Hurt. P. Alarcon March. P. Amicus P. Ouiedo P. Tellez P. Ruiz

492 Dico secundò: Nomina Subsistentiæ, vt *Persona, Suppositum*, & *Hypostasis* dicunt in recto Subsistentiam, vt concernentem, & connotantē Naturā: ipsam verò Naturam in obliquo. Hęc assertio est eorumdē Doctorū, quibus subscribit P. Tellez *disp.* 58. *s.* 1. *n.* 1. Et probatur primò ex ipsâ Personæ definitione, *Rationalis Naturæ indiuidua Substantia*, vbi *Rationalis Naturæ* ponitur in obliquo. Secundò á simili, quia nomina Naturæ dicunt in recto Naturā, Subsistentiam verò in obliquo: ergo nomina Subsistentiæ dicent in recto Subsistentiam, & Naturam in obliquo. *P. Tellez*

493 Dico tertiò: Nomina *Socrates, Plato*, & cætera huiusmodi dicunt in recto Naturam: Subsistentiam verò in obliquo. Hęc est contra Patres Conimbr. vbi suprá §. *Ad secundū*, contra P. Wading. *de Incarn. d.* 13. *dub.* 3. §. *Notandum*. Traditur tamen á P. Soar. *in Met. d.* 32. *s.* 8. *n.* 5. P. Vasq. 1. *p. d.* 130. *c.* 3. § *Ex dictis*. Et probatur, quia huiusmodi nomina sunt nomina Naturæ singularis cū hoc solo discrimine á nominibus Naturæ cōmunis, quòd hæc dicunt Naturam cōmunem relictâ differentiâ indiuiduante, illa verò dicunt Naturam singularem inclusâ differentiâ indiuiduante; sed nomina Naturæ cōmunis dicunt in recto Naturam cōmunē, Subsistentiam verò in obliquo: ergo nomina Naturæ singularis dicent in recto Naturam singularem: Subsistētiam verò in obliquo. Quod diximus de nominibus proprijs, *Socrates, Plato, &c.* á fortiori dicendum est de nominibus appellationis *hic Homo, quidam Homo &c.*

Patres Conimbr. P. Wadi. P. Soar. P. Vasq.

§. 7.

Quid nomen Christus *importet in recto?*

494 OBjcies. Nomē *Christus* significat in recto Suppositū Verbi, & innuit Naturam humanam: ergo similiter non ē *Socrates* dicet in recto Suppositum, & innuet Naturā. Antecedens traditur á D. Damasceno *lib.* 3. *de Fide Ortodox. c.* 3. vbi dicit nomen *Christus* esse *D. Dama*

esse nomen *Suppositi*. Item defenditur à P. Vasquez 1. p. tom. 2. q. 30. d. 130. cap. 3. & *Ex dictis*, & q. 39. d. 155. cap 4. num. 17. Et probatur primò, quia hæc prædicatio, *Christus est Deus*, est essentialis; id sanè, quia dicit in recto Suppositum Diuinum. Secundò, quia si *Christus* non diceret in recto Subsistentiam Verbi, illâ sublatâ, & aliâ eius loco substitutâ, adhuc maneret Christus: hoc autem est falsum. Tertiò, quia alioquì hæc prædicatio, *Christus est hic homo*, esset identica, quia Natura, & Subsistentia eodem modo significaretur ex parte prædicati, & ex parte subiecti. Quartò id probatur non solùm de Christo, sed etiã de alijs omnibus nominibus singularibus, cuiusmodi sũt *Petrus, Paulus, &c.* nempe esse nomina Suppositorum; nam sicut actiones sunt Suppositorum, ita & non ina singularia.

P. Vasq.

495 Respondeo nomen, *Christus*, solùm dicere Subsistentiam in obliquo; nam vbi primò intelligitur Natura humana subsistens in Subsistentiâ Verbi, intelligitur Christus. Accedit, quòd *Christus* est nomen vnctionis: vnctio autem solùm data fuit in Naturâ humanâ. Ita P. Soar. in *Met. d.* 34. *f.* 8. *n.* 5. Cardinalis Lugo *de Incarnat. d.* 23. *à num.* 54. P. Fonseca 5. *Met. cap.* 8. *q.* 7. *f.* 3. *Quod si quis*, P. Gil. *l.* 2. *tract.* 4. *c.* 3. *n.* 3. & sufficienter colligitur ex Concilio Francofordiensi, apud P. Vasq. 1. p. q. 30. d. 157. *c.* 5. *n.* 20. *§. Quod si.*

P. Soar. P. Lugo P. Fonsec. P. Gil Concil. Francofor.

496 Ad primum, assero illam prædicationem esse essentialem, quia in eâ sumitur *Christus* pro Supposito Verbi, quod est essentialiter Deus: sic hæc propositio est vera, *Hæc Persona* (ostenso Petro) *est essentialiter Homo*, non quòd *hæc Persona* dicat in recto Naturam humanam, sed quia sumitur in Suppositione personali, & supponit pro Petro, qui est essentialiter Homo. Ad secundum, respondeo sublatâ Subsistentiâ Verbi, & positâ aliâ non manere Christum, quia nomen *Christus* ex vsu, & impositione Theologorum dicit connotationem Subsistentiæ Verbi; adhuc tamen maneret *hic Homo*, quia *hic Homo* non dicit connotationem Subsistentiæ Verbi, sed alicuius indeterminatæ. Ad tertium, dico illam prædicationem, *Christus est hic Homo*, non esse identicam, quia *Christus* connotat Subsistentiam Verbi, non ita *hic Homo*, vt patet ex dictis. Ad quartum, dico actiones non egredi formaliter à Suppositis, sed à Naturis, denominare tamen etiam Supposita: sic nomina singularia dicunt de formali Naturam, & denominant Supposita, non de formali, hoc est, in recto, sed in obliquo.

497 Vtrùm autem nomen *Christus* etiam dicat de formali, hoc est, in recto, Naturam Diuinam? Id reputo valdè probabile, & id cum communi tenet P. Tellez *d.* 58. *n.* 33. sed oppositum existimo probabilius, nempe nomen *Christus* solùm dicere in recto Naturam humanam, subsistentem in Supposito Verbi: & id suadent nostræ rationes proximè factæ. Et expressè tenent P. Soar. Cardinalis Lugo, P. Fons. & P. Gil. locis citatis.

P. Tellez P. Soar. P. Lugo P. Fonsec. P. Gil

§. 8.

Argumenta soluta.

498 Reliquũ est, vt argumentis quartæ sententię contrariæ propositis *n.* 489 satisfaciamus. Ad primum (quatenus dicit Concreta Substantiua accidentalia dicere in recto inhærentiam: & inde infert Concreta substantiua substantialia debere dicere in recto Subsistentiam) respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia inhærentia habet se per modum connotationis subiecti; Subsistentia verò per modũ subiecti, hoc est, continentis Naturam: subiectum verò, seu continens solùm connotatur à nominibus substantiuis, & dicitur in obliquo. Ad secundum, dico *Concretum*, & *Abstractum* in eo distingui essentialiter, quòd Concretum dicit essentialiter connotationem Subsistentiæ: Abstractum verò minimè. Ad tertium, assero *Hominem* secundùm id, quod dicitur in recto, licèt sit incompletum in ratione Suppositi, esse tamen completum in ratione Naturæ: poni tamẽ in prædicamento potiùs in concreto, quàm in abstracto; quia in concreto significatur magis perfectè; siquidem præter Naturam dicit etiam connotationem Subsistentiæ. Ad quartum, dato quòd linea dicat in recto suum terminum, nimirum punctum, nego quòd Homo dicat in recto suum terminum, nimirum Subsistentiam. Diuersa ratio est, quia punctum non se habet per modum subiecti, hoc est, continentis in suo esse; Subsistentia verò maximè: Concreta autem substantiua dicunt subiectum, seu continens in obliquo, vt patet ex dictis.

§. 9.

Vtrùm Concreta dicant essentialiter non solùm id, quod significant in recto, sed etiam id, quod important in obliquo?

499 Secunda difficultas: Vtrùm Concreta substantialia, v. g. Homo, nõ solùm

solùm dicant essentialiter id, quod significant in recto, videlicet Naturam humanam, sed etiam id, quod important in obliquo, nimirum Subsistentiam?

500 Dicendum existimo nomina Concreta non solùm dicere essentialiter id, quod significāt in recto, sed etiam id, quod important in obliquo. Et probatur, quia illud dicitur essentialiter, sine quo incluso res intelligi nō potest: at veró Concretum, v.g. *Homo*, non potest intelligi, quin dicatur Natura humana in recto, & Subsistentia in obliquo. Et hoc sic ostendo, quia Concretum *Homo* dicit Naturam humanam connotantem, ac concernentē Subsistentiam; vnde non solùm essentialiter dicit Naturam, sed etiam connotationem Subsistentiæ: connotatio autem Subsistentiæ addit supra Naturam dictam in recto, ipsam Subsistentiam in obliquo; & nihil est aliud ipsa cōnotatio, quàm Natura dicta in recto, & Subsistentia in obliquo: ergo dicit essentialiter Naturam in recto, & Subsistentiā in obliquo.

501 Itaque id, sine quo incluso res intelligi non potest, est de eius primario significato; at veró Concretum, v.g. *Homo*, non potest intelligi, quin præter humanitatem, quæ dicitur in recto, importetur Subsistentia in obliquo: ergo Concretum *Homo* dicit essentialiter Naturam in recto, & Subsistentiam in obliquo. Minor ostenditur, quia Concretum *Homo* dicit essentialiter connotationem Subsistentiæ: hæc autem connotatio est ipsa Natura dicta in recto, & Subsistentia in obliquo; non enim apparet aliud.

502 Dixi *sine quo incluso*, nam etiam relatio non potest intelligi sine termino: & tamen nō illum includit. Et huius ratio est, quia relatio, licét non possit intelligi nisi in ordine ad terminum, potest intelligi, quin sit ipse terminus: at verò connótatio Subsistentiæ non potest intelligi, quin sit Naturā in recto, & Subsistentia in obliquo; non enim est aliud connotatio alicuius, quàm res connotans dicta in recto: & connotata in obliquo.

503 Dices: Etiam relatio cōnotat terminū; siquidē non potest intelligi nisi in ordine ad illū: & tamens non illū includit. Respōdeo aliud esse *respicere aliquid essentialiter*; aliud *in modo significandi illud connotare*: sic *cognitio* respicit obiectū essentialiter, *cognitum* illud connotat: *albedo* respicit subiectū essentialiter, *album* illud connotat. Itaque *respicere aliud essentialiter* est habere essentiam in ordine ad illud, seu illud respicere transcendentaliter: vnde quod ita aliud respicit, nō illud respicit vt partem sui, hoc est, vt partē suæ essentiæ, sed vt terminū: *in modo significandi cōnotare aliquid* est illud respicere, vt partē sui dictam in obliquo. Relatio ergo propriè loquendo non connotat terminum, sed illū respicit essentialiter, hoc est, in modo significādi non dicit terminum, vt partē sui importatam in obliquo, sed solùm significat formam totā essentialiter respectiuam ad terminum. Idem videre est in *Humanitate*, & in *Homine* nam etiā *Humanitas* respicit Subsistentiam, non tamen illam connotat; solùm enim respicit Subsistētiam vt terminum sui, non vt partem: *Homo* verò respicit Subsistentiam vt partem, ex quā nimirum ipse *Homo* coalescit.

§. 10.

Argumenta soluta.

504 OBijcies primò. Essentia cuiusque rei est rectum illius: ergo quod dicitur in obliquo non potest esse de essentiā talis rei. Huic argumento satisfactū est in *Anima tr.6. n.479.* vbi diximus rem posse sumi, vel in recto: vel in obliquo: vel partim in recto, & partim in obliquo. Res in recto est, v.g. *albedo*: res in obliquo est *albedinem*, seu *ad albedinem*: res partim in recto, & partim in obliquo est *album* adiectiuum, seu habēs albedinē; dicit enim *habens* in recto, & *albedinem* in obliquo. Assero igitur nullam rem rectam dicere suā essentiam in obliquo: rē verò obliquā dicere suam essentiam in obliquo: & rem partim rectam, & partim obliquam dicere suā essentiam partim in recto, & partim in obliquo. Et huius ratio á priori est, quia essentia non distinguitur ab ipsâ re: sic ergo illam dicit, ac ipsa sumitur, hoc est, in recto, si ipsa sumatur recta: in obliquo, si ipsa sumatur obliqua: partim in recto, & partim in obliquo, si ipsa sumatur partim in recto, & partim in obliquo.

505 Obijcies secundó. Si *Homo* dicit essentialiter Subsistentiam, sequitur quód ipsa prædicetur essentialiter *de Homine*: vnde hęc prædicatio erit essentialis, *Socrates est Persona*. Respondeo plures concedere illam prædicationem esse essentialem non Humanitati, sed Homini. Deinde assero quòd Subsistentia, vt dixi, sumitur dupliciter: primò, in recto: secundò, in obliquo. Primo modo non est de essētiā Hominis; secundo, maxin è: at verò in hâc prædicatione, *hic Homo est Persona*, Persona sumitur in recto, & verificatur ratione Subsistētię sūptæ in recto: vnde sicut Subsistentia in recto, ita & ratio Personæ in recto non cōuenit huic Homini essentialiter. Instabis: Subsistentia solùm est proprietas, & non pars essentialis Hominis: ergo nullo modo potest ab illo adsig-

adsignificari essentialiter. Respondeo Subsistentiam esse proprietatem Naturæ sumptæ in abstracto, ac partem essentialem Naturæ sumptæ in concreto nempe Hominis; nam licèt Natura humana possit intelligi sine Subsistentiâ, Homo non potest intelligi sine illâ, vt patet ex dictis.

506 Obijcies tertiò. Licèt Subsistētia varietur, adhuc manet *hic Homo*: ergo hic Homo non dicit essentialiter Subsistentiam. Respondeo non dicere hanc determinatè: dicere tamen aliquā indeterminatè. Confirmatur exemplo Vnionis, quam omnes asserunt dici essentialiter à Composito: & tamen non dicitur hæc determinatè, sed aliqua; nam in resurrectione resurget idem Homo, iuxta illud Iobi,

lib 19.27 *Quem visurus sum ego ipse, & non alius*, & tamē erit vnio diuersa.

507 Obijcies quartò. Si Homo diceret essentialiter Subsistentiam, aut hæc esset aliquid vniuocum; & hoc non, quia Subsistentia præscindit à Diuinâ, & Creatâ, & non potest esse vniuoca ad illas: aut esset aliquid analogū; & hoc etiam nō, quia aliàs Homo nō esset vniuocus, siquidē includeret aliquid analogū. Respondeo, Hominem dicere aliquā Subsistentiā præscindendo ab eo, quòd sit vna, an multiplex: relatiua, vel absoluta: communis, vel singularis: Diuina, aut creata: vniuoca, vel analoga.

508 Instabis: Ergo Homo non est vniuocus; nam ex Naturâ certâ, & Subsistentiâ incertâ non resultat aliquod vniuocum; sicut ex Naturâ certâ, & differentiâ indiuiduante incertâ vniuocum non resultat; ideò enim indiuiduum vagum, nempe *quidam Homo*, iuxta plures Dialeticos non est vniuocum. Respondeo negando Antecedens. Et est maior ratio cur Subsistentia incerta non tollat vniuocationem, differentia verò incerta maximè; nam in primis differentia est pars recti, non ita Subsistentia, quæ solùm dicitur in obliquo. Deinde Subsistentia, cùm sit modus, est pars multo minùs principalis. Et hæc doctrina explicari potest exemplo Vnionis, quæ ab Homine dicitur essentialiter, & non dicitur certa, sed incerta; aliàs non resurgeret idem Homo, quia non resurrecturus est cum eâdem vnione: resurrecturus tamen est idem Homo, iuxta illud Iobi, *Quem visurus sum ego ipse, & non alius*. Itaque *hic Homo* non dicit certam vnionem, sed aliquam.

509 Obijcies quintò. Deus non dicit essentialiter Subsistentiam; nam cùm hæ in Deo sint tres, non foret vnus, sed tres Dij: ergo neque Homo dicet Subsistentiam essentialiter. Respondeo, Deum dicere Subsistentiam, vel absolutam propriam, aut impropriam, vel relatiuam præscindendo ab eo quòd sit vna, an multiplex; absoluta, vel relatiua: vnde patet non posse dici tres Deos; imò licèt diceret expressè tres Subsistentias, non possent dici tres Dij, quia Concreta solùm desumunt suam vnitatem ab eo, quod dicunt in recto, vt ex sequenti Sectione fiet manifestum.

510 Obijcies sextò. Dicere *essentialiter* est idem, ac dicere *de formali*: at verò *Homo* non dicit *de formali* Subsistentiam, sed solùm *de connotato*, vt liquet ex suprà dictis. Respondeo *dicere essentialiter* latiùs patere, quàm *dicere de formali*, nam *dicere essentialiter* est dicere omne id, sine quo dicto non potest tale nomen intelligi: at verò dicere de formali idem valet, ac dicere in recto. Vnde patet posse vnum significatum non dici in recto; & tamen dici essentialiter; vnde licèt *Homo* non dicat *de formali* Subsistentiam, sed solùm *in obliquo* potest illam dicere essentialiter. Scio P. Arriagam *in Sum. d. 1. s. 9.* existimare non esse idem dicere in recto, ac dicere de formali. Sed minùs benè; nam re verâ hic videtur communis sensus loquentium. P. Arriaga

SECTIO II.

Vnde Concreta desumant suam multiplicationem, aut vnitatem?

511 PRIMA difficultas: Vnde Concreta desumant suam multiplicationē, aut vnitatem? Et in hâc materiâ duæ circunferuntur opiniones. Prima docet ad multiplicationem Cōcreti requiri, & sufficere multiplicationem Suppositi. Ita Cardinalis Lugo suprà citatus *disp. 13. num. 17.* Eius fundamentum est, quia, vt docet Diuus Thom. *3. p. q. 3. art. 7.* si Verbum Diuinum assumeret tres humanitates, esset vnus tantùm Homo, quia esset vnum tantùm Suppositum. Eandem sententiam professi sunt Marsil. Ocham. Gabr. Gregor. & alij Nominales apud P. Alarc. vbi infrà. P. Lugo D. Thom. Marsil. Ocham. Gabriel Gregor.

512 Secunda sententia tenet ad multiplicationem Concreti non sufficere, requiri tamen multiplicationem Suppositi. Ita plures ex antiquis quos sequuntur P. Molin. *1. p. q. 36. art. 4. disp. 2. §. Vt autē*, P. Florauāt. *l. 2. de Trinit. d. 126.* P. Valent. *d. 2. q. 3. punct. 3.* Probatur in primis nō sufficere, quia alioquì tres Diuinæ Personæ dicerētur tres Dij. Deinde ostēditur P. Molin. P. Florauat. P. Valent.

requiri; quia si multiplicatio solius Naturæ sufficeret, sequeretur primò, Christum Dominum posse dici duos filios, alterum Æterni Patris ratione Naturæ Diuinæ, alterum Beatæ Virginis ratione Naturæ humanæ; & consequenter posse vnum negari de alio hoc modo, *Filius Æterni Patris non est Filius Beatæ Virginis*; sunt enim duo diuersi: ea autem, quæ à parte rei sunt diuersa, possunt ad inuicem negari. Secundò sequeretur, Deum habentem plures relationes Creatoris; item eundem Hominem habentem plures artes, & plures relationes patris, esse plures Creatores, plures artifices, plures patres. Tertió sequeretur, Patrem Æternum esse duo principia, alterum Filij ratione Paternitatis, alterum Spiritûs Sancti ratione Spirationis actiuæ: quæ tamen omnia sunt absurda.

513 Dicendum tamen Concreta desumere vnitatem, vel multitudinem ab eo, quod dicunt in recto. Ita D. Thom. *in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 2. Scot. *in* 3. *dist.* 1. *q.* 3. & *in* 1. *dist.* 12. *q. vnica* ad finem, Altisiodor. *lib.* 3. *Sum. tract.* 1. *q.* 5. Capreol. *in* 1. *dist.* 4. *q.* 1. *ad* 1. *Aureol.* P. Vasquez 1. *p. ad q.* 39. *d.* 155. *c.* 4. & 5. & *tom.* 2. *in* 3. *p. ad q.* 17. *d.* 70. *c.* 2. *n.* 9. P. Gaspar Hurt. *de Incarnat. d.* 3. *diff.* 7. §. *Sed S. Thom.* P. Petrus Hurtad. *in Met. d.* 11. *s.* 9. *n.* 98. P. Soar. *tom.* 1. *in* 3. *p. ad q.* 5. *d.* 13. *s.* 3. §. *Maior controuersia* in fine, P. Arriaga *in Met. d.* 4. *s.* 13. P. Alarcon cũ P. Ruiz, & alij pluribus, P. Amic. *d.* 27. *n.* 115. P. Wading. *de Incarnat. d.* 13. *n.* 117. Probatur varijs exemplis. Primò, quia ex eo, quód Persona dicat in recto solam Personalitatẽ, Christus Dominus, qui alioquí habet duas Naturas, est vna tantùm Persona: & Deus, qui alioquí, habet vnam tantùm Naturam, est triplex Persona. Secundò, quia Deus ex eo, quòd dicat in recto solam Naturam, licèt habeat tres Subsistentias, est vnus tantùm. Tertio, quia ex eo, quód adiectiua dicant in recto solùm subiectum, tres lapides, in quibus sit vna tantùm albedo, sũt tria alba. Quarto, quia ex eo, quód substantiua dicant in recto solam formam, tres Personæ Diuinæ sunt Vnus Æternus, Vnus Omnipotens, Vnus Immensus, &c. vt habetur in symbolo D. Athanasij: ergo &c.

D. Thom. *Scotus* *Altisiodor.* *Capreol.* *P. Vasq.* *P. Gaspar Hurt.* *P. Petrus Hurt.* *P. Soar.* *P. Arriaga* *P. Alarcon* *P. Ruiz* *P. Amicus* *P. Wadi.*

514 Neque fundamentum primæ sententiæ (quâtenus dicit, si Verbum Diuinum assumeret tres humanitates, fore vnum tantùm Hominem) cõtrarium suadet. Dicendum enim est tres humanitates subsistentes in eâdem Personâ fore tres Homines, ad eum modum, quo Personalitates in eâdem Naturâ Diuinâ sunt tres Personæ: & vna Natura Diuina in tribus Personalitatibus est vnus Deus. Et ita expressè D. Thom. *in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. *art.* 5. & cum eo P. Vasq. 1. *p. disp.* 155. *cap.* 4. P. Alarcon, & P. Wading. locis cit. Neque obstat, quód D. Thom. dicat contrarium 1. *p.* ibi enim non loquitur de Homine sumpto in sensu formali, de quo est quæstio, sed de illo sumpto secundùm id, quod importat in obliquo, pro Supposito, & Personâ, quo pacto vulgò accipi solet.

D. Thom. *P. Vasq.* *P. Alarc.* *P. Wadi.*

515 Neque similiter fundamenta secundæ sententiæ oppositum conuincunt. Ad primum enim absurdum, quod arguitur sequi in nostrâ sententiâ (nimirum Christum Dominũ posse dici duos filios, alterum Æternis Patris ratione Naturæ Diuinæ, alterum Beatæ Virginis ratione Naturæ humanæ) respondeo id verum esse in sensu formali; falsum secundùm id, quod dicitur de connotato, & in obliquo: absolutè autem id dici non potest, quia nomẽ *Filius* vulgó accipitur secundùm Suppositum, quod dicitur de connotato; vnde si absolutè diceremus in Christo esse duos filios, videremur sentire in Christo esse duo Supposita, quod est hæreticum. Vtrùm verò vnus filius possit negari de alio? Respondeo posse in sẽsu formali, non posse secundùm id, quod dicitur in obliquo; quo pacto exercetur in Christo communicatio idiomatum; imò non posse negari absolutè. Idque ex duplici titulo: primo, quia negatio absoluè prolata, cùm sit malignantis naturæ, remouet á subiecto formam omnibus modis: at veró Filius Æterni Patris non est omnibus modis diuersus à Filio Beatæ Virginis, sed solùm in suppositione, & sensu formali. Secundo, & præcipuè, quia Filius vulgò accipi solet pro Supposito; vnde si absolutè negaremus Filium Æterni Patris esse Filium Beatæ Virginis, videremur sentire humanitatem Christi Domini non esse subsistentem in Supposito Filij Æterni Patris.

516 Ad secundum de Deo habentẽ plures relationes Creatoris, eadem applicanda est solutio. Dicendum que Deum habentem plures relationes Creatoris, esse plures Creatores in sensu formali, non secundùm id, quod Creator dicit de connotato, quo pacto supponit pro Deo, qui est vnus tantùm. Similiter dicendum eundem hominem habentem plures artes, & plures paternitates esse plures artifices, & plures patres in sensu formali, non secundùm id, quod hæc nomina dicunt de connotato: imò absoluè neque Deus potest dici plures Creatores, neque idem Homo plures artifices, aut plures patres, quia ista nomina vulgó accipi solent in suppositione, & sensu de connotato.

517 Ad tertium eadem responsio potest applicari cum P. Soar. *l.* 10. *c.* 7. *n.* 9. vbi dicit Patrem Æternum dici posse duplex Principium

P. Soar.

pium in sensu formali, non in materiali, seu de connotato. Aliter respondet P. Alarc. *d.* 5. *c.* 2. *n.* 2. vbi docet Patrem Æternum etiam in sensu formali esse vnum tantùm Principium; quia Paternitas, inquit, & Spiratio actiua non distinguuntur à parte rei. Sed minùs benè, quia huiusmodi Principia, cùm sint tota respectiua ad terminos realiter distinctos, ponũt in numero, ad eum modum, quò de Originibus actiuis, & de ipsis Relationibus dicunt cõmuniter Theologi; vnde quatuor adnumerant Relationes, & quatuor Origines. *P. Alarc.*

518 Secunda difficultas esse hoc loco poterat: An multiplicatâ quâlibet parte significati in recto, totum concretum multiplicetur? v. g. An multiplicatâ alterâ parte Naturæ humanæ, nempe multiplicatâ Materiâ, vel Formâ, Homo multiplicetur? Verùm hanc difficultatem satis discussimus in *Physica tract.* 1. *à num.* 343.

TRACTATVS III.

DE QVANTITATE.

CONTINET Disputationes duas. Prima agit de Essentiâ, & Speciebus Quantitatis. Secunda de eius Impenetrabilitate.

DISPVTATIO I.

De Essentiâ, & Speciebus Quantitatis.

QVATVOR amplexa Sectiones. Prima quærit, In quo consistat formalis ratio Quantitatis? Et quo pacto Quantitas à Substantiâ distinguatur? Secunda disputat de Quantitate discretâ. Tertia de Quantitate continuâ successiuâ. Quarta de Quantitate permanente.

SECTIO I.

In quo consistat formalis ratio Quantitatis? Et de eius distinctione à Substantiâ?

1 PRIMA difficultas est: Quæ sit essentia Quantitatis? Et quatuor circunferuntur sententiæ. Prima cõtendit essentiam Quantitatis consistere in eo, quòd sit mensura Substantiæ. Hanc videtur tenuisse D. Thom. *opusculo* 52. & certè tenet Albert. M. *tract.* 8. *cap.* 1. Probatur primò, ex Aristotele 5. *Met. cap.* 13. & *in Prædicamentis cap.* 6. *de Quantitate*, vbi ex ratione mensuræ deducit Numerum, & Orationem esse Quantitatem. Secundò, ex hoc titulo Linea definitur Magnitudo habens vnam dimẽsionem: Superficies, duas: Corpus, tres. *D. Thom.* *Albert. M.* *Aristot.*

2 Hæc opinio non placet. Primò, quia Aristoteles 10. *Met.* dicit mensuram esse *id, quo Quãtum cognoscimus*; vnde infertur esse respectiuam ad Quantitatem: ergo non illam constituit, sed supponit. Secundò, quia prius est in Quantitate esse extensam, quàm aptam mensurari: essentia veró consistit in eo, quod est prius.

3 Ad primum, respondeo Philosophum locis citatis non deducere Numerum, & Ora-

 tionem

tionem esse Quantitatem, quia sunt mensura Substantiæ, sed quia sunt mensurabiles; nam ex eo, quòd sint mensurabiles, colligitur esse extensas. Ad secundum, occurrendum Lineam, Superficiem, & Corpus explicari per diuersas dimensiones, quia per eas explicantur diuersæ extensiones: vnde patet illas definitiones non esse essentiales, sed descriptiuas.

§. 1.

Vtrùm Essentia Quantitatis consistat in Diuisibilitate?

4 SEcunda sententia tenet Essentiam Quantitatis consistere in Diuisibilitate. Hanc tenet D. Thom. pluribus in locis, quos diligenter collegit P. Aleman. 1. *p. Sum. Philosophiæ q.* 11. *a.* 1. subscribunt Capreol. *in* 2. *dist.* 3. *q.* 1. *a.* 3. *ad* 11. & *dist.* 19. *q.* 1. *ad* 2. Scot. *cap.* 6. *de Quantitate q.* 17. Soncin. 5. *Met. q.* 21. Iauellus *q.* 20.

D. Thom. P. Alema. Capreol. Scotus oncin. Iauellus

5 Probatur primò ex Aristotele 5. *Met. text.* 18. vbi definit Quantum, *Quod in ea, quæ insunt, diuisibile est*: & 1. *Phys. tex.* 16. & 3. *Phys. tex.* 2. & 6. *Phys. tex.* 3. & 1. *de Cælo tex.* 2. & 5. *Met. tex.* 12. definit Continuum, quod est species Quantitatis, *Diuisibile in infinitum*, & 5. *Met. tex.* 12. & 18. definit Species Quantitatis per diuersas diuisibilitates; dicit enim, Superficiem esse quod est diuisibile in duo: Lineam, quod est diuisibile in vnum: Corpus, quod est diuisibile in tria.

Aristot.

6 Secundò probatur, quia in Quantitate prius est esse diuisibile, quàm esse extensum: Essentia autem consistit in eo, quod est prius. Maior ostenditur, quia esse extensum est habere partes extra partes, seu pluritatem partium potentialem: hæc autem pluralitas potentialis supponit Diuisibilitatem. Quod sic ostenditur: nam ita se habet pluralitas partium potentialis ad diuisionem potentialem, ac pluralitas partium actualis ad diuisionem actualem; sed pluralitas partium actualis supponit diuisionem actualem: ergo pluralitas partium potentialis supponit diuisionem potentialem, nimirum Diuisibilitatem.

7 Et hinc deducitur tertia probatio: nam Diuisibilitas est ratio prior quâcunque aliâ inuentâ in Quantitate, & est radix omnium illarum, per quam scilicet de Quantitate probari possunt omnes eius passiones. Per illam probat Aristoteles Quantitatem esse finitam, vel infinitam 3. *Phys. tex.* 36. & 37. item per illam probatur incompossibilitas partium secundùm distantiam in ordine ad totum, ita vt vna sit extra aliam; item in ordine ad locum, ita vt vna excludat aliam ab eodem loco.

8 Hæc sententia etiam non placet. Primò, quia corpus redactum ad punctum seruat Essentiam Quantitatis, non tamen Diuisibilitatem. Secundò, quia prius est in Toto eius partes esse vnum, quàm posse separari: nam posse separari supponit esse vnum: in hoc ergo priori collocanda erit Essentia Quantitatis. Tertiò, quia Diuisibilitas reperitur extra Quantitatem. Et hoc ostendi potest in Materiâ valde extensâ, cuius vltimæ partes correspondentes vltimis punctis terminatiuis sint longissimè distantes; demus enim quód Deus in instanti annihilet totam Quantitatem huius materiæ. Tunc sic: nam aut in sequenti instanti illæ partes, quæ erant longissimè distantes, confluent ad punctum medium; & hoc non, quia non datur motus in instanti, vt in *Physica* vidimus; imò nec duobus Angelis id cōcederetur: aut non confluent, sed perseuerabūt distantes: ergo diuisibiles.

9 Ad primum ex Aristotele respondeo Philosophum locis citatis explicare Essentiam Quantitatis per Diuisibilitatem, vt per passionem, vt sæpè facit. Ad secundum, occurrendum habere partes extra partes posse considerari, aut prout sunt vnum, aut prout plura esse possunt: habere partes primo modo constituit extensum, & est prius pluralitate potentiali; nam prius est Quantum esse vnum, quàm posse diuidi: Diuisibilitas antecedit hoc, quod est habere partes extra partes, prout possunt esse plura; non, prout constituit vnum, in quo consistit Continuum, seu extensum. Ad tertium patet responsio ex dictis; negandum enim est Diuisibilitatem esse priorem extensione, cùm potiùs illam supponat.

§. 2.

An Essentia Quantitatis consistat in Impenetrabilitate?

10 TErtia sententia asserit Essentiam Quantitatis consistere in Impenetrabilitate. Hæc est hodie communis inter Modernos. Illam tenet P. Ouiedo *in Met. controuers.* 7. *punct.* 2. *n.* 27. sequutus P. Arriagam *in Met. d.* 5. *n.* 14. & alios, qui nolunt Essentiam Quantitatis consistere in extensione exigente Impenetrabilitatem, sed in ipsâ Impenetrabilitate. Et id probant primò, quia punctum habet Essentiam Quantitatis ex eo, quòd sit impenetrabile cum alio: cùm tamen non sit extensum. Secundò, quia non repugnat Quantitas vnius palmi, indiuisibilis: hæc esset impenetrabilis, non tamen extensa; siquidem indiuisibilis:

P. Ouiedo P. Arriaga

uisibilis: ergo non in extensione impenetrabili, sed in ipsâ ratione Impenetrabilis consistit essentia Quantitatis.

11 Verùm hæc sententia etiam non placet. Primò, quia eius fundamenta non sunt firma: nam quod dicit de puncto, non est verum: tum quia (quidquid sit de illo in opinione Zenonis) in opinione Aristotelis, quam sequitur ipse P. Ouiedo, vt in Phys. retulimus vnū punctum non est impenetrabile cum alio: tum quia vt sit Quantitas satis est, quód sit complementum, & terminus extensionis, seu extensum terminatiuè, vt sæpè diximus. Præterea quod dicit de possibilitate illius Quantitatis vnius palmi indiuisibilis, etiam est falsum. Nam in primis ego non admitto possibilitatem talis palmi, & dico repugnare eius indiuisibilitatem; nam id diximus *tr.1. n.497. de Substantia corporea*: ergo etiam dicendum est de Quantitate. Deinde, quia Deus posset annihilare talis palmi dimidium: ergo talis palmus saltem à Deo esset diuisibilis. Ad hæc, dato quòd neque Deus illum posset diuidere, sanè talis palmus haberet duos semipalmos, quorum quilibet excluderet alium; hoc autem est esse extensum.

12 Instabis: Talis palmus esset indiuisibilis: ergo non extensus. Respondeo negando Consequentiam, quia talis palmus esset mensurabilis, deinde haberet partes extra partes mutuó se se, & aliud corpus excludentes; & hoc est esse extensum. Verum quidē est Indiuisibilè non esse extensum, at id procedit de Indiuisibili non habente partes extra partes, neque mensurabili: secùs dicendum de Indiuisibili, quod esset mensurabile, & haberet partes extra partes.

13 Secundó prædicta sententia non placet: quia supposito, quòd nullum detur Impenetrabile, quod non sit extensum, vt liquet ex dictis, ratio Extensi est prior Impenetrabilitate, imò est eius radix; neque enim Impenetrabilitas est radix extensionis, imó extensio est radix Impenetrabilitatis, vt pleniùs constabit ex dicendis: essentia autem rei consistit in eo, quod est prius, & radix proprietatum.

§. 3.

An Essentia Quantitatis consistat in extensione per ordinem ad totum?

14 QVarta sententia constituit essentiam Quantitatis in Extensione aptitudinali per ordinē ad totum. Dixi *aptitudinali per ordinem ad totum*, quia quinque in Quantitate reperiuntur extensiones: prima *Entitatiua*, quæ consistit in eo, quòd habeat partes extra partes, quarum vna non sit alia: secunda *Quantitatiua aptitudinalis per ordinē ad totū*, quę cōsistit in eo, quòd habeat partes exigentes ordinem, caput, v.g. deinde collum: tertia, *actualis*, cuius partes actu habeant talem ordinem: quarta *aptitudinalis in ordine ad locum*, quæ consistit in eo, quòd habeat partes, quarum vna postulet excludere aliam eiusdē, vel alterius corporis ab eodem loco: quinta *actualis in ordine ad locum*, quæ scilicet habet partes, quarum vna actu excludat aliam.

15 Certum in primis videtur nullam *Extensionem actualem* siue per ordinem ad totum, siue per ordinem ad locum, esse de essentiâ Quantitatis. Et ratio est manifesta, quia Essentia est inseparabilis á re, cuius est Essentia: actualis veró Extensio per ordinem ad totum, quæ consistit in eo, quód ens habeat partes seriatim vnitas, & ordinatas, potest separari à Quantitate, cùm certum sit posse Deum confundere eius partes. Item Extensio actualis per ordinem ad spatium, quæ consistit in eo, quód ens habeat partes excludentes alias eiusdem, vel alterius corporis ab eodem loco, potest similiter separari á Quantitate, & de facto separatur á Quātitate corporis Christi D. existētis in Sacrâ Eucharistiâ, vbi eius Quantitas non excludit Quantitatem panis, aut vini.

16 Certum deinde videtur Essentiam Quantitatis non consistere in primâ *Extensione entitatiua*: nam hæc videtur communis substantiæ materiali, v.g. Materiæ, & accidentibus materialibus, nimirum nigredini, & albedini. Tota dubitatio est, Vtrùm consistat in *Extensione aptitudinali* per ordinem ad totum: an potiús per ordinem ad locum?

17 Hæc igitur quarta sententia contendit Essentiam Quantitatis collocandam esse in *Extensione aptitudinali per ordinem ad totum*. Primò, quia illud videtur esse Essentia alicuius rei, ex quo oritur prima eius proprietas: at verò prima proprietas Quantitatis est Diuisibilitas, & hæc oritur ab Extensione per ordinē ad totum. Secundò, quia Essentia rei consistit in eo, quod est prius in illâ: at veró in Quantitate *Extensio ad totum* est prior *Extensione ad locum*, imó est radix illius. Ita docet Scotus, Durandus, & alij, quos citant, & sequuntur P. Fonseca *5. Met. cap. 13. q. 1. s. 3.* P. Rub. *in Logica cap. de Quantitate q. 1. n. 27.* P. Tolet. ibidem. P. Albert in. *d. 3. de Prædicamento Quantitatis q. 3. n. 10.* vbi allegat Albert. M. Ferrar. Bassol. Lichet. Mayron, & alios plures. Subscribunt Araujo *tom. 1. Met. l. 5. q. 3. a. 1. à versu: Quarta sententia.* Cursus Complutens. *in Logica d. 13. q. 3. à n. 10.*

Scot. Durand. P. Fonseca. P. Rub. P. Tolet. P. Albertin. Albert. M. Ferrara. Bassol. Lichet. Mayron. Araujo. Cursus Complut.

Cursus Thomist. Gallego P. Vasq.

à n. 10. Cursus Thomisticus *in Logica q.* 16. *de Quantitate versu. Sit vnica.* Gallego *tom.* 1. *controuers.* 24. P. Vasq. 3. *p. d.* 190. *à n.* 19.

18 Nihilominus hæc sententia non placet, quia essentia Quantitatis non reperitur extra illam: at veró *Extensio per ordinem ad totum* reperitur etiam in alijs entibus materialibus, nimirum in Substantiâ corporeâ. Et hoc ostenditur, quia *Extensio per ordinem ad totum*, quæ in Substantiâ diuinitùs denudatâ à Quantitate reperiretur, non potest præstari à Quantitate; aut enim præstaretur ab illâ effectiuè, aut formaliter: non effectiué, quia Quantitas nō est operatiua extra se effectiuè, vt ipsi Aduersarij fatentur: non formaliter, quia causa formalis non causat suum effectum formalem nisi existens in subiecto, vt est manifestum: ergo Substantia illam habet ex se, & non beneficio Quantitatis.

§. 4.
Effugia præclusa.

19 Dices primò, talem Substantiam corpoream denudatam Quantitate amittere *Extensionem per ordinem ad totum*, hoc est, partes seriatim ordinatas, & manere confusam. Sed contrà, quia id videtur liberè dictum. Primó, quia Deus potest annihilare Quantitatem in instanti relictâ Substātiâ corporeâ: partes autem Substantiæ corporeæ nō possunt in instanti moueri, & confundi; cùm motus non detur in instanti. Secundó, quia si Deus annihilet Quantitates duarum Substantiarum, illæ non confluent inter se, nec commiscebuntur, sed quælibet manetet in suo spatio: ergo idem dicendum de partibus eiusdem Substantiæ, si Deus annihilet earum Quantitates partiales.

20 Dices secundò, tales partes Substantiæ manere quidem ordinatas, sed per accidēs, non quód id postulent ex se; ex se enim sunt indifferentes ad hoc, vt sint ordinatæ, vel cōfusæ; solæ partes Quantitatis ratione impenetrabilitatis, quæ illis annexa est, ex se postulant seriatim vniri, & ordinari. Et in hoc sensu, inquies, *Extensio aptitudinalis per ordinem ad totum* est propria Quantitatis, cùm ab illâ solùm postuletur; cæteris entibus materialibus solū conuenit per accidens. Non placet iste modus philosophandi. Primò, quia illa ordinatio, quæ manet in Substantiâ, est effectus formalis alicuius causæ formalis: non Quantitatis, quia hæc non existit: ergo alicuius, quod in Substātiâ inest per se. Secundó, quia ordinatio partium postulatur ab omni ente materiali; nam deordinatio, & confusio partium est contraria modo operandi omnis entis corporei, & consequenter contraria eius modo essendi; nā modus operandi sequitur modum essendi; atqui omnis entitas postulat statum conuenientem suo modo essendi, & operandi: ergo omnis entitas corporea postulat partes seriatim vnitas, & ordinatas. Tertiò, quia caput ex se postulat immediatè vniri collo, & non pedibus. Quartò, quia Natura resistit superfluitati, quam abhorret: confusio autem partium inuoluit superfluitatem; nam in confusione omnes partes vniuntur, singulæ singulis, & singulæ omnibus immediatè, quod est superfluum.

21 Instabis: Partes aliorum entium materialium exceptâ Quantitate ratione Impenetrabilitatis, sunt ex se indifferentes, vt redigantur ad punctum: ergo sunt indifferentes, vt confundantur; ac proinde ex se non postulant ordinem, & seriem partium. Respondeo in primis negando Consequentiam, quia aliud est redigi ad punctum, aliud confundi: benè potest vna res esse redacta ad punctum, non tamen confusa; nam de facto corpus Christi Domini in Eucharistiâ est redactum ad punctum; non tamen confusum, sed eius caput immediatè vnitur soli collo, & hoc pectori, &c.

22 Prætereà negandum est partes aliorum entium materialium esse de se indifferentes, vt redigantur ad punctum; cùm enim per se ordinētur ad operationem, & non possint operari redactę ad punctum, clarum est per se talem statum Indiuisibilitatis abhorrere, & exigere statum Extensionis, ac Diuisibilitatis.

§. 5.
Argumenta soluta.

23 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit primam proprietatem Quantitatis, nempe Diuisibilitatem oriri ab *Extensione in ordine ad totum*) respondeo dari duas Diuisiones, alteram physicam, alteram metaphysicam: Diuisibilitas physica fit quando vnum corpus, v. g. gladius introducitur inter partes alterius, eas secando, & diuidendo, eo quód ipsæ cum illo in eodem loco non compatiantur: hæc Diuisibilitas physica est propria solius Quantitatis; nam Substantia sine Quantitate à nullo corpore introducto hâc ratione secatur, imó eius partes cum omni in eodem loco compatiuntur. Diuisibilitas metaphysica fit, quando non per introductionem vnius corporis inter partes alterius, sed per vim, v. g. Angelicam ipsæ partes separantur; & hæc conuenit omni entitati

titati materiali habenti partes extra partes. His positis ad argumentum respondeo solam Diuisibilitatem physicam, vt dixi, esse proprietatem Quantitatis; hanc verò non oriri *ab Extensione per ordinem ad totum*, sed à solâ *Extensione per ordinem ad locum*: Diuisibilitas metaphysica oritur ab *Extensione per ordinem ad totum*.

24 Ad secundum (quatenus dicit Essentiam consistere in eo, quod est prius: *Extensionem* verò *per ordinem ad totum* esse priorem, imò radicem *Extensionis per ordinem ad locum*) negandũ est *Extensionem ad totum*, esse radicẽ *Extensionis ad locũ*; nam *Extensio ad totum*, vt diximus, est communis omnibus entibus materialibus, & in illis omnibus reperitur: at verò *Extensio ad locum*, cõ ita, sed in solâ Quantitate inuenitur.

Instabis: Si Substantia materialis, & aliæ entitates absque Quantitate essent extensæ, sequeretur habere figuram; siquidem hæc resultat ex terminatione Extensionis: hoc autem est falsum; nam figura est proprietas solius Quantitatis. Respondeo Substantiam materialem absque Quantitate habere figuram organicam, non situalem. Huius plena intelligentia dependet ex ijs, quæ dicemus *tract.* sequenti à *n.* 145. agendo de Figurâ. Vide interim quæ diximus in *Phys. tract.* 1. à *n.* 456.

§. 6.

Vtrùm, & quo sensu Essentia Quantitatis consistat in Extensione aptitudinali per ordinem ad spatium?

25 QVinta, & probabilior sententia constituit Essentiam Quantitatis in *radice impenetrabilitatis*, hoc est, *in Extensione aptitudinali per ordinem ad spatium, exclusiua* scilicet *alterius corporis, aut alterius partis eiusdem ab eodem spatio*. In hâc sententiâ effectus formalis Quantitatis est reddere Substantiam aptitudinaliter extensam, hoc est, proximè aptam ad occupandum spatium excludendo ab illo aliud corpus, aut aliam partem eiusdem. Hanc cum pluribus tenent P. Soar. *in Met. d.* 49. *f.* 4. *à n.* 15. & *de Eucharistia d.* 48. *sect.* 1. *vers. Igitur*, Patres Conimbr. *in Logica cap.* 6. *de Quantitate q.* 1. *a.* 2. P. Hurtado *in Met. d.* 13. *n.* 36. P. Valent. 3. *p. d.* 6. *q.* 4. *puncto* 1. P. Vallius *in Logica tom.* 1. *in prædicam. de Quantitate q.* 1. *à cap.* 10. P. Bartholomeus Amicus *in Phys. tract.* 15. *q.* 4. *dub.* 4. P. Tellez *d.* 60. *f.* 3. *n.* 1. P. Compton. *in Met. d.* 9. *f.* 2. *n.* 1.

P. Soar. Patres Conimbr. P. Hurt. P. Valent. P. Vallius P. Amicus P. Tellez P. Cõpto.

26 Et probatur, quia Essentia specifica, & distinctiua cuiusque rei consistit in eo, quod est prius speciale in tali re: at verò *Extensio aptitudinalis excludendo aliud corpus, aut aliam partem eiusdem ab eodem spatio*, est prius speciale in Quantitate. Et confirmatur, quia non apparet aliud prius speciale; nam *Extensio per ordinem ad totum* etiam in alijs entibus materialibus reperitur, vt constat ex proximè dictis *n.* 18.

27 Obijcies primò. Prius est in re id, quod habet in se, quàm quod habet in ordine ad aliud: ergo in Quantitate prius est quod ipsa habet in se, quàm quod habet in ordine ad spatium; ac proinde in eo priori collocanda est Essentia Quantitatis. Respondeo quando res transcendentaliter respicit aliud constitui in se per respectum ad illud: sic potentia constituitur per respectum ad actus, & obiectum; accidens per respectũ ad Substantiã; Materia per respectum ad Formam: at verò Quantitas transcendentaliter respicit vbicationem circumscriptiuam excludendo aliud corpus, aut aliam partem eiusdem ab eodem spatio.

28 Obijcies secundò. *Extensio in ordine ad locum* supponit *Extensionem per ordinem ad totum*, & est posterior illâ: at verò Essentia cuiusque rei consistit in eo, quod est prius in tali re. Respondeo *Extensionem in ordine ad totum* esse priorem genericè, non verò specificè; quo sensu animal in homine est prius genericè, non specificè: nos verò loquimur de Essentiâ specificâ, & distinctiuâ Quantitatis, quâ ipsa distinguitur à cæteris entitatibus materialibus.

29 Obijcies tertiò. Accidens actu existens in subiecto, non illud reddit aptum ad formam, sed potiùs actu habens illam; sed Quantitas actu est in Substantiâ: ergo non illam reddit aptam ad occupandum; imò actu occupantem spatium. Respondeo distinguendo Maiorem: Accidens actu existens in subiecto non illud reddit aptum ad ipsummet accidens, suumque effectum formalem, concedo Maiorem: non illud reddit aptum, & capax alterius formæ, ad quam disponit, nego Maiorem: sic Intellectus reddit Animam actu habentem intellectum, & aptam ad habendam intellectionem: sic etiam Quantitas reddit Substantiam actu habentem Quantitatem, & aptam ad habẽdam Vbicationem Circũscriptiuam, seu Extensionem actualem in ordine ad spatium.

30 Obijcies quartò. Accidens, cuius effectus formalis est reddere subiectum aptum ad aliquam denominationem, non illam præstat per se, sed per formam, ad quam disponit: v. g. Intellectus, cuius effectus formalis est reddere Animam aptam ad intelligendum, non illam reddit actu intelligentem per se, sed per intellectionem, ad quam disponit; at qui Quantitas per se ipsam facit Substantiam actu occupan-

occupantem spatium: ergo eius effectus formalis non est reddere Substantiam aptam ad illud occupandum. Respondeo negando Minorem, nam Quantitas per se ipsam non facit Substantiam actu occupantem spatium, sed per Vbi quantitatiuum, cuius radix, & principium est ipsa Quantitas.

§. 7.

Quo pacto Quantitas à Substantiâ distinguatur?

31 Secunda difficultas: Vtrùm Quantitas distinguatur à Substantiâ corporeâ ex naturâ rei? Distingui solùm per rationem distinctione virtuali opinati sunt veteres Stoici, quos posteà secuti sunt Aureol. Ocham. Gabr. Mayron. Adamus, Albertus de Saxonia, quos citat, non tamen sequitur P. Soar. *in Met. d. 40. s. 2. n. 2.* existimantes Quantitatem molis nihil aliud esse, quàm ipsammet entitatem cuiusque entis corporei, quâtenus secundùm diuersas partes correspondet diuersis partibus spatij: vnde Quantitas, inquiunt, accidentis corporei non distinguitur ab illo: Quantitas Substantiæ corporeæ non distinguitur ab illâ. Probatur primò, quia nulla est necessitas distinguendi Quãtitatem à Substantiâ, vel á Qualitate corporeâ, &c. Secundò, quia si Quantitas distingueretur realiter à Substantiâ corporeâ, hæc posset conseruari sine Quantitate: quod tamen implicat; nam adhuc Substantia haberet suas partes correspondentes diuersis partibus spatij: ergo adhuc esset quanta. In hanc sententiam maximè inclinat P. Arriaga *in Met. d. 5. n. 10.*

Aureol. Ocham. Gabr. Mayron. Adam. Albert. de Saxon.

P. Arriaga D. Thom. P. Aleman. Aristot. Scot. Capreol. Richard. Durand. Heruæus Ægid. Albert. M. Soncin. Henric. P. Suar. P. Vasq. Patres Conimbr. P. Rub. P. Hurt. P. Fonsec. P. Alberti. P. Lugo Araujo P. Amicus P. Tellez P. Ouiedo

32 Nihilominus vera est contraria resolutio asserentium Quantitatem esse accidens ex naturâ rei distinctum á Substantiâ, & alijs qualitatibus. Ita D. Thom. apud P. Aleman. *1. p. Summ. Philosoph. q. 11. a. 2.* vbi probat ex Aristotele *1. Phys. tex. 15.* & *7. Met. tex. 8.* & *3. Met. tex. 17.* Accedunt Scot. Capreol. Richard. Durand. Heruæus, Ægid. Albert. M. Soncin. Henricus, & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *in Met. d. 40. s. 2. n. 7.* & *tom. 3. in 3. p. d. 56. s. 1.* & *2.* P. Vasq. *3. p. d. 194. n. 25.* Patres Conimbr. *1. Physic. cap. 2. q. 2.* & *l. 1. de Gener. c. 4. q. 4. a. 1.* P. Rub. *l. de Quantitate q. vnica n. 250.* P. Hurt. *in Met. d. 13. §. 12.* P. Fonsec. *5. Met. c. 13 q. 2. s. 2.* P. Albertin. *d. 3. de Prædicament. Quãtitatis q. 2. conclus. 2.* Cardinalis Lugo *de Eucharist. d. 9. n. 17.* Araujo *tom. 1. Met. l. 5. q. 3. art. 6.* P. Barthol. Amic. *in Phys. tract. 5. q. 5. dub. 5. art. 4.* P. Tellez *disp. 60. sect. 1. n. 1.* P. Ouied. *in Metaph. controuers. 7. punct. 1.* Hanc sententiam longè probabiliorem dicit P. Thomas Comptonus cit. *sect. 3. num. 2.*

P. Compt.

33 Quod attinet ad distinctionem Quãtitatis ab alijs qualitatibus, & accidentibus materialibus, probatur: quia plura accidentia sunt in eodem loco, nimirum albedo, lux, calor, & grauitas in eâdem parte lapidis: si autẽ hæc accidentia essẽt Quantitates, darentur plures Quantitates in eodem loco; ac proinde penetratio.

34 Quod attinet ad distinctionem Quantitatis á Substantiâ, sic ostenditur. Primò, quia ita se habet Substantia in ratione potentiæ actiuæ, ac in ratione potentiæ passiuæ; atqui non potest agere, nisi mediantibus potentijs accidentalibus realiter distinctis, vt ostendimus in *Anima tract. 2. n. 74.* ergo similiter non poterit recipere actus accidentales, nimirum albedinem, frigus, &c. nisi mediante aliquo principio passiuo accidentali distincto. Secundò, quia datur mutatio ad Quantitatem, de maiore ad minorem, & de minore ad maiorẽ absque vllâ generatione, vt patet in rarefactione: at verò mutatio ad Substantiam est generatio, vt docet Aristoteles *4. Met. tex. 2.* & *5. Met. tex. 8.* ergo ea Quantitas, quæ in rarefactione mutatur, non est Substantia. Tertiò, ex Mysterio Eucharistiæ, vbi videmus Quantitatem existere separatam á Substantiâ: ea verò, quæ possunt existere separata, distinguuntur realiter, vt patet.

Aristot.

35 Respondent Aduersarij in Eucharistiâ non manere Quantitatem panis, sed solam Quantitatem accidentium. Sed contrà primò, quia Concilium Trident. *sess. 13. can. 2.* dicit manere accidentia panis; & vnum illius accidens est Quantitas. Secundò, quia eandem omninò Quantitatem videmus post consecrationem: ergo eadem manet. Tertiò, quia, vt proximè ostendimus, alia accidentia non habent Quantitatem, alioqui non possent esse in eodem loco: ergò Quantitas, quæ in Eucharistiâ manet, est Quantitas Substantiæ.

Concil. Trident.

36 Dicunt, non esse Quantitatem panis, neque hanc manere, sed eius vbicationem. Sed contrà, quia hæc solùm distinguitur modaliter á Substantiâ: ergo non potest existere separata ab illâ. Quod autem vbicatio rei ab illâ distinguatur modaliter, & non realiter, ex professo *tract. de Vbicatione* contra P. Arriagam, & alios ostendemus. Accedit, quòd id, quod manet, non mutatur mutato loco: ergo non est vbicatio Substantiæ, sed eius Quantitas.

37 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit nullam esse necessitatem admittendi distinctionem ex naturâ rei) patet solutio ex dictis. Ad secundum, dico

dico posse Substantiam diuinitùs conseruari separatam à Quantitate. In quo euentu adhuc Substantia retinebit suam Extensionem per ordinem ad totum; non tamen per ordinem ad locum illum replendo, & excludendo aliud corpus ab eodem, quod est proprium, & speciale Quantitatis.

SECTIO II.

De Quantitate Discretâ.

38 QVANTITAS diuiditur in *Discretam*, & *Continuam*. Discreta est illa, *cuius partes nullo communi termino copulantur*: diuiditur in *Numerum*, & *Orationem*. Continua est illa, *cuius partes communi termino copulantur*: subdiuiditur in Successiuam, & Permanentem. Successiua est illa, *cuius partes non existunt totæ simul*. Distribuitur in *Motum*, & *Tempus*. Permanens est illa, *cuius partes existunt totæ simul*: dissecatur in *Lineam*, *Superficiem*, & *Corpus*. Videndum, Vtrùm omnes hæ Species sint veræ Species Quantitatis? Et in hâc Sectione de Quantitate Discretâ, in sequentibus de Continuâ, Successiuâ, & Permanente sermo erit.

§. I.

De Numero.

39 PRima difficultas: Vtrùm Numerus sit vera Species Quantitatis? Affirmare videtur D. Thom. apud P. Aleman. 1. p. *Sum. Philosoph.* q. 11. a. 3. Et certè affirmant Capreol. Soncin. Caiet. Sot. Argent. Scot. Henric. & alij apud P. Soar. vbi inferiùs. Consentiunt P. Rub. *in Log. cap. de Quantitate* q. 8. P. Paulus Vallius ibidem q. 6. P. Tolet. ibidem q. 1. §. *Prima conclusio*, P. Hurt. *in Met. d.* 5. §. 45. P. Compton. cit. *s.* 4. *n.* 9. Probatur primò ex Aristotele *in Prædicam. cap. de Quantitate*, vbi Quantitatem diuidit in Discretam, & Continuam: ergo sentit Discretam, nimirum Numerum, esse veram Speciem Quantitatis. Secundò, quia Numerus est ens per se extensum; æquale, vel inæquale; finitum, vel infinitum; mensurabile; diuisibile: in his autem consistit vera ratio Quantitatis. Tertiò, quia si aliquid obstaret, esset, quia Numerus foret ens per accidens: sed non est ens per accidens. Et hoc ostenditur, tum quia Numerus est obiectum Arithmeticæ; obiectum verò alicuius Scientiæ debet esse vnum per se: tum quia licèt Numerus transcendens, qui scilicet constat rebus diuersi Prædicamenti, sit ens per accidens, tamen Numerus prædicamentalis, qui scilicet constat Quantitatibus, v. g. pluribus punctis, aut pluribus lineis, non videtur esse ens per accidens.

D. Thom. P. Aleman. Capreol. Soncin. Caiet. Sotus Argentin. Scotus Henric. P. Rub. P. Vallius P. Tolet. P. Hurt. P. Compto.

40 Nihilominus vera est contraria resolutio asserentium Numerum non esse veram Speciem Quantitatis. Ita Aristot. *in Met. c.* 19. *tex.* 15. Albert. M. 5. *Met. tract.* 1. *c.* 8. Bassol. *in* 1. *dist.* 24. *q. vnica*, Ocham. ibidem q. 2. Gregor. Ariminens. q. 2. *a.* 2. Marsil. *dist.* 27. *a.* 1. Aureol. apud Capreol. *dist.* 24. *q.* 1. *concl.* 5. Paulus Scriptor, Auerroës, & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *in Met. d.* 41. *s.* 1. P. Fonsec. 5. *Met. c.* 13. *q.* 4. *s.* 4. & *q.* 5. *s.* 2. Patres Conimbr. *cap. de Quantitate* q. 2. *a.* 1. P. Ouiedo *in Met. controuer.* 7. *punct.* 4. *n.* 8. & communiter Recentiores. Probatur primò, quia Numerus non extendit rem; neque enim illam extendit per ordinem ad tempus; nam in eodem instanti possunt esse viginti lineæ: sed neque per ordinem ad locum; nam viginti gradus caloris possunt esse in eodem loco. Secundò, quia Numerus est ens per accidens. Et hoc ostenditur primò, quia Numerus constat entibus completis. Secundò, quia constat partibus nullo nexu physico copulatis; est enim Numerus Quantitas Discreta: hæc autem definitur illa, *cuius partes nullo communi nexu copulantur*; atqui ens, quod ita se habet, non est vnum per se, sed simpliciter plura: ergo est ens per accidens.

Aristot. Albert. M. Bassol. Ocham. Gregor. Marsil. Aureol. Paul. Scriptor Auerroës P. Soar. P. Fonseca. Patres Conimbr. P. Ouiedo

41 Respondent Aduersarij. Numerum materialiter spectatum esse quoddam aggregatum multorum entium: formaliter tamen esse vnum accidens existens in pluribus subiectis. Ista euasio facilè præcluditur. Primò, quia illud accidens superadditum vnitatibus est superfluum; positis enim vnitatibus, & præcisâ per intellectum omni aliâ entitate intelligitur Numerus. Secundò, quia vnum numero accidens intrinsecum, in quo Aduersarij constituunt rationem Numeri, non potest esse in pluribus subiectis. Tertiò, quia si aliquod esset accidens, per quod Numerus redderetur vnus per se, esset vnitas ordinis: atqui hæc non est sufficiens ad constituendum vnum per se; sin minùs exercitus esset vnum per se, quod Aduersarij non admittunt. Adde, quód talis vnitas ordinis est extrinseca, & rationis; ac proinde cōstituere nequit ens prędicamētale. Quartò, quia si talis formalitas satis esset ad reddendum vnum per se Numerum prędicamentalem, etiam sufficeret ad reddendum

vnum per se Numerum transcendentem. Et hoc ostenditur, quia vterque Numerus materialiter est ens per accidens, deinde formalitas est eadem: ergo si in vno sufficit ad inducendam rationem entis per se, etiam sufficiet in alio: atqui Aduersarij dicunt Numerum transcendentem non posse reddi vnum per se: ergo idem dicere tenentur de Numero prædicamentali.

42 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus asserit Quantitatem diuidi in Continuam, & Discretam) respondeo Aristotelem, & D. Thomam non diuidere Quantitatem, vt quid vniuocum in Discretam, & Continuam, sed vt quid analogum propter analogiam attributionis, quam habet Quantitas Discreta ad Continuam ratione extensionis, & aliarum proprietatum, in quibus est illi similis.

43 Ad secundum (quâtenus dicit Numerum esse ens per se extensum, æquale &c.) respondeo non esse vnum ens vnitate per se, sed solâ vnitate per accidens, & rationis, quæ fit per apprehensionem. Sed neque Numerus est ens propriè per se extensum, hoc est, in ordine ad tempus, vel in ordine ad locum, quæ sola Extensio est propria Quantitatis.

44 Ad tertium (quâtenus dicit Numerum esse obiectum Arithmeticæ: & inde infert esse ens per se) respondeo ens per accidens, prout tamen distinguitur à casuali, & solùm opponitur enti vnius essentiæ, benè posse esse obiectum alicuius Scientiæ; vt videre est in Metaphysicâ, quæ habet pro obiecto Ens in communi, & in Musicâ, quæ habet pro obiecto Numerum sonorũ, qui quidem est ens per accidens; nam ex Numero, & Sono non potest coalescere ens per se. Ad id, quod dicitur de Numero prædicamentali, qui scilicet constat tribus punctis, aut tribus lineis, patet solutio ex dictis: quia hæc non vniuntur vnitate per se, neque vnitate simpliciter, sed secundùm quid: simpliciter enim manent plura.

§. 2.

De Oratione.

45 Secunda difficultas: Vtrùm Oratio sit vera Species Quantitatis? Affirmant D. Thom. apud P. Aleman. vbi proximè, Capreol. Soncin. Caiet. Sot. Henric. & alij suprà citati. Primò, quia Aristoteles numerat Orationem inter veras Species Quantitatis. Secundò, quia Oratio videtur habere veram rationem Quantitatis; est enim Oratio ens per se extensũ diuisibile, mensurabile, &c.

D. Thom. P. Alema. Capreol. Soncin. Caiet. Sot. Henric.

46 Sed probabilior est contraria resolutio negatiua. Eam tenent P. Ouiedo cit. n. 9. P. Soar. in *Met.* d. 41. s. 3. Patres Conimbr. P. Fonsec. & alij suprà citati. Probatur, quia Oratio est ens per accidens. Et hoc ostenditur, tum quia est Quantitas Discreta: omnis autem Quantitas Discreta, cùm cõstet partibus nullo nexu copulatis, est ens per accidens: tum quia in Oratione reperiuntur quinque: primũ, *sonus*: secundum, *motus*, quo sonus producitur: tertiũ, *tempus*, quo durat: quartum, *ordo syllabarum*: quintum, totius Orationis *significatio*: quæ omnia simul sumpta non possunt constituere vnum ens per se, vt est manifestum. Si autem sumantur singillatim, aut non sunt entia prædicamentalia: aut ad alia Prædicamenta spectant, vt discurrenti per singula facilè constabit. Ex dictis pro resolutione prioris Difficultatis patet responsio ad ea, quæ contra hanc pro parte contrariâ obijciuntur.

P. Ouiedo. P. Soar. Patres Conimbr. P. Fons.

SECTIO III.

De Quantitate Continuâ Successiuâ.

47 Quantitas Continua Successiua, vt diximus, amplectitur Motum, & Tempus. De vtroque hoc loco nobis videndum est, Vtrùm sint veræ Species Quantitatis?

§. 1.

De Motu.

48 Prima difficultas: Vtrùm Motus sit vera Species Quantitatis? Non est sermo de Motu instantaneo; neque enim hic dicitur vulgariter Motus, sed Mutatio: solùm loquimur de Motu Successiuo, cuius nimirum partes non fluunt totæ simul, sed vna post aliam. Motus ergo successiuus potest quinque modis considerari: primo, prout egreditur ab agente: secundo, prout recipitur in patiente: tertio, prout est via ad terminum: quarto, sub successione, quâ vna eius pars fluit post aliam: quinto, sub continuatione, quâ eius partes successiuè continuantur. Motus primo modo consideratus spectat ad Prædicamentum Actionis: secundo modo spectat ad Prædicamentum Passionis: tertio modo est ens incompletum constituens vnum per se

cum

cum suo termino, & spectat ad idem Prædicamentum, quò ille. Quarto, & quinto modo dicitur Quantitas Continua: Quantitas, ratione successionis, quæ est quædam extensio: Continua, ratione continuationis, quâ eius partes successiuæ continuantur.

Iandun. Bassol. albert. M. Auerroës Scotus Patres Conimbr. P. Fonsec. P. Molin. P. Gil P. Amicus P. Tellez.

49 Tota modò difficultas est: Vtrùm prædictus Motus sit vera Species Quantitatis? Affirmant Iandun. Bassol. Albertus, Auerroës, Scotus, & alij ex antiquis, quos citant, & sequuntur Patres Conimbricenses 3. *Physicor. cap.* 2. *q.* 2. *a.* 3. P. Fonsec. 5. *Metaph. cap.* 12. *q.* 8. *sect.* 3. P. Molina 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *disp.* 3. *§.* 4. P. Gil. *lib.* 2. *de Attrib. tract.* 10. *c.* 4. *num.* 3. P. Barthol. Amic. *in Physic. tract.* 23. *q.* 1 *dub.* 1. P. Tellez *disp.* 60. *sect.* 2. *n.* 1. Probatur, quia Motus localis est ens per se successiuum, hoc est, suàpte naturâ fluxum, ac fugax, vt ostendimus *in Physic. tract.* 4. *num.* 124. at verò ens per se successiuum est per se extensum; successio enim est quoddam genus extensionis: omne autem ens per se extensum habet veram rationem Quantitatis; definitur enim Quantitas *Ens per se extensum.*

Soncin. Capreol. Gregor. P. Soar. P. Ouiedo P. Tolet. P. Rub. Louaniens. P. Pereira

50 Nihilominus probabilior est contraria resolutio negatiua, quam tenent Soncin. 5. *Metaph. q* 24. Capreolus, Gregor. & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *in Metaph. d.* 40. *sect.* 8. *num.* 3. P. Ouiedo *in Metaph. controuers.* 7. *puncto* 4. *num.* 3. P. Tolet. 3. *Physic. cap.* 3. *q.* 1. P. Rubius *in Logic. cap. de Quantitate q.* 7. *à num.* 233. vbi citat Iauell. Caietan. & alios. Accedunt Louanienses. 3. *Physicorum q.* 3. *numero* 17. P. Pereira *lib.* 13. *cap.* 1. Et probatur primò; quia Quantitas est ens per se extensum: at verò Motus successiuus non est per se extensus; nam successio non est extensa per se, sed ratione termini, cuius partes, nimirum Vbicationes, sunt incompatibiles. Secundò; quia licèt partes Motûs sint inter se impenetrabiles, non sunt impenetrabiles cum partibus alterius Motûs, vt patet quando duo Accidentia, quæ sunt in eodem loco, nimirum albedo, & frigus simul mouentur; licèt enim vna pars Motûs albedinis sit impenetrabilis cum aliâ parte eiusdem Motûs, est simul cum parte Motûs frigoris: at verò Impenetrabilitas, quæ est propria Quantitatis, non solùm excludit aliam partem eiusdem corporis, sed quamlibet alterius. Et confirmatur, quia ex hoc titulo partes Vbicationis non sunt Quantitas; quia nimirum, licèt vna excludat aliam eiusdem Vbicationis, non excludit aliam cuiuslibet alterius Vbicationis, vt visitur quando duo Accidentia, nimirum albedo, & frigus sunt in eodem loco. De Motu diximus plura *in Physic. toto tract.* 3.

51 Ad fundamentum opinionis contrariæ, concedo Motum localem esse per se successiuum; at dico non esse Quantitatem, quia huiusmodi successio non est extensa per se, sed ratione termini, nimirum Vbicationis, cuius partes sunt incompatibiles totæ simul.

§. 2.

De Tempore.

52 Secunda difficultas: Vtrùm Tempus sit vera Species Quantitatis? Non loquimur de Tempore, prout coincidit cum Duratione, & definitur *Permansio rei in sua existentia;* sic enim spectat ad Prædicamentum Durationis, de quo suo in loco *tract.* 7. Loquimur hîc de Tempore, prout est numerus motûs, & mensurat durationem: sic numerus motûs horologij mensurat meum studium; & integra circulatio Stellarum fixarum mensurat durationem vnius diei, & vigesima quarta pars eiusdem circulationis mensurat durationem vnius horæ. Quæritur ergo, Vtrùm Tempus, prout est numerus motûs, & mensurat durationem, illamque extendit, sit vera Species Quantitatis?

D. Thom. P. Aleman. P. Fonseca P. Molin. P. Rub. Patres Conimbr. Flandr. P. Amicus P. Vallius P. Tellez.

53 Affirmant D. Thom. apud P. Aleman. 1. *p. Sum. Philosoph. q.* 11. *a.* 3. P. Fonsec. 5. *Metaph. cap.* 13. *q.* 10. P. Molin. 1. *p. q.* 10. *art.* 1. *d.* 3. *§. Quatenus*, P. Rub. *in Logic. cap. de Quantitate q.* 5. *num* 7. Patres Conimbricens. 3. *Physic. cap.* 2. *q.* 8. *art.* 3 Flandria *cap de Quantitat. q.* 14. *art.* 11. P. Barthol. Amicus *in Physic. tract.* 2. *q.* 1. *dub.* 1. P. Vallius *in Log. Prædicam. de Quantit.* & alij, quos citat, & sequitur P. Tellez proxime *num.* 13. Probatur; quia Tempus est ens per se successiuum, suàpte naturâ fluxum, ac fugax, vt ostendimus in *Physic. tract.* 4. *n.* 124. ergo est per se extensum; ac proinde habet veram rationem Quantitatis. De Tempore diximus plura *in Phys. tr.* 5. *à n.* 120.

Caiet. Soncin. P. Soar. P. Vasq. P. Ouiedo P. Pereira P. Hurt. P. Gil. Araujo P. Compton.

54 Sed probabilior est resolutio negatiua, quam cum Caietan. & Soncin. tenent P. Soar. *in Metaph. disp.* 40. *sect.* 9. *num.* 8. P. Vasquez 1. *p. disp.* 34. *num.* 11. P. Ouied. citat. *in Metaph. controuers.* 7. *puncto* 4. *num.* 4. P. Pereira *lib.* 12. *cap.* 1. P. Hurtad. *in Metaph. disp.* 13. *n.* 43. P. Gil. *lib.* 2. *tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 3. Araujo *in Metaph. lib.* 5. *q.* 4. *a.* 1. *num.* 54. P. Compton. cit. *sect.* 4. *num* 8. Et probatur primò, quia, vt dixi, successio solùm est extensa ratione termini. Secundò, quia partes temporalium penetrantur in eodem tempore, & omnes sunt in eâdem horâ.

Ad fundamentum opinionis contrariæ pa-

tet solutio ex dictis. Dicendum enim est Tempus esse per se successiuum; successionem tamen non esse extensam per se, sed ratione termini: item eius partes solùm esse impenetrabiles inter se, non tamen cum alio successiuo, vt visitur in temporalibus cum Tempore, & inter se.

SECTIO IV.

De Quantitate Permanente.

55 DIXIMVS Quantitatem Permanentem diuidi in Lineam, Superficiem, & Corpus. Nonnulli etiam inter illius Species adnumerant Locum, & Pondus. Diximus deinde *in Phys. tract. 4. num.* 147. Lineam non distingui á Corpore à parte rei, sed esse ipsummet Corpus consideratum penes longitudinem, præscindendo à latitudine, & profunditate: similiter Superficiem esse ipsummet Corpus consideratum penes longitudinem, & latitudinem præscindendo à profunditate: Corpus veró esse Quantitatem adæquatè sumptam secundùm omnes tres dimensiones. Videndum primò, Vtrùm hæ tres partes sint veræ Species Quantitatis prædicamentales? Secundó, idem examen erit de Loco, & Pondere.

§. I.

De Lineâ, Superficie, & Corpore.

56 PRima difficultas: Vtrùm Linea, Superficies, & Corpus sint veræ Species Quantitatis? Et in primis certum est Corpus esse veram Speciem Quantitatis. De Lineâ, & Superficie est maius dubium. Negant Ochamus, & alij Nominales, quos sequũtur P. Hurtad. *in Met. d.* 13. §. 48. & plures Recentiores. Probatur primò, quia Linea, & Superficies componunt Corpus, non minùs quã Materia, & Forma componunt Compositum physicum: at verò Materia, & Forma sunt entia incompleta: ergo idem dicẽdum de Lineâ, & Superficie. Vnde patet non esse Species prædicamentales; hæ enim debent esse entia completa: patet etiam non conuenire vniuocè cum Corpore, quia partes non conueniunt vniuocè cum Toto.

Ocham.
P. Hurt.

57 Huic argumento responderi solet communiter Lineam, & Superficiem solùm componere Corpus quâtenus indiuisibiles, non quâtenus diuisibiles; vnde solùm esse incompletas quâtenus indiuisibiles: quod non tollit quominùs, quâtenus diuisibiles, sint completæ. Sed contrá, quia vt aliquid sit incompletum, non est necesse quód ordinetur ad componendum secundùm omnes formalitates: sic Materia, Forma, & Vnio non ordinantur ad componendum secundùm præcisam rationem Substantiæ: nec inhærentia secundùm præcisam rationem Accidentis. Itaque vt aliqua entitas sit incompleta, satis est quód ordinetur ad componendum secundùm aliquam rationẽ, seu formalitatem: & ita se habent Linea, & Superficies; ordinantur enim ad componendum Corpus quâtenus indiuisibiles.

58 Et confirmatur, quia aliás sequitur Lineam esse compositum per accidens ex diuisibilitate, quæ est ens completum, & ex indiuisibilitate; nullum enim ens completum, qualis est Linea quâtenus diuisibilis, facit vnum per se cum alio etiam incompleto, qualis est entitas indiuisibilis ipsius Lineæ.

59 Secundò probatur eadem resolutio, quia Linea, & Superficies Materiæ non constituunt Species distinctas ab ipsâ Materiâ; sin minùs darentur tres Species Materiæ primæ: ergo neque Linea, & Superficies Quantitatis constituunt Species distinctas á Corpore.

60 Tertiò probatur stando principijs meæ doctrinæ: nam in meâ doctrinâ Linea, & Superficies nihil aliud sunt, quàm ipsum Corpus inadæquatè sumptum: sunt ergo entia incompleta. Quartò, quia aut sunt modi, aut realitates: si modi, omnis modus faciens vnum per se cum suâ realitate est ens incompletum: si realitates, nullum ens singulare completum ordinatur ad integritatem, & constitutionem alterius entis per se. Quintò, quia Species Qualitatis non possunt distingui virtualiter: ergo neque Species Quantitatis. Sextò, quia alioquì Continuum tale non esset; siquidem constaret partibus diuersæ rationis. Septimó addi potest, quòd Linea, & Superficies non sunt veræ Quantitates; siquidem non sunt impenetrabiles, imò possunt esse in eodem loco, vt patet quando Cylindrus superimponitur plano, & vnum planum superimponitur alteri; tunc enim Linea Cylindri est in eodem loco cum Lineâ plani, & Superficies vnius plani est in eodem loco cum Superficie alterius.

(·?)

Conclu-

§. 2.

Concluditur esse veras Species Quantitatis.

61 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Lineam, & Superficiem esse veras Species Quantitatis, inter se, & à Corpore contradiuisas. Ita P. Soar. *in Metaph. disp. 40. sect. 4. num. 5.* Patres Conimbricens. *in Logica q. 2. de Quantitate*, P. Fonsec. *5. Metaphys. capite 13. q. 2. sect. 4.* P. Cabeus *lib. 4. Meteor. tex. 9. q. 9.* P. Ouiedo *in Metaph. controuersia 7. puncto 3. num. 2.* P. Albertinus *in Prædicamento Quantitatis q. 3. numero 3. & q. 7. numero 22.* P. Rubius *cap. de Quantitate, q. 4.* P. Paulus Vallius ibidem *q. 3. cap. 5.* P. Tellez *disp. 60. sect. 1. num. 7.* Et hæc est sententia D. Thomæ *in Opusculo cap. 36.* & eius Scholę, cui subscribit Araujo *5. Metaph. q. 3. art. 5. à num. 4.* Non omnes eodem modo hanc Conclusionem probant. Ego eius institutum sic conficio.

P. Soar. Patres Conimbr. P. Fonsec. P. Cabeus P. Ouiedo P. Alberti. P. Rub. P. Valle P. Tellez D. Thom. Araujo

62 Dico primò. Linea, & Superficies sunt veræ Quantitates. Probatur; quia Linea est per se extensa secundùm longitudinem, & Superficies est per se extensa secundùm longitudinem, & latitudinem: Quantitas verò est ens per se extensum. Neque obstat quòd quâtenus indiuisibiles non resistant penetrationi; nam satis est quòd illi resistant quâtenus diuisibiles.

63 Dico secundò. Linea, & Superficies differunt specie inter se, & à Corpore. Probatur, quia habent distinctas, & peculiares proprietates, quas considerant, ac demonstrant Geometræ, penes earum diuersas dimensiones, prout videre est apud Aristotelem *1. de Cælo cap. 1.* Ptolemæum *lib. de Dimensionibus*, & apud P. Clauium *in sua Sphæra cap. 1.* & apud P. Soar. cit. *n. 5.*

Aristot. Ptolemæus P. Clauius P. Soar.

64 Dico tertiò. Linea, & Superficies sunt entia completa. Est cōtra P. Thom. Comptonum *in Phys. d. 44. & 45. & in Metaph. disp. 9. sect. 4. num. 10.* Probatur tamen, quia Linea, etsi quâtenus indiuisibilis componat Superficiem, quâtenus diuisibilis, hoc est, secundùm longitudinem non illam componit: similiter Superficies solùm componit Corpus quâtenus indiuisibilis, non quâtenus diuisibilis. Itaque Linea, & Superficies quâtenus diuisibiles non veniunt in compositionem cum alio: ergo sunt entia completa.

P. Cōpto.

65 Objicies. Linea (& idem dicendum de Superficie) componit formaliter quâtenus indiuisibilis: ergo identicè etiam quâtenus diuisibilis; nam entitas Lineæ est eadem quâtenus diuisibilis, & indiuisibilis. Respondeo entitatem esse eandem, at denominationes, & formalitates esse diuersas; nam quâtenus diuisibilis connotat non-repugnantiam vt diuidatur, idque penes hanc, vel penes illam dimensionem: quâtenus verò indiuisibilis connotat repugnantiam vt diuidatur, quæ duę sunt distinctæ à parte rei.

66 Dices: Linea quâtenus indiuisibilis est ens incompletum; siquidem venit in compositionem cum Superficie: ergo etiam quâtenus diuisibilis erit ens incompletum; nam eadem entitas non potest simul esse completa, & incompleta. Respondeo id verum esse de eâdem entitate sub eâdem denominatione, & formalitate, non verò sub diuersâ. Sic in opinione P. Soares citat. *numero 8.* & aliorum plurium (quam nos *tractat. 6.* examinabimus) eadem entitas Actionis, quâ via ad terminum, est ens incompletum, & quâ Actio est ens completum.

67 Instabis, id solùm esse verum respectu diuersorum: in nostrâ autem sententiâ Lineam respectu eiusdem Superficiei esse ens completum, & incompletum. Respondeo parum referre esse respectu eiusdem, dummodò id præstet sub formalitatibus diuersis. Et rem confirmo, quia non repugnat respectu eiusdem sub vnâ formalitate esse diuisibilem, ac sub aliâ indiuisibilem; sub vnâ componere, & sub aliâ non componere: ergo neque sub vnâ esse completam, & sub aliâ incompletam: maximè, quia denominatio completæ, & incompletæ desumitur ab eo, quòd componat, & non componat.

68 Vrgebis, non assignaturum me entitatem, quę respectu eiusdem simul sit completa, & incompleta. Respondeo in primis, non esse opus exemplis, cùm ratio suppetit. Deinde assigno exemplum in eâdem Actione; nam, quâtenus via, cum eodem termino componit, & quâtenus Actio cum eodem termino non componit. Dices, sed id esse sub diuerso respectu, & formalitate. Respondeo etiam Lineam sub diuerso respectu, & formalitate, nempe prout respicit diuisibilitatem, & indiuisibilitatem, componere Superficiem, & non componere. Prætereà in opinione, quę non distinguit vnionē à generatione passiuâ, generatio passiua quâtenus vnio est ens incompletum, & quâtenus causalitas est ens completum: item in opinione, quæ non distinguit relationem à fundamento, Anima separata, quâ Substantia,

est ens incompletum, & quà separata, pro relatione separationis est ens completum, quia hæc relatio non ordinatur ad compositionem cùm aliâ.

69 Replicabis: Linea, & Superficies terminatiuæ sunt termini, & complementum, nempe Linea est terminus, & complementum Superficiei; Superficies est terminus, & complementum Corporis: ergo sunt entia incompleta; nam terminus, & complementum est ens incompletum, vt visitur in Subsistentiâ, & inhærentiâ. Quòd si sermo sit de Lineâ, & Superficie copulatiuâ, hæ sunt vniones: omnis autem vnio est ens incompletum. Respondeo Lineam, & Superficiem solùm esse terminum, & solùm esse vnionem quá indiuisibiles: non quá diuisibiles.

70 Dico quartó. Linea, & Superficies sunt veræ Species Quantitatis prædicamentales. Hoc erat nostræ resolutionis institutum: & euidenter sequitur ex dictis. Nam Linea, & Superficies sunt veræ Quantitates, vt constat ex dictis in primâ Conclusione; deinde inter se, & á Corpore differunt specie, vt constat ex dictis in secundâ Conclusione; tandem sunt entia completa, vt liquet ex dictis in tertiâ Conclusione: ergo sunt veræ Species Quantitatis prædicamentales. Et confirmatur, quia aliás Prædicamentũ Quantitatis esset vna Species infima; constaret enim solo Corpore: Prædicamentum autem est, *Alicuius Generis summi realis, & eorum quæ sub ipso sunt naturalis dispositio.* Neque dicas, Quantitatem esse Genus ad naturalem, & supernaturalem: nam in primis Architas, Aristoteles, & alij prisci Philosophi, qui Prædicamentum Quantitatis constituerunt, Quantitatem supernaturalem minimè agnouère. Deinde ex inferiùs dicendis constabit non videri admittendã Quantitatem supernaturalem.

§. 3.

Priora duo argumenta soluta.

71 NEque fundamenta opinionis cõtrariæ oppositum suadent. Ad primum (quâtenus dicit Lineam componere Superficiem, & Superficiem componere Corpus) rectè ibi occurritur, vt patet ex dictis, solùm componere quâtenus indiuisibiles, non verò quâtenus diuisibiles.

72 Neque obstat prima instantia (quâtenus dicit, vt Linea sit incompleta satis esse, quód secundùm vnam formalitatem ordinetur ad componendum, neque requiri quòd ordinetur secundùm omnes, vt patet in Materiâ, Formâ, & Vnione; non enim ordinantur secundùm præcisam rationem Substantiæ). Non, inquam, hoc obstat, nam id solùm verum habet quando virtualitates non distinguuntur á parte rei; tunc enim non potest vna formaliter componere, quin alia identicè cõponat; nam quidquid intrinsecè conuenit vni, conuenit etiam alij indistinctò á parte rei: vnde fit, quòd tota Materia, tota Forma, & tota Vnio componant á parte rei. Secùs dicendum quando denominationes, ac formalitates sunt distinctæ à parte rei, quo pacto se habent in Lineâ diuisibilitas, & indiuisibilitas; nam diuisibilitas, vt dixi, innuit non-repugnantiam vt diuidatur, indiuisibilitas verò repugnantiam; huiusmodi verò repugnantia, & non-repugnantia distinguuntur à parte rei: vnde fit, quód Linea potest formaliter componere sub formalitate, & denominatione *indiuisibilis*, quin identicè componat sub formalitate, & denominatione *diuisibilis*.

73 Non etiam obstat secunda instantia (quâtenus dicit sequi ex nostrâ doctrinâ Lineam esse compositum per accidens ex diuisibilitate, quæ est ens cõmpletum, & ex indiuisibilitate; nullum enim ens completum venit in compositionem per se cum alio ente reali, etiam incompleto). Non, inquam, hoc obstat, quia aut loquimur de Lineâ quòad entitatem; & hæc in Lineâ est eadem, siue sumatur, prout subest formalitati, & denominationi *indiuisibilis*, siue *diuisibilis*: aut loquimur de Lineâ quòad formalitates; & sic dico has denominationes, & formalitates non componere vnum inter se, sed habere se, sicut in eâdem entitate habent se denominationes Actionis, & Passionis, quæ non componunt vnum per se; & sicut in eâdem, denominationes Existẽtiæ, & Durationis; itẽ denominationes Vbicationis, & Sitûs, quæ non componunt vnum per se. Instabis: Linea quà indiuisibilis facit vnũ per se cum Superficie diuisibili: ergo á fortiori secum faciet vnum per se. Respondeo hæc omnia esse vera quòad entitates, non quòad denominationes.

74 Ad secundum fundamentum (quâtenus dicit Lineam, & Superficiem Materiæ primæ non constituere cum ipsâ Materiâ tres Species distinctas, alioqui darẽtur tres Species Materiæ primæ: ergo neque Lineam, & Superficiem Quantitatis constituere cum Corpore tres Species Quantitatis distinctas) respondeo solùm Lineam, Superficiem, & Corpus Quantitatis ratione Impenetrabilitatis, quam habent, quâtenus sunt diuisibilia, sortiri proprietates distinctas, quas, vt dixi, considerant, & demonstrant Geometræ, vt videre

Ptolem. est apud Ptolemæum *lib. de Dimensionibus*, & P.Soar. apud P. Soar. cit. *num.* 51 fine.

§. 4.

Soluitur tertium argumentum: & explicatur quomodò Linea, & Superficies componant Corpus.

75 Ad tertium (quâtenus asserit stando principijs meæ doctrinæ Lineam, & Superficiem nihil aliud esse, quàm Corpus inadæquatè sumptum) respondeo esse Corpus inadæquatè sumptum, sed sub diuersis denominationibus, & formalitatibus completis, quæ scilicet non veniunt in compositionem quâtenus diuisibiles.

76 Dices: Re verâ Linea, & Superficies, quâtenus diuisibiles componunt Corpus. Et hoc ostenditur, quia Corpus includit essentialiter trinam dimensionem, quæ doctrina, præterquàm quòd sit Aristotelis 1. *de Cælo cap.* 1. (Arist.) probatur ratione, quia Corpus, non potest intelligi cum solâ profunditate; nam profunditas sine longitudine, & latitudine nihil aliud est, quàm vna dimensio, hoc est, Linea; nam Linea est *Quantitas vnius dimensionis*. Et declaratur, quia profunditas hoc modo spectata nihil aliud est, quàm longitudo deorsum inclinata. Non potest autem Corpus intelligi includere tres dimensiones, nisi includendo tres longitudines, alteram à puncto ad punctum, & hæc est Linea, quæ definitur *Quantitas vnius dimensionis*: alteram versùs latera, quæ simul cũ primâ constituit Superficiem, & definitur *Quantitas bine dimensionis*: alteram versùs profundum, quæ simul cum alijs duabus constituit Corpus, quod definitur *Quantitas trinæ dimensionis*. Confirmatur efficaciter primò, quia superfluus est in Corpore omnis alia longitudo, & latitudo præter illas, quæ præstantur à Lineâ, & Superficie. Secundò, quia illis positis simul cũ profunditate intelligitur Corpus. Probo hoc, quia intelligitur Quantitas trinæ dimensionis.

77 Respondeo Corpus quidem includere tres dimensiones, sicut Superficies includit duas, & Linea vnam. Dico tamen Corpus illas habere ex se, & non accipere à Superficie, nec Superficiem suas accipere à Lineâ. Corpus, inquam, habet suas dimensiones ex se, quia solùm concipitur terminari Superficie: supponitur ergo ad terminum, & prius illo intelligitur: in eo autem priori, quo terminum antecedit, iam concipitur cum suâ essentiâ, quę consistit in trinâ dimentione. Similiter dicendum de Superficie, nam hæc solùm terminatur Lineâ: in eo autem priori, quo terminum antecedit; (prius enim est rem esse, quàm terminari, vt visitur in Naturâ, quę prius est, quàm terminetur Subsistentiâ) in eo, inquam, priori, quo Superficies antecedit suum terminum, nimirum Lineam, iam intelligitur cum suâ essentiâ, nempe cũ binâ dimensione.

78 Et confirmatur, quia in contrariâ sententiâ Corpus concipitur constare solis Lineis in diuersa transuersis, quod est falsum. Nam qui concipit Superficiem, non concipit plures Lineas in diuersa transuersas, sed vnam Quantitatem longam, & latam non constantem Lineis, sed illis terminatam. Et declaratur, quia ista Quantitas longa, & lata non constans Lineis, sed illis tantùm terminata datur à parte rei: ergo ita potest concipi. Antecedens ostēditur, quia Superficies à parte rei est quoddam Continuum longum, & latum; atqui Continuum non constat partibus actu distinctis, vt probauimus *in Phys. tr.* 4. *n.* 15. ergo neque Lineis. Similiter dicendum de Corpore; quia qui concipit Corpus, re verâ non concipit plures Lineas in diuersa transuersas; sed vnam Quantitatem longam, latam, & profundam non constantem Superficiebus, sed illis terminatam.

79 Neque obstat prima confirmatio (quâtenus dicit superfluam esse in Corpore, omnē aliam longitudinem, & latitudinem præter illas, quæ præstantur à Lineâ, & Superficie) negandum enim est esse superfluam, nam longitudo, & latitudo Lineæ, ac Superficiei concipiuntur habere diuersum munus à longitudine, & latitudine Corporis, cùm hæ concipiantur componere Corpus vt partes, illæ verò solùm terminare.

80 Non obstat secunda confirmatio (quâtenus asserit, quód positâ longitudine Lineæ, & latitudine Superficiei simul cum profunditate intelligitur Corpus): non enim intelligitur illis positis in ratione terminorum, sed solùm illis positis in ratione partium. Imò longitudo Lineæ, & latitudo Superficiei nō possūt intelligi poni in ratione termini, quin supponant longitudinem, & latitudinem Corporis in ratione partium; nam hæ debent esse, & intelligi priores termino, illique præsupponi, & adæquari.

§. 5.

Alia argumenta soluta.

81 Ad quartum fundamentum (quâtenus dicit Lineam, & Superficiem aut esse modos, & sic esse entia incom-

incompleta, quia omnis modus faciens vnum per se cum suâ realitate, est ens incompletum: aut esse realitates; & sic etiam esse entia incompleta; quia nulla realitas completa ordinatur ad integritatem alterius: Linea verò, & Superficies ordinantur ad integritatem Corporis) respondeo cum D. Thom. Scoto, & alijs communiter Lineam, & Superficiem cōcipi vt realitates: deinde dico non ordinari ad integritatem, & constitutionem Corporis quâtenus diuisibiles, sed solùm quâtenus indiuisibiles, vt constat ex dictis.

D. Thom. Scotus

82 Ad quintum (quâtenus dicit non admitti plures Species Qualitatis virtualiter distinctas ergo neque plures Species Quantitatis; tales autē sunt Linea, Superficies, & Corpus in meâ sententiâ, quæ non admittit Indiuisibilia realiter distincta, sed solùm distincta per imaginationem Mathematicorum, & eorum conceptus præcisiuos, vt patet ex dictis *in Physic. tr. 4 n. 147.*) respondeo non admitti Species Qualitatis virtualiter distinctas, quia nulla apparet Qualitas, quæ habeat diuersos effectus formales totales, penes quos possit distingui virtualiter, & spectare ad Species diuersas: at verò eadem Quantitas á parte rei habet dimensiones primarias diuersas, penès quas potest distingui virtualiter, & spectare ad Species diuersas secūdùm diuersas proprietates, quæ conueniunt earum diuersis dimēsionibus, prout considerantur á Geometris.

83 Ad sextum (quâtenus asserit sequi ex nostrâ sententiâ Continuum, qualis est Quantitas, non constare partibus eiusdem rationis; sed partibus Corporis, Linearum, ac Superficierum; quę sunt specie diuersæ) respondeo Quantitatem esse physicè continuam: Lineas, Superficies, & Corpus sunt Species Logicæ, ac Metaphysicæ, vt latè probauimus *in Physic. tr. 4 n. 147.*

84 Ad septimum (quâtenus dicit Lineam, & Superficiem non videri veras Quantitates; siquidem non sunt impenetrabiles, sed vna Linea potest esse simul cum aliâ in eodem loco, & vna Superficies simul cum aliâ) respondeo Lineam, & Superficiem esse impenetrabiles, quâtenus diuisibiles, non verò quâtenus indiuisibiles. Quando Cylindrus superimponitur plano, & vnum planum superimponitur alteri, Linea Cylindri solùm quâtenus indiuisibilis superimponitur, & accommodatur Lineę plani; & hinc est, quòd concipiantur esse in eodem loco: aliter dicendum si vna Linea secundùm suam longitudinem adiungeretur alteri, ita vt eius punctum terminatiuum adiungeretur puncto terminatiuo alterius, hoc est cauda vnius caudæ alterius; tūc enim non essent in eodem loco, sed alium lōgiorem occuparent. Et idem dicendum de superficie vnius plani superimpositâ Superficiei alterius; si enim accommodentur quâtenus indiuisibiles, hoc est, penes profunditatem, concipiuntur esse in eodem loco: secus dicendum, si accommodentur latus lateri; tunc enim non possunt cum fundamento in re concipi esse in eodem loco, sed alium magis latum, aut longum occupabunt.

§. 6.

Vtrùm possibilis sit Quantitas supernaturalis?

85 QVæres, Vtrùm sit possibilis Quantitas supernaturalis? hanc enim quęstionem tetigimus, *n.* 70. & eius resolutionem in hunc locum reseruauimus. Plures Recentiores admittunt Quātitatem supernaturalem. Primò, quia in eâ nulla apparet implicatio. Secundò, quia possibiles sunt Qualitates corporeæ supernaturales, vt patet in Dotibus corporis gloriosi: ergo etiam possibilis erit Quantitas, quæ inseruiat ad recipiendas tales Qualitates, v. g. lucē, & similes. Tertiò, quia possibilis est Vbicatio corporea supernaturalis, vt patet in Vbicatione Eucharisticâ: cur non etiam Quātitas supernaturalis? Quartò, quia in omnibus alijs Prædicamentis accidentalibus reperitur ratio supernaturalis; datur enim Qualitas supernaturalis, Relatio supernaturalis, Actio, & Passio supernaturalis, Situs, & Vbicatio supernaturalis; Duratio, & Habitus supernaturalis: ergo etiam Quantitas supernaturalis.

86 His non obstantibus probabilius videtur repugnare Quantitatem supernaturalē. Ita P. Granad. 1. 2. *controuers. 8. de Gratia tract. 4. d. 8. s. 3.* Id probat ex eo, quòd Quantitas sit proprietas Materiæ: nō est autē possibilis Materia supernaturalis: ergo neque Quantitas; nam quando est impossibilis Natura, etiam est impossibilis eius proprietas. Hæc ratio non omnibus placet; plures enim cum P. Soar. *in Met. d. 34. s. 5. à n. 51. & de Incarnat. d. 14. s. 3. §. Secundò ergo*, Cardinali Lugo *de Incarnat. d. 12. s. 7 n. 94.* P. Vasquez, & alijs existimant possibilem esse Subsistentiam supernaturalem, & talem dicunt esse illam, quam haberet Formâ materialis conseruata diuinitùs extra Materiam. Itaque possibilis est Subsistentia supernaturalis, cùm tamen sit proprietas Substantiæ naturalis; non enim est possibilis Substantia supernaturalis, vt suo loco ostendimus. Neque obstat quòd Subsistētia sit proprietas Substantiæ

P. Granad.

P. Soar. P. Lugo P. Vasq.

stantiæ: nam id solùm verum est de Subsistentiâ naturali, non de Subsistentiâ supernaturali: & similiter dicendum de Quantitate respectu Materiæ.

87 Quare aliter ego probo non esse admittendam Quantitatem supernaturalem: non enim videtur excogitabilis Quantitas, quæ non debeatur alicui Materiæ, quocunque enim modo excogitetur talis Quantitas, excogitari poterit Materia proportionata tali Quantitati, cui nimirum talis Quantitas sit connaturalis: at verò non est possibilis Materia supernaturalis; diceret enim ordinem ad Formam supernaturalem, & Forma supernaturalis ad illam: at verò non est possibilis Forma supernaturalis, vt constat ex dictis *tract. 1. n. 473.*

88 Dices: Modus Eucharisticus est Quantitas: & est supernaturalis, vt constat ex dictis *tract. 1. n. 556.* Respondeo nostrâ quæstionem procedere de Quantitate reali, qualis non est ille Modus Quantitatis Eucharisticæ.

89 Neque fundamenta opinionis contrariæ oppositum suadent. Ad primum (quâtenus dicit nullam apparere repugnantiam in Quantitate supernaturali) respondeo repugnantiam patere ex dictis; non enim videtur excogitabilis Quantitas habens effectum formalem, cui non videatur excogitabilis Materia proportionata: & tamen talis Materia non est supernaturalis: ergo neque talis Quantitas.

90 Ad secundum (quâtenus asserit possibilem esse Quantitatem corpoream supernaturalem, vt plures existimant de luce, & communiter dicitur de Dotibus corporum gloriosorum: ergo similiter possibilem esse Quantitatem supernaturalem) respondeo illas Qualitates habere effectus formales indebitos corporibus, & supra illorum debitum, & exigentiam: at verò Quantitatem non posse habere effectum formalem, qui ipsi Quantitati sit cõnaturalis, & non Corpori, seu Materiæ; eodẽ enim modo, quo Quantitas videtur excogitabilis, videtur etiam excogitabilis Materia illi proportionata.

91 Ad tertium (quâtenus dicit possibilem esse Vbicationem corpoream supernaturalem: ergo etiam Quantitatem supernaturalem) respondeo Vbicationem corpoream posse habere effectum formalem supra omne debitum, & exigentiam corporis, constituendo illud indiuisibiliter, quod est supra naturam corporis diuisibilis: at veró in Quantitate nullus videtur excogitabilis effectus ipsi Quantitati connaturalis, non veró Materiæ, qui tamen, vt dixi, non est possibilis supernaturalis.

92 Ad quartum (quâtenus ait in omnibus alijs Prædicamentis accidentalibus reperiri entia supernaturalia) respondeo dari quidem Relationes supernaturales: tales sunt illæ, quas habet vnum ens supernaturale ad aliud, nimirum Gratia ad Gloriam: & omnes aliæ, quæ resultant ex fundamento supernaturali. Dixi *ex fundamento*, quia non sufficit habere terminum supernaturalem, sicut, vt cognitio sit supernaturalis, non sufficit habere obiectum supernaturale, prout *tract. 4. de Anima n. 364.* declarauimus: vnde non est supernaturalis Relatio diuersitatis, quam habet albedo ad Gratiam.

93 Quod attinet ad Actionem, & Passionem, etiam admitti debent Actiones, & Passiones supernaturales: & talis est illa, quâ producitur, & recipitur Gratia Sanctificans in Animâ. De Vbicatione diximus posse esse supernaturalem: & similiter dicendum de Situ: & talis videtur esse Vbicatio, & Situs, quem habent Qualitates corporeæ supernaturales. Idem dicendum de Duratione talium Qualitatum, aliorumque entium supernaturalium. Idem de Habitu: & talis videtur ille, qui respectu corporis Christi Domini resultat ex accidentibus Sacræ Eucharistiæ posito eorum Modo supernaturali.

94 Vtrùm autem possit dari negatio supernaturalis? Respondeo affirmatiuè cum P. Ripalda *de Ente supernatur. d. 70. n. 46.* Et talis videtur esse illa, quæ in aliquo subiecto negat formam illi debitam stando ordine Naturæ, impeditam supernaturaliter; quo pacto se habet in humanitate Christi Domini negatio propriæ Subsistentiæ, & in accidentibus Eucharisticis negatio inhærentiæ. Itaque hæc omnia sunt supernaturalia, quia habent effectus formales supernaturales: sola Quantitas non potest esse supernaturalis, quia non est excogitabilis effectus formalis proportionatus alicui Quantitati excogitabili, cui similiter non sit proportionata aliqua Materia similiter excogitabilis. P. Ripalda

§. 7.

Vtrùm Linea, Superficies, & Corpus, quæ considerantur á Mathematicis, sint hæ veræ Species Quantitatis: an potiùs aliæ fictæ, ac chimericæ?

95 QVæres, Vtrùm Lineæ, & Superficies, quæ considerantur à Mathematicis, sint

sint hæ veræ Species Quantitatis: an potiùs aliæ imaginariæ, solùm fictæ per rationem, ac chimæricæ? Disputo hanc quæstionem, quia nonnulli Recentiores professione Zenonistæ, qui Quantitatem componunt ex solis Indiuisibilibus, oppressi nostris Demonstrationibus Mathematicis, quas *in Physica tractat. 4. à n. 77.* contra eorum sententiam confecimus, vt aliquod sibi effugium moliantur, illud astruunt, asseruntque eas Demonstrationes solùm habere locum in Lineis, ac Indiuisibilibus Mathematicis, non autem in Physicis. Et vt in hoc asylo, quod sibi facere existimant, aliquâ veritatis specie se tueantur, confugiunt ad id, quòd Quantitas Mathematica sit valde diuersa á Quantitate Physicâ,

96 Idque primó: quia Quantitas Physica, & Quantitas Mathematica diuerso modo abstrahunt á Materiâ sensibili; nam Physica solùm abstrahit à Materiâ singulari: Mathematica etiam á communi, non quidem re, sed ratione. Vnde, inquiunt, non considerat Quantitatem imperfectam, prout scilicet est in Materiâ, qualem sola Physica considerat, sed omninó perfectam, & exactam, omnibus, vt aiūt, numeris absolutam, quo pacto solùm est accōmodata ad suas dimensiones infallibiles.

97 Secundò id probant, quia Mathematica est diuersa Scientia á Physicâ: ergo debet considerare diuersum obiectum; ac proinde non hanc Philosophicam Quantitatem, sed aliam valde diuersam.

Tertió rem explicant exemplo radiorum lucis, qui á Perspectiuis considerantur: nam alij sunt radij lucis, quos Perspectiui considerant; alij valde diuersi, quos Physica contemplatur; hæc enim considerat lucem, vt Qualitatem continuam vndequaque sine intermissione dispersam vniformiter difformiter; ac proinde non discretam in Lineas: at verò Perspectiua, seu Optica lucem contemplatur à puncto luminosi prodeuntem veluti per radios centro protentosos, & inter se discretos.

98 Quartò adferunt aliud exemplum Linearum, quas Mathematici in Cælo imaginantur; summâ enim subtilitate, inquiunt, plures Lineas in Cælis fingunt, plures Circulos ducunt quoquouersùs, plures Zonas partiuntur: quæ neque ab ipsis Mathematicis putantur esse vera. Et his duobus vltimis exemplis concludunt prædicti Recentiores Zenonistæ Lineas Mathematicorum non esse veras Lineas, neque dari in verâ Quantitate, sed esse purè imaginarias, omninò fictas per intellectum, mera figmenta, & entia rationis, prorsus chimerica.

99 Sanè poterant pro hâc suâ sententiâ allegare plures Doctores, quos *in Physic. tract. 4. n. 135.* allegauimus pro illâ, nimirum Durandum, Maiorem, Gabrielem, Ochamum, & alios Nominales. Quibus accedunt P. Pereira *in sua Philos. lib. 10, cap. 5.* P. Albertin. *disp. 3. de Quantitate q. 7. à conclusione 1.* P. Rub. *6. Phys. tr. de Composit. Continui q. 1. dub. 2. §. Secundum igitur,* P. Tanner. *tom. 1. d. 2. q. 4. n. 23.* Et, quod huic sententiæ excellentius, & gloriosius est, D. Gregorius Nazianzenus *orat. 2. de Theologia* post medium, vbi describens elegantissimè aranearum telas, earumque fila, ac veluti lineas ductas subtilissimè, sic concludit: *Quis Euclides hoc artificium imitando expresserit, de Lineis pertractans nusquam extantibus, atque in Demonstrationibus anxio labore desudans?*

Durand. *Maior* *Gabriel* *P. Pereira* *P. Alberti.* *P. Rub.* *P. Tanner.* *D. Gregor. Nazianz.*

100 Ex hoc iacto Principio colligunt, ac deducunt Aduersarij, cum quibus disputo, aliud valde mirabilius, &, vt ingenuè fatear, mihi nouum, nimirum in verâ, ac Philosophicâ Quantitate non esse Puncta, nec Lineas, aut Superficies ordinatas, sed catenatim, & perturbato ordine, *ad eum modum*, inquiunt, *quo arena apparet in aliquo aceruo, & sicut apparent atomi ad lucem Solis*. Et hoc sic probant, quia nulla datur maior ratio, vt Lineæ in verâ Quantitate sint potiùs rectæ, quàm curuæ, aut partim rectæ, & partim curuæ; præsertim, quia hoc ad nullum Naturæ commodum potest esse necessarium: vnde inferunt, cùm tales Linearū positiones, quæ scilicet modó rectæ sint, modò curuæ, modó circulares, modó diametrales, &c. solùm necessariæ sint ad Mathematicas dimensiones, à solis ipsis Mathematicis fuisse inuentas. His ita constitutis dicunt prædicti Recentiores nostras Demonstrationes petitas ab Euclide, quas *in Physica tract. 4. à n. 77.* contra Zenonistas, & eorum pura Indiuisibilia confecimus, solùm habere locum in Quantitate Mathematicâ, non in Physicâ: & sic putant effugisse á nostris telis, suis confisi: & rem sibi esse saluam, & in tuto, gratulantur.

§. 8.

Quæstionis resolutio.

101 EGo in primis dico nostras Demonstrationes loco cit. confectas habere eandem vim in Quantitate Physicâ, ac in Quantitate Mathematicâ, prout loco cit. *in Phys. tract. 4. n. 79. & n. 81.* & sequentibus ostendo. Quod á fortiori pleniùs constabit ex dicendis; ostendam enim statim Quantitatem Mathematicam esse eandem in entitate, ac Physicam, & solùm differre penes diuersas abstractiones á Materiâ sensibili.

Dico

102 Dico secundò. Indiuisibilia, quæ Mathematici considerant, non sunt entia rationis, aut chimærica, sed sunt vera, ac realia; licèt distincta per rationem, quod non repugnat: sicut gradus metaphysici non sunt entia rationis, sed entitates veræ, & reales, licèt virtualiter distinctæ: & sicut Attributa Diuina sunt vera, & realia entia, licèt distincta per rationem. Hoc ex professo ostendimus *in Phys.* dicto *tract. 4. à n. 136.* cum Aristotele, D. Thom. Caiet. Capreolo, Soto, Soncin. Alexandro de Ales, Scoto, & alijs. Quibus accessêre Patres Conimbr. 6. *Physic. cap. 2. q. 2. art. 2.* P. Soar. *in Met. d. 40. s. 5.* P. Arriag. *in Phys. d. 16. s. 7.* P. Ouiedo *in Phys. controuers. 17. puncto 2.* P. Cabeus *lib. 4. Meteor. text. 9. q. 8. 4.* *Dicendum primò.*

Aristot. D. Thom. Caiet. Capreol. Sotus Soncinas Alensis Scotus Patres Conimbr. P. Soar. P. Arriaga P. Ouiedo P. Cabeus Aristot. Euclides

103 Probatur ex contactu globi in plano, qui non potest fieri nisi in puncto, vt demonstrant Philosophi cum Aristotele 1. *de anima cap. 1.* & Mathematici cum Euclide *lib. 3. propos. 16.* ergo datur talis punctus à parte rei; sin minùs huiusmodi contactus realis fieret in solo ente rationis, quod est ridiculum. Et quod attinet ad Lineam, conuincitur ex reali contactu Cylindri, qui non potest tangere planum nisi in Lineâ: quod attinet ad Superficiem, probatur ex contactu plani in plano, qui non potest fieri nisi in Superficie: ergo hæc sunt vera, & realia entia à parte rei. Quæ omnia longiùs, & pleniùs prosecuti fuimus loco cit. *in Physic.*

104 Dico tertiò: Linea, & Superficies, quæ considerantur à Mathematicis, sunt quòad entitatem hæ eædem Lineæ, ac Superficies reales, quæ considerantur à Physicis, licèt diuerso modo spectatæ: nam Physicus illas considerat in Materiâ sensibili communi, solùm prout abstrahunt à singulari: Mathematicus verò in se, prout abstrahunt ab omni Materiâ sensibili, tum singulari, tum communi. Hæc est expressa sententia Aristotelis *6. Met. text. 2.* & D. Thom. *Opuscul. 70. q. 5. a. 1.* & apud P. Aleman. *1. p. Sum. Philos. q. 34. a. 2.* Quibus communiter subscribunt Doctores, quos citant, & sequuntur Patres Conimbr. *in Log. ad lib. Poster. cap. 23. q. 1.* P. Barthol. Amicus *lib. de Poster. tract. 27. d. 3. q. 3. a. 2.* Cursus Complutens. cum alijs Thomistis *in Log. d. 19. q. 4. n. 47.* P. Tellez *in Log. d. 18. s. 4. n. 11.* Vnde patet quid sit Quantitas Physica, & quid Quantitas Mathematica. Itaque Quantitas Physica est, quæ spectatur in Materiâ sensibili; ac proinde secundùm effectum formalem, quem præstat in illâ, prout abstrahit à Materiâ singulari: Quantitas Mathematica nullo modo spectatur in Materiâ sensibili, sed ab omni abstrahit non solùm communi, sed etiam singulari; & consequenter non consideratur secundùm effectum formalem, quem præstat in illâ, sed in ordine ad suas proprietates, hoc est, dimensiones &c. Et hoc est primum fundamentum nostræ resolutionis, quia scilicet Quantitas Physica, & Quantitas Mathematica sunt eadẽ entitas, & solùm distinguuntur penes diuersas abstractiones à Materiâ sensibili.

Aristot. D. Thom. P. Aleman. Patres Conimbr. P. Amicus Cursus Complut. P. Tellez

105 Secundò probatur, quia Mathematicus considerat punctum, in quo globus tangit planum, vt videtur cit. loco Euclidis *lib. 3. propos.* 16. Item considerat Lineam, in quâ Cylindrus tangit planum: necnon Superficiẽ, in quâ vnum planum aliud tangit: hæc autem Indiuisibilia, præterquamquòd sunt realia, vt proximâ Conclusione ostendimus, sunt eadem ipsa, quibus Quantitas Physica constat, & quæ in illâ à Physico spectantur, ac reperiuntur.

Euclides

106 Tertiò, quia Geometra agit de veris dimensionibus (aliàs esset chimæricus, vtpote totus occupatus in angulis, triangulis, & quadrangulis chimericis, & impossibilibus); veræ autem dimensiones veris Lineis competunt; neque enim veræ, ac reales proprietates possunt competere nisi entibus veris. Non autem sunt aliæ veræ Lineæ, nisi quæ in Quantitate Philosophicâ reperiuntur; aliàs hæ veræ Lineæ, & veræ Quantitates, si non collocantur in Prædicamento Quantitatis, dicant recentiores Philosophi in quonam Prædicamento collocantur?

107 Dico quartò. In Quantitate tum Physicâ, tum Mathematicâ (sunt enim eadem entitas, vt patet ex dictis) non existunt actu puncta, aut Lineæ rectæ, vel curuæ, sed solùm potentiâ. Hæc resolutio constat ex dictis *in Physic. tractat. 4. à num. 15.* vbi ostendimus in Quantitate non esse partes actu distinctas, sed solâ potentiâ. Et idem de Indiuisibilibus tradidimus *n. 145.* Non, inquam, actu sunt huiusmodi Lineæ rectæ, aut curuæ, quia non sunt actu distinctæ, vt constat ex dictis loco cit. sed actu sunt vnum Continuum; sunt tamen potentiâ, quia possunt diuidi, & tunc tales erunt, hoc est, rectæ, vel curuæ, quales diuidantur.

108 Vnde patet quàm non rectè sentiant Aduersarij de Lineis curuis, quas dicunt esse in suâ Quantitate, vbi asserunt omnes esse tortas, & curuas. Non video quid eas in plano torserit: torsêre ipsi: & malum, quo eorum torquentur ingenia, conantur excutere in miseras. Nec satis finxisse tortas, sed confusas, perturbato ordine, *Vt arena*, inquiunt, *in aceruo*, seu, *vt atomi ad lucem Solis*: rectiùs dixissent, *Vt*

militas

similes palantes in extremi, nihilo velliter fugiunt. Dicunt ipsam Quantitatem Physicam solùm esse veram, Mathematicam omninò fictam: nos Mathematicam veram, & illam omninò fictã ostendimus.

109 Sed iam ad eorum fundamenta. Ad primum (quâtenus dicit Quantitatem Physicam esse valdè diuersam à Quantitate Mathematicâ, quia diuerso modo abstrahunt à Materiâ sensibili) concedo esse diuersas pro diuersâ abstractione à Materiâ: id tamen non tollere esse omninò eandem entitatem veram, ac realem; & solùm differre quòad diuersas abstractiones. Ad secundum (quâtenus asserit Physicam, & Mathematicam esse diuersas Scientias, ac proinde contemplari oportere diuersa obiecta) respondeo diuersis contemplari verùm id stare posse cum eâdem Quantitate sub diuersis abstractionibus.

110 Ad tertium de radijs luminosis, qui diuersè considerantur à Physicâ, diuersè à Perspectiuâ: respondeo patere solutionem ex dictis. Nam Perspectiua similiter considerat radios lucis, prout abstrahunt ab omni Materiâ sensibili; Physica non ita: & inde prouenit earum diuersitas. Ad quartum de Lineis, quas in Cælo Mathematici imaginantur: respondeo eas omnes dari in Cælo, non actu distinctas, sed potentiâ. Ad illud D. Gregorij Nazianzeni (quâtenus dicit Euclidem tractare de Lineis nunquam extantibus) respondeo primò nusquam extare actu distinctas, sed potentiâ. Respondeo secundò Geometram, sicut & alij Mathematici, cùm agant de Quantitate, prout præscindit ab omni Materiâ sensibili, agere de illâ prout præscindit à conditionibus existentiæ. Et sic prædictum testimonium explicuimus *in Phys. tract. 4. n. 144.*

§. 9.

De Loco, & Pondere.

111 Secunda difficultas: Vtrùm Locus, & Pondus sint veræ Species Quantitatis? Quod attinet ad locum, tria in illo possunt considerari: primum, priuatio illa, seu vacuitas, quam corpus locatum replet, & occupat mole suâ: secundum est præsentia, quam corpus ipsum habet in tali spatio: tertium est superficies vltima corporis continentis locatum. Duo priora non spectant ad Quantitatem; nam vacuitas illa, quæ corpore repletur, est quædam negatio: præsentia spectat ad Prædicamentum Vbicationis: de quo *tract. 7.*

112 De superficie est aliqualis controuersia. Et pro parte affirmatiuâ facit primò, quod Aristotel. *4. Physic. cap. 4.* concludit hanc superficiem esse verum, ac realem locum: deinde numerando Species Quantitatis Continuæ inter illas constituit Locum. Secundò, quia superficies potest considerari dupliciter: primò per respectum ad suum Corpus, quod terminat intrinsecè; & hoc modo videtur esse secunda Species Quantitatis: potest secundò considerari per ordinem ad aliud corpus extrinsecum, cuius locum circumscribit, & mensurat: sub hâc consideratione dicitur Locus, & videtur constituere quartam Speciẽ Quantitatis. Et confirmatur primò, quia eadem entitas Actionis considerata sic, vel sic sub diuersis respectibus recipit formalitates, & denominationes diuersas: ergo idem dicendum de superficie. Secundò, quia non apparet aliud Prædicamentum ad quod spectet huiusmodi denominatio corporis locantis ad locatum. Et certè P. Comptonus cit. *sect. 4. n. 8.* asserit superficiem hoc tertio modo consideratam esse quidem Quantitatem, non tamen constituere nouam Speciem Quantitatis, sed transcendere omnes res materiales. Aristot. P. Compt.

113 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium superficiem, seu locum hoc modo spectatum non esse veram Quantitatem. Ita Aristotel. *5. Met. cap. 13.* & alij communiter, quos citant, & sequuntur P. Soar. *in Met. disp. 40. sect. 7. n. 16.* P. Fonseca *5. Metaph. cap. 13. q. 7. sect. 2.* Patres Conimbr. *q. 2 de Quantitate a. 2.* P. Hurt. *in Met. disp. 13. §.* 43. Et probatur, quia prædictus locus, prout distinguitur à superficie, non est specialis extensio: ergo non est specialis Quantitas. Antecedens ostenditur, quia in primis non est specialis extensio corporis locantis, ac circumscribentis; in ordine enim ad illud est ipsamet superficies, vt in ratione factâ pro parte contrariâ conceditur: deinde non est specialis extensio respectu corporis locati, ac circumscripti. Et hoc ostenditur, primò, quia non illud extendit, sed supponit extensum. Secundò, quia denominatio, quam illi tribuit, videtur coincidere cum denominatione Habitûs. Aristot. P. Soar. P. Fonsec. Patres Conimbr. P. Hurt.

114 Ad primum petitum ex testimonio Aristotelis, respondeo Philosophum ibi numerasse Species Quantitatis latè sumpto vocabulo Quantitatis, prout hæc amplectitur omnes Quantitates proprias, & improprias: postea *5. Metaph. cap. 14.* vbi examinauit veram rationem Quantitatis, Locum ab illâ exclusit.

115 Ad secundum patet solutio ex dictis. Dicendum enim est superficiem locantem consideratam, vt formam extrinsecã Corporis locati non esse extensionem, aut Quantitatem

-titatem illius, sed illud supponere extensum. Ad primam confirmationem respondeo, superficiem locantem posse quidem per ordinē ad extrinsecum spectare ad aliud Prædicamentum, nimirum ad Prædicamentum Habitûs, de quo suo in loco. Ex quo patet responsio ad secundam confirmationem.

Archit. Simplic. D. Aug. Aristot.

116 Quod attinet ad Pondus, Architas, Simplic. & alij, necnon D. August. *lib. 10. Confessionum cap. 8.* imò & Aristotel. *4. Physicor. cap. 4.* illud inter veras Species Quantitatis adnumerarunt.

D. Thom. Patres Conimbr.

117 Dicendum tamen cum ipso Aristotele, D. Thom. & cōmuni Philosophorum, quos citant, & sequuntur Patres Conimbric. *q. 2. de Quantitate a. 2. 4. Pondus*, illud non esse verā Quātitatem. Probatur vno verbo, quia Pondus nihil aliud est, quàm grauitas, corpus deorsum impellens; grauitas autem sicut, & leuitas spectant ad Prædicamentum Qualitatis. Et confirmatur primò, quia Pondus, seu grauitas coincidit cum tali mistura quatuor primarum Qualitatum, prout ostendimus *tract. de Gener. tal. num 434.* Secundò, quia in eâdem Quantitate palmari potest dari maius, & minus pōdus; magis enim ponderat Quantitas palmaris ferrea, aut plumbea, quàm lignea, aut stupea: sola autem Qualitas, & non Quantitas est capax intensionis, & suscipit magis, & minus. Neque obstat auctoritas illorum Philosophorū, quos pro contrariâ parte retulimus: videntur enim loqui aut de Quātitate impropriâ, dictâ *quanta* per analogiam, & similitudinē ad propriam: aut, vt potiùs reor, de Pondere materialiter spectato pro fundamento illius, & pro re, quæ ponderat, quæ est Quantitas.

DISPVTATIO II.

De Impenetrabilitate.

AMPLEXA Sectiones tres. Prima explicat, Quid sit Impenetrabilitas? Secunda, Quâ virtute possint duæ Quantitates penetrari? Tertia, Quomodò fiat penetratio?

SECTIO I.

Quid sit Impenetrabilitas?

118 RELICTIS alijs proprietatibus Quantitatis, de quibus satis *in Logica tract. 5. num. 69.* agendum hoc loco est de Impenetrabilitate. Duplex est: altera positiua, & radicalis: altera negatiua, & formalis. Prima nihil aliud est, quàm ipsa Quantitas postulans non penetrari, hoc est, excludere aliud corpus, aut aliam partem eiusdem ab eodem spatio: secunda, est negatio penetrabilitatis (est autem penetrabilitas, connaturalis capacitas existendi simul cum alio corpore, aut cum aliâ parte eiusdem in eodem spatio): hæc secunda Impenetrabilitas fundatur in primâ, & est ab eâ inseparabilis ratione formæ negatæ, quæ non potest aduenire Quantitati vtpotè destructiua eius essentiæ. Præter Impenetrabilitatem datur in Quantitate alia negatio penetrationis: hæc differt ab Impenetrabilitate, quia Impenetrabilitas negat penetrationem sumptam per modum potentiæ: Impenetratio negat penetrationem sumptam per modum actûs.

§. 1.

Vtrùm Impenetratio sit aliquid positiuum: an negatiuum?

119 PRima difficultas est: Quid sit, & in quo consistat Impenetratio actualis? Et in primis suppono Quantitatem non esse formaliter se ipsâ impenetratam; sin minùs non posset diuinitùs penetrari; quod tamen dici non potest, vt ex inferiùs dicendis constabit. Suppono secundò, Quantitatem non esse formaliter impenetratā

per aliquem influxum, quo ipsa Quantitas effectiuè expellat aliam ab eodem spatio: tum quia Quantitas non est actiua: tum, quia dato, quòd talis esset, adhuc non explicaretur terminus illius actionis.

120 Suppono tertiò, Quātitatem nō esse formaliter impenetratam per aliquam qualitatem, aut modum distinctum ab ipsâ Quantitate, aut Vbi Circunscriptiuo. Primó, quia nulla est necessitas admittendi illam nouam entitatem, vt ex dicendis fiet manifestum. Secundò, quia talis qualitas, seu modus esset proprietas Quantitatis, quâ quidem priuarentur corpora gloriosa: hæc autem non amittunt proprietates sibi connaturales, vt communiter docent Theologi *tract. de Beatitud.* His positis,

121 Celebris est opinio asserentium Quantitatem reddi formaliter impenetratam per suum Vbi Circunscriptiuum. Ita Scot. *in 4. dist. 49. q. 16.* Argent. ibidem *q. 1. a. 4.* P. Soar. *tom. 3. in 3. p. d. 48. sect. 1. §. Differunt autem,* & *§. Argumenta ergo,* & *d. 52. s. 2. §. Dicendum,* Patres Conimbr. *q. 1. de Quantitate a. 3.* in fine, & plures Recentiores. Probatur primò, quia per id redditur Quātitas formaliter impenetrata, per quod formaliter occupat locum: at verò illum formaliter occupat per Vbi Circunscriptiuum. Secundò, quia si Quantitas ponatur in loco definitiuè, non excludet aliud corpus: ergo illud excludit per Vbi Circunscriptiuum. Antecedens ostenditur in Quantitate Christi Domini existentis in Sacrâ Eucharistiâ, quæ non excludit ab eodē loco Quantitatē panis, & vini. Tertió, quia Vbi Circunscriptiuum Quantitatis differt essentialiter ab Vbi Circunscriptiuo Materiæ: non apparet autem per quid differat, nisi quia Vbi Circunscriptiuum Quantitatis expellit aliud corpus, Vbi verò Materiæ minimè.

Scotus. Argent. P. Soar. Patres Conimbr.

122 Nihilominus dicendum videtur Quātitatem reddi formaliter impenetratam per solam negationem penetrationis, quam naturâ suâ postulat. Ita Cardinalis Lugo *de Sacramento Eucharistiæ d. 5. n. 10.* P. Hurt. *in Met. d. 13. §. 38.* P. Albertin. *in Prædicament. Quantitatis d. 3. num. 14.* Et id docuerant Patres Conimbric. *4. Physicor. cap. 5. q. 4. art. 2.* Accedunt P. Arriaga *in Physic. d. 14. n. 119.* P. Tellez *disp. 60. sect. 4. n. 3.* Probatur primó, quia ita se habent duo cōtraria ad idem subiectum, sicut duo corpora ad eundem locum; sed illa expellunt se formaliter ab eodem subiecto per quandam negationem, quæ vocatur incōpatibilitas: ergo hæc expellent se ab eodem loco per quandam negationem, quæ vocatur Impenetratio. Dices, Contraria se formaliter expellere per intensionem. Sed contra, quia intensiones possunt diuinitus esse simul, v.g. summus calor, & summum frigus: ergo non se expellunt formaliter; nam quod est formaliter tale, nunquam diuinitus potest fieri non tale.

P. Lugo. P. Hurt. P. Alberti. Patres Conimbr. P. Arriaga. P. Tellez.

123 Secundò probatur, quia Quantitas sufficienter intelligitur impenetrata per negationē penetrationis: ergo superflua est omnis alia forma positiua. Antecedens ostēditur, quia Intellectus creatus sufficienter intelligitur formaliter incapax videndi Deum per incapacitatē, seu negationem capacitatis; similiter Anima Rationalis sufficienter intelligitur formaliter incapax Gratiæ, aut alterius doni supernaturalis per negationem capacitatis: ergo etiam Quantitas sufficienter intelligitur formaliter impenetrata per Impenetrationem, seu negationem penetrationis.

124 Tertió, & efficaciter, quia non redditur formaliter impenetrata per Vbi Circunscriptiuum, non apparet aliud: ergo per negationem penetrationis. Maior ostenditur, quia persistente eâdem Quantitate, & eodem Vbi Circunscriptiuo, potest tolli Impenetratio, & dari penetratio, si Deus collocet aliud corpus in eodē loco: ergo neque Quantitas, neq; Vbi est formaliter se ipso Impenetratio; sin minùs id, quod se ipso est formaliter tale, posset fieri non tale. Quartò, quia Impenetratio potest tolli nullo sublato positiuo, vt ex inferiùs dicendis constabit: ergo consistit in solo negatiuo.

§. 2.

Argumenta soluta.

125 OBijcies primò. Substantia non est independens à subiecto inhæsionis per negationem: ergo neque Quantitas erit impenetrata per negationem, sed aliquam formam positiuam. Huic argumento satisfecimus *tractat. 1. numero 388.* vbi diximus ea, quæ fundant negationem logicam, denominari negatiuè talia per suam essentiam; sic *Irrationale* tale est per suam essentiam, *Incorporeum* tale per suam: cùm igitur independentia à subiecto inhæsionis sit negatio logica, vt loco citato ostendimus, per suam essentiam denominatur independēs: Impenetratio verò est negatio physica. Responderi potest secundó, independentiam Substantiæ idem esse, atque existentiam per se, quæ cùm sit effectus formalis positiuus, debet prouenire ab aliquâ formâ positiuâ; non apparet alia, distincta ab essentiâ Substantiæ: at verò Impenetratio est effectus negatiuus, qui proinde prouenire debet à negatione, vt est manifestum.

Obij-

126 Obijcies secundò. Formalis ratio Indiuidui non consistit in negatione diuisibilitatis, sed in entitate positiuâ, nimirum in Differentiâ, quæ repugnat diuisioni: ergo similiter Impenetratio non consistet in negatione, sed in Vbi, quod repugnat penetrationi. Huic argumento eadem applicanda est solutio: nam negatio diuisibilitatis, quæ fundatur in Indiuiduo, est logica, & diuinitùs inseparabilis: ea veró, quæ fundant negationem logicam, denominantur negatiué talia per suam essentiam, vt patet in *Irrationali, Incorporeo, &c.*

127 Obijcies tertió. Impenetratio est quædam capacitas, seu potentia ad resistendum penetrationi; sed huiusmodi potentia non potest intelligi consistere nisi in aliquo positiuo: ergo &c. Respondetur Impenetrationem non esse potentiam ad resistendum; id soli conuenit Impenetrabilitati: sed neque Impenetrabilitas est potentia ad resistendum positiuè per aliquem influxum, sed solùm negatiuè.

128 Obijcies quartò. Natura, v. g. humanitas, est incommunicabilis alteri Supposito; non per negationem, sed per formam positiuam, nimirum per Subsistentiam: ergo similiter Quantitas erit impenetrata per Vbi Circunscriptiuum, & non per penetrationem. Respondeo, negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia incommunicabilitas alteri Supposito est effectus secundarius proueniens à primario, nempe ab vltimo termino, & complemento; quiquidem est positiuus, vnde debet præstari ab aliquâ entitate positiuâ: at veró Impenetratio est effectus primarius negatiuus, qui proinde prouenire debet à negatione.

129 Neque alia fundamenta opinionis contrariæ oppositum suadent. Ad primum (quâtenus dicit per id reddi Quantitatem formaliter impenetratam, per quod formaliter occupat locum) respondeo id esse falsum; nam occupare locum, & esse impenetratam sunt duo effectus formales valde diuersi, quorum primus potest esse sine secundo; vnde requirunt causas formales diuersas: primus præstatur ab Vbi Circunscriptiuo; secundus, ab Impenetratione, seu negatione penetrationis.

130 Ad secundum (quâtenus dicit, quòd si Quantitas ponatur in loco definitiuè, non excluderet aliud corpus; & inde infert illud formaliter excludere per Vbi Circunscriptiuum) concedo Quantitatem positam in loco definitiuè non excludere aliud corpus; inde tamen non sequitur Impenetrationem consistere formaliter in Vbi Circunscriptiuo: nam etiam Quantitas definitiuè posita in loco non grauitat; & tamen inde non sequitur grauitatem, seu pondus consistere in Vbi Circunscriptiuo. Est igitur Vbi Circunscriptiuum conditio, sine quâ non Impenetratio proximè debetur Quantitati, sicut etiam est conditio, sine quâ non ponderatio, seu grauitatio eidem Quantitati proximè debetur.

131 Ad tertium (quâtenus dicit Vbi Quantitatis, & Vbi Materiæ in eo distingui; quòd Vbi Quantitatis formaliter se ipso reddit impenetrabile: non ita Vbi Materiæ) respondeo Vbi Quantitatis, & Vbi Materiæ in eo distingui essentialiter, quòd Vbi Quantitatis occupat locum postulando proximè Impenetrationem: Vbi veró Materiæ, minimè. Vnde patet non negare me Impenetrationem prouenire ab Vbi Quantitatis, tanquam á conditione, sine quâ non proximè debetur Quantitati: dico tamen non consistere formaliter in ipso Vbi, ad eum modum, quo de actione creatiuâ Formæ materialis extra Materiam diximus esse conditionem, sine quâ non datur formalis independentia in Formâ: non tamen esse ipsam formalem independentiam; hæc enim consistit in negatione, vt ostendimus *tract. 1. n. 380.*

§. 3.

In quo immediatè fundetur Impenetratio?

132 SEcunda difficultas: In quo immediatè fundetur Impenetratio, seu negatio penetrationis? Recentiores communiter dicunt fundari immediaté in Vbi Circunscriptiuo. Et ita sentire videntur Patres Conimbricens. *q. 1. de Quantitate art. 3. §. Respondetur*, P. Soar. *tom. 3. in 3. p. disput. 48. sect. 1. §. Differunt*, & §. *Nihilominus*, Scotus in *4. dist. 49. q. 16.* Et certè ita sentit P. Tellez *disput. 64. sect. 4. num. 9.* Probatur primò, quia Impenetratio debet immediatè fundari in eo, per quod Quantitas occupat locum resistendo penetrationi: sed hoc præstatur per Vbi Circunscriptiuum. Quod vel inde probatur, quia secluso Vbi Circunscriptiuo tollitur resistentia. Secundó, quia si Impenetratio immediatè fundaretur in essentiâ Quantitatis, non posset ab illâ tolli diuinitùs; nam negationes, quæ immediatè fundantur in essentiâ alicuius rei, non possunt ab illâ tolli, vt patet in negatione lapidis, quæ immediaté fundatur in essentiâ Socratis, & in negatione

Patres Conimbr.
P. Soar.
Scotus

Rationalis, quæ immediatè fundatur in essentiâ bruti.

133 Probabilius tamen dicendum Impenetrationem actualem immediatè fundari in Quantitate extensâ per Vbi. Ita P. Arriaga *in Physic. disp. 14. num. 119.* P. Comptonus cit. *sect. 2. num. 5.* Probatur primò, quia omnis priuatio habet pro immediato subiecto illud ipsum, quod recipit formam negatam, vt discurrenti per omnes priuationes facilè constabit: atqui non Vbi, sed Quantitas per illud extensa, est quæ recipit formam negatam, nimirum penetrationem. Hæc Minor ostenditur, quia Vbi non est Quantitas: solæ autem Quantitates penetrantur. Non nego Vbicationes Circumscriptiuas Quantitatum, quæ penetrantur, simul existere in eodem loco; sed dico tales Vbicationes non penetrari; non enim quorumlibet duorum existentia in eodem loco dicitur penetratio; sin minùs penetraremur cum Deo, qui est in eodem loco nobiscum; & Quantitas penetraretur cum Substantiâ corporeâ, cum quâ est in eodem loco: solæ igitur Quantitates existentes in eodem loco dicuntur penetrari.

P. Arriaga
P. Compto.

134 Probatur secundò, quia negatio frigoris in aquâ calidâ non subiectatur immediatè in calore, sed in aquâ, licèt ratione caloris adueniat aquæ: ergo etiam negatio penetrationis non subiectabitur immediatè in Vbi Circumscriptiuo, sed in Quantitate, licèt ratione Vbi Circumscriptiui adueniat Quantitati.

135 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit Impenetrationē debere immediatè fundari in eo, per quod Quantitas occupat locum) respondeo debere immediatè fundari non in eo, per quod occupat locum, sed in eo, per quod recipit penetrationem, & ab illâ denominatur Impenetrata. Verum quidem est, quòd Vbi Circumscriptiuū sit conditio, vt in Quantitate detur Impenetratio: inde tamen nō sequitur Impenetrationem debere in eo fūdari immediatè; nam etiā Vnitas præcisionis est conditio, sine quâ non datur Aptitudo Vniuersalis, & tamen hæc non fundatur immediatè in tali Vnitate præcisionis, sed in naturâ illam habente: item calor est conditio, sine quâ nōn datur in aquâ negatio frigoris, & tamen hæc fundatur immediatè in ipsâ aquâ, & non in calore.

136 Ad secundum (quatenus asserit, si Impenetratio immediatè fundaretur in essentiâ Quantitatis, sequi non potuisse ab eâ auelli) respondeo adhuc posse; multæ enim dantur negationes, quæ immediatè fundantur in essētijs, & tamen possunt tolli ab illis. Nam si diuinitùs conseruetur aqua sine vllo calore, aut frigore, in tali aquâ fundabitur negatio caloris, & frigoris, quæ tamē ab illâ potest tolli: similiter negatio informati, quæ daretur in Materiâ diuinitùs cōseruatâ absque omni Formâ, fundaretur immediatè in essentiâ Materiæ, & tamen potest ab illâ tolli; tandem negatio Formæ cadaueris, quæ immediatè fundatur in Materiâ Petri potest ab illâ tolli: licèt igitur Impenetratio fundetur immediatè in Quantitate, poterit ab illâ tolli. Negatio lapidis, quæ immediatè fundatur in essentiâ Socratis, & negatio Rationalis, quæ immediatè fundatur in essentiâ bruti, non possunt ab illis tolli ex alio titulo, quia scilicet negant formas, quæ non possunt aduenire subiectis, vtpote eorum essentiæ destructiuæ: quando autem negationes remouent formam destructiuam essentiæ subiecti, aut alicuius eius proprietatis logicæ, non possunt tolli: Impenetratio verò solùm remouet penetrationem, quæ non est destructiua essentiæ Quantitatis, aut alicuius eius proprietatis logicæ; ac proinde potest illi diuinitùs aduenire, & per eius aduentum tolli Impenetratio.

SECTIO II.

Quâ virtute possint duæ Quantitates penetrari?

137 DVO corpora penetrari nihil aliud est, quàm poni simul in eodem loco. Inquirendum, Vtrùm id fieri posit? Et duo disputanda veniunt: primum, Vtrùm id posit fieri ab aliquâ virtute naturali? secundum, Vtrùm posit fieri à virtute supernaturali, seu Diuinâ?

§. I.

Vtrùm duæ Quantitates possint naturaliter penetrari?

138 PRima difficultas: Vtrùm penetratio fieri posit ab aliquâ virtute naturali saltem Angelicâ? Affirmant Ioannes Prouenzalis *quodlibeto 5. q. 7.* & venerabilis Beda apud P. Lorin. *in acta Apostolorum cap. 5. v. 19.* & alij, quos refert Alexander *in Opusculo de Mixtione*, & Fernelius *lib. 2. Phisiologiæ cap. vltimo*: Idque probant primò, quia in ferro candenti corpus ignis penetratur cum corpore ipsius ferri. Secundò, quia quando panis in aquam

Prouenza.
Beda
Alexand.
Fernelius

aquam iniectus madescit, ipsius aquæ & panis corpora penetrantur. Tertiò, quia vas plenum cinere tantundem aquæ recipit, quantum si inane sit. Quartò, quia aquæ cyphus ad summa labra plenus nummos excipit, nec effunditur, vt scribit Plinius *lib. 2. cap. 62.* quæ stare non possunt absque penetratione. Quintò, quia ex multis historijs constat Veneficas ope Dæmonum in feles, & mures transformatas, domos ingredi clausis ianuis. Sextò, quia per virtutem Angelicam potest induci, vel saltem, vt docet P. Soares, conseruari Vacuum in rerum naturâ: ergo etiam dari poterit penetratio; neque enim Quantitas plus resistit penetrationi, quàm Natura Vacuo. Septimò, quia virtus, quâ duo corpora quanta resistunt penetrationi, est finita: ergo poterit vinci ab aliquâ virtute creatâ, præsertim Angelicâ; imò si vnus Angelus non possit, poterit succurrere alios, & multiplicari non tot quin plures, donec possint.

Plinius

139 Nihilominus vera est contraria resolutio asserentium nullâ virtute creatâ naturali posse fieri duorum corporum penetrationem. Ita Aristoteles *4. Physicorum tex. 27.* D. Thomas, Auicenna, & alij, quos citant, & sequuntur Patres Conimbricenses *4. Physic. cap. 5. q. 4. art. 1.* P. Bellarmin. *tom. 2. lib. 3. de Eucharistia cap. 6.* P. Valent. *3. p. disp. 2. q. 2. punct. 1.* P. Rubius *4. Physicorum tract. de natura Loci q. 5.* P. Delrio *lib. 2. de Magia q. 17.* P. Arriaga *in Physic. disput. 14. numero 117.* P. Ouiedo *in Physic. controuers. 15. puncto 11. num. 1.* Cardinalis Lugo *de Eucharistia disp. 5. num. 7.* P. Sancta Cruz *in Physic. á num. 735.* & alij multi. Probatur experientiâ, quâ constat nullum corpus, quantumuis magno impetu in aliud incurrat, posse illud penetrare: ergo signum est eorum penetrationem esse naturaliter impossibilem. Secundò, quia nullâ virtute naturali creatâ potest vnum corpus collocari in duobus locis: ergo etiam nullâ poterunt duo corpora collocari in eodem. Tertiò, quia duo contraria nullâ virtute naturali creatâ possunt poni in eodem subiecto: ergo neque duo corpora in eodem loco.

Aristot. D. Thom. Auicen. Patres Conimbr. P. Bellar. P. Valent. P. Rub. P. Delrio P. Arriaga P. Ouiedo P. Lugo P. S. Cruz

140 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ de ferro candenti, respondeo cum Patribus Conimbricens. loco cit. quando ferrum candescit, ignem non poni in eodem loco cum illo, sed permeare eius poros, & meatus. Ad secundum de pane madido, eadem applicatur solutio. Dicendum enim est aquam non esse in eodem loco, quo panis, sed permeare eius poros, & recipi in illius meatibus.

141 Ad tertium de vase pleno cinere, respondeo cum Aristotele *in Problematis sect. 25. problemat. 8.* negando aquam in vase esse in eodem spatio cum cinere. Verum quidem est, quòd vas tantundem aquæ recipiat, ac si inane esset: id tamen inde prouenit, quia cinis, cùm sit naturâ suâ calidus, multas partes aquæ in vaporem, halitumque resoluit, cum quo nonnullæ partes ipsius cineris tenuiores, & calidiores exhalantur, quarum loco substituuntur partes aquæ.

Aristot.

142 Ad quartum de cypho, qui nummos excipit, respondeo cum Patribus Conimbricensibus, idcircò eius aquam immissis nummis non effundi, quia partes aquæ ad medium cyphi intumescunt cohibente earum fluxum labrorum cyphi siccitate, quæ si madefiant, statim dilabetur aqua.

Patres Conimbr.

143 Ad quintum de Veneficis, quæ transformatæ in feles, domos ingrediuntur clausis foribus: respondeo cum P. Delrio loco citato nunquam reipsâ in feles, aut mures transformari, neque domos ingredi foribus clausis; illis re ipsâ Dæmones ianuas aperiunt adeò subtiliter præstigijs oculos intuentium deludendo, vt sibi videantur videre quod non vident, & non videre quod vident.

P. Delrio

144 Ad sextum, nego posse Angelum Vacuum conseruare; sicut enim non potest ab illo induci, ita neque ab illo conseruari. Et sanè eadem ratio, quæ obstat, ne possit induci, obstat ne possit conseruari, vt constat ex dictis *in Phys. tr. 5. n. 79. & 93.*

145 Ad septimum, concedo virtutem, quâ duo corpora resistunt penetrationi, esse finitâ; dico tamen eius victoriam esse supernaturalem, quæ proinde non potest obtineri nisi à virtute supernaturali: si quæuis alia actio miraculosa finita est, quia tamen est supernaturalis, à nullâ virtute naturali etiam Angelicâ edi potest. Et huius ratio est, quia quod supernaturale est, est supra omnem Naturam; ac proinde omnem debet excedere: Angelus verò est pars huius Vniuersi.

§. 2.

Vtrùm duo corpora possint diuinitùs penetrari?

146 SEcunda difficultas: Vtrùm saltem à Deo fieri possit duorum corporum penetratio? Negat Durand. *in 4. distinct. 44. q. 6.* Et negare videtur Paludanus ibidem *quæst. 3.* Eorum fundamentum est. Primò, quia Quantitas formaliter se ipsâ

Durand. Paludan.

est incompatibilis cum aliâ in eodem loco: quod autem est formaliter tale, nec diuinitùs potest fieri non tale. Secundò, quia partes ipsius Quantitatis non possunt penetrari; sin minùs totum Cælum posset contrahi, & pugno capi: ergo à fortiori duæ Quantitates totales non poterunt penetrari. Tertiò, quia duæ partes Quantitatis successiuæ Temporis, aut Motûs nequeunt diuinitùs esse simul: ergo idem dicendum de partibus Quantitatis permanentis.

D. Cyril. D. Greg. D. Leo D. Damasc. D. Aug. D. Iust. D. Thom. D. Bonau. Henric. Scotus Richard. Capreol. Patres Conimbr. P. Soar. P. Vasq. P. Bellar. P. Valent. P. Salas P. Rub. P. Mald. P. Tolet. P. Hurt. Ægid. Lus. P. Arriaga P. Lugo P. Henriq. P. Ouiedo P. Tellez. P. S. Cruz P. Cõpto.

147 Nihilominus vera est contraria resolutio asserentium duo corpora posse diuinitùs penetrari. Ita D. Cyril. D. Gregor. D. Leo, D. Damasc. D. Augustin. D. Iustin. D. Thom. D. Bonauentur. Henric. Gandauens. Scotus, Richard. Capreol. quos citant, & sequuntur Patres Conimbr. *4. Physic. c. 5. q. 4. a. 2.* vbi dicunt hanc sententiam esse adeò certam, vt de eâ Christiano Philosopho dubitare non liceat. Eam latè defendit P. Soar. *tom. 2. in 3. p. d. 48. sect. 5.* & *tom. 3. d. 46. sect. 5.* P. Vasq. *3. p. d. 121.* P. Bellarm. *tom. 2. l. 3. de Eucharistia c. 6.* P. Valent. *3. p. d. 2. q. 2. punct. 1.* & *d. 6. q. 3. puncto 1.* & *in controuersijs lib. 1. de vera Christi præsentia*, P. Sal. *1. 2. tract. 2. d. 14. s. 19. n. 163.* P. Rub. *4. Physicor. tract. de natura Loci q. 5. n. 65.* P. Maldonad. *in cap. 20. Ioann. n. 19.* P. Tolet. ibidem, P. Hurt. *in Physica d. 14. §. 42.* Ægid. Lusit. *tom. 3. lib. 5. q. 6. a. 3.* P. Arriaga *in Phys. disp. 14. n. 119.* Cardinalis Lugo *de Eucharistia disp. 5. n. 9.* P. Henriquez *lib. 8. c. 27. n. 4.* vbi dicit ex contrariâ sententiâ sequi multos errores in Fide, P. Ouiedo *in Phys. controuers. 15. puncto 11. n. 6.* P. Tellez *disp. 60. s. 4.* P. Sancta Cruz *in Phys. à n. 735.* P. Comptonus cit. *sect. 2. num. 6.*

148 Probatur primò, quia nulla in eo visitur contradictio. Secundò, quia duo contraria possunt diuinitùs esse in eodem subiecto: ergo etiam duo corpora in eodem loco. Tertiò, quia partes eiusdem Quantitatis possunt simul esse in eodem loco indiuisibili, vt patet in partibus Quantitatis corporis Christi Domini existentis in Sacrâ Eucharistiâ: ergo etiam duæ Quantitates totales poterunt simul esse in eodem loco diuisibili. Quartò, quia vnum corpus potest poni in duobus locis: ergo duo poterunt poni in eodem. Quintò, quia Deus potest impedire effectum formalem secundarium alicuius formæ, vt patet in contrario, cuius effectus formalis secundarius, est expellere aliud contrarium ab eodem subiecto, & potest diuinitùs impediri: at verò Impenetratio, est effectus secundarius Quantitatis; nam eius effectus formalis primarius solùm est extendere in loco: ergo potest diuinitùs tolli, aut impediri.

149 Confirmatur ex multis principijs, & mysterijs Fidei. Primò, quia Christus Dominus exijt de vtero Matris clauso. Neque dicas, non exijsse per medium, sed ab extremo ad extremum per transitum. Non, inquam, hoc dicas, quia hoc modo non saluatur propria natiuitas Christi; nam natiuitas dicit egressum ex vtero matris: transitus autem de extremo ad extremum non est propriè egressus, sed quædam instantanea mutatio, quâ corpus desinit esse in vno loco, & incipit esse in alio distante. Secùndò, quia Christus Dominus resurrexit clauso sepulchro, vt ex multis Sanctis Patribus probant Patres Conimbric. & P. Soar. loco cit. Tertiò, constat Christum Dominum ingressum fuisse ad Discipulos ianuis clausis, iuxta illud *Ioan. 20. Cùm fores essent clausæ.*

Patres Conimbr. P. Soar. Ioan. 20.

150 Ad primum fundamentum Durandi (quatenus asserit Quantitatem esse formaliter se ipsâ impenetratam; vnde fieri non posse quòd diuinitùs penetretur) respondeo Quantitatem formaliter se ipsâ postulare Impenetrationem; vnde hæc postulantia, nec diuinitùs ab illâ potest auferri: non est tamen Quantitas formaliter se ipsâ impenetrata, sed per negationem penetrationis; quæ quidem, licèt postuletur à Quantitate, cùm non remoueat formam destructiuam essentiæ Quantitatis, aut alicuius eius proprietatis logicæ, potest ab illâ auferri.

151 Ad secundum (quatenus dicit partes Quantitatis non posse mutuò penetrari) respondeo posse. Neque vllum est inconueniens, quòd per Diuinam potentiam totum Cælum stellatum possit pugno capi, imò constitui in indiuisibili. Ostenditur exemplo corporis Christi Domini, quod totum constituitur in quolibet indiuisibili Hostiæ consecratæ, vt est de Fide.

152 Ad tertium de partibus Motûs, & Temporis, respôdeo partes Motûs posse diuinitùs esse simul, vt constat ex dictis *in Physica tract. 6. num. 2. & 8.* vbi ostendimus diuinitùs posse dari Motum in instanti: partes Temporis non possunt esse simul, quia dicunt respectum essentialem ad Tempus imaginarium.

SECTIO III.

Quo pacto fiat penetratio?

153 AGENDVM superest in hâc Sectione de modo, quo potest fieri duarum Quan-

Quantitatum penetratio. Et videndum primò, Quid Quantitatibus auferri debeat, vt penetrentur? Secundò, Quid illis conferatur? Tertiò, agendum de actione, quâ fit penetratio. Tandem alijs difficultatibus, quæ in hâc materiâ occurrere possunt, satisfaciemus.

§. 1.

Vtrùm, vt duo corpora penetrentur, debeat ab illis auferri aliquid positiuum?

154 PRima difficultas: Vtrùm, vt duæ Quantitates penetrentur, debeat ab illis auferri aliquid positiuum? Affirmant nonnulli cum Scoto *in* 4. *dist.* 49. *q.* 16. & Argentin. ibidem *q.* 1. *a.* 4. Eorum fundamentum est, quia Impenetratio formalis, aut est aliquid positiuum, nimirum Vbi Circunscriptiuum, vel aliqua alia resistentia positiua: aut est aliquid negatiuum in ipso Vbi, aut Quantitate immediatè fundatum. Si est aliquid positiuũ, debet tolli; sin minùs id, quod est formaliter Impenetratio, penetraretur. Si est aliqua negatio, non potest tolli ab ipso Vbi, vel Quantitate, persistente ipso Vbi, vel Quantitate; nam negatio, quæ immediatè fundatur in aliquâ essentiâ, non potest illâ persistente auferri.

Scotus *Argent.*

155 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium penetrationem fieri, quin à Quantitatibus tollatur aliquid positiuum. Ita D. Thom. & alij plures, quos citant, & sequuntur Patres Conimbr. 4. *Physicor.* c. 5. q. 4. a. 2. P. Rub. ibidem *tract. de natura Loci* q. 5. n. 65. P. Soar. *tom.* 2. *in* 3. *p.* d. 48. *sect.* 5. §. *Hæc verò*, & *tom.* 3. *d.* 48. *sect.* 4. §. 3. Ægid. Lusit. *tom.* 3. *l.* 5. *q.* 6. *a.* 4. *n.* 18. P. Sal. 1. 2. *tract.* 2. *d.* 14. *sect.* 19. *n.* 164. Cardinalis Lugo *de Sacramento Eucharistiæ d.* 5. *n.* 10. P. Arriaga *in Phys. d.* 14. *n.* 119. P. Tellez *disp.* 60. *sect.* 4. *n.* 24. Probatur ratione, quia, vt duæ Quantitates penetrentur, satis est quòd ab illis tollatur Impenetratio: hæc autem consistit in aliquo negatiuo, vt constat ex dictis *num.* 122. Et confirmatur, quia vt duo contraria sint in eodem subiecto, non requiritur, quòd ab illis tollatur aliquid positiuum, sed satis est, quód auferatur negatio simultaneæ existentiæ in eodem subiecto, quam ipsa contraria postulant naturâ suâ: ergo idem proportione habitâ dicendum de duabus Quantitatibus respectu eiusdem loci.

D. Thom. *Patres Conimbr.* *P. Rub.* *P. Soar.* *Ægid. Lus.* *P. Salas* *P. Lugo* *P. Arriaga* *P. Tellez.*

156 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis in superioribus Sectionibus, vbi ostendimus Impenetrationem formalem consistere in negatione penetrationis, vt constat ex *num.* 122. item hanc negationem immediatè fundari in Quantitate, vt cõstat ex *n.* 133. posse tamen ab eâ auferri, cùm non remoueat formam destructiuam essentiæ Quantitatis, vt constat ex *n.* 136. Dices: Negatio non dependet immediatè à Diuino cõcursu: ergo Deus non potest illam immediatè tollere à Quantitate. Respondeo satis esse, quòd Deus illam tollat mediatè, producendo aliud corpus in eodem loco; sicut tollitur ab aëre negatio lucis per productionẽ ipsius lucis.

§. 2.

Vtrùm, vt duo corpora penetrentur, debeat illis conferri aliquid positiuum?

157 SEcũda difficultas: Vtrùm, vt duæ Quantitates penetrentur, debeat illis conferri aliquid positiuum? Nonnulli dicunt penetrationem fieri non posse absque eo, quód Deus producat aliquam Qualitatẽ, quæ subtilizet ipsum corpus, & illud reddat habile ad aliud penetrandum. Alij contendunt posse fieri penetrationem nullo addito positiuo per solam negationem coexistendi in diuersis locis.

158 Nihilominus declaratione opus est. Dico primó: Vt duæ Quantitates penetrentur, non est necessaria aliqua qualitas, quæ ipsa duo corpora, aut alterum eorum subtilizet. Ita P. Soar. *tom.* 2. *in* 3. *p. d.* 48. *sect.* 5. §. *Hæ rationes*, P. Tellez *disp.* 60. *sect.* 4. & communiter Recentiores. Probatur, quia aut illa qualitas requireretur ad tollendam crassitiem corporis, quæ impedit penetrationem: aut ad producendum motum localem, quo vna Quantitas locum alterius ingrederetur. Primum dici non potest, quia crassitudo Quantitatis, aut non distinguitur ab ipsis partibus; aut saltem non distinguitur ab eâdem extensione in loco: nulla autem qualitas intelligitur posse denudare Quantitatem suis partibus, aut suâ extensione in loco; tum quia hæc vltima solùm potest tolli per Vbi Definitiuum; tum quia persistentibus his omnibus Quantitas potest penetrari. Secundum (nempe requiri qualitatem ad producendum motum localem, quo vna Quantitas locum alterius ingrediatur) etiam dici non potest, quia Deus se solo potest producere omnem motum localem, qui posset produci ab illâ qualitate, iuxta illud Axioma, *Deus potest facere se solo quidquid potest facere cum causis secundis.*

P. Soares *P. Tellez.*

159 Dices, posse id Deum de potentiâ absolutâ: connaturaliùs tamen esse efficere penetrationem mediâ illâ qualitate. Et hoc ostenditur primò, quia licèt Deus possit se solo imme-

immediatè concurrere cum Intellectu ad Visionem Beatam, id tamen connaturaliùs praestat mediante Lumine Gloriae. Secundò, quia Dos Subtilitatis, & idem dicendum videtur de Dote Penetrabilitatis corporum gloriosorum, sunt quaedam qualitates: ergo signum est, quòd penetratio connaturaliùs fiat per qualitatem. Respondeo connaturaliùs concurrere Deum immediatè ad penetrationem se solo, nullâ intermediâ qualitate; *frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora.* Et confirmatur exemplo Sacramentorum, v. g. aquae Baptismalis, cum quâ Deus concurrit immediatè se ipso nullâ intermediâ qualitate ad producendam Gratiam: ergo etiam concurret ad penetrationem nullâ intermediâ qualitate.

160 Neque obstat primò, quòd connaturaliùs concurrat ad Visionem Beatam mediante qualitate Luminis Gloriae. Diuersa ratio est, quia natura, seu essentia connaturaliùs postulat potentias sibi intrinsecas, quibus operetur; Gratia verò, in quâ Visio Beata radicatur, est per modum naturae, seu essentiae operationum supernaturalium: postulat igitur potentias sibi intrinsecas, quales sunt habitús supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, Scientiae per se infusae, & Luminis Gloriae, &c. At verò penetratio duorum lapidum, vel lignorũ non radicatur in Gratiâ, quae per modum naturae sibi postulet potentiam, seu qualitatem intrinsecam in ipso lapide, vel ligno: quod etiam videre est in Sacramentis, nimirum, in aquâ Baptismali, cuius operatio non radicatur in Gratiâ, sed ad illam terminatur.

161 Dices: Hanc radicationem in Gratiâ per modum naturae non esse sufficientem ad ponendam qualitatem; nam etiam virtus operandi miracula in Christo Domino radicabatur in Gratiâ: & tamen non erat aliqua qualitas. Respondeo hanc virtutem non esse ad aliquid determinatum: secùs dicendum de ijs, quae sunt ad aliquam determinatam actionem, & radicantur in Gratiâ per modum naturae.

162 Non obstat secundò, Dotem Penetrabilitatis corporum gloriosorũm esse qualitatem; nam illa Dos, dato quòd sit qualitas (quod, neget licèt P. Soar. *de Vita Christi d. 48. s. 1.* ego potiùs existimo cum Ægid. Lusitan. cit. quia datur corpori Beato per modum potentiae radicatae in Gratiâ) dato ergo quòd sit qualitas, praeterquamquòd sit permanens, & per modum potentiae, seu habitûs (quod non visitur in lapide, in quo nulla est potentia ad se penetrãdum cum alio) illa, inquam, Dos Penetrabilitatis in corpore glorioso ratione status Beatifici radicatur in Gratiâ, à quâ postulatur in ratione potentiae, vt à naturâ; cuius vicem sortitur Gratia in ordine rerum supernaturalium; potentia autem, quae postulatur ab aliquâ naturâ, debet esse aliqua qualitas illi intrinseca: penetratio verò, quae exercetur in lapide, non postulatur per modum potentiae ab illo, sicut nec productio Gratiae ab aquâ Baptismali, & ab alijs Sacramentis.

P. Soar.
Ægid. Lus.

163 Dixi, *vt duo corpora penetrentur non esse necessariam aliquam qualitatem*, quia solùm nego esse necessariam talem qualitatem: non nego esse possibilem; sicut enim non repugnat qualitas eleuans Intellectum ad videndum Deum, ita non repugnat qualitas eleuans potentiam motiuam vnius corporis, v.g. vnius lapidis vt se penetret cum alio lapide, vincendo eius resistentiam. Neque obstat, quòd ad illam vincendam non sufficiat virtus Angelica, sed requiratur virtus infinita. Non, inquam, hoc obstat, quia ad penetrationem nõ requiritur maior virtus, quàm ad videndum Deum: & tamen possibilis est qualitas eleuans Intellectum ad videndum Deum. Itaque ad penetrationẽ non requiritur virtus infinita, sed supernaturalis.

164 Dico secundò: Vt duae Quantitates penetrentur, debet produci de nouo saltem vnum Vbi Circumscriptiuum. Ita communiter Recentiores. Et probatur, quia vel duo illa corpora, quae penetrantur producuntur à Deo penetrata: vel vnum erat productum, & posteà aliud de nouo illud ingreditur, ac penetrat. Si primum, producuntur de nouo duo Vbi. Si secundum, producitur vnum: ergo &c.

§. 3.

Vtrùm actio, quâ fit penetratio, sit supernaturalis in entitate?

165 Tertia difficultas: Vtrùm actio, quâ fit penetratio, sit in entitate supernaturalis? Pro parte affirmatiuâ facit primò, quòd haec actio per se requirit principium supernaturale: omnis autem actio, quae per se requirit principium supernaturale, videtur esse in entitate supernaturalis. Secundò, quia eius terminus est supernaturalis, nimirum Vbi quantitatiuum non excludens aliud corpus ab eodem loco, quod quidem supernaturale est; cùm sit supra omne debitum, ac exigentiam naturae. Tertiò, quia si foret naturalis, posset dari naturaliter. Quartò, quia actio, quâ accidens collocatur extra subiectum, est supernaturalis in entitate: eadem autem videtur ratio de actione, quâ vna Quantitas ponitur penetratiuè cum aliâ.

Nihilo-

166 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium illam actionem esse in entitate naturalem, & solùm supernaturalem quóad modum. Ita P. Soar. *tom. 2. in 3. p. disp. 48. sect. 5. §. 3.* P. Vasq. *3. p. disp. 121. num. 89.* P. Tellez *disp. 60. sect. 4. num. 31.* Probatur primò, quia actio, quâ Deus constituit vnum cõtrarium simul cum alio in eodem subiecto, est in entitate naturalis, & solùm quòad modum supernaturalis, vt communiter admittitur; miraculum enim solùm consistit in eo, quòd Deus producat calorem tempore non debito, seu in subiecto, quod iuxta Naturæ leges pro tunc non erat capax illius, seu in eo, quòd impediat actiones inimicas, quibus mutuò pugnant, & se se enecant. Secundò, quia similiter actio, quâ vnum corpus graue ambulat super aquas, quin submergatur, est in entitate naturalis, & solùm quòad modum supernaturalis; nam miraculum etiam solùm consistit in eo, quòd Deus subtrahat suum concursum, quo iuxta Naturæ leges debebat concurrere cum tali corpore ad grauitandum, hoc est, ad motum deorsum; aut etiam in eo, quód subtrahat concursum, quo iuxta eiusdem Naturæ ordinem debebat concurrere cum aquâ ad cedendum deorsum: ergo idem dicendum de actione penetratiuâ, solùm erit supernaturalis quòad modum; miraculum enim solùm consistit in eo, quòd Deus collocet vnum Vbi Circumscriptiuum loco non capaci ratione alterius Vbi, quo repletur, vel in eo, quód conseruet aliud Vbi, quod iuxta Naturæ leges ad positionem alterius de nouo aduenientis debebat destrui. Tertiò, quia actio, quâ fit resurrectio, solùm est supernaturalis quòad modum: Similiter dicendum de actione, quâ visus restituitur cæco: ergo &c.

167 Quæres primò, Vtrùm actio penetratiua sit eiusdem speciei cum non penetratiuâ? Respondeo affirmatiuè, quia habet eundem terminum, nimirum idem Vbi Circumscriptiuum; nam Vbi, quod ponitur in hoc loco iam occupato, est idem cum eo, quod poneretur in illo non occupato.

168 Quæres secundò, Vtrùm possit esse eadem numero? Respondeo affirmatiuè. Et probatur, quia quando Deus concurrit cum potentiâ motiuâ vnius corporis, vt moueatur vsque ad locum alterius, potest, si velit, continuare eandem actionem, quóad vsque talis Quantitas aliam ingrediatur, non concurrendo cum illâ aliâ ad recedendum à suo loco.

169 Quæres tertió, Vtrùm in eo euentu talis actio necessariò continuetur maiori cum efficaciâ? Respondeo negatiuè. Primò, quia, vt continuetur penetratiuè, satis est quód Deus in eodem loco conseruet aliud Vbi. Secundò, quia aut illa maior efficacia est aliqua maior intensio gradualis; & hæc non, quia actio non est capax intensionis, nisi quandó eius terminus illius capax est: aut est aliqua maior perfectio indiuidualis; & hæc non est necessaria, cùm satis sit quòd Deus conseruet aliud corpus in eodem loco cum eo, quod de nouo aduenit.

170 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ proposita *n. 165.* Ad primum (quâtenus dicit actionem penetratiuam per se requirere principium supernaturale: omnem autem actionem, quæ per se requirit principium supernaturale, esse supernaturalem in entitate) respondeo actionem, quâ fit penetratio requirere quidem principium supernaturale, nõ tamen ratione suæ entitatis, sed ratione modi, quo producitur: inde ergo solùm colligitur esse supernaturalem quòad modum, non verò in entitate. Et id declaratur exemplo actionis, quâ fit resurrectio, & quâ visus cæco restituitur, &c.

171 Ad secundum (quâtenus dicit terminũ talis actionis esse supernaturalem, nimirũ Vbi Quantitatiuum non excludẽs aliud corpus ab eodẽ loco) respondeo tale Vbi non esse supernaturale, cùm sit eiusdem speciei, imó possit esse idẽ numero cum Vbi ipsius Quantitatis nõ penetratæ: solùm differt in eo, quòd Deus ad positionẽ illius, aliud alterius Quantitatis non destruat, sed conseruet; quæ tamen conseruatio, cùm sit extrinseca respectu huius Vbi, illud non efficit supernaturale.

172 Ad tertium (quâtenus dicit, si talis actio foret naturalis, posse dari naturaliter) respõdeo hoc nõ sequi, quia talis actio est supernaturalis quòad modũ, quo pacto se habet actio quâ fit resurrectio, & visus cæco restituitur.

173 Ad quartũ (quâtenus dicit Quantitatẽ poni extra subiectũ per actionẽ in entitate supernaturalẽ: ergo etiam penetrati per actionẽ in entitate supernaturalẽ) respondeo creationẽ accidentis esse supra omne debitum, & exigentiã Naturæ: non ita constitutionẽ corporis in hoc loco, nisi in quantùm aliud corpus ab illo non remouetur, quod debebat remoueri stando legibus Naturæ: verùm non remotio alterius, non influit essentialem supernaturalitatem constitutioni huius. Et patet, quia si aliud remoueatur, constitutio huius perseuerabit, eritque naturalis: solùm ergo erat supernaturalis extrinsecè ratione simultaneæ existentiæ alterius corporis in eodem loco.

Resolutio

§. 4.

Soluuntur alia dubia circa hanc doctrinam penetrationis.

174 QVæres primò, Vtrùm duæ Quantitates diuinitùs penetratæ possint naturaliter dispenetrati, & ab inuicem recedere? Respondeo negatiuè, quia, vt vna Quantitas ab aliâ recedat, necessariò debet dari noua penetratio aliquarum partium vnius Quantitatis cum alijs partibus alterius, cum quibus anteà non erant penetratæ: at verò penetratio dari non potest naturaliter.

175 Quæres secundò, Vtrùm, si homo positus in duobus locis sibi occurreret in viâ, possit naturaliter ingredi eundem locum? Affirmant Mayronius, Sotus, & alij apud Patres Conimbric. 4. *Physic. cap.* 5. *q.* 5. *a.* 2. §. *Sed quid.* Probatur, quia si aliquid obstaret, esset aliqua penetratio, quæ in hoc occursu fieri deberet: atqui nulla ibi interuenit; nam ad penetrationem requiruntur duo corpora diuersa: in hoc autem euentu vnum tantùm reperitur. Nihilominus præferenda videtur resolutio negatiua cum Patribus Conimbr. loco cit. Et ratio est, quia ille occursus fieri nequit absque aliquâ penetratione; nam dum ille homo sibi occurreret ex aduerso, necessariò eius pars dextera occurreret finistræ. Quòd si demus hunc hominem sibi omninò accommodari, ita vt pars dextera sibi correspondeat (quod sanè difficile erit) adhuc non poterit ingredi eundem locum, quia necessariò partes magis extimæ penetrarent partes magis intimas. Neque ratio facta pro parte contrariâ rem concludit: nam ad penetrationem sufficiunt partes diuersæ eiusdem corporis.

Mayron. Sotus, Patres Conimbr.

176 Quæres tertiò, Vtrùm corpus vnius Beati possit de potentiâ ordinariâ (nam posse de potentiâ absolutâ nullum est dubium) ex vi Dotis Penetrabilitatis alia Beatorum corpora, aut etiam aliquam sui partem, v. g. vnam manum cum capite, aut cum aliâ manu penetrare? Negant communiter Theologi cum D. Thom. apud P. Soar. *tom.* 2. *in* 3. *p. d.* 48. *f.* 5. §. *Dices*, & apud P. Salas 1. 2. *tract.* 2. *d.* 17. *f.* 19. Eorum ratio est, quia Dos Penetrabilitatis solùm datur ad operationes, quæ decent ipsos Beatos: videtur autem indecens, quòd vna manus cum aliâ, aut cum capite penetretur, ac confundatur.

D. Thom. P. Soar. P. Salas

TRACTATVS IV.

DE QVALITATE.

AMPLEXVS Disputationes duas. In primâ de Qualitate in communi. In secundâ de eius Speciebus in particulari sermo est.

DISPVTATIO I.

De Qualitate in communi.

DIVISA in Sectiones duas. In primâ agitur de naturâ, & partitione Qualitatis. In secundâ de Intensione, & Remissione, quæ est vna ex præcipuis proprietatibus Qualitatis.

SECTIO I.

De naturâ, & diuisione Qualitatis.

1 PRIMA difficultas: In quo consistat quidditas; & ratio formalis Qualitatis? Plures circũferuntur Qualitatis definitiones. Prima traditur ab Aristotele *cap.* 8. *de Qualitate*, & habet sic: Qualitas est *id, quo res dicuntur quales.* Hanc non possum approbare, quia in eâ videtur committi circulus; siquidem explicatur *Qualitas* per *Quale*: si enim interrogem quid sit *Quale*? respondebis *Quale* à Qualitate denominari; vnde fit quòd Qualitas

Aristot.

Qualitas per seipsam definiatur.

D.Thom. P.Aleman. 2 Secunda definitio tribuitur à D. Tho. apud P. Alemanium *p. Sum. Philos. q. 12. art. 1.* ibi: *Qualitas est modus, seu determinatio substantiae secundum esse accidentale.* Non placet primò, quia non omnis Qualitas est modus, sed earum plures sunt realitates. Secundò, quia Vbicatio, Duratio, &c. etiam modificant, & determinant Substantiam secundum esse accidentale.

P.Soar. Patres Conimbr. P.Tellez. 3 Tertia definitio inculcatur à P. Soar. *in Met. d. 42. s. 1.* in hunc modum: *Qualitas est accidens absolutum, quod per se primò ordinatur ad perficiendam Substantiam in essendo, vel operando.* Huic definitioni subscribunt Patres Conimbric. *in Log. cap. 8. de Qualitate q. 1. a. 1.* P. Tellez *disp. 6. sect. 1. n. 1.* Displicet tamen primò, quia etiam Quantitas ordinatur ad perficiendam Substantiam in essendo, imò & in operando, extendit enim Substantiam; extensio autem in Substantijs corporeis est vnum ex requisitis ad operandum. Secundò, quia etiam Vbicatio perficit Substantiam in essendo; non enim video cur cognitio loci terminata ad locum perficiat Substantiam, non verò Vbicatio.

P. Hurt. 4 Quarta definitio traditur à P. Hurtado *in Met. d. 14. s. 1. n. 4.* vbi definit Qualitatem: *accidens absolutum distinctum à Quantitate.* P. Arriaga P. Compto. Hanc approbant P. Arriaga *in Met. d. 5. s. 2. subsect. 1.* P. Compton ibidem *d. 10. s. 1. num. 2.* & plures Moderni. Non ergo, quia etiam Vbicatio, & caetera accidentia, Relatione exceptâ, sunt accidentia absoluta distincta à Quantitate. Dices nomine, *accidentis absoluti,* intelligi accidens reale. Sed contrà, quia etiam aliquae Qualitates sunt modi, vt Figura; & P. Arriaga *in Phys. d. 14. s. 2. subsect. 7.* opinatur quòd Vbicatio sit realis. Praeterea haec definitio non explicat naturam Qualitatis, sed solùm dicit non esse Quantitatem: itaque dicit quod non est, non verò quod est.

P. Ouiedo 5 Quinta definitio est aliorum Recentiorum apud P. Ouiedum *in Met. controuers. 8. punct. 1. n. 4.* qui definiunt Qualitatem: *Accidens per se intensum.* Philosophantur hi in Qualitate, sicut in Quantitate: vnde dicunt quòd sicut extensio est propria Quantitatis, ita intensio est propria Qualitatis: & sicut Quantitas definitur *Ens per se extensum*, ita Qualitas definiri debet *Ens per se intensum.* Rejiciuntur, quia plures sunt Qualitates incapaces intensionis, vt characteres Sacramentales, prout docet P. Soar. *tom. 3. in 3. p. q. 69. a. 5. in comment.* P. Vasq. P. Soar. P.Vasq. *tom. 2. in 3. p. d. 114.* item Intellectus, & Voluntas, Potentia, & Figura non sunt intensae.

§. 1.

Propria sententia.

6 Quare his, & alijs definitionibus omissis, definienda videtur Qualitas hoc modo: *Est accidens intrinsecum, quod tantùm sequitur actualitatem substantialem*; ipsi dico esse accidens, quod sequitur Formam; quia potentiae Angelicae sunt Qualitates, non tamen sequuntur Formam. Itaque haec definitio videtur bona, quia competit omni, ac soli Qualitati. Omni, quia sicut omnis Quantitas sequitur Materiam, ita omnis Qualitas, si est in Substantiâ compositâ, sequitur Formam; si in Substantiâ simplici, vt in Angelo, sequitur ipsam eius actualitatem. Competit deinde soli, quia nulla alia accidentia intrinseca sequuntur tantùm Formam; sed etiam Materiam: sola Qualitas in Formâ, seu actualitate radicatur.

7 Objicies primò, Actio solùm sequitur actum, & non Materiam. Respondeo Actionem ex genere suo non esse accidens intrinsecum.

8 Objicies secundò, Quantitas non benè definitur, *Accidens intrinsecum quod tantùm sequitur Materiam?* ergò neque Qualitas benè definitur, *Accidens intrinsecum, quod tantùm sequitur Formam, seu actualitatem.* Respondeo esse diuersam rationem, quia in Quantitate habemus vnum effectum formalem omnibus Quantitatibus communem, nimirum extensionem; & per hanc debuit accidens definiri: at verò in Qualitate nullum deprehendimus effectum formalem omnibus Qualitatibus communem, per quem illam immediatiùs definiamus; ideò recurrimus ad eius radicem remotiorem, nimirum ad id, quod in Formâ, seu actualitate substantiali radicetur.

§. 2.

Quo pacto Species Qualitatis inter se distinguantur?

9 Secunda difficultas: An rectè Qualitas diuidatur in quatuor Species? (quarum prima dicitur *Habitus*, & *Dispositio*; secunda, *Naturalis potentia*, & *Impotentia*: tertia, *Patibilis qualitas*, & *Passio*: quarta, *Forma*, & *Figura*? Sed de hoc satis in *Logic. tract. 5. à n. 77.*

10 Verùm autem hae quatuor species inter se distinguantur essentialiter? Respondeo affirmatiuè, quia quaelibet, vt ex dicendis patebit, constituitur suâ speciali differentiâ, per quam

distingui ex naturâ rei; quia nulla assignabitur Qualitas, quæ habeat effectus formales primarios spectantes ad prædictas quatuor Species Qualitatis. Quod additur de Speciebus Quantitatis, id ego libenter concedo, quia in quâlibet Quantitate reperiuntur diuersæ dimensiones cum diuersis proprietatibus, vt suo loco declarauimus.

17 Ad quartum (quâtenus dicit eandem notitiam respectu diuersorum esse intuitiuam, & abstractiuam: item respectu diuersorum esse practicam, & speculatiuam; discursiuam, & non discursiuam) respondeo illas notitias continere quidem eas species, non tamen pertinere ad illas, sed constituere tertiam diuersam; in eo sensu, quo Anima Rationalis continet Vegetatiuam, & Sensitiuam: at constituit tertiam diuersam. Ad quintum de calore, & luce patet solutio ex dictis.

SECTIO II.

De Intensione, & Remissione Qualitatis.

18 PRiusquam ad singulas Qualitatis Species descendamus, vt plenius intelligatur natura Qualitatis in communi, agendum nobis est de illius Intensione, & Remissione, quæ est vna ex præcipuis eius proprietatibus; nam de cæteris satis in *Logica tractat.* 5. *numero* 84. Quod attinet ad Intensionem, suppono in primis illam dari, neque posse negari. Primò, quia ipsâ experientiâ constat manum immersam in aquâ calidâ, magis, ac magis paulatim calefieri: item immersam in aquâ frigidâ magis, ac magis paulatim frigefieri. Secundò, quia negari non potest nostris bonis operibus intendi Gratiam sanctificantem, Charitatem, Fidem, Spem, & cæteros Habitus supernaturales.

19 Suppono deinde Intensionem posse sumi dupliciter: primò pro actione, quâ ipsa Qualitas intenditur; & hæc dicitur Alteratio: secundò, pro ipsâ Intensione ex parte termini, quæ alio nomine dicitur augmentum Qualitatis secundùm eandem partem subiecti. Remissio opponitur augmento, & nihil aliud est, quàm diminutio eiusdem Qualitatis secundùm eandem partem subiecti.

(?)

§. I.

Vtrùm Intensio fiat per additionem gradûs ad gradum?

20 PRima difficultas: Vtrùm Intensio ex parte termini, seu augmentum fiat per additionem gradûs ad gradum? Prima sententia docet Intensionem non fieri per additionem gradûs ad gradum secundùm eandem partem subiecti, sed per mutationem Qualitatis imperfectæ in perfectiorem. Ita Gilbert. Godfred. Durand. Auicen. Albert. & alij apud P. Soar. *in Metaphys. disp.* 46. *sect.* 1. *num.* 2. Et probatur primò, quia in Alteratione successiuâ eius motus habet pro termino *à quo* gradum remissum, & pro termino *ad quem* gradum intensum: at verò terminus *à quo* nunquam manet idem, vel simul cum termino *ad quem*, iuxta illud Principium, *Introductio vnius est corruptio alterius.* Secundò, quia in Latione eius motus est de Vbi ad Vbi, ita vt non maneat Vbi *à quo*, sed solùm Vbi, seu terminus *ad quem*. Gilbert. Godfred. Durand. Auicen. Albert.

21 Secunda sententia tenet augmentum, seu Intensionem Qualitatis fieri per maiorem radicationem eiusdem Qualitatis ad subiectum; & hanc maiorem radicationẽ dicũt consistere, aut in maiori vnione eiusdem formæ ad subiectum: aut in nobiliori existentiâ eiusdem: aut in expulsione plurium, ac plurium dispositionum disponentium ad formam contrariam. Hæc opinio, & modus dicendi est communis inter Thomistas, qui illum tribuunt D. Thom. 1. 2. *q.* 52. *art.* 1. & 2. Certè traditur à Caietano, Capreol. Heruæo, Soncin. Henric. Astudillo, & ab alijs apud P. Soar. vbi proximè *n.* 3. Quibus cum pluribus subscribunt Complutenses *in lib. de Generat. d.* 4. *q.* 9. *à n.* 122. D. Thom. Caiet. Capreol. Heruæus Soncin. Henric. Astudillo Cursus Complut.

22 Probatur, quia Intensio fit nullâ factâ mutatione ex parte formæ, quæ intenditur: & non apparet alius modus commodior quo fiat, quàm aliquis ex assignatis. Maior ostenditur primò ex Aristotele 8. *Physicor. text.* 84. ibi: *Ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido.* Secundò ex Diuo Thomâ citat. *art.* 2. ibi: *Augmentum habituum, & aliarum formarum non fit per additionem formæ ad formam; sed per hoc, quòd subiectum magis participet vnam, & eandem formam.* Tertiò, quia extensio fit sine additione partis ad partem, vt patet in rarefactione, quâ persistentibus ijsdem partibus eadem Quantitas liquefacta extẽditur: ergo etiam Intensio fiet absque additione gradûs ad gradum, vel Aristot. D. Thom.

Qualitatis ad Qualitatem. Quartò, quia maior velocitas, quâ idem spatium percurritur, non fit per additionem partis ad partem motûs: & tamen illa maior velocitas est Intensio motûs. Quintò, quia aut illi gradus sunt eiusdem rationis; & hoc non potest dici, quia in eâdem parte subiecti nequeunt esse plura accidentia eiusdem rationis: aut sunt diuersæ rationis; & hoc etiam non potest dici, quia partes extensionis non sunt ethérogeneæ: ergo idem dicendum de partibus Intensionis. Sextò, quia Qualitas spiritualis intenditur: & tamen caret partibus.

§. 2.

Plena quæstionis resolutio.

23 Nihilominus hæ duæ opiniones, & modi dicendi communiter hodie reijciuntur. Quod, vt nos etiam præstemus, & quid in hâc difficultate sentiendum sit, commodiùs aperiamus,

24 Dico primò. Intensio non fit per corruptionem Qualitatis imperfectæ, & introductionem perfectioris. Ita P. Arriaga *de Generat. disp.* 3. *à num.* 4. P. Ouied. *de Generat. controuers.* 4. *puncto* 1. *à num.* 15. P. Tellez, P. Fonsec. P. Soar. P. Vasq. P. Hurtad. P. Tolet. Patres Conimbricens. P. Rub. P. Compton. *de Generat. d.* 9. *sect.* 2. *num.* 10. & alij plures, quorum loca pauló inferiùs subijciam. Probatur primò, quia calor vt octo applicatus aquæ calidæ vt quatuor non corrumpit illos quatuor gradus. Et hoc ostenditur, quia agens naturale non corrumpit sibi simile, imò illud conseruat: ergo calor vt octo conseruabit quatuor gradus caloris, qui sunt in aquâ, imò illos augebit, ac perficiet. Probatur secúdò, quia Remissio non fit per corruptionem formæ perfectioris, & introductionem alterius magis imperfectæ. Et hoc ostenditur in euentu, quo aqua calida constituitur in loco valde frigido, in quo nulla est causa productiua caloris; tunc enim calor remittitur, vt ipsâ constat experientiâ: & tamen non deperditur tota forma caloris; si enim deperderetur, quæro, à quo producitur ille calor minùs perfectus, qui loco perfectioris substituitur?

P. Arriaga *P. Ouiedo* *P. Tellez* *P. Fons.* *P. Soar.* *P. Vasq.* *P. Hurt.* *P. Tolet.* *Patres Conimbr.* *P. Rub.* *P. Compt.*

25 Neque fundamenta primæ sententiæ adducta a Gilb. Godofr. & alijs, rem conficiunt. Non primum de alteratione successiuâ, cuius terminus *à quo* est gradus remissus; quia in alteratione successiuâ terminus *à quo* motûs non est gradus remissus specificatiuè sumptus, sed sumptus reduplicatiuè, quâtenus remissus, hoc est, quâtenus includit negationem gradûs perfectioris: in quo sensu terminus *à quo* tollitur per introductionem termini *ad quem*. Non secundum de latione, quæ est motus de Vbi ad Vbi, quia est longè diuersa ratio in motu de Vbi ad Vbi, ac in motu de gradu ad gradum: nam Vbi est essentialis correspondentia ad spatium; hoc autem per motum partim acquiritur, & partim amittitur; ac proinde necesse est quòd eandem mutationem subeat eius correspondentia, seu Vbi: nulla talis necessitas visitur in motu gradûs ad gradum Qualitatis.

26 Dico secúdò. Intésio nó fit per maiorem radicationé, hoc est, per maioré vnioné eiusdé formæ indiuisibilis ad subiectú. Ita P. Arriag. vbi proximè à *n.* 11. P. Ouied. cit. *n.* 20. P. Soar. P. Vasq. P. Fós. P. Hurt. P. Tolet. P. Rub. Patres Conimbric. P. Compton. cit. *n.* 3. & alij citati. Probatur, quia non potest intelligi in quo consistat illa maior vnio eiusdem formæ ad eandem partem subiecti: aut enim illud maius est additio alicuius gradûs vnionis; & hoc non, tum quia in hâc opinione nec forma, nec subiectum acquirunt nouos gradus: ergo neque vnio acquiret nouos: tum quia si Intensio vnionis non potest intelligi nisi per additionem gradûs ad gradum eiusdem vnionis; neque Intensio formæ poterit intelligi absque additione gradûs ad gradum eiusdem formæ. Aut illud maius non est aliqua additio gradûs ad gradum vnionis; & hoc etiam non: tum quia si sine hâc additione intelligitur illa maior vnio, in quâ Aduersarij dicunt consistere Intensionem, etiam hoc modo Quantitas posset magis vniri, & consequenter intendi: tum quia re verâ illa maior vnio, quæ magis, ac magis perficitur, non potest intelligi absque maiori perfectione alterius, vel vtriusque extremi: ergo non potest consistere in solâ maiori vnione.

P. Arriaga *P. Ouied.* *P. Soares* *P. Vasq.* *P. Fonsec.* *P. Hurt.* *P. Tolet.* *P. Rub.* *Patres Conimbr.* *P. Compt.*

27 Dico tertió. Intensio non fit per nobiliorem existentiam eiusdem formæ ad eandem partem subiecti. Est eorundem Doctorum. Et probatur primò, quia eadem entitas formæ non potest amittere vnam existentiam, & aliam acquirere; cùm non distinguatur à suâ existentiâ ex naturâ rei. Secundò, quia non potest intelligi in quo consistat illa maior perfectio, & nobilitas existentiæ: aut enim consistit in additione alicuius gradûs; & hoc non, quia idem dicendum foret de eius entitate, cui existentia debet accommodari: aut non consistit in additione gradûs; & hoc etiam non, quia præterquamquòd illa maior perfectio non posit intelligi sine tali additione gradûs ad gradum, si sine illâ posset fieri Intensio, etiam

Quan-

Quantitas esset capax Intensionis.

28 Dico quartò. Intensio non fit per expulsionem plurium, ac plurium dispositionum disponentium ad formam contrariam. Hæc conclusio est communis. Et probatur primò, quia alioqui illæ Qualitates, quæ non habent contrarium, in quolibet subiecto ad summum intenderentur, v. g. lux in quolibet aëre ad summum intenderetur. Secundò, quia si dispositiones contrariæ obessent Intensioni, in puero recèns baptizato, item in quolibet Beato Gratia sanctificans, & Charitas summè intenderentur; cùm ibi nullæ sint dispositiones contrariæ.

D.Bonau. Richard. Scotus Ocham. Gabriel P.Soar. P.Vasq. P.Fonseca P.Hurt. P.Tolet. P.Rub. P.Granad. Patres Conimbr. P.Arriaga P.Tellez P.Ouiedo P.Azor P.Cōpto.

29 Dico quintò. Intensio fit per additionem gradûs ad gradum in eâdem parte subiecti. Ita D.Bonauent. Richard. Scotus, Ocham, Gabriel, & alij, quos citant, & sequuntur P.Soar. *in Met. d.46. sect. 1. à num.* 29. P.Vasq. 1.2. *d.*82.*á c.*3. P.Fonsec. 8.*Met.c.*3. *q.*2. *sect.*2. P.Hurt. *de Generat. d.*5.*s.*28. P.Tolet. ibidem *cap.* 3. *q.*4. P. Rub. ibidem *cap.* 4. *tract.*3. *q* 5. *à num.*145. P. Granad. 1.2. *controuers.* 4. *disp.* 9. *num.* 9. Patres Conimbricens. 1. *de Generat. cap.* 4. *q.*2. *art.* 2. P.Arriag. ibidem *disp.*3. *num.*17. P.Tellez *disp.* 66. *sect.* 1. *num.*1. P. Ouiedo *de Generat. controuers.* 4. *num.* 32. P.Azor *p.*1.*lib.*3. *cap.* 22. P.Compton.cit. *f.*3. *n.*1.

30 Probatur, quia subiectum per calorem intensum fit magis calidum, quàm erat anteà, cùm habebat calorem remissum: ergo accipit plùs caloris. Patet Consequentia, quia fieri calidum absolutè postulat calorem absolutè: ergo fieri magis calidum postulabit maiorem calorem; siquidem communicat maiorem effectum formalem, qui nō potest prouenire nisi à maiori causâ formali: maiori, inquam, non extensiuè secundùm diuersas partes subiecti: ergo intensiuè, hoc est, secundùm eandem partem subiecti.

Concil. Trident.

31 Confirmatur, quia Fides docet iustos per actum meritorium aliquid promereri: ergo Gratia per tales actus intenditur. Et hoc est manifestū, quia aliter eandem Gratiā quoad entitatem haberet homo quando statim à peccato emergit, atque post exactos sanctissimè in exercitio Charitatis plures annos: imò puer recèns baptizatus haberet tātam Gratiā, ac Beatissima Virgo: imò quilibet Beatus tantam Gloriam, quia hæc respondet Gratiæ. Adde quòd omnes Beati essēt æquales in Gratiā, & consequenter in Gloriā. Et vrgetur ex Concilio Trident. *sess.* 6.*c.*10. & *can.*24. vbi dicit Gratiam acceptam crescere, & augeri per bona opera: augmentum verò significat additionem entis eiusdem rationis cum præcedente; sic enim dicitur augeri exercitus quando noui accedunt milites; & Quantitas dicitur accrescere cùm nouæ partes accedūt. Vltimò, quia Qualitates sunt capaces huiusmodi graduum, quos omnes Philosophi agnoscūt, quorum Proloquium, & Axioma est: *Qualitates contrarias posse simul esse in gradibus remissis, non verò in gradibus intensis.*

§. 2.

Argumenta soluta.

32 Neque fundamenta secundæ sententiæ, quibus plurimùm fidunt Thomistæ, rem concludunt. Ad primum (quâtenus asserunt Intensionem non posse fieri per additionem gradûs ad gradum, iuxta illud Aristotelis, *Ex calido fit magis calidum nullo facto in materia calido*) respondetur primò, Ex calido fieri magis calidum nullo facto in materiâ calido totali de nouo; nam ille gradus caloris, qui de nouo aduenit, quando fit Intensio non est calor totalis, sed partialis constituens vnum, & eundem calorem cum gradu, cui aduenit. Respondetur secundò. Ex calido fieri magis calidum nullo facto in materiâ calido materiali; illi enim gradus caloris, qui adueniunt subiecto, quando fit Intensio, non secum afferunt nouas partes subiecti; sed ijsdem inhærent, & secundùm eandem intenduntur.

33 Ad secundum ex D. Thom. (quâtenus asserit augmentum non fieri *per additionem formæ ad formam, sed per hoc, quòd subiectum magis participet vnam, & eandem formā*) respōdeo illum locū non esse nobis contrariū; in eo enim solùm vult D. Thom. Intensiorē nō fieri per additionē formæ totalis ad formam totalem, sed per solam additionem gradûs ad gradum, hoc est, formæ partialis ad partialem, cum quâ constituit vnam, & eandem formam totalem, quæ se cōmunicando eidem parti subiecti, dicitur intēdi secundùm illam.

34 Ad tertium (quâtenus dicit extensionem non fieri per additionem partis ad partem, vt visitur in rarefactione: & inde infert neque Intensionem fieri per additionem gradûs ad gradum) respondeo in Quantitate considerari duplicem extensionem, alteram per ordinem ad totum; & hæc non potest fieri maior absque nouâ additione partium. Vnde retorqueri potest argumentum: nam sicut ista extensio non potest intelligi fieri maior absque additione partis ad partem, ita Intensio non potest intelligi fieri maior absque additione gradûs ad gradū. Secūda extensio est

per ordinem ad locum, & hæc sumpta in esse actuali consistit in Vbi Circumscriptiuo, & fit maior per additionem partis ad partem ipsius Vbi: vnde etiam ex illâ retorqueri potest argumentum, & ostendi Intensionem debere fieri per additionem gradûs ad gradum. Ad illud, quod adducitur de rarefactione, dicendum est rarefactionem fieri per additionem, & introductionem aëris, & aliorum corpusculorum per poros corporis, quod rarefit, vt latè diximus *tract. de Generatione n.* 311.

35 Ad quartum (quâtenus asserit maiorem velocitatem, quæ est veluti Intensio motûs, non fieri per additionem partis ad partem motûs) respondeo fieri per additionem plurium partium motûs in tempore æquali illi, quo motus tardior conficitur. Vide quæ diximus *in Phys. tr.* 3. *n.* 53.

36 Ad quintum (quâtenus dicit, si Intensio fieret per additionem gradûs ad gradû, tales gradus neque posse esse eiusdem, neque diuersæ rationis) ex inferiùs dicendis cõstabit esse eiusdem rationis. Neque est inconueniens, quód plura accidentia eiusdem rationis sint in eodẽ subiectõ, quãdo illa nõ sunt totalia, sed partialia; nam, licét in primo euentu alterum eorum sit superfluum, neutrum superfluum est in secundo; cùm per plurium adstentum intendatur eorũ effectus formalis, & fiat perfectior.

37 Ad sextum (quâtenus asserit Qualitatẽ spiritualẽ intendi: & tamen carere gradibus; caret enim partibus, & est omninó indiuisibilis) respondeo carere partibus extensionis, & in hoc sensu esse indiuisibilem: non carere partibus Intensionis. De quo diximus *tract.* 1. *de Anima n* 99.

§. 3.

Vtrùm gradus Intensionis sint omogenei: an etherogenei?

38 **S**Ecunda difficultas: Vtrùm gradus Intensionis sint eiusdem rationis, & omogenei? Illos esse etherogeneos, ita vt primus necessarió antecedat secundum, & secundus tertium; nec primus possit esse secundus, aut secundus tertius, opinantur P. Soar. *in Metaph. d.* 46. *sect.* 1. *num.* 30. P. Hurtad. *de Generat. disp.* 5. *§.* 67. P. Ægid. *de Actibus supernaturalibus disp.* 22. *num.* 3. Lorca 1. 2. *disput.* 14. *s.* 3. *in appendice*, Cardinalis Lugo *de Incarn. d* 5. *s.* 7. *n.* 44. Fracastorius *lib. de Sympatia c.* 6. P. Tellez *d.* 66. *s.* 2. *n.* 1. P. Compton. *de Generat. d.* 10. *s.* 3. *á n.* 1. qui hanc sententiam iterum approbat *in Met. d.* 10. *s.* 2. *n.* 6.

P. Soar. P. Hurt. P. Cònimc. Lorca P. Lugo Fracastor. P. Tellez. P. Cõpto.

39 Probatur, quia in contrariâ sententiâ asserentium gradus esse omogeneos, & primum per accidens esse primum (poterat enim esse secundus) sequitur primò non esse magis perfectum calorem vt octo existentem in hâc parte Quantitatis, quàm octo gradus caloris existentes in octo partibus Quantitatis, quilibet in suâ. Et hoc ostenditur, quia tot sunt gradus caloris in illis octo partibus Quantitatis, quám in hâc vnâ; deinde omnes sunt eiusdem rationis: ergo &c. Sequela autem est contra communem sententiam asserentium calorem magis intensum esse magis perfectum. Sequitur secundò; quamlibet Qualitatem, v. g. calorem, posse intendi in non tot quin plures gradus, ad eum modum, quo extensio potest accrescere non tantum quin magis; cùm enim omnes gradus sint eiusdem rationis, non est maior ratio cur non tot quin plures possint vniri diuersis partibus subiecti, non veró idem; hoc tamen communiter non admittitur. Sequitur tertió, non posse fieri Remissionem; cùm enim omnes gradus sint eiusdem rationis, non datur maior ratio cur Remissio incipiat potiùs fieri ab hoc, quàm ab illo. Sequitur quartó, quemlibet gradum esse tam perfectam Qualitatem, ac totam Qualitatem intensam vt octo: sicut quælibet pars Quantitatis, v. g. digitalis est tam perfecta Quantitas, ac tota Quantitas, v. g. cubitalis.

40 Sequitur quintò (& hoc est præcipuũ fundamentum P. Comptoni) calidum remissum, v. g. vt quatuor posse agere in sibi simile; cur enim in eo non posset producere vnũ gradum caloris, quẽ potest producere in subiecto remissiori? Sanè productio istius vlterioris gradûs nõ repugnat ex parte agẽtis; siquidẽ agẽs potest illum producere in subiecto remissiori: neq; repugnat ex parte passi; hoc enim solùm habet quatuor gradus, & est capax pluriũ: cur ergo agens non potest illũ producere in passo sibi simili? Huius ratio (inquit P. Comptonus) nõ potest assignari in cõtrariâ sentẽtiâ: in hâc est valde facilis, quia cùm gradus sint etherogenei, quartus gradus, cùm sit ignobilior, non potest attingere quintum nobiliorem: & hæc (inquit) est ratio á priori cur simile non possit agere in sibi simile.

41 Sextó sequitur (& hic est modernus Achilles huius opinionis in sententiâ admittẽtium Continuum componi solis Indiuisibilibus finitis, quẽlibet iustum quouis actu meritorio mereri tantũ augmẽti, quãtũ habet Gratię dignificãtis; quã actus meritorius eò est magis meritorius, quò procedit á persona magis gratâ (vt

(vt est communis sententia Theologorum) demus ergo quòd iustus habeat decem indiuisibilia Gratiæ ipsum dignificantis: sat è cuilibet indiuisibili dignificanti correspodet aliquid ex parte augmenti; certè non minùs indiuisibili: ergo decem illis indiuisibilibus dignificantibus correspondebunt alia decē indiuisibilia ex parte augmenti. Et, quod inde fit, quilibet iustus per quemlibet actum meritorium crescet in duplum, quod vulgó dicimus, *crecer ao galarim*, quód non est dicendū; id enim Theologi vix concedunt Beatissimæ Virgini apud P. Soar. *de vita Christi d.* 18. *de perfectione merit.& Grat. B.Virginis f.4.*& apud P.Eusebiū Nieremberg. *tract. aureo de affectione, & amore Mariæ c.*18. vbi pulchrè ostendit, si Beatissima Virgo ita semper in duplum merebatur, sequi ex regulis Arithmeticæ post duos dies, & priores duas horas à suo immaculato conceptu obtinuisse maiorem Gratiam, quam omnes Prædestinati simul, etiam si hi tot forent, quot grana arenę, quæ spatiū hoc medium inter terram, & Cælum occupare possunt; & id sequi ex modo merendi in duplum, per cōputos Arithmeticos curiosè probat, quod clarum est nulli alij cōpetere, quàm Beatissimæ Virgini: sequitur autem in contrariâ sententiâ, vt ostensum est, iustis omnibus competere. Non ita, si gradus sint etherogenei; tūc enim facilè dicitur gradibus Gratiæ dignificantis correspondere gradus augmenti inferioris ordinis; ac proinde non esse opus ponere Iusti meritum in duplū. Alia pro hâc opinione sunt argum ēta, quæ post nostram resolutionem commodioris doctrinæ gratiâ speciali titulo subijciemus.

P.Soar. P.Euseb. Nieremb.

§. 4.

Resoluitur gradus Intensionis esse omogeneos.

P.Vasq. P.Salas P.Fonsec. Patres Conimbr. P.Tolet. P.Rub. Ægid.Lus P.Gaspar Hurt. D.Bonau. Richard. Scotus Ocham. Gabriel Gregor. Mayron. Niphus P.Arriaga P.Ouiedo

42 Dico igitur gradus Intensionis esse eiusdē rationis, & omogeneos, & solùm per accidens primū esse primum, poterat enim esse secūdus, & secundū esse secundum, poterat enim esse primus. Ita P.Vasq. 1.2.d.82. c.6. P.Sal. ibidē q.3. tr.2. d.4. f.5. n.74. P.Fons. 8. Met q.2.c.3 f.3. ad 2 Patres Conimb. 1. *de Generat. c.4. q.*2. a. 3. ad vltimū, P.Tolet. ibidē c.3. q. 4 P.Rub. ibidē tr.3. q.5. Ægid. Lusit. l.12. q.10. a.3. §.5. n.29. P.Gasp. Hurt. 1.2. *tr. de Habitib. diffic.*2. D Bonau. Richard. Scot. Ocham. Gabr. Greg. Mayron. Niphus, & alij quos citat, & sequitur P. Arriaga *de Generat. d.* 3. *n.*65. P. Ouiedo *de Generat. controuers.* 4. *puncto* 2.

43 Probatur, quia non sunt admittendæ entitates absque necessitate; nulla autem apparet necessitas admittendi in Intensione gradus etherogeneos diuersæ rationis inter se. Et hoc ostenditur, quia positis pluribus gradibus eiusdem rationis in eâdem parte subiecti sufficienter intelligitur intendi albedo, aut color. Probo hoc, quia intelligitur perfici: non extensiuè: ergo intensiuè.

44 Et confirmatur primò in grauitate; ponantur enim in manu, vel in bilāce decē globuli ferrei, quorū quilibet solùm habeat grauitatē vt vnū, profectò manus in eo euentu maiorē sentiet grauitatē, fortiùsque bilanx deorsum impelletur, quàm si vnū tantū globulum sustineret: ergo per solā multiplicatioē grauitatū eiusdē omninò rationis sentitur maior effectus: ergo similiter in calore, & in alijs Qualitatibus.

45 Cōfirmatur secūdò, & declaratur alio exēplo vini rubri, quod sit intensissimè rubrū; nā si illi misceatur aqua, nō apparet tā rubrū: & tamen gradus coloris adhuc sunt ibidem; tū quia aqua nullū habet colorē contrariū ruboris; tū quia, si illa aqua extrahatur, vt extrahi potest, iterū vinū apparet tā rubrū, ac anteà: ergo Intēsio, & Remissio solâ cōiūctione, vel separatione graduū eiusdem rationis saluatur.

46 Tertió, quia Aduersarij in quolibet gradu admittunt suā latitudinē, & diuisibilitatē in eo tot quàmplures partes, quibus dicūt quemlibet gradū integrari, sicut tota Qualitas gradibus: aut igitur hæ partes, seu gradus graduū sunt eiusdē rationis, aut non. Si eiusdem rationis, sicut Intensio cuiuslibet gradûs intelligitur constare gradibus omogeneis, ita Intēsio totius Qualitatis intelligitur cōstare gradibus similiter omogeneis. Non dices gradus graduū esse diuersę rationis; tum quia videtur inintelligibile quemlibet gradum constare gradibus etherogeneis, & dissimilaribus in infinitū; tum quia, ijs admissis, admittitur infinitum actu: nam illi gradus, si sunt dissimilares, ac diuersi, non solùm potentiâ (vt de partibus Continui diximus *tract.*4. *á num.*174.) sed actu sunt infiniti, vt ex dictis eodem *tract.* & loco cit. manifestum est.

47 Quartò, quia itâ se habent partes Intensionis in Qualitate, ac partes extensionis in Quantitate, cum hoc discrimine, quòd illæ respondent eidem parti subiecti, hæ verò diuersis; atqui partes extensionis in Quantitate sunt eiusdem rationis: ergo idem dicendum de partibus Intensionis in Qualitate.

48 Quintò addi solet, quia in contrariâ sententiâ, si duo iusti, nimirum Petrus habens vnum gradum Gratiæ, & Paulus habens duos, eliciant actum æqualiter meritoriū, sequitur

quòd accipient præmium inæquale; nam Petrus solùm acciperet secundum gradum Gratiæ, Paulus veró tertium: hic autem est perfectior. Verùm hoc difficilè conuincit; cùm enim Quantitas meriti etiam desumatur à maiori Gratiâ, vt patet in Christo Domino, cuius meritum infinitum desumebatur à Naturâ dignificatâ per Suppositum infinitum, vt Petrus habens vnum gradum Gratiæ eliceat æquale meritum cum Paulo habente duos gradus Gratiæ, debet elicere actum magis perfectum, cuius scilicet maior perfectio exæquet maiorem dignitatem, quam Paulus desumit ex maiori Gratiâ, quam habet. Et si Petrus eliceat hunc actum perfectiorem, quid mirum, quòd accipiat æquale meritum cũ Paulo habente maiorem Gratiam, ac eliciẽte actũ minùs perfectum?

49 Neque fundamenta opinionis contrariæ oppositum suadent. Ad primum (quâtenus asserit octo gradus caloris existentes in octo partibus Quantitatis esse tam perfectum calorem, ac octo gradus caloris existentes in eâdem parte Quantitatis) respondeo, esse tam perfectum essentialiter, non veró accidẽtaliter: non, inquam, accidentaliter, quia virtus magis vnita, magis perficitur; & hinc est quòd fortiùs operetur, quod videre est in pluribus ignibus vnitis; inde tamen non sequitur gradus caloris esse etherogeneos, sicut nec partes ignis.

50 Ad secundum (quâtenus asserit sequi ex nostrâ sententiâ quamlibet Qualitatem, v. g. calorem, posse intendi in non tot, quin plures gradus, sicut extensio, eo quòd cõstet partibus eiusdem rationis, potest accrescere sine termino) respondeo, id ex parte Qualitatis non repugnare: sed ex parte capacitatis subiecti, quæ cùm sit valde limitata, non potest secundùm eandem partem exigere, aut recipere Qualitatem adeò intensam. Vide quæ diximus *tract. de Generat. n.* 215.

51 Ad tertium (quâtenus dicit sequi non posse fieri Remissionem, quia non est maior ratio cur incipiat fieri potiùs ab hoc gradu, quàm ab illo) respondeo gradum vltimò productum debere primò destrui, iuxta illud Aristotelis *lib.* 2. *de Generat. Animal. cap.* 4. ibi: *Euenit in omnibus, vt quod vltimum fit, id primum deficiat: & quod primum, id vltimum.* Alij respondẽt, & quidem probabiliter, ad Deum spectare tanquam ad Auctorem Naturæ determinare potiùs vnum gradum, quàm alium. *Aristot.*

52 Ad quartum (quâtenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ quemlibet gradum esse tam perfectam Qualitatem intensam) dicendum est Qualitatem remissam esse tam essentialiter Qualitatem, atque intensam, ad eum modum, quo Quantitas vnius palmi est tam essentialiter Quantitas, ac Quantitas octo palmorum; id tamen non tollere quominùs Qualitas intensior sit accidentaliter perfectior, sicut etiam Quantitas extensior accidentaliter perfectior est.

§. 5.

Occurritur quinto, & sexto argumento.

53 AD quintum P. Comptoni (quâtenus asserit sequi ex nostrâ sententiâ agens remissum, v. g. calidum, vt quatuor, posse intendere sibi simile producendo in eo vlteriorem gradum caloris: neque in hâc sententiâ assignari posse rationem cur id negetur, sed solùm in contrariâ, in quâ dicitur quartum gradum ex eo, quòd sit ignobilior nõ posse producere quintum nobiliorem) respondeo, in sententiâ Aduersariorum huic argumento non satisfieri; nam cur quæso calidum vt quatuor non producit in passo alios quatuor gradus sibi similes? Non producat bonis auibus illum quintum nobiliorem, quem non potest attingere: at producat alios quatuor sibi similes, vel saltem aliquem ex illis; & maneat passum cum suis quatuor, quos habebat, & simul cum alijs quatuor eiusdem rationis, vel aliquo ex illis.

54 Dices, In eodem subiecto non posse esse plures gradus eiusdem rationis. Sed contrà, quia id prętерquamquòd suadeant adducta exempla globulorum in bilance, & vini rubri, cui aqua admiscetur, manifestè videtur conuinci exemplo illius, qui in eodem instanti eliceret simul duos actus Misericordiæ eiusdem omninó rationis; non enim videtur negandum, quòd hic mereretur duos gradus Gratiæ eiùsdem omninò rationis, qui vnirentur in vnam Gratiam intensiorem quolibet gradu se solo. Et hoc exemplum non solùm est optimum, sed potest esse non leue nostræ resolutionis fundamentum.

55 Necessariò igitur Aduersarijs recurrendum est ad nostram, & communem rationem, quâ cum Aristotele 1. *de Generat. text.* 41. & 3. *Phys.* 15. dicimus agens vniuocum non posse agere in sibi simile, quia solùm intendit sibi assimilare passum. Et huius ratio est, quia in tantùm agit, in quantùm intendit se propagare in sibi simili; vnde vbi iam inuenit sibi simile, cùm cesset finis actionis intentus à Naturâ, cesset ipsa actio necesse est. *Aristot.*

56 Dices pro P. Comptono: Agens aliquando sibi dissimilat passum: ergo ea ratio,

tio agendi, vt sibi illud assimilet, non est sufficiens. Antecedens ostenditur primò in igne vnius palmi, qui producit calorē in passo duorum palmorū; si enim solùm intenderet sibi simile, sisteret in vno palmo passi. Secundò, quia calidum vt duo simul concurrens cū calido vt sex ad calidum vt quatuor, concurrit ad sibi dissimile, nēpe ad calidū vt quatuor. Respondeo nunqrā agens vniuocum per se intendere talem dissimilationem; sed assimilationē, licèt aliquando per accidens sequatur dissimilatio. Ad primum, dico ignem vnius palmi solùm intendere in passo similitudinem caloris, & solùm per accidens sequi dissimilitudinem in extensione. Ad secundum, respondeo similiter calidum vt duo solùm per se intēdere assimilare passum in duobus gradibus, licèt ratione alterius calidi vt sex, á quo eleuatur, quatuor gradus assequatur per accidens.

57 Ad sextum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit in nostrâ sententiâ sequi cuilibet indiuisibili ex parte Gratię dignificantis correspondere vnum indiuisibile ex parte augmenti, ac proinde quemlibet iustum, v.g. habentem decē indiuisibilia Gratiæ, quouis actu meritorio acquirere tantum augmēti, quantum habet Gratiæ dignificantis: & quod inde fit, per quemlibet actum meritoriū crescere in duplum) respondeo, argumentum non habere vim in nostrâ sententiâ, quæ cum Aristotele non componit Continuum ex solis Indiuisibilibus finitis, sed ex partibus in infinitū quâlibet minimâ minoribus, de quâ nos latè *in Physic tr. 4. à n. 52.* nam in hâc nostrâ sententiâ facilè dici potest cuilibet parti Gratiæ dignificantis correspondere aliquam minorem ex parte augmenti; minorem, inquam, quâlibet minimâ dignificante.

58 Dices, oportere augmentum habere tot partes, quot habet Gratia dignificans; quia Gratia dignificans secundùm omnes suas partes dignificat: ergo cuilibet eius parti correspondet aliqua pars augmenti; si igitur augmētum tot debet habere partes, quot ipsa Gratia dignificans, benè sequitur debere esse æqualem; nam Tota, quæ constant partibus æqualibus, debent esse æqualia. Respondeo hoc argumentū iam non esse speciale contra gradus omogeneos, sed generale contra partes Cōtinui in opinione Aristotelicâ, quâtenus admittit in minori quantitate, v.g. vnius palmi, tot partes, quot in maiori quantitate, v.g. cubitali. Et argumento communiter responderi solet non admitti tot partes certas, sed solùm tot partes incertas; de quo nos latè *in Phys. tract. 4. à n. 15.* Et quælibet duo Tota licèt habeant tot partes incertas, non habent tot partes certas, sed valde inæquales.

59 Hactenus in nostrâ opinione Aristotelicâ. Quòd si procedatur in contrariâ Zenonis, quæ Continuum componit ex solis Indiuisibilibus finitis, negari non potest prædictum argumentum de augmento Gratiæ in duplum habere suam vim: sed quæ potiùs probat Continuum nō cōstare solis Indiuisibilibus finitis. Imò aliqui putant neque hoc cōuincere; quia Indiuisibilia dignificantia non dignificant diuisiuè, hoc est, quodlibet se solo, sed per modū vnius cum alijs: & huic Toto dignificāti semper correspondet augmentum minus. Sed cōtrá, quia nullum Indiuisibile amittit per coniunctionem cum alijs, quod ipsum habebat se solo: si ergo cuilibet se solo correspondent tota quot sunt ipsa dignificantia, tot etiam debet correspondere simul sumptis.

§. 6.

Alia argumenta soluta.

60 OBijcies adhuc primò. Si ad Intensionem caloris, v.g. sufficiat duo gradus eiusdem rationis in eâdem parte subiecti, etiam duæ partes Quantitatis penetratæ in eâdem parte subiecti efficient Quantitatem magis intensam; sed hoc non admittitur: ergo neque illud. Respondent plures Recentiores, etiam in eo euentu Quantitatem intendi: verùm id non habere Quantitatem suâpte naturâ, sed miraculosè. Responderi potest secundò, solas partes Qualitatis intendi; non verò partes Quantitatis etiam in eo euentu. Diuersa ratio est, quia partes Quantitatis naturâ suâ non ordinantur ad Intendēdum, sed ad extendendum; vnde constitutæ in eodem loco erunt penetratæ, non tamen intensæ: partes verò Qualitatis suâpte naturâ ordinantur ad intendendum, & non ad extendendum; vnde in eodem loco non sunt penetratæ, sed intensæ. Itaque non quæuis libet partium multiplicatio est Intensio, sed sola multiplicatio partium, quæ naturâ suâ multiplicantur in eâdem parte subiecti, & ad id ordinantur.

61 Quid autem dicendum in euentu, quo octo partes Quantitatis penetrarentur, & in quâlibet parte suus existeret gradus caloris distinctus: diceretur ne ille calor intensus vt octo? Pro parte affirmatiuâ facit, quòd octo illi gradus caloris in eodem loco videntur plus calefacturos, quám si vnus tantùm existeret. Respondeo non plùs calefacturos; quia illud calidum, quod per penetrationem solùm erat calidum vt vnum, post penetrationem adhuc manet calidum solùm vt vnum; nam calidum

vt vnum constituitur per vnum gradum in vnâ parte; & illud calidum non habet nisi vnũ gradum caloris in quâlibet parte: sicut ergo post penetrationem adhuc manet calidum solùm vt vnum, ita solùm calefaciet vt vnum. Dices, illos gradus vniri inter se. Respondeo non vniri secundùm eandem partem subiecti, sed secundùm diuersas. Instabis, partes subiecti multiplicari secundùm eandem partem loci: ergo etiam partes caloris; ac proinde eãdem partem loci plùs calefacturas. Respondeo partes caloris multiplicari, at non secundùm eandem partem calidi, sed secundùm diuersas: & cùm quælibet solùm sit calida vt vnum, non potest producere in loco nisi calorem vt vnum. Replicabis, quamlibet partem producere calorem vt vnum in eâdem parte loci. Respondeo solam primam illam producere, aliæ partes iam inueniunt passum sibi simile. Vrgebis, partes posse esse æquè simul, Respondeo tunc illum gradum partialiter produci ab omnibus, quæ mutuò accommodantur; ne quælibet illum totum producat: sicut quando plures eleuant idem pondus, quod quilibet se solo eleuare poterat. Tota hæc doctrina clariùs intelligetur, si sicut ponitur exemplũ in *calido*, ponatur in *albo*; nam album vt vnum, si eius partes penetrentur, adhuc manet album vt vnum: sic accidentia Christi Domini posita in indiuisibili Eucharistico non intenduntur; aliás calor Christi in Eucharistiã esset intensior, quàm in Cælo.

62 Obijcies secundò. Si gradus Qualitatis sunt eiusdem rationis, sequitur calidum vt vnum posse producere in aliquo subiecto calorem intensum vt octo. Et hoc probatur, quia calidum vt vnum potest producere octo gradus vt vnum in diuersis subiectis: ergo etiã in eodem. Respondeo calidum vt vnum non posse producere in vno subiecto nisi calorem vt vnum, quia per illum sibi assimilat passum, & postquam illud sibi assimilat, non potest in eo aliquid ampliùs producere; quia agens non operatur in sibi simile: quod pleniùs liquet ex dictis *n.55.*

63 Obijcies tertiò. Si gradus non sunt dissimiles, sequitur Qualitates non magis opponi in gradibus intensis, quàm in remissis. Et hoc probatur, quia octauus gradus caloris, non addit aliquem effectum formalem magis repugnantem frigori, quàm primus. Respondeo Qualitates solùm contrariari in gradibus intensis, aut propter incapacitatem subiecti, vt aliqui dicunt: aut quia solùm sic de se sunt dispositiones ad diuersas formas substantiales, quas in vno subiecto Natura non admittit; constituunt enim diuersæ formæ diuersa cõposita; & Natura, cùm de se semper intendat perfectiùs, non intendit diuersa cõposita, sed vnum; perfectior enim est vnitas, quàm multiplicitas.

64 Obijcies quartò. Beatus, qui habet Visionem Beatam intensiorem, perfectiùs videt Deum, vt est cõmune Theologorum: sed hoc non potest defendi, si gradus intensionis sint eiusdem rationis. Probo hoc, quia quatuor Visiones, quælibet vt duo, vident æquè perfectè, ac vna Visio vt octo; sicut quatuor homines, quorum quilibet habeat duos aureos, sunt æquè diuites, ac vnus habens octo: ita ergo se habet illa vna Visio vt octo, ac illæ quatuor Visiones vt duo: cõ ergo videt perfectiùs Deum illa vna Visio intensa vt octo, ac illæ quatuor Visiones remissæ vt duo: ergo cum eo, quòd gradus sint eiusdẽ rationis, stare nequit quòd omnis Visio intensior videat Deũ perfectiùs.

65 Respondeo, quando dicimus Visionẽ intensiorem videre Deum perfectiùs, id intelligendum esse factâ comparatione cum quâlibet aliâ minùs intensâ diuisiuè, non tamẽ cum omnibus alijs minùs intensis collectiuè; aliàs Visio, vt quatuor, videret Deum perfectiùs, quàm tot, quin plures Visiones vt duo collectiuè sumptæ.

66 Instabis: Visio Beata, quæ est intensior videt plures creaturas, quàm quælibet minùs intensa: ergo videt perfectiùs, quàm reliquæ omnes collectiuè. Respondeo negando Antecedens cum communi Theologorum apud P. Soar. *in Summa l.2. c.26.* qui cõmuniter dicunt Visionem Beatam minùs intensam posse attingere plures creaturas, quàm alia intẽsior; quẽadmodum visio naturalis remissa potest attingere plura obiecta, quàm alia intensa. *P. Soar.*

67 Pro complemento huius doctrinæ: Quæres primò, Vtrùm in Qualitate intensâ dentur gradus infiniti quolibet minimo minores, actu distincti? Respondendum est dari gradus non tot, quin plures non actu, sed potentiâ distinctos; ad eum modum quo in Cõtinuo dantur partes infinitæ solâ potentiâ distinctæ. De quo *in Phys. tract.4. à n.115.* latè disseruimus.

68 Quæres secundò, Vtrùm Intensio gradualis competat omni, & soli Qualitati? Respondeo cum communi Intensionem gradualem competere soli Qualitati propriè, ac per se, non tamen omni; non enim competit potentijs, nimirum Intellectui, & Voluntati. De hoc *in Logica tract.5. à n. 84.*

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Speciebus Qualitatis in particulari.

QVATVOR amplexa Sectiones. Prima de Habitu, & Dispositione. Secunda de Naturali Potentiâ, & Impotentiâ. Tertia de Patibili Qualitate, & Passione. Quarta agit de Formâ, & Figurâ.

SECTIO I.

De Habitu, & Dispositione.

69 HABITVS, & Dispositio non collocantur immediatè sub Qualitate in communi, sed sub prima Specie Qualitatis, quæ definitur, *Qualitas benè, vel malè afficiens subiectum*, nimirum *potentiam proximam*, quæ sola hoc loco venit nomine *subiecti*. Et ratio est, quia hæc prima aducenit Substantię primarió propter eius operationem, aut vt eius terminus, aut vt eius comprincipium proueniens ab extrinseco; vtrumque autem proximè afficit potentiam, seu principium proximum, vt patet. Particula, *benè, vel malè afficiens*, non solùm procedit de bonitate, & malitiâ morali; sed etiam de conuenientiâ, vel disconuenientiâ respectu potentiæ: quo pacto se habet Scientia, quæ conuenit Intellectui: & error, qui illi nō conuenit. Subdiuiditur igitur hæc prima Species in Habitum, & Dispositionem. Habitus definitur: *Qualitas benè, vel malè afficiens subiectum, quæ difficilè abijci potest.* Dispositio definitur: *Qualitas benè, vel malè afficiens subiectum, quæ facilè abijci potest.* Neutra est Species infima, sed qualibet in plures sibi subiectas distribuitur.

§. I.

Rectène definiantur Habitus, & Dispositio?

70 PRima difficultas: Vtrùm prædictæ definitiones rectè habeant? Plures, & optimi Recentiores illas improbant. Primò, quia definitio Habitûs excurrit vltra definitum, & competit alijs Qualitatibus, quæ Habitus non sunt, nimirum characteribus Sacramentalibus, qui etiam sunt Qualitates benè, vel malè afficientes Animam, quæ difficilè abijci possunt; siquidem solùm dependent in fieri, non autem in conseruari à Sacramentis, á quibus producuntur. Secundò, quia definitio Dispositionis etiam competit alijs Qualitatibus, quæ Dispositiones nō sunt, nimirum luci, & potentijs vitalibus, quæ facilè abijci possunt, hoc est, dependent in fieri, & conseruari; lux á Sole; potentiæ ab Animâ, á quibus producuntur.

71 Quare dicunt hi Magistri: aliter Habitus, aliter Dispositio definiri debet. Habitus hoc modo, *Est qualitas, seu principium operationis ab extrinseco*: Dispositio autem sic, *Est qualitas, seu terminus operationis immanentis.* Vnde ad Habitum, inquiunt, spectant omnes Habitus, siue nostris actibus acquisiti; siue per se, siue per accidens infusi; siue naturales, siue supernaturales; siue virtutum, siue vitiorum; siue Intellectûs, siue Voluntatis: item omnes Species impressæ, siue naturales, siue supernaturales; siue Angelicæ, siue humanæ intelligibiles; siue sensuum internorum, siue sensuum externorum; cùm hæc omnia sint principia, siue comprincipia operationum ab extrinseco. Similiter ad Dispositionē spectant omnes termini operationum immanentium, siue corporei vt termini sensationum, siue spirituales; & hi, siue sint termini operationum Intellectûs, siue Voluntatis; siue operationum naturalium, siue supernaturalium; siue virtutum, siue vitiorum. Dicunt, *immanentium* vt excludant terminos operationum Intellectûs Agētis, nimirum Species intelligibiles: item species, quas sensus externi transmittunt in sensum internum, quæ omnes, cùm sint comprincipia operationum ab extrinseco, sub Habitu potiùs, quàm sub Dispositione collocari debent.

72 Nihilominus non videtur recedendum

dum á communibus definitionibus, quæ desumuntur ab Aristotele *Cap. de Qualitat. tex.* 1. Illas tradunt, & approbant Commentatores ibidem, Patres Conimbr. *in Log. q.* 1. *de Qualitate art.* 3. P. Soar. *in Met. d.* 42. *sect.* 5. *n.* 15. P. Hurt. *in Met. d.* 14. *n.* 9. P. Fons. 5. *Met. cap.* 14. *q.* 2. *sect.* 1. & 2. P. Rub. *cap. de Qualitate q.* 2. *n.* 34. P. Vasquez *tom.* 1. *in* 1. 2. *ad q.* 21. *á d.* 78. *cap.* 3. P. Tellez *d.* 61. *s.* 2. P. Compton. *in Met. d.* 10. *s.* 1. *n.* 3. Probatur primó, quia prædictæ definitiones conueniunt omni, ac soli definito, nimirum definitio Habitûs omnibus, ac solis Habitibus; definitio Dispositionis omni, ac soli Dispositioni, vt ex solutione eorum, quæ pro parte contrariâ adducuntur, statim apparebit. Probatur secundò, quia in contrariâ sententiâ species impressæ sensuum externorum numerantur inter Habitus; cúm re verâ Habitus non sint. Et hoc ostenditur, quia Habitus, & ea, quæ se habent per modum Habitûs, vt docet Aristoteles loco cit. dicunt permanentiam, & causas difficilis expulsionis, hoc est, dependentiam solùm in fieri à suâ causâ: at veró species sensuum externorum nō dicunt huiusmodi permanentiam; cùm pendeant in fieri, & conseruari à suis causis efficientibus, nimirum ab obiectis, quibus destructis illicò ipsæ species euanescunt. Tertiò, quia in contrariâ sententiâ definitio illa desumpta ab Aristotele, *Dispositio est qualitas benè, vel malè afficiens subiectum, quæ facilè abijci potest*, conuenit ipsis speciebus impressis, quæ in contrariâ opinione Dispositiones non sunt: definitio autem siue sit essentialis, siue descriptiua, vt sit bona, non debet excurrere vltra definitum; neque aliqua assignabitur, quæ bona sit, & tamen vltra definitum excurrat.

Aristot. Patres Conimbr. P. Soar. P. Hurt. P. Fonsec. P. Rub. P. Vasq. P. Tellez. P. Côton.

73 Iuxta has definitiones communiter receptas, & approbatas, ad Habitum spectant omnes Habitus; siue naturales, siue supernaturales; siue infusi, siue acquisiti; siue vitiorum, siue virtutum; siue Intellectûs, siue Voluntatis: item omnes species Intellectûs; omnes species sensûs interni: item impulsus à proijciente in proiectis impressus, & cætera omnia, quæ sunt Qualitates benè, vel malè afficientes potentiam, quæ difficulter abijci possunt, hoc est, solùm dependent in fieri, non verò in cōseruari à suis causis. Ad Dispositionē spectant species sensuum externorum; item omnes actus, seu operationum immanentium termini, tam materiales, quám spirituales; tam naturales, quám supernaturales: item Qualitates in medio productæ á magnete, succino, & torpedine; influxus cælestes; cùm hæc omnia habeant causas facilis expulsionis, hoc est, dependeāt in fieri, & conseruari á suis causis.

74 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus asserit definitionem Habitûs non esse bonam, quia etiam cōpetit characteribus Sacramentalibus; nam etiam beneé, vel malè afficiunt subiectum, & difficilè abijci possunt) respondeo characteres Sacramentales reijci á definitione Habitûs: tum quia non adueniunt Substantiæ propter eius operari, sed primariò propter eius ornatum: tum quia non in potentiâ Animæ, sed in ipsâ Animâ immediatè subiectantur. Ad secundum (quâtenus dicit definitionem Dispositionis etiam competere luci, ac potentijs vitalibus; nam hæ habent causas facilis expulsionis; siquidem dependent in fieri, & conseruari à suis principijs) respondeo lucem reijci á definitione Dispositionis, quia non aduenit soli primarió propter eius operationem, sed propter eius ornatum. Potentiæ vitales reijciuntur ab hâc primâ Specie, quia non adueniunt ab extrinseco, sed sunt insitæ á Naturâ, non acquisitæ, vel infusæ.

§. 2.

Quo pacto differant inter se Habitus, & Dispositio?

75 Secunda difficultas: Vtrùm Habitus, & Dispositio distinguantur essentialiter? Distingui solùm accidentaliter existimare videtur D. Thom. *q.* 7. *de malo a.* 1. Boëtius, Amonius, Albert. M. Ægid. Scot. Alexand. de Ales, Louanienses, & alij, quos sequuntur P. Vallius *tom.* 1. *cap. de Qualitate q.* 3. *c.* 3. P. Salas 1. 2. *q.* 52. *disp.* 5. *sect.* 1. *num.* 30. P. Vasq. *tom.* 1. *in* 1. 2. *d.* 78. *n.* 20. P. Ouiedo *in Met. controuers.* 8. *puncto* 2. *n.* 3. Probatur primó, quia facilè, & difficilè abijci solùm arguit discrimen accidentale. Et hoc ostenditur, quia in tertiâ specie aliquæ sunt Qualitates, quæ facilè abijciuntur, hoc est, dependent in fieri, & conseruari, vt lux: aliæ difficilè abijciuntur, hoc est, solùm dependent in fieri, vt calor ignis. Probatur secundò, quia magis conuenit aliqua Dispositio cum aliquo Habitu, quám cum aliquâ aliâ Dispositione, nimirum species impressa oculi magis conuenit cum specie impressâ Phantasiæ, quám cum conceptu Intellectûs; atqui non differt essentialiter à conceptu Intellectûs, cùm ambo sint Dispositiones: ergo neque ab specie Phantasiæ.

D. Thom. Boëtius Amonius Albert. M. Ægid. Scotus Alens. Louaniens. P. Vallius P. Salas P. Vasq. P. Ouiedo

76 Dicendum tamen probabiliùs videtur Habitum, & Dispositionem distingui essentialiter. Ita Aristoteles *in Prædicamentis cap.* 12, & 2. *Topicor. cap.* 2. D. Thomas apud P. Aleman.

Aristot. D. Thom.

P. Aleman. Caetan. Sotus. P. Soar. Patres Conimbr. P. Tellez. P. Valent. P. Fons. P. Rub.

Aleman. 1. 2. *Sum. Philos. q.* 12. *a.* 3. Caietan. Sotus, & alij, quos citant; & sequuntur P. Suar. *in Met. d.* 42. *sect.* 6. *a n.* 15. Patres Conimbric. *q.* 1. *de Qualit. a.* 3. P. Tellez *disp.* 61. *sect.* 1. *num.* 3. P. Valent. *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 1. *puncto* 1. P. Fons. 5. *Met. cap.* 14. *q.* 2. *s.* 2. P. Rub. *in Log. cap.* 8. *de Qualitate q.* 2. *n.* 34. Probatur, quia Habitus ex naturâ suâ difficulter abijcitur, hoc est, solùm dependet in fieri à suâ causâ: Dispositio ex naturâ suâ facilè abijcitur, hoc est, dependet in fieri, & conseruari: hoc autem arguit naturas, & essentias diuersas; nam quoties vna res ex naturâ suâ postulat aliquod prædicatum, quod ab aliâ non postulatur, differt ab illâ essentialiter, neque assignabitur exemplum in contrarium.

77. Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit facilè, & difficilè abijci solùm arguere discrimen accidentale, vt patet in tertiâ Specie, in quâ collocatur lux, quæ pendet in fieri, & conseruari, & simul calor, qui solùm dependet in fieri) patet solutio ex dictis. Dicendum enim est facilè, & difficilè abijci ex naturâ suâ arguere naturas, seu essentias diuersas. Verum quidem est, quòd sub Patibili Qualitate continentur aliquæ Qualitates, quæ facilè, aliæ veró, quæ difficilè abijciuntur; id tamen non habent ex naturâ suâ, hoc est, ex genere suo, & formaliter, quâ Patibiles Qualitates, sed aliunde: Habitus veró per se, & formaliter quâ talis postulat difficilè abijci; & Dispositio formaliter quâ talis postulat facilè abijci, vt constat ex dictis.

78. Ad secundum (quatenus dicit magis conuenire speciem impressam sensûs externi cum specie impressâ sensûs interni, quàm cum conceptu Intellectûs: malè ergo potiùs collocari cum conceptu sub Dispositione, quàm cum specie sensûs interni sub Habitu) respondeo speciem impressam sensûs externi formaliter, quà Dispositio est, magis conuenire cum conceptu Intellectûs, quàm cum specie sensûs interni; nam cum conceptu conuenit in eo, quòd vtrumque pendeat in fieri, & conseruari: in quo differt ab specie sensûs interni. Verum quidem est, quód secundùm suam rationem secundariam talis, vel talis Dispositionis, nimirum corporeæ, repræsentatiuæ &c. magis conuenit cum specie sensûs interni, quàm cum conceptu Intellectûs: nostra verò quæstio solùm procedit de ratione primariâ Habitûs, & Dispositionis, non attendendo ad secundariam, nimirum ad id, quòd sit spiritualis, vel corporea.

SECTIO II.

De Naturali Potentiâ, & Impotentiâ.

79. SVPPONO primò cõmunes definitiones Naturalis Potentiæ, & Impotentiæ, quæ habent sic: Naturalis Potentia, *Est qualitas insita à naturâ, quâ res facilè agit, aut resistit*: Naturalis Impotentia, *Est qualitas insita à natura, quâ res difficilè agit, aut resistit*. Suppono secundò, Naturalem Potentiam, & Impotentiam solùm inter se distingui accidentaliter; eadem enim Potentia videndi, quę in suo vigore dicitur Potentia; sumpta in senectute, & iam debilitata dicitur Impotentia: eiusdem autem ad se ipsum non datur discrimen essentiale. Suppono tertiò, ad hanc secundam Speciem spectare omnes, ac solas Qualitates, quæ sunt insitæ à naturâ, & per se primò ordinantur ad operandum: vnde non benè aliqui Recentiores sub illâ collocant impulsum lapidi impressum; hic enim non est lapidi insitus, sed imprimitur ab extrinseco. Et idem dicendum de Qualitate succini impressâ paleis, & de Qualitate magnetis impressâ ferro, & de Qualitate torpedinis impressâ brachio, & similibus, quas suprà ad primam Speciem reuocauimus *numero* 73. Suppono quartò, hanc secundam Speciem non esse infimam, vt per se patet, sed subalternam. In quasnam Species subdiuidatur? non est certum; sunt enim octo Potentiarum Species, de quibus dubitari potest, Vtrùm sub hâc secundâ Specie collocentur? Huiusmodi sunt Potentia purè actiua: secunda, Potentia purè passiua: tertia, Potentia mixta, quæ, scilicet est partim actiua, partim passiua: quarta, Potentia neutra: quinta, Potentia violenta: sexta, Potentia purè restitiua: septima, Potentia supernaturalis: octaua, Potentia obedientialis.

§. I.

Vtrùm detur Potentia purè actiua de genere Qualitatis?

80. PRima difficultas: Vtrùm detur Potentia purè actiua, quæ sub hâc Specie collocetur? Videtur nullam esse possibilem, quia omnis potest recipere saltè suum Vbi, suas relationes, & suam inhærentiam. Dicendum tamen cum P. Soar. *in Met. disp.* 43. *sect.* 2. *n.* 1. & P. Tellez *d.* 61. *sect.* 2. *num.* 10. dari Potentiam purè actiuam, quæ sub hâc Specie P. Soar. P. Tellez.

collocetur; huiusmodi sunt Intellectus Agens, quem realiter distingui à Possibili ostendimus tr. 7. de Anima n. 96. item potentia generatiua; loco motiua; virtus attractiua, quæ est in magnete; grauitas, & leuitas; cæteræque potentiæ transeuntes, quæ solùm producunt, & non recipiunt suos actus. Probatur, quia illa potentia dicitur purè actiua, quæ tantùm efficit, & non recipit suas operationes: at verò ita se habet Intellectus Agens, potentia generatiua, & loco motiua, virtus attractiua, grauitas, leuitas, &c. Neque obstat, quòd hæ potentiæ recipiant suum Vbi, & relationes, nam inter Philosophos illa potentia dicitur purè actiua, quæ tantùm producit, & non recipit suos actus, & suas operationes propriè dictas, prout operationes condistinguûtur ab emanationibus.

81 Dices: Grauitas, & leuitas non sunt potentiæ: ergo perperam eas sub hâc secundâ Specie collocamus. Antecedens ostenditur, quia potentiæ specificātur per suos actus: grauitas autem, & leuitas non specificantur per suos actus, nimirum per motus. Et hoc probatur, quia motus sursum, & deorsum, cùm terminentur ad vbicationes eiusdem rationis sunt etiam eiusdem speciei; grauitas verò, & leuitas sunt diuersæ speciei. Respondeo potentias non specificari per suos actus materialiter, sed formaliter spectatos: at verò motus sursum, & motus deorsum habent diuersas formalitates, vt patet.

§. 2.

Vtrùm detur Potentia purè passiua de genere Qualitatis?

82 Secunda difficultas: Vtrùm detur Potentia purè passiua, quæ sub hâc Specie collocetur? Affirmant plures Recētiores. Probatur primò ex Aristotele 5. *Met.* c. 12. vbi diuidit Potentiam in actiuam, & passiuam: ergo sentit dari potētiam purè passiuam. Et confirmatur, tum ex D. Thom. q. 1. *de Virtutibus* a. 1. vbi diuidit Potentiam in actiuam, & passiuam, & mixtam: tum ex eodem Aristotele, qui in *problemate* 12. f. 31. reddens rationem cur oculus dexter non sit aptior ad videndum, quàm sinister, sicut manus dextra robustior est, quàm sinistra, dicit manum esse potentiam actiuam, oculum verò passiuam. Probatur secundò, quia datur potentia purè passiua de genere Substantiæ, nimirum Materia prima: item potentia purè passiua de genere Quantitatis, scilicet, ipsa Quantitas: ergo etiam dabitur Potentia purè passiua de genere Qualitatis. Tertiò, quia Aristoteles 2. *de Generatione* docet humiditatem, & siccitatem esse Potentias passiuas, & certè diaphaneitas aëris, & crystalli videtur esse Potentia purè passiua ad recipiendam lucem: item dispositiones, quæ se habent ex parte subiecti, videntur esse Potentiæ purè passiuæ. Quartò, quia vt docet Aristoteles 9. *Met.* cuilibet Potentiæ actiuæ correspondet Potentia passiua, sicut è contrà Potentiæ passiuæ correspondet actiua; sed possibilis est Potentia purè actiua: ergo possibilis erit Potentia purè passiua.

D. Thom.

Arist.

Arist.

83 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium non dari Potentiam purè passiuam de genere Qualitatis, quæ sub hâc Specie collocetur. Ita P. Soar. *in Met.* d. 43. *sect.* 2. n. 5. Patres Conimb. *in Logica* q. 1. *de Qualitate* a. 2. P. Tellez d. 61. *sect.* 2. n. 11. & 14. Probatur primò ex Aristotele, qui sub hâc Specie solùm collocat potētias, quibus res facilè agit, aut resistit, nullam faciendo mentionem de Potentijs purè passiuis. Secundò, quia Qualitas sequitur Formam, sicut Quantitas Materiam; sed impossibilis est Forma purè passiua: ergo idem dicendum de Qualitate. Tertiò, quia non est possibilis potentia, quæ non sit necessariò ad aliquem actum. Et huius ratio est, quia actus, & potentia transcendentaliter respiciuntur: quæ autem transcendentaliter respiciuntur, mutuam sibi inducunt necessitatem: atqui Qualitas purè passiua ad nullum actum potest esse necessaria: non ad recipienda accidentia intentionalia; nam hæc naturâ suâ postulant immediatè recipi in potentijs cognoscentibus, & appetentibus: non ad recipienda accidentia realia; nā hæc, aut sunt corporea: & tunc; aut recipiuntur immediatè in Materiâ primâ, vt Quantitas; aut in ipsâ Quantitate, vt calor, frigus, potentiæ materiales, &c. Aut sunt spiritualia; & hæc recipiuntur immediatè in Substantiâ, vt Intellectus, & Voluntas.

P. Soar. Patres Conimbr. P. Tellez.

§. 3.

Argumenta soluta.

84 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit Aristotelem diuidere Potentiam in actiuā, & passiuam: & inde infert dari Potentiam purè passiuam) respondeo Aristotelem loco cit. aut non diuisisse Potentiam prædicamentalem de genere Qualitatis, de quâ nobis est sermo, sed potentiam in communi, prout abstrahit à substantiali, & accidentali: aut, si certè diuisit potentiam prædicamentalem in actiuam,

tiuam, & passiuam; non intellexit dari aliquā purè passiuā, sed dari Potentiam purè actiuā; & Potentiam actiuā, & passiuā simul, quod verum est. Neque locus D. Thom. nobis est cōtrarius: nam nomine *Potentiæ passiuæ* non intellexit *purè passiuam*, sed illam, quæ non operatur nisi mota, & alterata ab obiecto per species, quas in se recipit, ac patitur; *aliter* (inquit D. Thom.) *potentia nutritiua se habet; hæc enim non mouetur ab obiecto per species, sed ipsum, hoc est, alimentum, non mota ab illo mouet*: vnde patet quo sēsu dicat Sanctus Doctor Potentiā nutritiuam non esse passiuam, oculum verò maximè. Patet etiam à quo sensu dixerit Aristoteles *problemate cit.* manū non esse Potentiam passiuam, oculum verò esse Potentiam passiuam; ex quo desumit optimam rationem, cur vterque oculus sit æquè aptus ad videndum, non verò vtraque manus æquè robusta ad operandum: nam, cùm oculi sint Potentiæ passiuæ, hoc est, non moueant nisi motæ per species; cùm æqualiter illas recipiant, æqualiter per illas operantur. Quæ ratio non militat in manibus, nam hæ non operantur priùs motæ per species.

85 Ad secundum (quatenus dicit dari Potentiam purè passiuam de genere Substantiæ nimirum Materiam primam: item dari Potentiam purè passiuam de genere Quantitatis: & inde infert etiā admittendā Potentiā purè passiuā de genere Qualitatis) respondeo esse diuersam rationem in Potentiā purè passiuā de genere Substantiæ, ac in Potentiā purè passiuā de genere Qualitatis. Nam Potentia purè passiua de genere Substantiæ, nimirū Materia prima, non potest non admitti; cùm necessariò admittendum sit aliquod primum subiectum substantiale, penes quod fiant generationes substantiales, quas videmus, & in quo recipiantur ipsæ Formæ substantiales; nam, si Formæ substantiales reciperentur vna mediante aliā, daretur processus in infinitum. Quæ ratio, præterquàm quòd non militet in Qualitate, re verā hæc non sequitur Materiam, sed Formam: vnde potiùs huius vim actiuā, quàm illius passiuam imitetur, necesse est. De Quantitate etiam est longè diuersa ratio: nam Quātitas sequitur Materiam; vnde sicut & ipsa Materia, ita Quantitas potest esse purè passiua. Adde cum P. Soar. cit. n. 3. Quantitatem non esse formaliter Potentiam; nam eius primarium munus solùm est extendere Substantiam: hoc, quod est recipere, est quid secundarium in Quantitate. P. Soar.

86 Ad tertiū (quatenus asserit humiditatē, & siccitatem esse Potentias passiuas, vt docet Aristoteles loco cit. & idem dicendum asserit de diaphaneitate aëris) respondeo Aristotelē loco cit. nō cōsiderasse humiditatē, & siccitatē, prout sunt in Elementis in ordine ad eius operationes: sed prout sunt in Mixtis, nam in ijs habent se passiuè; calor, & frigus actiuè. Vide quæ diximus *tract. de Generat. num.* 356. Diaphaneitas aëris, & Crystalli, aut non est aliqua Qualitas, sed certa quædam partium dispositio, cui non repugnat luce permeari: aut si est aliqua Qualitas, eius primarium munus est exornare Substantiam; ac proinde ad tertiam Speciem Qualitatis spectabit. Dispositiones, quæ se habent ex parte subiecti, non recipiunt formam, ad quam disponunt, sed tantùm disponunt subiectum illud actuando, & destruendo dispositiones contrarias.

87 Ad quartum (quatenus dicit cuilibet Potentiæ actiuæ correspondere passiuā: & inde infert dari Potentiam purè passiuam, quia datur Potentia purè actiua) respondeo illud Principium, *Cuilibet Potentiæ actiuæ correspondet aliqua passiua*, falsum esse, si velit, quòd cuilibet Potentiæ actiuæ correspondeat aliqua passiua similis; nam Omnipotentiæ Diuinæ actiuæ nulla correspondet Omnipotentia passiua similis: item Intellectui Agenti, qui est purè actiuus, non correspondet Intellectus Patiens, qui sit purè passiuus: solùm igitur illud Principiū erit verū, si velit, quòd cuilibet Potentiæ actiuæ correspōdeat aliqua passiua: aliqua, inquā, similis vel dissimilis, in quā eius actus recipiatur, siue talis Potētia sit Qualitas, vt est illa, quæ correspondet Potentijs immanētibus, siue Quantitas, siue ipsa Substantia, vel aliquid aliud subiectum. Stando autem in hoc Principio sic explicato, non benè colligitur dari Potentiam purè passiuam de Genere Qualitatis, ex eo, quòd detur Potentia purè actiua.

§. 4.

Vtrùm detur Potentia mixta de genere Qualitatis?

88 Tertia difficultas: Vtrùm detur Potentia de genere Qualitatis, quæ neque sit purè actiua, neque purè passiua, sed mixta, hoc est, partim actiua, partim passiua? Videtur non dari, quia si aliqua daretur, ea esset Potentia immanens, v.g. Intellectus, qui simul efficit, & recipit suos actus: at verò huiusmodi Potentia immanens, licèt materialiter sit vna, formaliter, & philosophicè loquendo, non est vna, sed duplex completa, altera purè actiua in ordine ad actionem; altera purè passiua in ordine ad passionem. Et hoc declaratur exemplo Actionis, &

Passionibusque, licèt materialiter spectatæ sint vna entitas, formaliter, & philosophicè loquendo, non est vna, sed duplex completa: altera spectans ad Prædicamentum Actionis, in ordine ad agens: altera similiter completa spectans ad Prædicamentum Passionis in ordine ad passum.

89 Dicendum tamen dari Potentiam mixtam, imò tales de facto esse potentias cognoscentes, & appetentes; includunt enim essentialiter rationem agendi, & patiendi. Et hoc ostenditur, quia sunt essentialiter Potentiæ immanentes: at verò Potentia immanens distinguitur essentialiter á transeunte per hoc, quòd transiens solùm sit actiua, immanens verò simul actiua, & passiua. Et ita docent P. Soar. *in Met. d. 43. s. 2. n. 14.* P. Tellez vbi proximè *n. 15.* P. Soares P. Tellez

90 Dices: Actio immanens non includit formaliter passionem, sed tantùm illam connotat; ergo Potentia immanens non includet essentialiter rationem patiendi. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia Potentia immanens per se est receptiua: ergo per suam essentiam. Actio immanens nō est per se receptio, sed per aliam formalitatē, quæ spectat ad aliud Prædicamentum in ordine ad passum.

91 Neque obstat fundamentum opinionis contrariæ, quatenus dicit Potētiam immanentem solùm materialiter esse vnam; formaliter verò secundùm vnā denominationē spectare ad Potentiam actiuā; & secundùm aliam spectare ad Potentiā passiuā: sicut eadē entitas Actionis, & Passionis secundùm diuersas denominationes spectat ad diuersa Prædicamenta. Non, inquam, hoc obstat. Diuersa ratio est, quia Actio, & Passio spectant ad diuersa Prædicamenta; neque enim ad Actionem, quà talē, spectat Passio; neque ad Passionem quà talem spectat Actio: itaque hę formalitates, cùm spectent ad Prædicamenta diuersa, non possunt vniri in vnam Speciem: at verò esse actiuā, & esse passiuam est intrà Prædicamentum Qualitatis, & rationem Potentiæ; vnde sumpte inadæquatè possunt vniri in vnā, quæ simul sit actiua, & passiua, sicut ratio *Intuitiui*, & *Abstractiui*: ratio *Practici*, & *Speculatiui* in vnā notitiā.

§. 5.

Vtrùm detur Potentia neutra de genere Qualitatis?

92 QVarta difficultas: Vtrùm detur Potentia neutra de genere Qualitatis? Nomine *Potentiæ neutræ* intelligimus illam, quæ neque ordinatur ad suum actum, neque ad eius carentiam. Et videtur dari huiusmodi Potentia neutra. Primò, quia talis videtur esse Voluntas; nam, cùm sit libera, non magis ordinatur ad odium, quàm ad amorem, vel ad carentiam vtriusque. Secundò, quia corpora Cælestia nec ordinantur ad motum circularem, nec ad quietem, vt docet P. Soar. cit. *n. 11.* & *tom. 2. in 3. p. disp. 58. sect. 3. num. 5.* fine. Tertiò, quia Materia prima, & Quantitas non magis respiciunt accidentia neutra, nimirùm colores, quám eorum carentiam; & illos, quantùm est ex se, neque postulāt, neque reiectant; nam æquè benè sunt sine illis in Elementis, ac cū illis in mixtis. Hanc tenet sententiam Patres Conimb. *1. Phys. c. 9. q. 12. a. 4.* P. Soar. Patres Conimbr.

93 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium non dari Potentiam neutram positiuam. Ita Caiet. Sot. & alij, quos citant, & sequuntur P. Molin. *1. p. q. 12. a. 1. d. 2. §. Sit nihilominus*, P. Fonsf. *9. Met. cap. 1. q. 4. sect. 1.* P. Soar. *in Met. d. 43. sect. 4. num. 23.* P. Rub. *1. Physic. tract. 2. de Forma q. 1. n. 10.* Probatur, quia Potentia neutra est illa, quæ non magis ordinatur ad suum actum, quàm ad eius carentiam: at verò nulla est Potentia physica, quæ non ordinetur ad suum actum positiuum, & nulla est, quæ ordinetur ad illius carentiam: ergo nulla datur Potentia neutra. Caietan. Sotus P. Molin. P. Fonsec. P. Soar. P. Rub.

Ad primum, respondetur Voluntatem non esse Potentiam neutram, quia ordinatur ad suos actus positiuos, & quia non ordinatur ad illorum carentiā: non nego esse indeterminatā ad vtrūque, sed dico ordinari ad suos actus, & non ordinari ad eorū carentiam. Libertas cōsistit in eo, quòd ordinetur ad suos actos cum dominio super illos, ita vt possit illos elicere, vel non elicere, vel elicere oppositos.

94 Ad secundum, dato quòd in corporibus Cælestibus detur Potentia neutra ad motū circularem, & ad quietem: respondeo hanc Potentiam neutram non esse physicam, sed logicam, nimirum quandam nonrepugnantiam, quam corpora Cælestia habent, vt circulariter ferantur, vel quiescant. Idem dicendū de Materiā primā, & Quantitate respectu colorum, & aliorum accidentium, quæ dicuntur neutra. Adde, quòd Materia prima nō respicit primariò accidentia, sed solam Formam substantialem. Item Quantitas non datur primariò ad recipienda alia accidentia, sed ad extendendam Substantiam: vnde nec Materia prima, nec Quantitas possunt dici Potentiæ respectu accidentium; & multò minùs de genere Qualitatis, vt patet. Ex quo fit responsio ad tertium.

X Vtrùm

§. 6.

Vtrùm detur Potentia violenta de genere Qualitatis?

95 QVinta difficultas: Vtrùm detur Potentia violẽta de genere Qualitatis? Nomine *Potentiæ violentæ* intelligitur illa, quæ inclinat ad actum violentum, aut illum efficiendo; & tunc dicitur Potentia violenta actiua: aut illum recipiendo; & tunc dicitur Potentia violenta passiua. Videtur dari huiusmodi Potentiam violentam. Primò, quia Potentia ad peccandum est ad actum contra rationem; ac proinde violentum Naturæ rationali. Secundò, quia impulsus lapidi impressus, & impellens sursum; & impressus igni, & illum impellens deorsum, est Potentia violenta, nimirum in ordine ad actus, seu motus violentos. Tertiò, idem dicendum de Potentiâ motiuâ, quâ quis saltando se sursum projicit, ac eleuat.

96 Nihilominus assero non dari Potentiam violentam. Ita P. Soar. *in Metaph. d. 43. s. 4. n. 24.* P. Soar. Probatur, quia aut Potentia esset violenta, quia ordinatur ad actum ipsi Potentiæ violentum; aut quia ordinatur ad actũ violentum subiecto, in quo talis Potentia radicatur: atquì non potest in primis ordinari ad actum ipsi Potentiæ violentum. Hæc Minor est manifesta, quia omnis Potentia naturâ suâ, & essentialiter ordinatur ad suum actum, aut illi conferendo vim, si est actiua; aut non resistẽdo, si est passiua: implicat autem ita se habere aliquam Potentiam ad actum violentum; hic enim est *ab extrinseco passo non conferente vim, sed renitente.*

97 Deinde non potest dici violenta in ordine ad actum violentum subiecto, in quo talis Potentia radicatur. Aut enim talis Potentia esset actiua, aut passiua: nõ actiua, quia Potentiæ, quæ sub hac Specie collocantur, debẽt esse ab intrinseco; nullum autem subiectũ potest ordinari ab intrinseco ad actum violentũ; cùm hic debeat esse ab extrinseco, vt patet ex eius definitione. Non passiua, quia aut hæc esset purè passiua: aut simul actiua. Non simul actiua: nam actiua est impossibilis in ordine ad actus violentos, vt constat ex dictis. Non purè passiua, quia hæc præterquamquòd sit impossibilis, vt patet ex dictis *num.* 83. non compatitur cum definitione Violenti, cuius passum debeat reniti per contrarium impetum.

98 Neque fundamenta opinionis contrariæ oppositum suadent. Ad primum, de Potentiâ ad peccandum, dico peccatum non esse violentum, quia non est ab extrinseco, passo non conferente vim; imò ab intrinseco, & maximè voluntarium: ad rationem Violenti non sufficit, quòd sit contra rectam rationem.

99 Ad secundum dico impulsum impressum lapidi, & illum impellentem sursum; item impulsum impressum igni, & illum impellentẽ deorsum nõ esse Potẽtias, sed habitus, cùm sint ab extrinseco, nimirũ á projiciẽte: Potẽtię verò debẽt esse ab intrinseco, & insitę à Naturâ.

100 Ad tertium, respondeo impulsum, quo quis saltando se sursum eleuat, posse considerari, aut in ordine ad Potentiam motiuã, á quâ egreditur; & tunc clarum est non esse violentã, sed ab extrinseco ipsius Potentiæ motiuæ: aut in ordine ad motũ sursum, quẽ producit; & tũc hic motus cõparatus ad impulsum non est violentus, sed maximè connaturalis, & ab intrinseco: comparatus verò ad Quantitatem, in quâ recipitur, & quam eleuat sursum cõtra eius naturam, non potest illam denominare vt Potentiam huius secundæ Speciei. Tũ quia Quantitas non est Qualitas: tum quia non est Potentia; cùm primariò solùm ordinetur ad extendendã Substantiam, vt constat ex dictis.

§. 7.

Vtrùm detur Potentia restitiua de genere Qualitatis?

101 SExta difficultas: Vtrùm detur Potentia restitiua de genere Qualitatis? Et potest procedere tam de Potentiâ actiuâ, quæ est illa, *quæ agendo in aliud, illudque debilitando, ei resistit*; quàm de Potentiâ passiuâ, quæ est illa, *quæ resistit receptioni, & passioni, nõ illi cedendo.* Videtur primò dari Potentiam restitiuam actiuã; nam calor agendo, & debilitando frigus, illi resistit. Videtur secũdò, dari Potentiam restitiuam passiuam; nam Durities, & Densitas ferri, seu adamantis resistit diuisioni in illo faciendæ. Tertiò, quia Dos Incorruptibilitatis, quæ in corporibus gloriosis reperitur, est quædã Qualitas purè restitiua corruptioni. Quartò, & efficaciter, quia Aristoteles definit Potentiam hoc modo: *Est Qualitas insita à Natura, quâ res facilè agit, aut resistit*: supponit ergo dari Potentiã restitiuã. Et cõfirmatur, quia adduxit in exẽplũ Potentiæ duritiẽ ferri, sicut in exẽplo Impotentiæ adduxit mollitudinem butyri.

102 Nihilominus dicendum non dari Potentiam restitiuam, quæ sub hâc secundâ Specie collocetur. Ita P. Soar. *in Met. d. 43. s. 1. à n. 7.* P. Soar. Probatur, quia Species Qualitatis desumũtur á primario munere, & effectu formali, quẽ

præstã :sed nulla datur Qualitas, cuius primarium munus, & effectus formalis sit resistere. Hæc Minor ostenditur, quia omnis resistentia, aut est negatiua; & hæc aut purè negatiua cõsistens in aliquâ incapacitate, & incompassibilitate cum formâ, quam subiectum non potest recipere; quo pacto se habet resistentia, quæ reperitur in subiecto corporeo respectu alicuius accidentis spiritualis, & è contrà: aut est priuatiua consistens in priuatione actûs, quem quidem ipsum subiectum potest recipere, sed difficilè illi cedit; quo pacto se habet resistentia, quæ in ferro, & adamante reperitur in ordine ad diuisionem. Et has duas, cùm sint negationes, clarum est non esse de genere Qualitatis, aut Prædicamentales.

103 Aut est resistẽtia positiua; & hæc, aut effectiua, nimirũ illa, quâ calor resistit frigori agẽdo in illud, ipsumque debilitando: verùm hæc habet aliquẽ terminũ, qui non est resistẽtia, sed calor, cuius munus secundariũ est resistere frigori. Adde, quod neque hæc efficientia oritur à calore sumpto secundùm suum esse, & munus primarium, quod solùm consistit in conseruando, & ornando igne; ac proinde calor non spectat ad hanc secundam, sed ad tertiam Speciem Qualitatis. Aut est formalis, scilicet illa, quâ albedo resistit nigredini: verùm hæc non oritur ab aliquâ potentiâ distinctâ à formâ, quæ resistit, sed est ipsa forma; vnde non spectat ad Speciem, aut ad Prædicamentum distinctũ ab illo, quó spectat ipsa forma; ac proinde, si forma est Qualitas, etiam ipsa Potentia est Qualitas; si relatio, etiam ipsa Potentia est relatio; si Quantitas, aut Vbi, etiam ipsa Potentia est Quantitas, aut Vbi: ergo &c.

104 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quàtenus dicit calorẽ esse restitiuũ frigoris) patet solutio ex dictis. Dicendũ enim est munus, & effectũ primariũ caloris nõ esse resistere frigori, sed cõseruare ignẽ: cũ igitur Qualitates specificentur per suos effectus formales primarios, quantumuis calor secundarió resistat frigori, ad tertiam Speciem, non veró ad hanc secundam spectabit.

105 Ad secundum (quàtenus dicit Duritiẽ, & Densitatem ferri, ac adamantis esse potentiam restitiuam passiuam) respondeo Duritiẽ, & Densitatem, aut considerari prout resistunt negatiuè; & sic sunt negationes: aut prout aliquo modo resistunt positiuè; & sic eodẽ modo de illis philosophandum est, ac de calore prout resistit frigori; aut de albedine prout resistit calori. Accedit, quòd Durities, & Densitas nõ sunt Qualitates, vt inferiús ostendam. Et dato quód essent, dantur primariò ad ornatũ: vnde nõ ad hãc secũdã, sed ad tertiã Speciẽ spectãt.

106 Ad tertium de Dote Incorruptibilitatis, respondeo cũ P. Soar. *de vita Christi d. 48. s. 3.* Dotem Incorruptibilitatis, dato quód sit Qualitas, non spectare ad secundam Speciem. Primó, quia non est ab intrinseco, & insita à Naturâ: cui proinde non conuenit definitio huius secũdæ Speciei. Secũdò, quia nõ datur primariò ad resistendũ, sed ad conseruandum corpus Beati: vnde potiùs ad tertiã Speciem reuocanda est. De quo inferiùs. P. *Soar.*

107 Ad quartum ex Aristotele, dicendum est Aristotelem distribuisse Qualitates adæquaté sumptas, hoc est, secundùm suum esse primarium, & secundarium; idcircò earum plures, nimirum calorem, duritiem, mollitudinem, &c. quæ secundùm suum esse primarium spectant ad tertiam Speciem, secundùm suum esse secundarium sub hac secundâ aliquo modo, & indirectè collocauit. Hinc etiam est, quòd loquendo de Potentijs sermonem fecerit de restitiuis, quia licèt nulla sit, quæ primariò ordinetur ad resistendum, vt constat ex dictis, aliquæ tamen sunt, quæ secundarió resistunt.

§. 8.

Vtrùm detur Potentia supernaturalis de genere Qualitatis?

108 SEcunda difficultas: Vtrum detur Potentia supernaturalis, quæ sub hâc secundâ Specie constituatur? Quæstio solùm procedit suppositâ in possibilitate Substantiæ supernaturalis; nã qui admittunt Substantiam supernaturalem, etiam admittere debent potentias supernaturales illi accommodatas. Plures Recentiores ex ijs, qui non admittunt Substantiam supernaturalem, admittunt nihilominus Potẽtias supernaturales: in ò talẽ dicunt esse de facto vim actiuã, quæ Lumini Gloriæ inest in ordine ad producendã Visionẽ Beatã, & quę Habitibus supernaturalibus inest ad producẽdos actus supernaturales. Et hoc probant, quia talis vis habet omnia requisita, vt sit Potentia; est enim Lumini Gloriæ, & alijs Habitibus supernaturalibus insita à Naturâ, & ordinatur primarió ad operandũ: ergo &c.

109 Sed probabilius est non dari Potentiam supernaturalem de genere Qualitatis. Et probatur, quia omnis Potentia, quæ sub hac secundâ Specie continetur, est insita à Naturâ, vt ex eius definitione constat: nulla autem possibilis est Qualitas supernaturalis, quæ sit insita à Naturâ. Et hoc ostenditur, quia aut esset insita á Naturâ alicui Substantiæ supernaturali; aut alicui Substantiæ naturali:

naturali: non Substantiæ supernaturali, quia hæc nulla est possibilis creata, vt supponimus, & constat ex tract. 1. n. 465. non Substantiæ naturali, quia est contra rationem Accidentis supernaturalis esse insitum, & connaturale Substantiæ naturali. Vnde colliges impossibilem esse Voluntatem, Intellectum, & cæteras potentias supernaturales.

110 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondetur rationem Potentiæ de genere Qualitatis desumi per ordinem ad primã Substantiã, cui debet esse insita à naturâ: vis autem actiua, quæ inest Lumini Gloriæ, & alijs Habitibus supernaturalibus, cùm sit supernaturalis, & idẽ cũ ipso Lumine, & Habitibus supernaturalibus, nõ potest esse insita Substantiæ naturali, sed infusa ab extrinseco, quemadmodum ipsum Lumen, & Habitus supernaturales.

§. 9.

Vtrùm detur Potentia obedientialis de genere Qualitatis?

111 OCtaua difficultas; Vtrùm Potentia obedientialis contineatur sub hâc secũdâ Specie Qualitatis? Multa poterant disputari hoc loco de Potentiâ obedientiali: primũ, Vtrùm detur: & quid sit? secundũ, Vtrùm cõsistat in aliquo positiuo? tertiũ, Quo pacto distinguatur ab entitate creaturæ, in quâ reperitur? quartũ, Vtrùm immediatè influat in actus supernaturales; an solùm mediante habitu, aut aliâ virtute supernaturali? quintũ, Vtrùm possit se solâ absque vllo auxilio intrinseco, cum solo extrinseco edere effectus supernaturales? sextum, Vtrùm sit eorũ causa principalis: an instrumentalis? septimũ, Vtrùm sit relatiuum transcendẽs ad illos? octauum, Vtrùm detur in omni creaturâ, siue illa alioqui operatiua sit, siue non operatiua, qualis est Materia prima, & Quantitas? Verùm hæc omnia disputauimus, & resoluimus in *Physic. tract. 2. à n. 561.*

112 Solùm igitur disputandum superest hoc loco, Vtrùm Potentia obedientialis collocetur sub hâc secundâ Specie Qualitatis? Affirmant omnes, qui sentiunt Potentiam obedientialem esse Qualitatem realiter, aut saltẽ modaliter distinctã ab entitate rei, in quâ reperitur: ij verò sunt Ferrar. 3. *contra Gentes c. 56.* Paludan. *in 4. dist. 1. q. 1.* Capreol. ibidẽ, & *dist. 13. q. 1.* Eorum verò, qui dicunt Potentiam obedientialem esse Qualitatẽ virtualiter distinctã à subiecto, in quo reperitur, affirmant plures Recentiores optimæ notæ. Probatur, quia huiusmodi Potentia virtualiter distincta in primis spectat ad Prædicamentũ Qualitatis. Et hoc ostenditur primò, quia forma, quæ tribuit primæ Substantiæ denominationem alicuius Prædicamenti, & habet octo vulgares conditiones, spectat ad tale Prædicamentũ: sed Potentia obedientialis tribuit primæ Substantiæ denominationem Prædicamenti Qualitatis, & habet octo vulgares conditiones. Tribuit, inquã, denominationẽ Prædicamẽti Qualitatis, quia denominat primã Substantiã potentẽ obedientialiter: hæc autẽ denominatio Potẽtiæ est, & cõsequenter Qualitatis. Secũdò, quia nõ obstat distinctio virtualis inter Potentiã, & entitatẽ rei, cuius est Potentia; nã Relatio, in cõmuni opinione, solùm virtualiter distinguitur á subiecto: itẽ Duratio solùm virtualiter distinguitur á subiecto: & tamen constituunt Prædicamenta diuersa ab illo. Tertiò, quia nõ obstat quòd Potentia obedientialis sit prædicatũ transcendens; nam etiam Relatio, & Duratio in omni entitate reperiuntur. Deinde quòd Potentia obedientialis spectet potiùs ad hanc secundam Speciem Qualitatis, quàm ad alias, videtur manifestum; est enim Potentia obedientialis Qualitas quædam virtualis insita à naturâ per se primò ordinata ad operandum: ergo &c.

Ferrar. Paludan. Capreol.

113 Nihilominus probabilior est cõtraria resolutio asserentium Potentiam obedientialẽ nõ esse de genere Qualitatis; ac proinde non spectare ad hanc secundã Speciem. Ita P. Soar. *in Met. d. 43. s. 4. n. 22.* Patres Conimbr. *in Log. q. 1. de Proprio a. 2. ad 1.* P. Hurt. *in Physic. d. 9. sect. 4. n. 22.* Ægid. *de Beatitudin. tom. 2. lib. 10. q. 2. a. 8. n. 6.* vbi citat P. Fons. & Cabreram, P. Tellez *d. 61. s. 2. n. 19.* P. Albertin. *tom. 1. q. 1. in 3. corol. ex 2. Principio Philos. dub. 3. n. 14.* P. Wadingus *de Incarn. d. 7. dub. 3.* Consentiunt omnes illi, qui dicunt Potentiam obedientialem nullo modo distingui formaliter ab entitate rei, in quâ reperitur. Ij verò sunt P. Vasq. *1. p. disp. 43. cap. 4. & d. 176. cap. 1. num. 26.* P. Molin. *1. p. q. 12. art. 4. & art. 6. disp. 2.* P. Valent. *tom. 2. disp. 1. q. 5. punct. 3.* Putean. *1. p. q. 12. art. 4. dub. 2.* Scot. Bassol. Henric. Maior, Holcot. Caietan. Pighius, Stapletonius. Taper, Tiletan. Driedo, quos latè citauimus in *Physic. tract. 2. n. 565.*

114 Probatur primò, quia licèt entitas creata nõ includat formaliter rationẽ Potẽtiæ obedientialis, Potentia obedientialis includit formaliter ipsam creaturæ entitatem sumptam in ordine ad effectus supernaturales, quos simul cũ auxilio Dei potest producere, vt optimè ostendit P. Soar. *de Incarnat. d. 31. s. 5. §. Quid sit, & sect. 6. §. Quid verò,* Sayrus *lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 3. art. 9. §. Respondeo,* &

P. Soar. Patres Conimbr. P. Hurt. Ægid. Lusit. P. Fonseca Cabrera P. Tellez P. Albertin. P. Wading. P. Vasq. P. Molin. P. Valent. Putean. Scotus Bassol. Henric. Maior Holcote Caiet. Pighius Stapleton. Taper Tiletan. Driedo P. Soares Sayrus

constat ex dictis *in Phys. tract. 2. n. 567.* entitas autem creaturę non est Qualitas, sed trãscendit per omnia Prædicamenta. Probatur, quia omnis Potentia, quæ spectat ad hanc secundã Speciem Qualitatis est per se primò ordinata ad operandum: sed Potentia obedientialis per se primò non ordinatur ad effectus obedientiales. Hoc ostenditur, quia Potentia obediẽtialis est ipsa entitas rei, v. g. aqua Baptismalis, quæ quidẽ, vt per se patet, non ordinatur primarió, sed solùm secundarió ad producendam Gratiam. Et confirmatur, quia si Potentia obedientialis primarió ordinaretur ad effectus obedientiales, esset respectus transcendens ad illos; hic enim talis est, quando est de conceptu primario subiecti, cuius est respectus: Potentiam veró obedientialem non esse respectũ transcendentalem ad suos effectus, ostendimus cum Nauarrete, P. Hurt. Nazar. P. Erice, P. Fons. Soncin. Ferrar. Pezant. P. Ripald. & alijs *in Phys. tr. 2. n. 592.*

Nauarrete *P. Hurt.* *Nazarius* *P. Erice* *P. Fonseca* *Soncin.* *Ferrar.* *Pezantius* *P. Ripalda*

115 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondetur in primis Potentiam obedientialem non esse Qualitatem realiter, aut modaliter distinctam ab entitate, cuius est Potẽtia. Primò, quia nulla est necessitas admittẽdi talem distinctionẽ. Secundò, quia si Potentia obedientialis distingueretur ex naturâ rei ab ipsâ entitate, cuius est Potẽtia, certè posset ab illâ tolli; & consequenter ipsa entitas posset manere sine tali Potentiâ: quod est falsum; nam adhuc aqua Baptismalis præcisâ quâcunque entitate distinctâ intelligitur potens assumi á Deo, vt instrumentum ad producendam Gratiam in Sacramento Baptismi.

116 In opinione autem, quam sequimur, asserentium Potentiam obedientialem solùm virtualiter distingui ab entitate rei, cuius est Potentia, dicendum est non esse Qualitatẽ virtualem, sed ipsam entitatẽ rei sub nõ repugnãtiâ, quam habet ad obediendum Deo in ordine ad quidquid non implicat. Vnde ad primũ, dico Potentiam obedientialem non esse formã distinctam ab illis Prædicamẽtis, sed esse Substantiam, quando in Substantiâ reperitur; Quantitatem, quando datur in Quantitate; Qualitatẽ, quando in Qualitate inuenitur, & sic de cæteris, à quibus Potentia obedientialis solùm distinguitur distinctione virtuali imperfectâ includentis ab incluso, hoc est, non includitur in entitate rei, cuius est Potentia, ipsam tamen formaliter includit; siquidẽ coalescit ex illâ, & nõ repugnãtiâ ad effectus obedientiales: denominatio veró alicuius formæ, vt sit Prædicamentalis, debet prouenire á formâ distinctâ, distinctione saltẽ virtuali perfectâ. Ad secundũ, dico Relationẽ distingui distinctione perfectâ à fundamento. Ad tertium, respõdeo Relationẽ, & Durationem in omni quidẽ entitate reperiri, sed ab illâ distingui distinctione saltem virtuali perfectâ. Ex quo patet Potentiam obedientialem non esse de genere Qualitatis; & consequenter non contineri sub hâc secundâ Specie.

SECTIO III.

De Patibili Qualitate. & Passione.

117 IN hâc tertiâ Qualitatis Specie collocantur omnes Qualitates, quæ per se primò ordinantur ad ornatũ, & conseruationem Substantiæ, quæ si diu durent, dicuntur Patibiles Qualitates. Describitur autẽ Patibilis Qualitas: *Diu permanẽs Qualitas, quæ aut sensũ mouet, aut ex motu oritur.* Si verò tales Qualitates breui transeãt, dicuntur Passio, quę describitur, *Breui transiens Qualitas, quæ aut sensum mouet, aut ex motu oritur.* Hæ descriptiones nõ explicãt effectũ formalem primarium Qualitatũ huius tertię Speciei, neque amplectuntur omnes, sed solas sensibiles, quarũ numerus in hâc Specie est maior.

§. I.

Vtrùm Gratia sanctificans sub hâc tertiâ Specie collocetur?

118 PRima difficultas: Vtrùm Gratia sanctificãs sub hâc tertiâ Specie collocetur? Videtur spectare ad primam Speciem, & ibi sub Habitu collocari. Primó, quia Gratia sanctificans cõmuniter á Theologis dicitur Habitus. Secundó, quia ordinatur ad operandum, imò est radix omnium operationum supernaturalium. Tertió, quia non est Qualitas sensibilis, quæ aut sensum mouet, aut ex motu oritur.

119 Sed distinctione opus est. Possumus enim procedere, aut in opinione, quæ Gratiam sanctificantem distinguit realiter á Charitate; hæc enim in Voluntate, illa in Animâ subiectatur, vt communiùs, & probabiliùs docent Theologi cũ D. Thom. 1. 2. q. 110. a. 3. & 4. aut in opinione, quæ Gratiam nõ distinguit ab Habitu Charitatis, sed dicit esse ipsũ Habitum Charitatis, qui ex eo quód talis sit reddit ipsam Animam Deo spectabilem, gratam, & sanctã, vt cũ Alexand. de Ales, & alijs, docent *D. Thom.* *Alensis*

P. Bellar-

P. Bellarm. | P. Bellarmin. l. 1. de Gratia c. 6. Vega l. 7. in
Vega | Tridentin. c. 25.

120 Dico primò. In opinione asserentium Gratiam distingui realiter à Charitate, Gratia spectat ad hanc tertiam Speciem Qualitatis. Ita P. Soar. in Mtt. d. 42. s. 4. n. 23. Et probatur, quia in hac opinione entitas Gratiæ per se primò ordinatur ad ornatum, & perfectionem Animæ, illam formaliter reddendo sanctam, & gratam Deo.

P. Soar.

121 Neque obstat, quòd in opinione P. Soar. Gratia simul cum alijs Habitibus supernaturalibus immediatè influat in actus supernaturales, ad eum modum, quo in opinione eiusdem P. Soar. Anima simul cum potentijs vitalibus immediatè influit in operationes vitales. Non, inquam, id obstat, quia quidquid sit de veritate talis opinionis, certè in eâ Gratia non ordinatur primariò ad talem influxū, sed id solùm habet secundariò: eius primariū munus, vt diximus, solùm est ornare, & perficere Animam.

122 Dico secundò. In opinione asserentium Gratiam non distingui ab entitate Habitûs Charitatis, sed esse ipsum Habitum, Gratia spectat ad primam Speciem Qualitatis. Et probatur, quia in hac opinione entitas Gratiæ est ipsa entitas Habitûs Charitatis, qui, ex eo quòd talis sit, reddit Animam sanctam, & Deo gratam: vnde fit, quòd entitas Gratiæ primariò sit Charitas; ac proinde primariò ordinatur ad operandum; secundariò est Gratia, & ordinatur ad ornandam, & sanctificandam Animam: at verò omnis Qualitas, quæ est ab extrinseco, & primariò ordinatur ad operandum, spectat ad primam Speciem.

123 Obijcies procedendo in hac opinione, quæ Gratiam non distinguit realiter ab entitate Habitûs Charitatis. Certè in Gratiâ prius est esse Gratiæ, quàm esse Charitatis: ergo prius in eius entitate est ornare, & sanctificare Animam, quàm ordinari ad operandū: Qualitates autem per effectus primarios specificantur. Antecedens ostenditur primò, quia, vt docet D. Thom. & cum eo communiter Theologi, sicut in ordine naturali essentia dans esse naturale est prior Potentijs, quæ tribuunt naturale operari, ita in ordine supernaturali Gratia dans esse supernaturale est prior virtutibus, quæ tribuunt supernaturale operari. Secundò, quia vita naturalis, nimirum Anima, est prior Potentijs naturalibus: ergo vita supernaturalis, nimirum Gratia, erit prior Potentijs, seu quasi Potentijs supernaturalibus, quales sunt Habitus supernaturales. Tertiò, quia esse est prius, quàm operari, siquidem illud huius est radix: Gratia autem dat esse supernaturale, Habitus verò supernaturales dāt operari. Respondeo in hac opinione primarium esse Gratiæ consistere in eo, quòd vniat animam Deo per amorem: vnde prouenit tota ipsius Animæ sanctitas; quæ est esse secundarium Gratiæ. Ad cōfirmationem, dico Gratiam esse quidem priorem cæteris virtutibus; Potentijs, seu quasi Potentijs, & operationibus supernaturalibus, quarum quidem est radix, vnâ exceptâ Charitate, in cuius esse, esse primarium Gratiæ, & radix totius ordinis supernaturalis consistit: sanctificatio in hac opinione est de conceptu secundario Gratiæ.

124 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ proposita n. 109. (quâtenus videntur probare Gratiam, etiam in opinione, quæ illam distinguit á Charitate, spectare ad primam Speciem Qualitatis) Ad primum, in quo dicitur Gratiam communiter inter Theologos appellari Habitum, respondeo dici Habitum ob similitudinem, quam cum illo habet in duratione: non ob similitudinem, quam cum illo habet in operatione. Ad secundum (quâtenus dicit Gratiam ordinari, ad operandum, imó esse radicem omnis operationis supernaturalis) respondeo Gratiam in hac opinione non ordinari primariò ad operandum, sed ad reddendam Animam gratam, & sanctam, quidquid sit de ordine secundario. Ad tertium (quâtenus dicit Gratiam non esse Qualitatem sensibilem) respondeo, Qualitates huius tertiæ Speciei, vt plurimùm esse corporeas, idcircò in earum descriptione non fieri mentionem spiritualium, qualis est Gratia.

§. 2.

Vtrùm Characteres Sacramentales sub hac tertiâ Specie contineantur?

125 Secunda difficultas: Vtrùm Characteres, qui in Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis Animabus imprimuntur, spectent ad hanc tertiam Speciem Qualitatis? Prima sententia asserit huiusmodi Characteres spectare ad secundā Speciem, & esse quasdam Potentias. Ita communiter Thomistæ, Caiet. Sot. & Bartholomæus de Ledesma, Viguer. Capreol. D. Antonin. Paludan. Heruęus, & alij apud P. Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. d. 8. sect. 3. n. 57. quos sequuntur P. Henriques de Sacramentis lib. 1. cap. 1. §. 3. P. Valent. & alij. Eorum fundamentum est, quia huiusmodi Characteres sūt quędam Qualitates dantes esse, qualiber ad actus sui ministerij.

Caiet. Sotus Ledesma Viguer. Capreol. D. Antonin. Paludan. Heruæus P. Henriques P. Valent.

126 Secunda sententia docet huiusmodi Cha-

Characteres pertinere ad primam Speciem, ibique sub Habitu collocari. Ita P. Soar. P. Vasquez, P. Bellarmin. & alij apud eundem P. Salas vbi proximè *n.* 57. Et probatur, quia huiusmodi Characteres ordinantur ad operādum, & sunt ab extrinseco.

P. Soar. P. Vasq. P. Bellar.

127 Tertia sententia constituit Characteres in quartâ Specie. Ita Marsil. Richard. P. Arrub. quos citat, & sequitur P. Salas vbi proximè. Et probatur, quia Characteres sunt quædam Animæ figuræ, sigillum, & quasi insigne, quod Animis Fidelium imprimitur ad instar Insignis rubri, quod imprimitur Equitibus Christi: at veró omnis figura spectat ad quartam Speciem. Maior ostenditur primò, ex etymologiâ nominis *Characteris*; nam *Character* apud Græcos idem est, ac figura, seu insigne apud Latinos. Secundò, ex Concilio Trident. asserente Characterem esse figuram quandã spiritualem, & indelebilem impressam Animabus suscipientium illa tria Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis. Idem docent D. Basilius, D. Chrysost. D. Ambros. D. Damasc. D. Nazar. & alij, quos latè allegat P. Salas vbi proximè.

Marsil. Richard. P. Arrub. P. Salas

Concil. Trident.

D. Basil. D. Chrys. D. Ambr. D. Dam. D. Naza.

128 Nihilominus probabiliùs dicendũ videtur Characteres Sacramentales esse Patibilem Qualitatem; ac proinde sub tertiâ Specie contineri. Ita Altisiodor. Ocham. Alexand. de Ales, D. Bonauent. apud P. Salas cit. *n.* 59. quos sequitur Cardinalis Lugo *de Sacramentis. d.* 6. *n.* 48. subscribit P. Tellez *disput.* 61. *sect.* 2. *n.* 31.

Altisiodor. Ocham. Alensis D. Bonau. P. Lugo P. Tellez.

129 Dico ergo primó. Characteres non spectant ad secundam Speciem, nimirum ad Naturalem Potentiam. Hæc Conclusio latè probatur à P. Soar. & á P. Vasq. cit. Et vno verbo ostenditur, quia Character non est Qualitas insita á naturâ, sed conceditur ab extrinseco, nimirum á Deo.

P. Soar. P. Vasq.

130 Dico secundò. Non spectāt ad primam Speciem, nimirum ad Habitum. Et probatur, quia ad primam Speciem solùm spectāt illæ Qualitates, quæ primò ordinantur ad operationem, vt constat ex dictis *num.* 69. sed Character, aut simpliciter non est operatiuus, vt ostendit Cardinalis Lugo cit. *num.* 33. aut si aliquo modo, & secundùm quid est operatiuus, vt idem Cardinalis Lugo videtur sentire *n.* 42. certè primariò non ordinatur ad operādum: ergò &c.

P. Lugo

131 Dico tertió. Characteres non spectant ad quartam Speciem, nimirum ad Figuram. Et probatur, quia in quartâ Specie solùm collocantur Figuræ, quæ resultant ex terminatione Quantitatis: at verò Characteř nõ ita se habet. Et hoc ostenditur, quia Character nec est Qualitas corporea, sed spiritualis: nec resultat ab intrinseco, sed à Deo Animis imprimitur. Neque obstat, quód Character dicatur *Figura* á Concilijs, & Sanctis Patribus. Nam Concilia, & Sancti Patres nolunt Characterem esse figuram physicam, quæ scilicet resultet ex terminatione Quantitatis, quæ solæ in quartâ Specie collocantur: sed esse figuram, hoc est, signum, & repræsentationem ministerij in cuius potestate Fideles per illa tria Sacramenta constituuntur, ad eum modũ, quo Crux rubra in Equite Christi, & quo iudicis virgâ dicitur figura, & insignis ministerij, in quo Iudex per creationem á Rege factam, constituitur.

132 Dico quartó. Characteres spectant ad tertiam Speciem Qualitatis, quia primariò Animabus cōceduntur ad illarum ornatum, & pulchritudinem: at veró Qualitates, quæ ita se habent, spectant ad tertiam Speciem.

§. 3.

Quid de Dotibus corporis gloriosi?

133 Tertia difficultas: Vtrùm Dotes corporis gloriosi in hâc tertiâ Specie constituantur? Quatuor adnumerantur Dotes corporis gloriosi, Claritas, Impassibilitas, Agilitas, & Subtilitas. Videntur omnes ad hanc tertiam Speciem spectare, quia omnes primariò ordinantur ad ornatum corporis gloriosi: Qualitates autem, quæ ita se habent, ad hanc tertiam Speciem spectant.

134 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò. Claritas spectat ad hāc tertiam Speciem. Probatur, quia Claritas nihil aliud est, quám quædam lux, quâ corpus gloriosum fit transparens, aut eiusdem speciei cum luce Solis (vt docet D. Thom. Scot. & alij apud P. Soar. *de vita Christi d.* 48. *sect.* 2. *§. Ex quibus*) *D. Thom. Scotus;* aut diuersæ speciei (vt cum Richard. potiùs probat P. Soar. cit. *§. Quapropter*): at verò lux, *Richard. P. Soar.* cùm primarió ordinetur ad ornatum Substantiæ, spectat ad hanc tertiam Speciem.

135 Dico secundó. Impassibilitas, dato quòd sit Qualitas, etiam spectat ad tertiam Speciem. Et probatur, quia primariò ordinatur ad conseruationem corporis gloriosi, illud solidando contra passiones. Dixi, *dato quòd sit Qualitas*, quia licèt D. Augustin. *epistola ad Dioscorum*, D. Thom. 1. *p. q.* 57. *art.* 1. Patres Conimbricens. 1. *de Cælo cap.* 3. *q.* 1. *a.* 2. & P. Soar. cit. *disp.* 46. *sect.* 3. existiment huiusmodi Dotem consistere in Qualitate quãdam (quam ego opinionem, & modum dicendi potiús probo iuxta ea, quæ diximus *tract.* 3. *num.* 102.

D. Aug. D. Thom. Patres Conimbr. P. Soar.

Tamen

tamen Scot. Durand. Maior, & alij apud P. Soar. cit. §. *Quarta sententia*, opinantur huiusmodi Dotem solùm consistere in eo, quòd Deus ratione Beatitudinis statuat non concurrere cum aliquo agēte ad alterandum, vel corrumpendum corpus gloriosum.

Scotus Durand. Maior.

136 Dico tertiò. Agilitas, si est Qualitas, non pertinet ad hanc tertiam Speciem, sed potiùs ad primam, illicque sub Habitu collocatur. Probatur, quia, si est Qualitas, datur Potentiæ motiuæ, vt illam eleuet ad motus velocissimos pro Voluntate Beati, ad eum modum, quo Lumen Gloriæ datur Intellectui, vt illum eleuet ad Visionem Beatam; & Habitus Charitatis datur Voluntati, vt illam eleuet ad actū supernaturalem amoris Dei; atqui hæc spectāt ad Habitum: ergo idem dicendum de Agilitate. Dixi, *si est Qualitas*, quia licèt id opinentur D.Thom. Richard. D.Bonauent. Paludan. & alij (quibus similiter subscribo iuxta ea, quæ dixi *tract*.3. *n*. 162.) tamen Scot. *in* 4. *dist*. 49.*q*.4 & alij existimant huiusmodi Dotem solùm consistere in eo, quòd Deus ratione Beatitudinis statuat concurrere cum Potentiâ motiuâ Beati ad motus velocissimos pro libito ipsius Beati: in quâ opinione, & modo dicendi clarum est, quód Agilitas non sit Qualitas, sed aut concursus Dei extrinsecus; aut pactum ipsius Dei; aut ad summū Potentia obedientialis Potentiæ motiuæ ipsius Beati, quæ licèt sit Qualitas, non est Qualitas distincta ab ipsâ Potentiâ motiuâ, vt constat ex dictis.

D.Thom. Richard. D.Bonaut. Paludan. Scotus

137 Dico quartò. Subtilitas, si est Qualitas, non spectat ad hanc tertiam Speciem, sed potiùs ad primam, ibique similiter sub Habitu locum habet. Probatur, quia Subtilitas, si est Qualitas, datur potentiæ motiuæ, vt illam eleuet ad motum, quo se possit pro libito Beati constituere in eodem loco cum alio corpore non glorioso, ad eum modum, quo eidem Potentiæ motiuæ conceditur Agilitas; sed hęc spectant ad Habitum, vt constat ex proximè dictis: ergo idem dicendum de Subtilitate. Dixi, *si est Qualitas*, quia licét id opinetur D. Bonauent. (cuius opinio mihi magis placet) tamen alij cum Scot. & Durand. apud P. Soar. cit. *d*.48. *sect*.3. §. *Tertiò verò*, & §. *Ha rationes*, existimant Dotem Subtilitatis solùm consistere in eo, quòd Deus ratione Beatitudinis statuat concurrere cum Potentiâ motiuâ Beati ad motum, quo se pro libito ipsius Beati penetratiuè collocet in eodem loco cum quolibet alio corpore non Beato.

D Bonaut. Scotus Durand.

(*)

§. 4.

Vtrùm quatuor primæ Qualitates spectent ad hanc tertiam Speciem?

138 QVarta difficultas: Vtrùm quatuor primæ Qualitates (& eadem quæstio est de alijs, quæ ex illis oriuntur, nec tamen sunt primariò institutæ ad operandum, cuiusmodi censentur colores, sapores, sonitus &c.) spectent ad hāc tertiam Speciem Qualitatis? Videntur spectare ad Naturalem Potentiam, quia re verâ calor, frigus, siccitas, & humiditas sunt Qualitates operatiuæ: quæ verò ita se habent, pertinent ad secundam Speciem Qualitatis.

139 Nihilominus dicendum est omnes has Qualitates pertinere ad tertiam Speciem. Ita Patres Conimbr. *q*. 1. *de Qualitate a*.3.§.*Respondemus*, & communiter Recentiores. Probatur vno verbo, quia omnes hæ Qualitates dantur primariò ad ornatum, & conseruationem Substantiæ, vt consideranti facilè constabit: at verò quæ ita se habent spectant ad hanc tertiam Speciem. Neque obstat, quòd aliquæ ex illis sint operatiuæ, quia solùm secundariò dantur Substantiæ propter tales operationes.

Patres Conimbr.

§. 5.

Vtrùm Raritas, & Densitas: Asperitas, & Lenitas in hâc tertia Specie sedem habeant?

140 QVinta difficultas: Vtrùm Raritas, Densitas: Asperitas, & Lenitas ad hanc tertiam Speciem spectent? Videntur ad illam spectare, quia sunt Qualitates concessæ Substantiæ ad eius ornatum, & conseruationem. Sed distinctione vtendum est. Dico primò: Raritas, & Densitas non sunt Qualitates. Et probatur, quia Rarum definitur, *Id, quod sub magnis dimēsionibus parum habet Materia*: at veró hoc potest intelligi præcisâ omni Qualitate, & positâ solâ Quantitate per introductionem aëris, & aliorum corpusculorum, vel per eorum expulsionem in magno, vel exiguo loco. Neque obstat primò, quòd Raritas fiat ab aliquâ Qualitate, v.g. Raritas ceræ á calore, & Densitas à frigore; non enim loquimur de causâ effectiuâ, sed de causâ formali Raritatis, & Densitatis. Non obstat secundò, quòd Aristoteles, & alij, quos citant, & sequuntur Patres Conimbricens. 1. *de Generat*. *cap*. 5. *q*.17.*a*.1. dicant

Aristot. Patres Conimbr.

Rari-

Raritatem, & Densitatem esse Qualitates, quia Aristoteles loco cit. accipit latè nomen Qualitatis prout opponitur quidditati: in quo sensu Attributa à Theologis appellari solent Qualitates; re tamen verâ Aristoteles *cap. de Qualitate*, vbi sermonem facit de Qualitate rigorosâ, & Prædicamentali concludit Rarum, & Densum non esse Qualitates. De hoc latè *tr. de Generat. n.* 302.

141 Dico secundò: Asperitas, & Lenitas, non in hâc tertiâ Specie, sed in quartâ Specie collocantur. Ita Auerroës, & Albertus, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.* 42. *sect.* 5. *n.* 17. Et probatur, quia positâ figurâ perfectè planâ, aut sphæricâ, præcisâ omni aliâ Qualitate, intelligitur Quantitas lenis, ac leuis. Similiter positâ figurâ habente partes alias magis, alias minùs prominentes, præcisâ omni aliâ Qualitate, intelligitur Quantitas aspera: ergo, &c. Et confirmatur quia Asperitas, & Lenitas perficiunt Substantiam, non quòad omnes sui partes; sed tantúm quóad extimam superficiē, & vltimam terminationem, á quâ resultant: at verò Qualitates, quæ ita se habent, spectant ad quartam Speciem, vt ex inferiùs dicendis constabit.

Auerroës Albert.M. P.Soar.

§. 6.

Quid de Qualitate, quæ Dæmones torquet?

142 SExta difficultas de Qualitate torquente Dæmones. P. Soar. *de Angelis lib.* 8. *cap.* 14. *à num.* 46. loquendo de modo, quo Spiritus in Inferno torquentur ab igne, dicit huiusmodi cruciatum infligi per Qualitatem spiritualem obedientialiter productâ ab igne Inferni, quæ Qualitas fœdat, & deturpat ipsos Spiritus; & ex hâc deturpatione, ac fœditate dicit illis resultare vehementem dolorem, ac tristitiam. In hâc opinione (quę quidem probabilis est, vt dixi *tr.* 2. *de Anim. num.* 253.) dicendum est huiusmodi Qualitatem spectare ad hanc tertiam Speciem, quia eius effectus formalis, vt dixi, est deturpare, ac fœdare Spiritus, ex cuius fœditatis cognitione maximam tristitiam ipsi Spiritus concipiant: ergo talis Qualitas pertinet ad hanc Speciem. Probo Consequentiam, quia ad hanc tertiam Speciē pertinent Qualitates, quæ ornant Substantiam: ergo & quæ illam fœdant; contrariorū enim idē est ordo, ac genus proximū.

P. Soar.

143 Dixi, *quæ quidem probabilis est*, quia plures Theologi renuunt admittere talem Qualitatem productam ab igne; dicunt enim huiusmodi turpitudinem, ac fœditatem sufficienter induci, ac inuri per ipsum peccatū mortale, & eius maculam, quâ nihil turpius, ac fœdius: vnde contendunt ignem Inferni torquere Spiritus suo intuitu, ad eum modum, quo audità collisione ferræ, aut viso horrendo vulnere solent nobis dētes stridere, & animi fremitus sequitur, prout *tr.* 2. *de Anim. num.* 254. declarauimus. Et ita docet P. Martinon *d.* 44. *de Angelis, num.* 52. His non obstantibus opinio P. Soar. vt dixi, est probabilis, quia fœditas, & turpitudo, quæ sequitur ex peccato mortali, est moralis: quæ autem inducitur á prædictâ Qualitate productâ ab igne Inferni, est physica. P.Martin.

SECTIO IV.

De Formâ, & Figurâ.

144 FOrma, vt in *Log. tr.* 5. *n.* 81. diximus, Est *Qualitas resultās ex terminatione Quātitatis spectata in re aliqua naturali*, vt species hominis externa. Figura, est *Qualitas resultans ex terminatione Quantitatis secundùm se spectata*, vt triangulus. Vnde patet Formam, & Figuram esse eandem Qualitatem, spectatam sic, vel sic; ac proinde inter se non differre discrimine essentiali.

145 Notandum tamen est hoc loco id, quod diximus in *Phys. tract.* 1. *n.* 456. nempe dari duplicem Figuram. Prima dicitur Organica, & interna: hanc aliqui vocant *Physicam*. Secunda externa, & Situalis: hanc alij *Mathematicam* appellant. Prima, nimirum Organica, resultat ex terminatione Quantitatis sumptæ per ordinem ad totum: secunda, nimirum Situalis, consideratur in ordine ad locum. Organica datur in Quantitate Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ: Situalis solùm in ijs entitatibus, quæ habent Situm, & extensionem per ordinem ad locum. Organica fundatur immediatè in Quantitate terminatâ: Situalis immediatè in Situ.

§. 1.

De distinctione Figuræ à Quantitate.

145 PRima difficultas: Quo pacto Figura distinguatur à terminatione Quantitatis? Plures Recentiores, quibus subscribit P. Ouied. *in Met. controu.* 8. *num.* 10. & 11. opinantur distingui solùm virtualiter. Primò, quia nulla est necessitas admittendi maiorem P. Ouied.

maiorem distinctionem. Secundò, quia Relatio distinguitur virtualiter à fundamento; Situs virtualiter ab Vbi Circumscriptiuo; Duratio virtualiter à re durante: ergo etiam Figura distinguetur virtualiter à Quantitate.

147 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò. Figura Organica distinguitur ex naturâ rei à Quantitate distinctione modali. Ita P. Soar. *in Met. d. 52. sect. 1. n. 10. & d. 42. sect. 3. n. 15.* Probatur, quia actio, quâ Artifex ex ligno facit Mercurium, non terminatur ad Quantitatem, cùm non sit illius productiua, sed ad eius Figuram Organicam; atqui talis actio est realis: ergo habet terminum distinctum à Quantitate ex naturâ rei, nimirum Figuram. Dices, huiusmodi actionem terminari ad Vbi. Non satisfacis, quia quod fecit Artifex, manet variato Vbi: manet videlicet Mercurius, licèt adsportetur domum, ac proinde deperdatur Vbi. Et confirmatur, quia quod fecit Artifex, nempe Mercurium, potest Deus redigere ad indiuisibile per modū corporis Christi in Eucharistiâ: ergo hoc non cōsistit in aliquo Vbi Circumscriptiuo.

P. Soar.

148 Consistit hæc Figura Organica, vt diximus *in Phys. tr. 1. n. 456.* in exigentiâ talis Figuræ Situalis, exigit videlicet Figura Organica animalis, quòd in loco constituatur, ita vt caput sit immediatum collo, & collum immediatum humeris: vnde Cathedra redacta ad indiuisibile diuersam Figuram Situalem exigit, quàm mensa similiter redacta ad indiuisibile. Hoc ergo Organicum, diuersum in cathedrâ, & diuersum in mensâ facit Artifex; hoc non est Vbi, vt ostendimus: non item est Quantitas, quia Artifex non facit Quantitatem: ergo est Figura Organica distincta à Quantitate. Dixi *Figuram Organicam distingui à Quantitate distinctione modali*, quia non est necessaria maior distinctio.

149 Dico secundò. Figura Situalis non distinguitur à Situ, sed est eius differentia, seu quasi differentia. Hæc resolutio est communis. Traditur à Patribus Conimbr. *in Log. q. 1. de Qualitate art. 3. sect. 2. §. Denique*, P. Sancta Cruz *in Phys. num. 757.* quàtenus asserit Figuram Situalem non distingui ab Vbi. Et probatur, quia huiusmodi Figura nihil aliud est, quàm talis, vel talis dispositio partium vbicationis in ordine ad locum: at verò hæc talis, vel talis dispositio, nihil aliud est, quàm talis, vel talis Situs. Et confirmatur primò, quia superflua est omnis alia entitas. Secundò, quia corpus carens Situ, caret etiam Figurâ Situali, vt patet in corpore Christi Domini existentis in Sacrâ Eucharistiâ.

Patres Conimbr. P. S. Cruz.

150 Dico tertiò. Figura Situalis distinguitur ex naturâ rei à Quātitate. Probatur, quia Figura Situalis est idem cum Situ; hic verò distinguitur ex naturâ rei à Quantitate, vt ex dicēdis suo in loco fiet manifestum: ergo idem dicendum de Figurâ Situali.

151 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quàtenus dicit nullam apparere necessitatem distinguendi Figuram à Quantitate) respondeo dari necessitatem distinguendi Figuram non solùm Situalem, vt patet ex dictis, sed etiam Organicam; hæc autem necessitas inducitur ab actione artificiali, quæ, cùm sit realis, & non terminetur ad Quantitatem, aut ad eius Vbi, sed ad Figuram Organicam, requirit quòd hæc sit ex naturâ rei distincta ab illis. Ad secundum ab exemplo Relationis, Sitûs, Durationis, &c. dico in primis Relationem non distingui virtualiter, sed ex naturâ rei à fundamento, vt sequenti *tr. 5.* ostendemus.

152 In opinione autem asserente distingui solùm virtualiter, dicendum est Relationem non terminare actionem diuersam ab illâ, quæ terminatur ad eius fundamentum. Similiter Situm non terminare actionem diuersam ab illâ, quam terminat eius Vbi; item Durationem non terminare actionem diuersam ab illâ, quam terminat res durans: at verò Figura Organica terminat diuersam actionem realem ab illâ, quam terminat Quantitas, & eius Vbi, vt constat ex dictis.

§. 2.

In quibus rebus detur Figura.

153 Secunda difficultas; In quibus rebus detur Figura. Et in primis, si quæstio procedat de Figurâ Situali, dicendum est dari in omni ente corporeo. Probatur, quia Figura Situalis non distinguitur à Situ: at verò Situs reperitur in omni ente corporeo; Situs enim est dispositio partium Vbicationis Circumscriptiuæ: omnis autem entitas corporea est capax talis, vel talis dispositionis suarum partium, sic vel sic correspondentium in ordine ad locum.

154 Si autem quæstio procedat de Figurâ Organicâ, Recentiores communiter eam etiam agnoscunt in omni ente corporeo, quia dicunt resultare ex terminatione extensionis Quantitatiuæ per ordinem ad locum; at verò non sola Quantitas, sed omnis entitas corporea est capax extensionis Quantitatiuæ omnis enim habet partes seriatim vnitas, & ordinatas, constituentes totum.

155 Sed re verâ huiusmodi Figura videtur

tur in solâ Quantitate reperiri. Primò, quia aliàs non rectè ab Aristotele, & alijs antiquis Philosophis definiretur, *Qualitas resultans ex terminatione Quantitatis*, sed potiùs *resultans ex terminatione entis corporei*. Secundò, quia aliás etiam relatio corporea suam haberet Figuram Organicam: similiter frigus, & calor, quia habět suam extensionem: imò Vbicatio Angelica, quę occupat istam aulam quadratam, suam haberet Figuram Organicam. Tertiò, quia in meis principijs Qualitas non sequitur puram potentiam, sed solam actualitatem, vt constat ex dictis *numero* 6. Figura veró Organica est Qualitas: non ergo sequitur omne ens corporeum; aliàs etiam sequeretur Materiam primam; siquidem hæc etiam est ens corporeum. Et sané P. Tellez *d.* 61. *n.* 34. satis inuitus sequitur Recentiores contrarios, ibi: *In Substantia materiali communiter admittitur Figura substantialis, & Organica, licèt, vt verum fatear, difficillimè talis Figura à nobis percipiatur, nisi fortè oculos nostros illuminet lumen Christi, qui, cum sit splendor Patris, & Figura Substantiæ eius, solus quidem planè, & plenè Figuram Substantiæ docere poterit, &c.* P. Tellez.

§. 3.

Vtrùm Deus possit conseruare Quantitatem absque omni Figurâ?

156 TErtia difficultas: Vtrùm Deus posśit conseruare Quantitatem absque omni Figurâ? Videtur non posse, quia Figura aut non distinguitur à Quantitate: aut dato quòd distinguatur, est eius terminus intrinsecus: Deus autem non potest conseruare rem absque eius termino intrinseco.

157 Sed oppositum est probabilius. Dico primò: Deus potest conseruare Quantitatem absque eius Figurâ Situali. Ita Cardinalis Lugo *de Eucharistia d.* 8. *sect.* 2. *n.* 38. Probatur, quia Figura Situalis non distinguitur à Situ, vt constat ex dictis: at verò Deus potest conseruare Quantitatem absque omni Situ. Et hoc ostenditur, quia Situs non distinguitur ab Vbi Circumscriptiuo: Deus autem potest conseruare Quantitatem absque omni Vbi Circumscriptiuo, vt patet in Quantitate Christi Domini existentis in sacrâ Eucharistiâ. P. Lugo

158 Dico secundò: Deus potest conseruare Quantitatem absque omni Figurâ Organicâ. Hæc resolutio etiam traditur à Cardinali Lugo cit. Et probatur primò, quia Figura Organica distinguitur à Quantitate ex naturâ rei, vt constat ex dictis. Secundò, quia Deus potest confundere partes Quantitatis, ita vt illa Quantitas maneat absque vllâ extensione quantitatiuâ: in quo euentu manebit absque omni Figurâ Organicâ; hæc enim non resultat, nisi ex terminatione extensionis quantitatiuæ. P. Lugo

159 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis *tract.* 2. *num.* 274. vbi ostendimus Deum posse conseruare entitates absque earum terminis intrinsecis, dummodò hi ab illis distinguantur ex naturâ rei: vnde potest conseruare Naturam absque omni Subsistentiâ: Accidens absque omni inhærentiâ, & sic de cæteris. Vide locum citatum.

§. 4.

Vtrùm Forma, & Figura constituant quartam Speciem Qualitatis?

160 QVarta difficultas: Vtrùm Forma, & Figura cōstituant quartam Speciem Qualitatis? Pro parte negatiuâ facit primò, quòd Figura sit terminus Quantitatis: omnis autem terminus spectat ad idem Prædicamentum, quò eius entitas, cuius est terminus. Secundò, quia omnis terminus est ens incompletum, vt patet in Inhærentiâ, Subsistentiâ &c. Tertiò, quia Figura est modus; ac proinde non potest conuenire vniuocè cum alijs Speciebus Qualitatis, quæ sunt realitates. Quartò, quia sequeretur Qualitatem ex suo genere non esse nobiliorem Quantitate. Et hoc probatur, quia Figura, cùm sit modus, est ignobilior Quantitate; omnis enim modus est ignobilior realitate, cuius est modus. Quintò, quia (quidquid sit de Figurâ) saltem Forma est ens per accidens includens Figuram coloribus affectam. Sextò, quia Qualitas sequitur actualitatem: at verò Forma sequitur Materiam primam, mediante Quantitate.

161 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò: Figura Situalis spectat ad Prædicamentum Situs. Et probatur, quia est eius differentia, vt suprà diximus: differētiæ veró spectat ad idē Prædicamentū, quò res, quarū sūt differētiæ. Dico secūdò: Figura Organica cōstituit quartā Specīe Qualitatis. Ita D. Thom. 1. 2. q. 9. P. Fons. 5. *Met. c.* 14. *q.* 1. *s.* 3. P. Soar. *in Met. d.* 42. *s.* 5. *n.* 15. P. Rub. *in Logica q.* 1. *ar.* 8. & communiter Recentiores. Et probatur, quia Figura habet diuersum effectum formalem; licèt enim videatur spectare ad tertiam Speciem (videtur enim dari Substantiæ propter eius ornatum) re verâ non datur propter eius ornatum sumptæ absolutè, sed propter eius ornatū solùm, quod vltimâ superficietur quam limitationem non habet tertia Species. D. Thom. P. Fons. P. Soar. P. Rub.

Ad

162 Ad primum, respondetur Figuram non esse terminum Quantitatis, sed resultare ex Quantitate terminatâ, cũ quâ facit vrũ per accidens. Ex quo patet responsio ad secũdum. Ad tertium, dico Figuram non conuenire vniuocè cum suâ realitate, hoc est, cum Quantitate, sed cum alijs Qualitatibus.

163 Ad quartum (quâtenus dicit sequi Qualitatẽ ex genere suo non esse nobiliorem Quantitate) nego sequelam, quia Qualitas ex genere suo sequitur Formam, seu actualitatẽ. Benè tamen potest vna res esse ex genere suo nobilior, & aliunde ignobilior, vt patet in Modo supernaturali realitatis naturalis, & in alijs pluribus exemplis. Ad quintum (quâtenus dicit Formam esse ens per accidens, quia includit affectionem colorum) respondeo illam non includere formaliter, sed solùm connotare.

164 Ad sextum (quâtenus dicit Formam sequi Materiam mediante Quantitate, & inde infert non esse Qualitatem, quia Qualitas solùm sequitur actualitatem) respondeo Formam non sequi Materiam quòad eius esse puræ potentiæ, sed quòad eius actualitatem, nimirum quòad Quantitatem. Imò, neque quòad Quantitatem nudè sumptam, sed affectam coloribus, tali mixturâ, & temperamento; neq; enim Quantitas se solâ est Organica, sed prout subest tali mixturæ, ac temperamento Qualitatum, prout pleniùs, & ex professo diximus *tract. 1. de Anima n. 48.*

TRACTATVS V.

DE RELATIONE.

AMPLEXA Disputationes duas. In primâ de Relatione in communi. In secundâ differimus de eius Speciebus.

DISPVTATIO I.

De Relatione in communi.

PARTITA *in Sectiones quinque. In primâ quæritur, Vtrùm dentur Relationes Prædicamentales? In secundâ, Quo pacto distinguantur à fundamento? In tertiâ agitur specialiter de earum fundamentis. In quartâ de earum termino. In quintâ quæritur, An Relationes dicant perfectionem?*

SECTIO I.

Vtrùm dentur Relationes Prædicamentales?

1 DE essentiâ, & diuisione Relationis in Transcendentem, & Prædicamentalem diximus *in Log. tract. 5. à n. 93.* Hoc loco solùm examinandum est, Vtrùm in creatis dentur Relationes Prædicamentales? Deinde, In quo à Transcendentibus distinguantur?

§. 1.

Proponitur sententia negans dari in creatis Relationes Prædicamentales.

2 PRima difficultas: Vtrùm in creatis dentur Relationes Prędicamẽtales? Negant Stoici. & alij ex antiquis apud Albert. M. *in Prædicament. c. 1.* quos posteà secuti sũt Ocham. *in 1. dist. 5. q. 1. a. 1.* Hẽric. *quodlib. 9. q. 3.* Aureol. apud *Ocham. Henric. Aureol.*

Almayn. Gabriel Durand. Basil. Pōt. P. Martin.

apud Capreol. *in 1. dist. 30. q. 1.* Almaynus *in 4. dist. 19 q. 5. art. 1.* Gabr. Durand. & alij Nominales apud Ariminensem *dist. 28. q. 1.* Quibus accedunt Basilius Pontius 1. *p. Variarum q. 8. a. 3.* P. Martinon *d. 25. de Trinit. à n. 19.*

3 Eorum fundamentum est, quia non sunt admittendæ entitates absque necessitate: nulla autem est necessitas admittendi Relationes Prędicamentales; nam hæ solùm sunt necessariæ ad saluandas aliquas denominationes reales respectiuas, quæ quidē videntur prouenire non posse nisi à Relationibus Prædicamentalibus; huiusmodi sunt denominationes, *similis, patris, filij*, &c. at verò tales denominationes sine re intelliguntur absque Relationibus Prædicamentalibus. Et hoc ostenditur

4 Primò, quia in Deo denominationes *Domini, Creatoris*, & similes in ordine ad creaturas stare intelliguntur absq; Relationibus Prędicamentalibus. Idē dicendū de denominationibus *cogniti, amati*, & similibus, quæ ex parte obiecti in ordine ad potentiā reperiūtur. Idē de duabus Relationibus, v. g. de duabus *paternitatibus*, quæ sunt similes inter se, idque nō per alias Relationes similitudinis distinctas. Idem de denominatione *Veri*, quæ intelligitur positâ cognitione, & obiecto, absque aliâ formâ superadditâ.

5 Secūdò, quia huiusmodi denominationes optimè saluātur per duo absoluta simul, in quorū coexistētiā præcisā omni aliâ entitate vidētur cōsistere, v. g. *similitudo* nihil aliud est, quàm coexistentia duorū alborum: vnde altero destructo, quod remanet, non dicitur simile defectu termini, quem vnum simile, vt tale sit, necessariò debet importare, saltem in obliquo: omnis alia entitas est superflua.

6 Tertiò, quia videtur penè incredibile, quòd ad positionem vnius albi Romæ, statim resultēt in omnibus albis, quæ sūt dispersa per totū Orbem Relationes Prędicamētales, quæ illi albo Romano quasi reuerentiā exhibeant.

7 Quartò, quia præcipuū fundamentū admittēdi in creatis Relationes Prędicamētales, est exemplū Relationū Diuinarū: hoc tamē nō est sufficiens; nā in primis ex tribus prioribus cōstitutiuis Personarū nō valet argumentatio: idque, tū quia Relationes Diuinæ nō sunt accidentales, quales Aduersarij cōtendūt esse creatas: tū quia, cùm sint cōstitutiuæ Personarum, maximè accedūt ad Trāscendentes; siquidem non dantur propter purum munus referendi.

8 Deinde ex quartâ Relatione Spiratoris actiui nō potest desumi cōmodū argumentū: idque, tū quia ea Relatio videtur esse propria Mysterij Trinitatis, ex quo ad creatas non est bona cōsecutio: tū quia illa quarta Relatio, cū nō sit de Fide, ex eo tātùm admittitur in Deo, quia admittūtur Relationes Prædicamentales in creatis: si ergo ex illâ iterum admitterentur Relationes in creatis, committeretur circulus. Tādem, quia re verâ videtur illa quarta Relatio in Diuinis nō esse realis. Primò, quia id videntur insinuare Sācti Patres. Nā D. Aug. 5. *de Trinit. c. 14.* docet Patrem, & Filiū esse vnū Spiratorem, ad eū modū, quo omnes tres Personę sunt vnus Creator; sed Relatio Creatoris non est realis: ergo idem sentire videtur de Relatione Spiratoris. Quod apertiùs indicāt Albinus Flacus *l. 5. de Trinit. c. 5.* & Hugo Ether. *l. 3. contra Græcos c. 2.* quātenus asserūt Relationem Spiritûs Sācti ad Patrem, & ad Filiū nō esse mutuam. Secūdó probari potest ex Concil. Toletan. *11. in confessione Fidei*, quātenus loquens de Patre, & Filio dicit Patrem referri ad Filiū, & iterum Filiū referri ad Patrem. Deinde loquendo de Spiritu Sācto dicit hunc referri ad Patrem, & Filiū; & ibi sistit nō dicendo Patrem, & Filiū referri ad Spiritū Sanctū. Tertiò ex Concilio Lateran. *in Cap. Dānamus de Sum. Trinit.* vbi à Deo excludit numerū quaternariū: nō ergo admittenda est quarta Relatio. Quartò: quia illa Relatio Spiratoris actiui fundatur in Relatione Patris, & in Relatione Filij: vna autem Relatio non potest esse fundamentum alterius Relationis realis.

D. Aug. Albinus Flacus Hugo Eth. Concil. Toletan. Concil. Lateran. Cap. Dānamus

§. 2.

Præfertur communis sententia admittentiū in creatis Relationes Prædicamentales.

9 Nihilominùs probabilior est cōtraria resolutio asserētiū dari in creatis Relationes Prædicamentales. Ita Aristot. Plato, Porphyr. D. Thom. Alexand. de Ales, Boëtius, Soncin. & alij quos citant, & sequūtur Patres Conimbr. *in Logica q. 1. de Relatione a. 1.* P. Soar. *in Met. d. 47. s. 1. à n. 10.* P. Fonsec. *5. Met. c. 5. q. 1.* P. Rub. *in Log. cap. Ad aliquid q. 1.* P. Hurt. *in Met. d. 15.* P. Vallius *in Log. tom. 1. Prædicamento Ad aliud q. 1. à c. 8.* Araujo *to. 1. Met. lib. 5. q. 5. art. 1. à n. 2.* P. Toletus *in Log. cap. 7. de Relatione q. 1. concl. 2. & 4.* P. Tellez *d. 62. sect. 1. n. 1.* P. Ouied. *in Met. controu. 9. puncto 1.* P. Arriag. *in Log. d. 12. à n. 1.* P. Compton. *in Met. d. 11. s. 1. n. 3.* vbi dicit hanc sententiam ita Auctorum testimonio probari, vt negare Relationes error in Philosophiâ censeatur; & alij communiter. Probatur primò exemplo trium Diuinarum Relationum, quæ dātur in Deo, quarum conceptus, saltem analogicus, non videtur implicare in creatis. Et hoc est optimum fundamentum; nam nulla visitur implicatio in eo,

Aristot. Plato Porphyr. Boëtius Soncin. Patres Conimbr. P. Soar. P. Fonse. P. Rub. P. Hurt. P. Val. Araujo P. Tolet. P. Tellez P. Ouiedo P. Arriaga P. Cōpto.

in eo, quòd Deus possit condere Relationes creatas accidentales, quæ inueniuntur Diuinas substantiales.

10 Probatur secundò, exemplo quartæ Relationis Spiratoris actiui, quæ negari non potest in Patre, & in Filio respectu Spiritus Sancti. Negari, inquam, non potest. Primò, quia communi consensu admittitur à Theologis, à Magistro in 1. *dist.* 25. à D. Thom. 1. *p. q.* 28. *art.* 4. à P. Molin. ibidem, vbi docet hanc quartam Relationem esse de Fide, à P. Soar. 5. *de Trinitate c.* 4. vbi asserit contrariam sententiã esse temerariã, & erroneã. Cõsentiunt P. Vasq. *1. p. q.* 28 *in commento articuli* 1. P. Valent. ibidem *d.* 2. *q.* 2. *punct.* 2. P. Arrub. *disp.* 103. & 129 *cap.* 1. P. Granad *de Trinitate tract.* 3. *d.* 2 *n* 7. P. Erice, P. Ruiz, P. Alarc. & cæteri omnes.

Magist. D. Thom. P. Molin. P. Soar. P. Vasq. P. Valent. P. Arrubal P. Granad. P. Erice P. Ruiz. P. Alarc.

11 Negari non potest secundò hæc quarta Relatio, quia sufficienter videtur exprimi in Concilio Lugdunensi sub Greg. X. prout refertur in *Cap. In eo. De Summa Trinitate.* ibi: *Fideli, ac deuota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus Principijs, sed tanquam ex vno Principio, non duabus Spirationibus, sed vnica Spiratione procedit.* Et negari non potest hanc Spirationem esse actiuam, & passiuam; prout est passiua, est Relatio realis: ergo etiam prout est actiua, & remanet in Patre, & Filio, erit Relatio realis, cum hoc solo discrimine, quòd prout est passiua, constituit Personam, & prout est actiua, non constituit Personam, quia inuenit constitutas.

Concil. Lugdun. Cap. In eo.

12 Negari non potest tertiò, quia non est maior ratio cur Spiritus Sanctus referatur ad suum Principium; Principium verò non referatur ad Spiritum Sanctum. Et hoc ostenditur, tum exemplo Patris, qui ex eo, quòd sit Principium Filij, ad illum refertur, sicut & Filius ad ipsum Patrem: tum, quia Concilium Toletan. 11. *in confessione Fidei,* docet Personas Diuinas ad inuicem referri.

Concil. Toletan.

13 Negari non potest quartò, quia in Diuinis Relationes terminantur ad relatiuum; debent enim terminari ad terminum realiter distinctũ: in Diuinis autẽ sola relatiua distinguuntur; sed Relatio Spiritûs Sãcti non terminatur immediatè ad Patrem, quà talem, neque ad Filium similiter, quà talem; non enim procedit ab illis, quà tales, sed quà sunt vnus Spirator; sin minùs Spiritus Sanctus procederet ex duobus Principijs, quod est cõtra Conciliũ Lugdunense cit. ergo terminatur ad Relationẽ Spiratoris: hæc igitur nõ potest esse ens rationis, cùm sit terminus Relationis realis.

14 Ex quo discursu conficitur efficax argumentũ ad probãdas Relationes Prædicamẽtales reales: nã in Diuinis non potest intelligi denominatio Spiratoris absq; Relatione Prædicamentali, seu quasi Prædicamentali, à quã proueniat: ergo similes denominationes in creatis stare non poterunt absque Relationibus Prædicamentalibus, à quibus proueniant.

15 Probatur tertiò eadem resolutio, quia diuersus est cõceptus *albi, & albi, palmi, & palmi* ac conceptus *similis*, & *æqualis*; sed ille primus, est conceptus duorum absolutorum; secundus relatiuorum: ergo hic nõ consistit in absolutis. Et confirmatur primò, quia aut conceptus *similis* superaddit aliquid supra duo absoluta, nimirũ supra *albũ, & albũ*: aut non. Si superaddit aliquid: ergo Relatio nõ cõsistit in duobus absolutis, sed in aliquo illis superaddito. Si nihil: ergo non differt conceptus *similis* à conceptu *albi, & albi*. Cõfirmatur secũdò, quia in cõtrariã sententiã nõ explicatur, in quo cõsistat cõceptus *similis in communi*. Dicunt aliqui, consistere in *qualitate, & qualitate*. Sed cõtrà, quia albedo, & nigredo sunt *qualitas, & qualitas*: & tamen non sunt similes. Respondent alij esse *albedinem vt octo, & albedinem vt octo*. Sed contrà, quia *nigredo vt octo, & nigredo vt octo* sunt similes: & tamen non sunt *albedo, & albedo vt octo*. Respondent nonnulli, esse *qualitatem, & qualitatem eiusdem rationis*. Benè. Sed contrà, quia in ipso conceptu includitur aliquid præter extrema absoluta. Et hoc ostenditur, quia illa particula, *eiusdem*, aut dicit aliquid pertinens ad Prædicamentũ Qualitatis; & hoc non, quia id non pertinet ad genus, neque ad differentias huius determinatæ Speciei, nimirum, *albedinis*; cùm neque in huius, neque in illius definitione essentiali ponatur: aut nihil dicit; & hoc etiam non, quia si nihil dicit, potest sine illã haberi integer, & adæquatus conceptus *similis*: dicit ergo aliquid, quod sit de Prædicamento Relationis; non enim apparet aliud, ad quod pertineat.

§. 3.

Argumenta soluta.

16 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quàtenus dicit denominationes respectiuas posse saluari absque Relationibus realibus, vt patet in Deo, cuius denominationes *Domini, & Creatoris* intelligũtur absq; Relationibus) respõdeo denominationes respectiuas stare nõ posse absque Relationibus; aut realibus, quãdo ad eas dãtur omnia requisita; aut rationis, quãdo nõ dãtur omnia requisita ad Relationes reales: vnde in Deo denominationes *Creatoris, & Domini* importãt Relationes; nõ reales, quia in Deo nõ dãtur

constat ex dictis in *Phys. tract. 2. n. 567.* entitas autem creaturę non est Qualitas, sed trãscendit per omnia Prædicamenta. Probatur, quia omnis Potentia, quæ spectat ad hanc secundã Speciem Qualitatis est per se primò ordinata ad operandum: sed Potentia obedientialis per se primò non ordinatur ad effectus obedientiales. Hoc ostenditur, quia Potentia obediẽtialis est ipsa entitas rei, v. g. aqua Baptismalis, quæ quidẽ, vt per se patet, non ordinatur primariò, sed solùm secundarió ad producendam Gratiam. Et confirmatur, quia si Potentia obedientialis primarió ordinaretur ad effectus obedientiales, esset respectus transcendens ad illos; hic enim talis est, quando est de conceptu primario subiecti, cuius est respectus: Potentiam veró obedientialem non esse respectũ transcendentalem ad suos effectus, ostendimus cum Nauarrete, P. Hurt. Nazar. P. Erice, P. Fons. Soncin. Ferrar. Pezant. P. Ripald. & alijs *in Phys. tr. 2. n. 592.*

Nauarrete P. Hurt. Nazarius P. Erice P. Fonseca Soncin. Ferrar. Pezantius P. Ripalda

115 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondetur in primis Potentiam obedientialem non esse Qualitatem realiter, aut modaliter distinctam ab entitate, cuius est Potẽtia. Primò, quia nulla est necessitas admittẽdi talem distinctionẽ. Secundò, quia si Potentia obedientialis distingueretur ex naturâ rei ab ipsâ entitate, cuius est Potẽtia, certè posset ab illâ tolli; & consequenter ipsa entitas posset manere sine tali Potentiâ: quod est falsum; nam adhuc aqua Baptismalis præcisâ quâcunque entitate distinctâ intelligitur potens assumi á Deo, vt instrumentum ad producendam Gratiam in Sacramento Baptismi.

116 In opinione autem, quam sequimur, asserentium Potentiam obedientialem solùm virtualiter distingui ab entitate rei, cuius est Potentia, dicendum est non esse Qualitatẽ virtualem, sed ipsam entitatẽ rei sub nõ repugnãtiâ, quam habet ad obediendum Deo in ordine ad quidquid non implicat. Vnde ad primũ, dico Potentiam obedientialem non esse formâ distinctam ab illis Prædicamẽtis, sed esse Substantiam, quando in Substantiâ reperitur; Quantitatem, quando datur in Quantitate; Qualitatẽ, quando in Qualitate inuenitur, & sic de cæteris, à quibus Potentia obedientialis solùm distinguitur distinctione virtuali imperfectâ includentis ab incluso, hoc est, non includitur in entitate rei, cuius est Potentia, ipsam tamen formaliter includit; siquidẽ coalescit ex illâ, & nõ repugnãtiâ ad effectus obedientiales: denominatio veró alicuius formæ, vt sit Prædicamentalis, debet prouenire á formâ distinctâ, distinctione saltẽ virtuali perfectâ. Ad secundũ, dico Relationẽ distingui distinctione perfectâ à fundamento. Ad tertium, respõdeo Relationẽ, & Durationem in omni quidẽ entitate reperiri, sed ab illâ distingui distinctione saltem virtuali perfectâ. Ex quo patet Potentiam obedientialem non esse de genere Qualitatis; & consequenter non contineri sub hâc secundâ Specie.

SECTIO III.

De Patibili Qualitate. & Passione.

117 IN hâc tertiâ Qualitatis Specie collocantur omnes Qualitates, quæ per se primò ordinantur ad ornatũ, & conseruationem Substantiæ, quæ si diu durent, dicuntur Patibiles Qualitates. Describitur autẽ Patibilis Qualitas: *Diu permanẽs Qualitas, quæ aut sensũ mouet, aut ex motu oritur.* Si verò tales Qualitates breui transeãt, dicuntur Passio, quę describitur, *Breui transiens Qualitas, quæ aut sensum mouet, aut ex motu oritur.* Hæ descriptiones nõ explicãt effectũ formalem primarium Qualitatũ huius tertię Speciei, neque amplectuntur omnes, sed solas sensibiles, quarũ numerus in hâc Specie est maior.

§. I.

Vtrùm Gratia sanctificans sub hâc tertiâ Specie collocetur?

118 PRima difficultas: Vtrùm Gratia sanctificãs sub hâc tertiâ Specie collocetur? Videtur spectare ad primam Speciem, & ibi sub Habitu collocari. Primó, quia Gratia sanctificans cõmuniter á Theologis dicitur Habitus. Secundó, quia ordinatur ad operandum, imò est radix omnium operationum supernaturalium. Tertió, quia non est Qualitas sensibilis, quæ aut sensum mouet, aut ex motu oritur.

119 Sed distinctione opus est. Possumus enim procedere, aut in opinione, quæ Gratiam sanctificantem distinguit realiter á Charitate; hæc enim in Voluntate, illa in Animâ subiectatur, vt communiùs, & probabiliùs docent Theologi cũ D. Thom. 1. 2. q. 110. a. 3. & 4. aut in opinione, quæ Gratiam nõ distinguit ab Habitu Charitatis, sed dicit esse ipsũ Habitum Charitatis, qui ex eo quód talis sit reddit ipsam Animam Deo spectabilem, gratam, & sanctã, vt cũ Alexand. de Ales, & alijs, docent P. Bellar.

D. Thom. Alensis

P. Bellar. Vega P. Bellarmin. l. 1. de Gratia c. 6. Vega l. 7. in Tridentin. c. 25.

120 Dico primò. In opinione asserentium. Gratiam distingui realiter à Charitate, Gratia spectat ad hanc tertiam Speciem Qualitatis. Ita P. Soar. in Met. d. 42. s. 4. n. 23. Et probatur, quia in hac opinione entitas Gratiæ per se primò ordinatur ad ornatum, & perfectionem Animæ, illam formaliter reddendo sanctam, & gratam Deo. P. Soar.

121 Neque obstat, quòd in opinione P. Soar. Gratia simul cum alijs Habitibus supernaturalibus immediatè influat in actus supernaturales, ad eum modum, quo in opinione eiusdem P. Soar. Anima simul cum potentijs vitalibus immediatè influit in operationes vitales. Non, inquam, id obstat, quia quidquid sit de veritate talis opinionis, certè in eâ Gratia non ordinatur primariò ad talem influxū, sed id solùm habet secundariò: eius primariū munus, vt diximus, solùm est ornare, & perficere Animam.

122 Dico secundò. In opinione asserentium Gratiam non distingui ab entitate Habitûs Charitatis, sed esse ipsum Habitum, Gratia spectat ad primam Speciem Qualitatis. Et probatur, quia in hac opinione entitas Gratiæ est ipsa entitas Habitûs Charitatis, qui, ex eo quòd talis sit, reddit Animam sanctam, & Deo gratam: vnde fit, quòd entitas Gratiæ primariò sit Charitas; ac proinde primariò ordinatur ad operandum; secundariò est Gratia, & ordinatur ad ornandam, & sanctificandam Animam: at verò omnis Qualitas, quæ est ab extrinseco, & primariò ordinatur ad operandum, spectat ad primam Speciem.

123 Obijcies procedendo in hac opinione, quæ Gratiam non distinguit realiter ab entitate Habitûs Charitatis. Certè in Gratiâ prius est esse Gratiæ, quàm esse Charitatis: ergo prius in eius entitate est ornare, & sanctificare Animam, quàm ordinari ad operandū: Qualitates autem per effectus primarios specificantur. Antecedens ostenditur primò, quia, vt docet D. Thom. & cum eo communiter Theologi, sicut in ordine naturali essentia dans esse naturale est prior Potentijs, quæ tribuunt naturale operari, ita in ordine supernaturali Gratia dans esse supernaturale est prior virtutibus, quæ tribuunt supernaturale operari: Secundò, quia vita naturalis, nimirum Animæ, est prior Potentijs naturalibus: ergo vita supernaturalis, nimirum Gratia, erit prior Potentijs, seu quasi Potentijs supernaturalibus, quales sunt Habitus supernaturales. Tertiò, quia esse est prius, quàm operari; siquidem illud huius est radix: Gratia autem dat esse supernaturale, Habitus verò supernaturales dāt operari. Respondeo in hac opinione primarium esse Gratiæ consistere in eo, quòd vniat animam Deo per amorem: vnde prouenit tota ipsius Animæ sanctitas, quæ est esse secundarium Gratiæ. Ad cōfirmationem, dico Gratiam esse quidem priorem cæteris virtutibus, Potentijs, seu quasi Potentijs, & operationibus supernaturalibus, quarum quidem est radix, vnâ exceptâ Charitate, in cuius esse, esse primarium Gratiæ, & radix totius ordinis supernaturalis consistit: sanctificatio in hac opinione est de conceptu secundario Gratiæ.

124 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ proposita n. 109. (quâtenus videntur probare Gratiam, etiam in opinione, quæ illam distinguit á Charitate, spectare ad primam Speciem Qualitatis) Ad primum, in quo dicitur Gratiam communiter inter Theologos appellari Habitum, respondeo dici Habitum ob similitudinem, quam cum illo habet in duratione: non ob similitudinem, quam cum illo habet in operatione. Ad secundum (quâtenus dicit Gratiam ordinari, ad operandum, imó esse radicem omnis operationis supernaturalis) respondeo Gratiam in hac opinione non ordinari primariò ad operandum, sed ad reddendam Animām gratam, & sanctam, quidquid sit de ordine secundario. Ad tertium (quâtenus dicit Gratiam non esse Qualitatem sensibilem) respondeo, Qualitates huius tertiæ Speciei, vt plurimùm esse corporeas, idcircò in earum discriptione non fieri mentionem spiritualium, qualis est Gratia.

§. 2.

Vtrùm Characteres Sacramentales sub hâc tertiâ Specie contineantur?

125 Secunda difficultas: Vtrùm Characteres, qui in Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis Animabus imprimuntur, spectent ad hanc tertiam Speciem Qualitatis? Prima sententia asserit huiusmodi Characteres spectare ad secundā Speciem, & esse quasdam Potentias. Ita communiter Thomistæ, Caiet. Sot. & Bartholomæus de Ledesma, Viguer. Capreol. D. Antonin. Paludan. Herueus, & alij apud P. Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. d. 8. sect. 3. n. 57. quos sequuntur P. Henriques de Sacramentis lib. 1. cap. 1. §. 3. P. Valent. & alij. Eorum fundamentum est, quia huiusmodi Characteres sūt quędam Qualitates dantes esse, qualibet ad actus sui ministerij. Caiet. Sotus Ledesma Viguer. Capreol. D. Anton. Paludan. Herueus P. Henriq. P. Valent.

126 Secunda sententia docet huiusmodi Cha-

Characteres pertinere ad primam Speciem, ibique sub Habitu collocari. Ita P. Soar. P. Vasquez, P. Bellarmin. & alij apud eundem P. Salas vbi proximè n.57. Et probatur, quia huiusmodi Characteres ordinantur ad operãdum, & sunt ab extrinseco.

P. Soar. P. Vasq. P. Bellar.

127 Tertia sententia constituit Characteres in quartâ Specie. Ita Marsil. Richard. P. Arrub. quos citat, & sequitur P. Salas vbi proximè. Et probatur, quia Characteres sunt quædam Animæ figuræ, sigillum, & quasi insigne, quod Animis Fidelium imprimitur ad instar Insignis rubri, quod imprimitur Equitibus Christi: at verò omnis figura spectat ad quartam Speciem. Maior ostenditur primò, ex etymologiâ nominis *Characteris*; nam *Character* apud Græcos idem est, ac figura, seu insigne apud Latinos. Secundò, ex Concilio Trident. asserente Characterem esse figuram quandã spiritualem, & indelebilem impressam Animabus suscipientium illa tria Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis. Idem docent D. Basilius, D. Chrysost. D. Ambros. D. Damasc. D. Nazar. & alij, quos latè allegat P. Salas vbi proximè.

Marsil. Richard. P. Arrub. P. Salas. Concil. Trident. D. Basil. D. Chrys. D. Ambr. D. Dam. D. Naza.

128 Nihilominus probabiliùs dicendũ videtur Characteres Sacramentales esse Patibilem Qualitatem; ac proinde sub tertiâ Specie contineri. Ita Altisiodor. Ocham. Alexand. de Ales, D. Bonauent. apud P. Salas cit. n.59. quos sequitur Cardinalis Lugo *de Sacramentis d.6.n.48.* subscribit P. Tellez *disput.61. sect.2. n.31.*

Altisiodor. Ocham. Alensis D. Bonau. P. Lugo P. Tellez.

129 Dico ergo primò. Characteres non spectant ad secundam Speciem, nimirum ad Naturalem Potentiam. Hæc Conclusio latè probatur à P. Soar. & à P. Vasq. cit. Et vno verbo ostenditur, quia Character non est Qualitas insita à naturâ, sed conceditur ab extrinseco, nimirum à Deo.

P. Soar. P. Vasq.

130 Dico secundò. Non spectãt ad primam Speciem, nimirum ad Habitum. Et probatur, quia ad primam Speciem solùm spectãt illæ Qualitates, quæ primò ordinantur ad operationem, vt constat ex dictis *num.69.* sed Character, aut simpliciter non est operatiuus, vt ostendit Cardinalis Lugo cit. *num.33.* aut si aliquo modo, & secundùm quid est operatiuus, vt idem Cardinalis Lugo videtur sentire *n.42.* certè primariò non ordinatur ad operãdum: ergo &c.

P. Lugo

131 Dico tertiò. Characteres non spectant ad quartam Speciem, nimirum ad Figuram. Et probatur, quia in quartâ Specie solùm collocantur Figuræ, quæ resultant ex terminatione Quantitatis: at verò Character nõ ita se habet. Et hoc ostenditur, quia Character nec est Qualitas corporea, sed spiritualis: nec resultat ab intrinseco, sed à Deo Animis imprimitur. Neque obstat, quòd Character dicatur *Figura* à Concilijs, & Sanctis Patribus. Nam Concilia, & Sancti Patres nolunt Characterem esse figuram physicam, quæ scilicet resultet ex terminatione Quantitatis, quæ solæ in quartâ Specie collocantur: sed esse figuram, hoc est, signum, & repræsentationem ministerij in cuius potestate Fideles per illa tria Sacramenta constituuntur; ad eum modũ, quo Crux rubra in Equite Christi, & quo iudicis virgâ dicitur figura, & insignis ministerij, in quo Iudex per creationem à Rege factam, constituitur.

132 Dico quartò. Characteres spectant ad tertiam Speciem Qualitatis, quia primariò Animabus cõceduntur ad illarum ornatum, & pulchritudinem: at verò Qualitates, quæ ita se habent, spectant ad tertiam Speciem.

§. 3.

Quid de Dotibus corporis gloriosi?

133 Tertia difficultas: Vtrùm Dotes corporis gloriosi in hâc tertiâ Specie constituantur? Quatuor adnumerantur Dotes corporis gloriosi, Claritas, Impassibilitas, Agilitas, & Subtilitas. Videntur omnes ad hanc tertiam Speciem spectare, quia omnes primariò ordinantur ad ornatum corporis gloriosi: Qualitates autem, quæ ita se habent, ad hanc tertiam Speciem spectant.

134 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò. Claritas spectat ad hãc tertiam Speciem. Probatur, quia Claritas nihil aliud est, quàm quædam lux, quâ corpus gloriosum fit transparens, aut eiusdem speciei cum luce Solis (vt docet D. Thom. Scot. & alij apud P. Soar. *de vita Christi d.48. sect. 2. §. Ex quibus*) aut diuersæ speciei (vt cum Richard. potiùs probat P. Soar. cit. *§. Quapropter*): at verò lux, cùm primariò ordinetur ad ornatum Substantiæ, spectat ad hanc tertiam Speciem.

D. Thom. Scotus. Richard. P. Soar.

135 Dico secundò. Impassibilitas, dato quòd sit Qualitas, etiam spectat ad tertiam Speciem. Et probatur, quia primariò ordinatur ad conseruationem corporis gloriosi, illud solidando contra passiones. Dixi, *dato quòd sit Qualitas*, quia licèt D. Augustin. *epistola ad Dioscorum*, D. Thom. *1.p.q.97.art.1.* Patres Conimbricens. *1. de Cælo cap.3. q.1. a.2.* & P. Soar. cit. *disp.46. sect.* 3. existiment huiusmodi Dotem consistere in Qualitate quâdam (quam ego opinionem, & modum dicendi potiùs probo iuxta ea, quæ diximus *tract.3. num. 180.*)

D. Aug. D. Thom. Patres Conimbr. P. Soar.

Tamen

Scotus Durand. Maior. tamen Scot. Durand. Maior, & alij apud P. Soar. cit. §. *Quarta sententia*, opinantur huiusmodi Dotem solùm consistere in eo, quòd Deus ratione Beatitudinis statuat non concurrere cum aliquo agête ad alterandum, vel corrumpendum corpus gloriosum.

136 Dico tertiò. Agilitas, si est Qualitas, non pertinet ad hanc tertiam Speciem, sed potiùs ad primam, illicque sub Habitu collocatur. Probatur, quia, si est Qualitas, datur Potentiæ motiuæ, vt illam eleuet ad motus velocissimos pro Voluntate Beati, ad eum modum, quo Lumen Gloriæ datur Intellectui, vt illum eleuet ad Visionem Beatam; & Habitus Charitatis datur Voluntati, vt illam eleuet ad actũ supernaturalem amoris Dei; atqui hæc spectãt ad Habitum: ergo idem dicendum de Agilitate. Dixi, *si est Qualitas*, quia licèt id opinentur D. Thom. Richard. D. Bonauent. Paludan. & alij (quibus similiter subscribo iuxta ea, quæ dixi *tract*. 3. *n*. 162.) tamen Scot. *in 4. dist.* 49. *q*. 4. & alij existimant huiusmodi Dotem solùm consistere in eo, quòd Deus ratione Beatitudinis statuat concurrere cum Potentiâ motiuâ Beati ad motus velocissimos pro libito ipsius Beati: in quâ opinione, & modo dicendi clarum est, quód Agilitas non sit Qualitas, sed aut concursus Dei extrinsecus; aut pactum ipsius Dei; aut ad summũ Potentia obedientialis Potentiæ motiuæ ipsius Beati, quæ licèt sit Qualitas, non est Qualitas distincta ab ipsâ Potentiâ motiuâ, vt constat ex dictis.

D. Thom. Richard. D. Bonau. Paludan. Scotus

137 Dico quartò. Subtilitas, si est Qualitas, non spectat ad hanc tertiam Speciem, sed potiùs ad primam, ibique similiter sub Habitu locum habet. Probatur, quia Subtilitas, si est Qualitas, datur potentiæ motiuæ, vt illam eleuet ad motum, quo se possit pro libito Beati constituere in eodem loco cum alio corpore non glorioso, ad eum modum, quo eidem Potentiæ motiuæ conceditur Agilitas; sed hęc spectant ad Habitum, vt constat ex proximè dictis: ergo idem dicendum de Subtilitate. Dixi, *si est Qualitas*, quia licét id opinetur D. Bonauent. (cuius opinio mihi magis placet) tamen alij cum Scot. & Durand. apud P. Soar. cit. *d*. 48. *sect*. 3. §. *Tertiò verò*, & §. *Hæ rationes*, existimant Dotem Subtilitatis solùm consistere in eo, quòd Deus ratione Beatitudinis statuat concurrere cum Potentiâ motiuâ Beati ad motum, quo se pro libito ipsius Beati penetratiuè collocet in eodem loco cum quolibet alio corpore non Beato.

D. Bonau. Scotus Durand.

§. 4.

Vtrùm quatuor primæ Qualitates spectent ad hanc tertiam Speciem?

138 Quarta difficultas: Vtrùm quatuor primæ Qualitates (& eadem quæstio est de alijs, quæ ex illis oriuntur, nec tamen sunt primariò instituæ ad operandum, cuiusmodi censentur colores, sapores, sonitus &c.) spectent ad hãc tertiam Speciem Qualitatis? Videntur spectare ad Naturalem Potentiam, quia re verâ calor, frigus, siccitas, & humiditas sunt Qualitates operatiuæ: quæ verò ita se habent, pertinent ad secundam Speciem Qualitatis.

139 Nihilominus dicendum est omnes has Qualitates pertinere ad tertiam Speciem. Ita Patres Conimbr. *q*. 1. *de Qualitate a*. 3. §. *Respondemus*, & communiter Recentiores. Probatur vno verbo, quia omnes hæ Qualitates dantur primariò ad ornatum, & conseruationem Substantiæ, vt consideranti facilè constabit: at verò quæ ita se habent spectant ad hanc tertiam Speciem. Neque obstat, quòd aliquæ ex illis sint operatiuæ, quia solùm secundariò dantur Substantiæ propter tales operationes. Patres Conimbr.

§. 5.

Vtrùm Raritas, & Densitas: Asperitas, & Lenitas in hâc tertia Specie sedem habeant?

140 Quinta difficultas: Vtrùm Raritas, Densitas: Asperitas, & Lenitas ad hanc tertiam Speciem spectent? Videntur ad illam spectare, quia sunt Qualitates concessæ Substantiæ ad eius ornatum, & conseruationem. Sed distinctione vtendum est. Dico primò: Raritas, & Densitas non sunt Qualitates. Et probatur, quia Rarum definitur, *Id, quod sub magnis dimẽsionibus parum habet Materiæ*: at veró hoc potest intelligi pręcisâ omni Qualitate, & positâ solâ Quantitate per introductionem aëris, & aliorum corpusculorum, vel per eorum expulsionem in magno, vel exiguo loco. Neque obstat primò, quòd Raritas fiat ab aliquâ Qualitate, v.g. Raritas ceræ á calore, & Densitas à frigore; non enim loquimur de causâ effectiuâ, sed de causâ formali Raritatis, & Densitatis. Non obstat secundò, quòd Aristoteles, & alij, quos citant, & sequuntur Patres Conimbricens. 1. *de Generat. cap*. 5. *q*. 17. *a*. 1. dicant Rari-

Aristot. Patres Conimbr.

Raritatem, & Densitatem esse Qualitates, quia Aristoteles loco cit. accipit latè nomen Qualitatis prout opponitur quidditati: in quo sensu Attributa à Theologis appellari solent Qualitates; re tamen verâ Aristoteles *cap. de Qualitate*, vbi sermonem facit de Qualitate rigorosâ, & Prædicamentali concludit Rarum, & Densum non esse Qualitates. De hoc latè *tr. de Generat. n.* 302.

141 Dico secundò: Asperitas, & Lenitas, non in hâc tertiâ Specie, sed in quartâ Specie collocantur. Ita Auerroës, & Albertus, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.* 42. *sect.* 5. *n.* 17. Et probatur, quia positâ figurâ perfectè planâ, aut sphæricâ, præcisâ omni aliâ Qualitate, intelligitur Quantitas lenis, ac leuis. Similiter positâ figurâ habente partes alias magis, alias minùs prominentes, præcisâ omni aliâ Qualitate, intelligitur Quantitas aspera: ergo, &c. Et confirmatur quia Asperitas, & Lenitas perficiunt Substantiam, non quòad omnes sui partes; sed tantùm quòad extimam superficiē, & vltimam terminationem, à quâ resultant: at verò Qualitates, quæ ita se habent, spectant ad quartam Speciem, vt ex inferiùs dicendis constabit. Auerr. et Albert. M. P. Soar.

§. 6.

Quid de Qualitate, quæ Dæmones torquet?

142 SExta difficultas de Qualitate torquente Dæmones. P. Soar. *de Angelis lib.* 8. *cap.* 14. *à num.* 46. loquendo de modo, quo Spiritus in Inferno torquentur ab igne, dicit huiusmodi cruciatum infligi per Qualitatem spiritualem obedientialiter productā ab igne Inferni, quæ Qualitas fœdat, & deturpat ipsos Spiritus; & ex hâc deturpatione, ac fœditate dicit illis resultare vehementem dolorem, ac tristitiam. In hâc opinione (quę quidem probabilis est, vt dixi *tr.* 2. *de Anim. num.* 253.) dicendum est huiusmodi Qualitatem spectare ad hanc tertiam Speciem, quia eius effectus formalis, vt dixi, est deturpare, ac fœdare Spiritus, ex cuius fœditatis cognitione maximam tristitiam ipsi Spiritus concipiant: ergo tali Qualitas pertinet ad hanc Speciem. Probo Consequentiam, quia ad hanc tertiam Speciē pertinent Qualitates, quæ ornant Substantiam: ergo & quæ illam fœdant; contrariorū enim idē est ordo, ac genus proximū. P. Soar.

143 Dixi, *quæ quidem probabilis est*, quia plures Theologi tenuunt admittere talem Qualitatem productam ab igne; dicunt enim hūiusmodi turpitudinem, ac fœditatem sufficienter induci, ac inuri per ipsum peccatū mortale, & eius maculam, quâ nihil turpius, ac fœdius: vnde contendunt ignem Inferni torquere Spiritus suo intuitu, ad eum modum, quo audità collisione ferræ, aut viso horrendo vulnere solent nobis dētes stridere, & animi fremitus sequitur, prout *tr.* 2. *de Anim. num.* 254. declarauimus. Et ita docet P. Martinon *d.* 44. *de Angelis, num.* 52. His non obstantibus opinio P. Soar. vt dixi, est probabilis, quia fœditas, & turpitudo, quæ sequitur ex peccato mortali, est moralis: quæ autem inducitur à prædictâ Qualitate productâ ab igne Inferni, est physica. P. Marti.

SECTIO IV.

De Formâ, & Figurâ.

144 FOrma, vt in *Log. tr.* 5 *n.* 81. diximus, Est *Qualitas resultās ex terminatione Quātitatis spectata in re aliqua naturali*, vt species hominis externa. Figura, est *Qualitas resultans ex terminatione Quantitatis secundùm se spectata*, vt triangulus. Vnde patet Formam, & Figuram esse eandem Qualitatem, spectatam sic, vel sic; ac proinde inter se non dissidere discrimine essentiali.

145 Notandum tamen est hoc loco id, quod diximus in *Phys. tract.* 1. *n.* 456. nempe dari duplicem Figuram. Prima dicitur Organica, & interna: hanc aliqui vocant *Physicam*. Secunda externa, & Situalis: hanc alij *Mathematicam* appellant. Prima, nimirum Organica, resultat ex terminatione Quantitatis sumptæ per ordinem ad totum: secunda, nimirum Situalis, consideratur in ordine ad locum. Organica datur in Quantitate Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ: Situalis solùm in ijs entitatibus, quæ habent Situm, & extensionem per ordinem ad locum. Organica fundatur immediatè in Quantitate terminatâ: Situalis immediatè in Situ.

§. 1.

De distinctione Figuræ à Quantitate.

145 PRima difficultas: Quo pacto Figura distinguatur à terminatione Quantitatis? Plures Recentiores, quibus subscribit P. Ouied. *in Met. controu.* 8. *num.* 10. & 11. opinantur distingui solùm virtualiter. Primò, quia nulla est necessitas admittendi maiorem P. Ouiedo

maiorem distinctionem. Secundò, quia Relatio distinguitur virtualiter á fundamento; Situs virtualiter ab Vbi Circumscriptiuo; Duratio virtualiter á re durante: ergo etiam Figura distinguetur virtualiter à Quantitate.

147 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò. Figura Organica distinguitur ex naturâ rei à Quantitate distinctione modali. Ita P. Soar. *in Met. d.* 52. *sect.* 1. *n.* 10. & *d.* 42. *sect.* 3. *n.* 15. Probatur, quia actio, quâ Artifex ex ligno facit Mercurium, non terminatur ad Quantitatem, cùm non sit illius productiua, sed ad eius Figuram Organicam; atquí talis actio est realis: ergo habet terminum distinctum á Quantitate ex naturâ rei, nimirum Figuram. Dices, huiusmodi actionem terminari ad Vbi. Non satisfacis, quia quod fecit Artifex, manet variato Vbi: manet videlicet Mercurius, licèt adsportetur domum, ac proinde deperdatur Vbi. Et confirmatur, quia quod fecit Artifex, nempe Mercurium, potest Deus redigere ad indiuisibile per modũ corporis Christi in Eucharistiâ: ergo hoc non cõsistit in aliquo Vbi Circumscriptiuo.

P. Soar.

148 Consistit hæc Figura Organica, vt diximus *in Phys. tr.* 1. *n.* 456. in exigentiâ talis Figuræ Situalis; exigit videlicet Figura Organica animalis, quód in loco constituatur, ita vt caput sit immediatum collo, & collum immediatum humeris: vnde Cathedra redacta ad indiuisibile diuersam Figuram Situalem exigit, quàm mensa similiter redacta ad indiuisibile. Hoc ergo Organicum, diuersum in cathedrâ, & diuersum in mensâ facit Artifex; hoc non est Vbi, vt ostendimus: non item est Quantitas, quia Artifex non facit Quantitatem: ergo est Figura Organica distincta á Quantitate. Dixi *Figuram Organicam distingui á Quantitate distinctione modali*, quia non est necessaria maior distinctio.

149 Dico secundò. Figura Situalis non distinguitur á Situ, sed est eius differentia, seu quasi differentia. Hæc resolutio est communis. Traditur á Patribus Conimbr. *in Log. q.* 1. *de Qualitate art.* 3. *sect.* 2. §. *Denique*, P. Sancta Cruz *in Phys. num.* 757. quatenus asserit Figuram Situalem non distingui ab Vbi. Et probatur, quia huiusmodi Figura nihil aliud est, quàm talis, vel talis dispositio partium vbicationis in ordine ad locum: at verò hæc talis, vel talis dispositio, nihil aliud est, quàm talis, vel talis Situs. Et confirmatur primò, quia superflua est omnis alia entitas. Secundò, quia corpus carens Situ, caret etiam Figurâ Situali, vt patet in corpore Christi Domini existentis in Sacrâ Eucharistiâ.

Patres Conimbr. P. S. Cruz

150 Dico tertiò. Figura Situalis distinguitur ex naturâ rei á Quãtitate. Probatur, quia Figura Situalis est idem cum Situ; hic verò distinguitur ex naturâ rei á Quantitate, vt ex dicẽdis suo in loco fiet manifestum: ergo idem dicendum de Figurâ Situali.

151 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quatenus dicit nullam apparere necessitatem distinguendi Figuram á Quantitate) respondeo dari necessitatem distinguendi Figuram non solùm Situalem, vt patet ex dictis, sed etiam Organicam: hæc autem necessitas inducitur ab actione artificiali, quæ, cùm sit realis, & non terminatur ad Quantitatem, aut ad eius Vbi, sed ad Figuram Organicam, requirit quòd hæc sit ex naturâ rei distincta ab illis. Ad secundum ab exemplo Relationis, Sitûs, Durationis, &c. dico in primis Relationem non distingui virtualiter, sed ex naturâ rei à fundamento, vt sequenti *tr.* 5. ostendemus.

152 In opinione autem asserente distingui solùm virtualiter, dicendum est Relationem non terminare actionem diuersam ab illâ, quæ terminatur ad eius fundamentum. Similiter Situm non terminare actionem diuersam ab illâ, quam terminat ejus Vbi; item Durationem non terminare actionem diuersam ab illâ, quam terminat res durans: at verò Figura Organica terminat diuersam actionem realem ab illâ, quam terminat Quantitas, & eius Vbi, vt constat ex dictis.

§. 2.

In quibus rebus detur Figura.

153 SEcunda difficultas; In quibus rebus detur Figura. Et in primis, si quæstio procedat de Figurâ Situali, dicendum est dari in omni ente corporeo. Probatur, quia Figura Situalis non distinguitur á Situ: at verò Situs reperitur in omni ente corporeo; Situs enim est dispositio partium Vbicationis Circumscriptiuæ: omnis autem entitas corporea est capax talis, vel talis dispositionis suarum partium, sic vel sic correspondentium in ordine ad locum.

154 Sin autem quæstio procedat de Figurâ Organicâ, Recentiores communiter eam etiam agnoscunt in omni ente corporeo, quia dicunt resultare ex terminatione extensionis Quantitatiuę per ordinem ad locum; at verò non sola Quantitas, sed omnis entitas corporea est capax extensionis Quantitatiuæ: omnis enim habet partes seriatim vnitas, & ordinatas, constituentes totum.

155 Sed re verâ huiusmodi Figura videtur

tur in solâ Quantitate reperiri. Primò, quia aliàs non rectè ab Aristotele, & alijs antiquis Philosophis definiretur, *Qualitas resultans ex terminatione Quantitatis*, sed potiùs *resultans ex terminatione entis corporei.* Secundò, quia aliàs etiam relatio corporea suam haberet Figuram Organicam: similiter frigus, & calor, quia habet suam extensionem: imò Vbicatio Angelica, quę occupat istam aulam quadratam, suam haberet Figuram Organicam. Tertiò, quia in meis principijs Qualitas non sequitur puram potentiam, sed solam actualitatem, vt constat ex dictis *numero* 6. Figura verò Organica est Qualitas: non ergo sequitur omne ens corporeum; aliàs etiam sequeretur Materiam primam; siquidem hæc etiam est ens corporeum. Et sanè P. Tellez *d.61.n.34.* satis inuitus sequitur Recentiores contrarios, ibi: *In Substantia materiali communiter admittitur Figura substantialis, & Organica, licèt, vt verum fatear, difficillimè talis Figura à nobis percipiatur, nisi fortè oculos nostros illuminet lumen Christi, qui, cum sit splendor Patris, & Figura Substantiæ eius, solus quidem planè, & plenè Figuram Substantiæ docere poterit, &c.* P. Tellez

§. 3.

Vtrùm Deus possit conseruare Quantitatem absque omni Figurâ?

156 Tertia difficultas: Vtrùm Deus possit conseruare Quantitatem absque omni Figurâ? Videtur non posse, quia Figura aut non distinguitur à Quantitate: aut dato quòd distinguatur, est eius terminus intrinsecus: Deus autem non potest conseruare rem absque eius termino intrinseco.

157 Sed oppositum est probabilius. Dico primò: Deus potest conseruare Quantitatem absque eius Figurâ Situali. Ita Cardinalis Lugo *de Eucharistia d.8. sect.2.n.38.* Probatur, quia Figura Situalis non distinguitur à Situ, vt constat ex dictis: at verò Deus potest conseruare Quantitatem absque omni Situ. Et hoc ostenditur, quia Situs non distinguitur ab Vbi Circumscriptiuo: Deus autem potest conseruare Quantitatem absque omni Vbi Circumscriptiuo, vt patet in Quantitate Christi Domini existentis in sacrâ Eucharistiâ. P. Lugo

158 Dico secundò: Deus potest conseruare Quantitatem absque omni Figurâ Organicâ. Hæc resolutio etiam traditur à Cardinali Lugo cit. Et probatur primò, quia Figura Organica distinguitur à Quantitate ex naturâ rei, vt constat ex dictis. Secundò, quia Deus potest confundere partes Quantitatis, ita vt illa Quantitas maneat absque vllâ ex- P. Lugo

tensione quantitatiuâ: in quo euentu manebit absque omni Figurâ Organicâ; hæc enim non resultat, nisi ex terminatione extensionis quantitatiuæ.

159 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis *tract.2.num.274.* vbi ostendimus Deum posse conseruare entitates absque earum terminis intrinsecis, dummodò hi ab illis distinguantur ex naturâ rei: vnde potest conseruare Naturam absque omni Subsistentiâ: Accidens absque omni inhærentiâ, & sic de cæteris. Vide locum citatum.

§. 4.

Vtrùm Forma, & Figura constituant quartam Speciem Qualitatis?

160 Quarta difficultas: Vtrùm Forma, & Figura cõstituant quartam Speciem Qualitatis? Pro parte negatiuâ facit primò, quòd Figura sit terminus Quantitatis: omnis autem terminus spectat ad idem Prædicamentum, quò eius entitas, cuius est terminus. Secundò, quia omnis terminus est ens incompletum, vt patet in Inhærentiâ, Subsistentiâ &c. Tertiò, quia Figura est modus; ac proinde non potest conuenire vniuocè cum alijs Speciebus Qualitatis, quæ sunt realitates. Quartò, quia sequeretur Qualitatem ex suo genere non esse nobiliorem Quantitate. Et hoc probatur, quia Figura, cùm sit modus, est ignobilior Quantitate; omnis enim modus est ignobilior realitate, cuius est modus. Quintò, quia (quidquid sit de Figurâ) saltem Forma est ens per accidens includens Figuram coloribus affectam. Sextò, quia Qualitas sequitur actualitatem: at verò Forma sequitur Materiam primam, mediante Quantitate.

161 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò: Figura Situalis spectat ad Prædicamentum Situs. Et probatur, quia est eius differentia, vt suprà diximus: differẽtiæ verò spectãt ad idẽ Prædicamentũ, quò res, quarũ sũt differẽtiæ. Dico secũdò: Figura Organica cõstituit quartã Speciẽ Qualitatis. Ita D. Tho. *1.2. q.9.* P. Fons. *5. Met. c.14. q.1. s.3.* P. Soar. *in Met. d.42. s.3. n.15.* P. Rub. *in Logica q.1. ar.8.* & communiter Recentiores. Et probatur, quia Figura habet diuersum effectum formalem; licèt enim videatur spectare ad tertiam Speciem (videtur enim dari Substantiæ propter eius ornatum) re verâ non datur propter eius ornatum sumptæ absolutè, sed propter eius ornatũ solùm quoad vltimam superficiem: quam limitationem non habet tertia Species D. Thom. P. Fons. P. Soar. P. Rub.

Ad

162 Ad primum, respondetur Figuram non esse terminum Quantitatis, sed resultare ex Quantitate terminatâ, cũ quâ facit vnũ per accidens. Ex quo patet responsio ad secũdum. Ad tertium, dico Figuram non conuenire vniuocè cum suâ realitate, hoc est, cum Quantitate, sed cum alijs Qualitatibus.

163 Ad quartum (quâtenus dicit sequi Qualitatẽ ex genere suo non esse nobiliorem Quantitate) nego sequelam, quia Qualitas ex genere suo sequitur Formam, seu actualitatẽ. Benè tamen potest vna res esse ex genere suo nobilior, & aliunde ignobilior, vt patet in Modo supernaturali realitatis naturalis, & in alijs pluribus exemplis. Ad quintum (quâtenus dicit Formam esse ens per accidens, quia includit affectionem colorum) respondeo illam non includere formaliter, sed solùm connotare.

164 Ad sextum (quâtenus dicit Formam sequi Materiam mediante Quantitate, & inde infert non esse Qualitatem, quia Qualitas solùm sequitur actualitatem) respondeo Formam non sequi Materiam quòad eius esse puræ potentiæ, sed quòad eius actualitatem, nimirum quòad Quantitatem. Imò, neque quòad Quantitatem nudè sumptam, sed affectam coloribus, tali mixturâ, & temperamento; neq; enim Quantitas se solâ est Organica, sed prout subest tali mixturæ, ac temperamento Qualitatum, prout pleniùs, & ex professo diximus *tract. 1. de Anima n. 48.*

TRACTATVS V.

DE RELATIONE.

AMPLEXA Disputationes duas. In primâ de Relatione in communi. In secundâ differimus de eius Speciebus.

DISPVTATIO I.

De Relatione in communi.

P*ARTITA in Sectiones quinque. In primâ quæritur, Utrùm dentur Relationes Prædicamentales? In secundâ, Quo pacto distinguantur à fundamento? In tertiâ agitur specialiter de earum fundamentis. In quartâ de earum termino. In quintâ quæritur, An Relationes dicant perfectionem?*

SECTIO I.

Vtrùm dentur Relationes Prædicamentales?

1 DE essentiâ, & diuisione Relationis in Trascendentem, & Prædicamentalem diximus *in Log. tract. 5. à n. 93.* Hoc loco solùm examinandum est, Vtrùm in creatis dentur Relationes Prædicamentales? Deinde, In quo à Trascendentibus distinguantur?

§. 1.

Proponitur sententia negans dari in creatis Relationes Prædicamentales.

2 PRima difficultas: Vtrùm in creatis dentur Relationes Prędicamẽtales? Negant Stoici, & alij ex antiquis apud Albert. M. *in Prædicament. c. 1.* quos postea secuti sũt Ocham. *in 1. dist. 5. q. 1. a. 1.* Hẽric. *quodlib. 9. q. 3.* Aureol. apud Ocham. Henric. Aureol.

in eo, quòd Deus possit condere Relationes creatas accidentales, quae inueniuntur Diuinas substantiales.

10 Probatur secundò, exemplo quartae Relationis Spiratoris actiui, quae negari non potest in Patre, & in Filio respectu Spiritus Sancti. Negari, inquam, non potest. Primò, quia communi consensu admittitur à Theologis, à Magistro in 1. dist. 25. à D. Thom. 1. p. q. 28. art. 4. à P. Molin. ibidem, vbi docet hanc quartam Relationem esse de Fide, à P. Soar. 5. de Trinitate c. 4. vbi asserit contrariam sententiã esse temerariã, & erroneã. Cõsentiunt P. Vasq. 1. p. q. 28 in commento articuli 1. P. Valent. ibidem d. 2. q. 2. punct. 2. P. Arrub. disp. 103. & 129 cap. 1. P. Granad. de Trinitate tract. 3. d. 2 n. 7. P. Erice, P. Ruiz, P. Alarc. & caeteri omnes.

Magist. D. Thom. P. Molin. P. Soar. P. Vasq. P. Valent. P. Arrubal P. Granad. P. Erice P. Ruiz P. Alarc.

11 Negari non potest secundò haec quarta Relatio, quia sufficienter videtur exprimi in Concilio Lugdunensi sub Greg. X. prout refertur in Cap. In eo. De Summa Trinitate, ibi: Fideli, ac deuota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus Principijs, sed tanquam ex vno Principio, non duabus Spirationibus, sed vnica Spiratione procedit. Et negari non potest hanc Spirationem esse actiuam, & passiuam; prout est passiua, est Relatio realis: ergo etiam prout est actiua, & remanet in Patre, & Filio, erit Relatio realis, cum hoc solo discrimine, quòd prout est passiua, constituit Personam, & prout est actiua, non constituit Personam, quia inuenit constitutas.

Concil. Lugdun. Cap. In eo.

12 Negari non potest tertiò, quia non est maior ratio cur Spiritus Sanctus referatur ad suum Principium: Principium verò non referatur ad Spiritum Sanctum. Et hoc ostenditur, tum exemplo Patris, qui ex eo quòd sit Principium Filij, ad illum refertur, sicut & Filius ad ipsum Patrem: tum, quia Concilium Toletan. 11. in confessione Fidei, docet Personas Diuinas ad inuicem referri.

Concil. Toletan.

13 Negari non potest quartò, quia in Diuinis Relationes terminantur ad relatiuum; debent enim terminari ad terminum realiter distinctũ: in Diuinis autẽ sola relatiua distinguuntur; sed Relatio Spiritûs Sãcti non terminatur immediaté ad Patrem, quá talem, neque ad Filium similiter, quá talem; non enim procedit ab illis, quá tales, sed quá sunt vnus Spirator; sin minùs Spiritus Sanctus procederet ex duobus Principijs, quod est cõtra Conciliũ Lugdunense cit. ergo terminatur ad Relationẽ Spiratoris: hęc igitur nõ potest esse ens rationis, cùm sit terminus Relationis realis.

14 Ex quo discursu conficitur efficax argumentũ ad probãdas Relationes Praedicamẽtales reales: nã in Diuinis non potest intelligi denominatio Spiratoris absq; Relatione Praedicamentali, seu quasi Praedicamentali, á quá proueniat: ergo similes denominationes in creatis stare non poterunt absque Relationibus Praedicamentalibus, à quibus proueniant.

15 Probatur tertió eadem resolutio, quia diuersus est cõceptus albi, & alli, palmi, & palmi ac conceptus similis, & aequalis; sed ille primus, est conceptus duorum absolutorum; secundus relatiuorum: ergo hic nõ consistit in absolutis. Et confirmatur primò, quia aut conceptus similis superaddit aliquid supra duo absoluta, nimirũ supra allũ, & albũ: aut non. Si superaddit aliquid: ergo Relatio nõ cõsistit in duobus absolutis, sed in aliquo illis superaddito. Si nihil: ergo non differt conceptus similis á conceptu albi, & albi. Cõfirmatur secũdó, quia in cõtrariã sententiã nõ explicatur, in quo cõsistat cõceptus similis in communi. Dicunt aliqui, consistere in qualitate, & qualitate. Sed cõtrá, quia albedo, & nigredo sunt qualitas, & qualitas: & tamen non sunt similes. Respondent alij esse albedinem vt octo, & albedinem vt octo. Sed contrá, quia nigredo vt octo, & nigredo vt octo sunt similes: & tamen non sunt albedo, & albedo vt octo. Respondent nonnulli, esse qualitatem, & qualitatem eiusdem rationis. Benè. Sed contrà, quia in ipso conceptu includitur aliquid prӕter extrema absoluta. Et hoc ostenditur, quia illa particula, eiusdem, aut dicit aliquid pertinens ad Praedicamentũ Qualitatis; & hoc non, quia id non pertinet ad genus, neque ad differentias huius determinatae Speciei, nimirum, albedinis; cùm neque in huius, neque in illius definitione essentiali ponatur: aut nihil dicit; & hoc etiam non, quia si nihil dicit, potest sine illã haberi integer, & adaequatus conceptus similis: dicit ergo aliquid, quod sit de Praedicamento Relationis; non enim apparet aliud, ad quod pertineat.

§. 3.

Argumenta soluta.

16 AD primum fundamentum opinionis contrariae (quatenus dicit denominationes respectiuas posse saluari absque Relationibus realibus, vt patet in Deo, cuius denominationes Domini, & Creatoris intelligũtur absq; Relationibus) respõdeo denominationes respectiuas stare nõ posse absque Relationibus; aut realibus, quãdo ad eas dãtur omnia requisita; aut rationis, quãdo nõ dãtur omnia requisita ad Relationes reales: vnde in Deo denominationes Creatoris, & Domini importãt Relationes, nõ reales, quia in Deo nõ dãtur

omnia requisita ad Relationes reales in ordine ad creaturas, vt inferius ostendemus, sed rationis. Dices: Denominatio *Creatoris* in Deo est realis, & tā realis, ac in nobis est denominatio creaturæ; nō enim Deus minùs realiter creat, quàm creatura creatur; & tamē in Deo potest saluari denominatio *Creatoris* abque Relatione reali: ergo idem dicendū in nobis de denominatione creaturæ, & cæteris denominationibus creatis. Responderi potest primò, in Deo solùm esse denominationes reales fundamētales, nō denominationes formales *Domini, Creatoris*, &c. Responderi potest secundò, huiusmodi denominationes formales esse quidē reales, sed desumi extrinsecè à Relationibus creaturę, quę sicut intrinsecé denominăt creaturā, ita extrinsecè denominăt Deū, ad eum modū, quo Vnio hypostatica solùm intrinsecè recipitur in natura humanā, & extrinsecè denominat Verbum Diuinum vnitum; & ad eum modum, quo cognitio denominat intrinsecè potentiā cognoscentem, & extrinsecè obiectum cognitum.

17 Ad instantiam denominationū *cogniti*, & *amati* (quæ, licèt respectiuæ sint, optimè intelliguntur prouenire á formis absolutis, nempe á cognitione, & amore: & inde infert idem dicēdum de alijs denominationibus respectiuis) respondeo has denominationes *cogniti*, & *amati* esse eodē modo respectiuas, quo ipsa cognitio, & amor; vnde ab illis poterunt prouenire: at veró denominatio *similis* est magis respectiua, quā albedo; vnde nō potest ab illā prouenire. Ad id, quod dicitur de duabus *paternitatibus* (quasi similitudo inter se optimè intelligitur absque Relatione similitudinis) occurrendum, intelligi absque Relatione similitudinis reali, defectu requisitorū ad illā: non intelligi absq; Relatione similitudinis saltē rationis. Ad aliā instantiā petitā ex denominatione *Veri* (quæ optimè intelligitur prouenire à cōformitate cognitionis cū suo obiecto) respōdeo esse duplicē conformitatē, aliā fundamentalem; & ab hâc prouenit denominatio *Veri* fundamentalis: alia cōformitas est formalis, cōsistens in Relatione; & ab hâc prouenit denominatio *Veri* formalis.

18 Ad secundū (quàtenus dicit huiusmodi denominationes respectiuas optimè saluari per duo extrema absoluta sibi coexistentia) patet respōsio ex dictis *n.15*. vbi ostendimus denominationē *similis* addere aliquid supra *album*, & *albū*, sine quo potest quidē intelligi *albū*, & *albū*: nō tamen denominatio *similis*, quæ in *albo*, & *albo* fundatur, & est aliquid illis superadditum.

19 Ad tertium (quàtenus asserit, sequi ex nostrā sententiā ad positionem vnius albi Romæ resultare in omnibus albis, quæ sunt in toto Orbe Relationes Prædicamentales, quod difficilè intelligitur) respondeo id sufficiēter intelligi; sufficienter enim intelligitur resultare in omnibus albis denominationes *similium* illi albo, quæ in eis ante illius positionem non dabantur: eo igitur modo, quo intelliguntur resultare istæ denominationes, intelligi possunt resultare Relationes, sine quibus illæ denominationes reales stare non possunt.

20 Ad quartum (quàtenus dicit ex Relationibus Diuinis non colligi sufficienter Relationes creatas) respondeo ex Relationibus Diuinis optimè concludi Relationes creatas; nam sicut Paternitas, & Filiatio in Diuinis sunt Relationes, cur tales non erunt Paternitas, & Filiatio in creatis? Neque dicas ex eo, quód Relationes Diuinæ sint Substantiæ, non sequi tales esse Relationes in creatis. Nā Relationes Diuinæ nō sunt Substantiæ ex eo, quód sint Relationes, sed ex eo, quòd sint Diuinæ; nam accidens est ens imperfectum, Relationes verò Diuinę, ex eo quòd sint Diuinæ, sunt entia perfectissima; ac proinde non accidentia, sed Substantiæ.

21 Deinde, quòd ex quartā Relatione Spiratoris actiui desumatur efficax argumentum, patet ex dictis. Ad primum, quod contra quartam istam Relationem nobis obijciebatur (quàtenus dicebat hanc Relationem videri propriam Mysterij Trinitatis: vnde inferebat ex illā non valere argumentum ad creatas) respondeo istam quartam Relationem in specie, imò, & in genere vniuoco esse propriam Mysterij Trinitatis: aliter dicendum de illā sumptā in genere analogo; cur enim erit impossibilis entitas creata, quæ sit Relatio, & conueniat analogicé cum Diuinā? Ea, quæ in Mysterio Trinitatis reperiuntur, tunc solùm dicuntur illius propria, quādo implicant in creatis; sic minùs, quia in Mysterio Trinitatis datur productio Verbi, in intellectu creato non daretur productio Verbi: & quia in Mysterio Trinitatis Verbum est imago, in creatis Verbum non erit imago: & quia in Diuinis Pater, & Filius sunt Personæ, in creatis Pater, & Filius nō erunt Personæ. Ea igitur sola dicuntur propria Trinitatis, quæ in creatis aliquam inuoluunt contradictionem: cùm verò nulla detur in Relationibus creatis, istæ admittendæ sunt, quæ Relationes Diuinas imitentur. Ad secundum (quàtenus dicit in Diuinis admitti Relationes, quia admittuntur in creatis: non ergo debere admitti in creatis, quia admittuntur in Diuinis) respondeo Relationem Spiratoris actiui, non idcircò admitti in Deo, quia Relationes admittuntur in creatis, sed quia illā Cōcilia innuūt, & bona ratio deducta

ab

ab exemplo aliarum trium Diuinarum Relationum id conuincit, vt patet ex dictis *n.* 10.

22 Ad tertium ex D. August. (quatenus dicit Patrem, & Filium esse vnum Spiratorē, sicut sunt vnus Creator: vnde infertur, sicut sunt vnus Creator per Relationem rationis, ita esse vnū Spiratorem per Relationē rationis) respondeo D. August. loco cit. solùm cōparare Patrē, & Filiū in ratione *vnius Spiratoris* cū tribus Diuinis Personis in ratione *vnius Creatoris*, hoc est, solùm in eo, quòd sicut tres Diuinæ Personæ nō sunt tres Creatores, sed vnus Creator, ita Pater, & Filius nō sunt duo Spiratores, sed vnus Spirator. Itaque non comparauit entitatē Relationis Spiratoris cū entitate Relationis Creatoris, sed solā *Vnitatē*. Albinus, Hugo, & Conciliū locis cit. solùm loquuntur de Relationibus cōstitutiuis Personarū, quæ sunt tantùm tres: nā Relatio Spiratoris actiui, cùm nō distinguatur á Patre, & Filio, nō constituit Personā ab illis distinctā. Ad vltimū (quatenus dicit Relationē Spiratoris actiui non esse realē, quia fundatur in Paternitate, & Filiatione; vna enim Relatio realis nō fundatur in aliā) respōdeo Relationē Spiratoris non fundari in Relatione Patris, & Filij, tum quia non est accidens; ac proinde non requirit fundamentum, vt requirunt Relationes creatæ: tum quia dato quòd aliqua ratio fundamenti in eā excogitari possit, hæc erit aut Essentia Diuina, vel eius Voluntas, vt docet P. Soar. 5. *de Trinit.* *c.* 4. *n.* 9. & *c.* 8. *n.* 8. & P. Alarc. *tract.* 5. *d.* 3. *c.* 2. *n.* 10. aut, vt ego potiùs reor, ipsa Relatio, prout dicit conceptū Principij, & Originis actiuæ, cui aduenit cōceptus Relationis, prout ex professo expendo in *Materia de Trinit.* P. Soar. P. Alarc.

23 Quæres pro complemento resolutionis huius difficultatis, quo pacto intelligendus sit Aristoteles, quando 5. *Physic. text.* 10. & 8. *Physic. text.* 9. & 11. *Met. c.* 3. & 14. *Met. c.* 3. dicit Relationem non esse ens per se, non intēdi à naturâ; neque dari ad illā motū per se; ex his enim videtur colligi sensisse Aristotelē nō dari Relationes reales, sed solùm rationis. Respondeo Aristotelē solùm velle Relationē existere per accidens, hoc est, quasi casualiter ad positionē termini; nā iste paries solùm per accidens, hoc est, ad casualē positionē alterius dicitur illi similis: non ergo ista similitudo intēditur per se á naturâ, huius albi, sed resultat per accidens ad positionē alterius. Quòd verò Aristoteles non negauerit Relationē esse ens; imò ens reale, & ad illam dari motum, constat ex 3. *Physic. text.* 5. ex 5. *Physic. text.* 10. & 5. *Met. tex.* 13. & ex 7. *Met.* initio, ex 11. *Met.* & alijs locis, quæ videri possunt apud D. Thom. *q.* 7. *de Potentia a.* 8. Aristot.

§. 4.

In quo distinguantur Relationes Prædicamentales á Transcendentibus?

24 Secunda difficultas: In quo distinguantur Relationes Prædicamētales, & Trāscēdentales? Prima sentētia docet distingui solùm penes nomina; nā Transcēdentes, inquiunt Auctores huius sententiæ, significātur nomine alterius Prædicamēti, vt *Scientia*, *Potentia*, &c. quæ licèt re verâ Relationes sint, significātur nomine spectāte ad Prædicamētū Qualitatis: Prædicamētales verò nō significātur nisi nomine, quod ad Prædicamētū Relationis spectat, vt *Similitudo*, *Paternitas*, &c. Ita Scot. Capreol. Ferr. apud P. Fons. 5. *Met. c.* 15. *q.* 15. Scotus. Capreol. Ferrara.

25 Secunda sententia docet distingui quidem essentialiter Relationes Transcendentes, & Prædicamentales: idque in eo, quód Relatio Prædicamentalis respiciat suum terminum, vt purum terminum: Transcendens veró suum terminum, non vt purum terminum, sed alterius muneris præstandi, aut recipiendi gratiā. Ita P. Compton. cit. *d.* 11. *s.* 2. *n.* 8. Verùm hæc distinctio impugnatur à P. Hurt. *d.* 15. *n.* 90. & á P. Arriag. *in Log. disp.* 12. *n.* 15. vbi dicit nunquam illam potuisse intelligere, & ab alijs Recentioribus. Primó, quia Anima Rationalis solùm respicit Materiam, vt purum terminum; nam Materia nullam exercet causalitatē erga Animam Rationalem: & tamen Anima Rationalis est respectus Transcendens ad Materiam. Secundò, quia Relatio effectûs ad causam, v.g. filij ad patrem in creatis, est Prædicamentalis: & tamen filius respicit patrem vt causam, & non vt purum terminum. Tertiò, quia Vnio hypostatica respicit Verbum Diuinum, vt purum terminum: & tamen non est respectus Prædicamentalis ad illud, sed Transcendens. P. Compt. P. Arriaga.

26 Nonnulli Recentiores sic contendunt explicare hanc rationem *puri termini*, quam dicunt respicere Relationem Prædicamētalem; non verò Transcendentem (dicunt enim, Relationem Prædicamentalem in nullo genere causæ influere in terminum, nec terminum in illam: nec terminum vllo modo in illā recipi, aut illam perficere intrinsecè, aut è cōtrà: Relationem verò Transcendentem semper, aut terminum causare, aut causari ab illo: aut illum intrinsecè perficere, aut perfici ab illo.

27 Non satisfaciunt. Primò, quia cognitio est Relatio Transcendens, & tamen neque causat terminū, neq; causatur ab illo, neque illū

perficit intrinsecè, neque perficitur ab illo. Si dicas, causari à termino, quia specificatur ab illo: contrà est, quia etiam in opinione horum Recentiorum Relatio specificatur à termino. Occurrit quidam Magister, cognitionem perfici intrinsecè per obiectum sumptum secundùm suum esse intentionale, nimirum per species. Sed contrà, quia cognitio non recipit has species, sed potẽtia cognoscens. Præterea, cognitio est relatum ad terminum sumptum secundùm suum esse reale. Tandem, quia quidquid sit de cognitione, Voluntas, & Amor non operatur per species.

Secundò non satisfaciunt, quia Vnio hypostatica in hoc sensu respicit Verbum Diuinum solùm vt purum terminum; non enim illud recipit intrinsecè, aut ab illo recipitur: & tamen illud respicit transcendentaliter.

28 Tertiò, quia Relatio creaturæ ad Deum est Prædicamentalis: & tamen causatur ab illo. Distinguit quidam Magister hoc modo: Relatiò creaturæ ad Deum, vt ad terminum, est Prædicamentalis, concedo: ad Deum, vt ad causam, nego Maiorem. Sed contrà primò, quia Relatio effectûs ad causam, vt ad causam, est Prędicamentalis. Secundò, quia terminus creaturæ, nimirum Creator, in tantùm est terminus creaturæ, in quantùm est eius causa. Itaque Relatio creaturæ terminatur ad Deum formaliter vt Creatorem: ergo formaliter vt ad causam: & tamen est Prædicamentalis. Occurrunt alij causari à Deo, non tollere rationem Relationis Prædicamentalis; est enim quid transcendens per omnes creaturas. Sed contrà primò, quia inde sequitur omnem creaturam, nimirum *Cælũ*, *Angelum*, &c. esse Relationem Prædicamentalem ad Deum. Contrà secundò, quia nulla alia creatura, sed hæc sola Relatio Prædicamentalis, est Relatio creaturæ ad Creatorem: itaque hæc sola Relatio habet totum suum esse ad Deum, vt ad Creatorem, quin vllum alium habeat effectum formalem: ergo hoc, quod est habere totum suum esse ad Deum, vt ad Creatorem, absque vllo alio effectu formali, est speciale huius Relationis, minimè transcẽdẽs per alias creaturas.

29 Quartò, quia Duratio est respectus transcendens ad tempus imaginarium: & tamen neque illud causat, neque causatur ab illo: neque illud perficit intrinsecè, neque perficitur ab illo. Similiter dicendum de Vbicatione, quæ est respectus transcendens ad spatium imaginarium; cùm neque illud causet, neque causetur ab illo &c. His igitur relictis,

30 Ego, vt quid in hac re sentiam, paucis exponam, quid discriminis Relationis Prædicamentalis à Transcendente. Dico primò: Relationes Prædicamentales, & Transcendentes distinguuntur essentialiter. Hæc resolutio est communis: traditur expressé à Caietano, & alijs, quos referunt, & sequuntur P. Soar. *in Met. d. 47. s. 3.* P. Fons. vbi proximè, P. Hurtad. *in Met. d. 15.* Accedunt Patres Conimbr. *in Log. q. 1. de Relatione a. 2.* P. Arriag. *in Log. d. 12. à n. 8.* P. Tolet. ibid. *q. 1.* P. Albertin. *tom. 2. in Prædicamento ad aliquid q. 5. fol. 381.* P. Tellez *d. 62. n. 10.* Et probatur primò, quia Relationes Transcendentes, & Prædicamentales spectant ad diuersa Prædicamenta. Secundò, quia Relationes Transcendentes, quà tales, non requirunt existentiam sui termini: Prędicamentales verò maximè. Dixi, *quà tales*, quia si aliquæ Relationes Transcendentes requirunt existentiam sui termini, vt Actio, Passio, Vnio, &c. id non habent, quà Relationes Transcendentes; sin minùs omnes Relationes Trãscendentes illã requirerẽt: id habẽt aliunde, vt inferiùs dicemus. Tertiò differunt essentialiter, quia respectus Transcendens est de essentiâ, & primario conceptu rei absolutæ: nõ ita respectus Prædicamentalis. Quartò, quia respectus Trãscendens est res absoluta: nõ ita respectus Prædicamentalis, sed aduenit rei absolutæ.

Caietan.
P. Soar.
P. Fons.
P. Hurt.
Patres Conimbr.
P. Arriaga
P. Tolet.
P. Albertin.
P. Tellez.

31 Dico secundò: Quando Philosophi dicunt, quòd Relatio Prædicamentalis respicit suum terminum, vt purum terminum, non ita Relatio Transcendens, volunt dicere, quòd Relatio Prædicamentalis necessariò resultat in extremo positâ purâ existentiâ sui termini: non ita Relatio Transcendens. Itaque positâ purâ existentiâ filij, necessariò in patre resultat Relatio *patris*: positâ purâ existentiâ alterius albi, necessariò resultat in hoc albo Relatio *similis*, &c. Non ita Relatio Transcendens, nam positâ purâ existentiâ Materiæ, nõ necessariò resultat Anima Rationalis; in ò nec alia Forma Substantialis, sed debet existentia Materiæ vestiri dispositionibus &c. item positâ purâ existentiâ Verbi Diuini, non necessariò resultat Vnio hypostatica: positâ purâ existentiâ obiecti, non necessariò resultat cognitio, nisi fortè hæc sit Diuina: sed neque Diuina resultat positâ purâ existentiâ obiecti, sed positâ intelligibilitate ante existentiam. Itaque hoc est celeberrimum discrimen inter Relationem Transcendentem, & Prædicamentalem, quod (licèt P. Arriaga dixerit sæpiùs, nunquam se potuisse intelligere) est satis notum, & satis clarum.

SECTIO

SECTIO II.

De distinctione Relationis Prædicamentalis à suo fundamento, & termino.

32 TRES sunt opiniones. Prima asserit Relationem nihil aliud esse, quàm ipsa extrema sibi coexistentia, v. g. esse duo alba similia nihil aliud esse, quàm coexistere sibi ipsa duo alba. Ego ægrè fero, quòd Patroni huius sententiæ admittant Relationes Prædicamentales; & tamen dicant nihil aliud esse, quàm extrema absoluta sibi coexistentia; nam hoc planè est negare Relationes Prædicamentales: entitates enim absolutæ non sunt Relationes Prædicamentales. Aliæ duæ sententiæ admittunt quidem Relationem Prædicamentalem esse formam distinctam à termino aduenientem fundaméto, ipsisque superadditam, sed vna sententia dicit esse solùm virtualiter distinctam à fundamento; alia sententia contendit esse ab illo distinctam ex naturâ rei.

§. I.

Sitne Relatio aliquid distinctum à fundamento & termino?

33 PRima difficultas: Vtrùm Relatio Prędicamentalis sit aliquid distinctum à fundamento, & termino, illisque superadditum? Celebris est resolutio negatiua, quam tenet P. Arriaga *in Log. disp. 12. num. 18.* vbi dicit Relationem includere fundamentum, & terminum, & illis formaliter constare, sicut homo constat corpore, & Animâ Rationali: vnde Relationem non distingui à fundamento, & termino aliâ distinctione, quàm includentis ab incluso, eo modo, quo homo distinguitur à corpore, vel ab Animâ. Huic sententiæ subscribit P. Ouiedo *in Met. controuers. 9. puncto 4. num. 19.* Accedunt Vera Cruz *in sua Logica disp. 5. q. 6. sect. 3. num. 848.* vbi citat Cardinalem Ioannem de Lugo, P. Erice, & P. Wadingum. Et sanè pro hac sententiâ stat P. Martinon supra cit. *disput. 25. de Trinit. à num. 19.* qui *num. 24.* citat Aureolum, Durandum, Gabrielem, Gregorium, Ochamum, & alios, quibus accedit P. Theophilus Raynaudus *in sua Theologia naturali dist. 7. num. 73.* & hæc est sententia P. Hurtad. *in Met. d. 15. s. 7.*

P. Ouiedo. Vera Cruz. P. Lugo. P. Erice. P. Wadi. P. Marti. Aureolus. Durand. Gabriel. Gregorius. Ochamus. P. Raynau. P. Hurt.

34 Probatur hæc sententia. Primò, ex D. Thom. *opusculo 48. cap. 2. de Prædicamento ad aliquid*, vbi sic ait: *Cùm autem dico, quòd similitudo Socratis habet albedinem eius vt fundamentum: non est intelligendum, quòd similitudo Socratis sit aliqua res in Socrate, alia ab ipsa albedine, sed solùm est ipsa albedo, vt se habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum.*

35 Probatur secundò, quia non est vlla necessitas distinguendi Relationem à fundamento, & termino. Et declaratur, quia posito fundamento, & termino, necessariò intelligitur Relatio, v. g. posito *albo*, & *albo*, necessariò intelligitur *simile*: item posito *filio* statim intelligitur *pater*.

36 Fateor hanc sententiam esse hodie communiter receptam inter Neotericos politiores. Mihi tamen non placet. Primò, quia in eâ Relatio constituitur termino, illumque includit, quod certè stare non potest cum Relationibus Diuinis: & inde fit optimum argumentum ad Relationes creatas. Stare, inquã, non potest cum Relationibus Diuinis, quia alioquì Paternitas constitueretur Filiatione, illamque includeret.

37 Respondet P. Arriaga, Paternitatem in Diuinis esse Relationem Transcendentem. Sed contrà, quia etiam est Relatio Prædicamentalis. Id tandem concedit P. Arriaga: sed admittit, quàtenus est Prędicamentalis constitui Filiatione. Difficilis quidem euasio: nã vt cum communi Theologorum tradidimus *in Materia de Trinitate*, Personæ constituuntur formaliter Relationibus Prædicamentalibus, nimirum Pater constituitur Paternitate sumptâ non solùm sub conceptu Hypostasis, sed etiam sub formali conceptu Relationis confusè. Et huius ratio est, quia Pater eo formaliter constituitur, quo formaliter distinguitur: at formaliter distinguitur Relatione Prædicamentali; nam in Diuinis nulla est distinctio, nisi vbi obuiat Relationis oppositio: si ergo Paternitas, quà Relatio Prædicamentalis, includit Filiationem, Pater, qui constituitur Paternitate, constituitur Filiatione; hoc autem nemo dicet.

38 Vincitur hoc manifestiùs in Relatione Spiratoris actiui, quæ, vt omnes Theologi concedunt, est purè Prædicamentalis; & tamen non constituitur Spiritu Sancto. Tum, quia in meâ sententiâ (vt *in Materia de Trinit.* ostendi) est illius Principium productiuum: ergo debet distingui ab illo: tum quia in contrariâ, & quam ipse P. Arriaga sequitur, est illius Origo, & Productio actiua: ergo debet esse ab illâ realiter distincta: tum quia Pater, & Filius constituuntur vnus Spirator, distinctus ab Spiritu Sancto, ipsique oppositus per Spirationem

tionem actiuam; & quomodò possunt constitui vnus Spirator distinctus ab Spiritu Sancto, ipsiq; oppositus per id, quod formaliter includit ipsum Spiritum Sanctum, & ab eo non distinguitur?

39 Displicet mihi secūdò prædicta Recētiorū sentētia, quia terminus Relationis debet esse extra illam, sicut terminus vnionis, & terminus actionis, ac terminus cognitionis sunt extra illas. Tertiò quia aliàs Relatio referret ad se ipsam.

40 Neque fundamenta opinionis contrariæ oppositum conuincunt. Ad primum deductum ex D. Thomâ respondeo D. Tho. solùm velle Relationem non distingui realiter á fundamento, vt res á re: non negat distingui distinctione modali vt modus á re. De quo paulò infrá.

41 Ad secūdū, patet necessitas distinctionis ex dictis. Ego nō nego posito fūdamēto, & termino, necessariò resultare Relationem, sed dico, esse aliquid superadditum ipsi fundamēto, & termino, ab eisq; aliqualiter distinctum.

§. 2.

Vtrùm Relatio sit aliquid aduenien fundamento, ab eoque distinctum?

42 SEcunda difficultas: Vtrùm Relatio sit aliquid superadditum fundamento, ab eoq; distinctum? Esse aliquid virtualiter distinctum á fundamento, illi adueniens, ab illoq; resultans emanatione quadā virtuali existimat P. Soar. *in Met. d.* 47. *s.* 2. & cū illo plures Recentiores, qui inter fūdamētū, & Relationē nolunt admittere distinctionē ex naturâ rei, sed solùm virtualē. Idq; primò, quia nulla est necessitas admittēdi distinctionem ex naturâ rei. Secundò, quia videtur incredibile, quòd ad ortum, vel interitum vnius formę ponantur, vel destruantur in alijs rebus penè infinitæ Relationes idētitatis, vel diuersitatis distinctæ ex naturâ rei á suis fūdamētis.

43 Tertiò, quia in contrariâ sententiâ sequitur, posse Deum coexistentibus duobus albis impedire eorū similitudinem, seu Relationē: quod tamen nō videtur intelligibile. Quartò, sequitur posse Deum ponere Relationem Paternitatis in Socrate respectu Platonis quem non genuit. Quintò, quia positis duobus albis, præcisâ quâcūquè aliâ formâ ex naturâ rei distinctâ, intelliguntur similia.

44 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Relationes Prædicamentales esse aliquid ex naturâ rei distinctum á fundamento. Ita Aristoteles pluribus in locis, quos citant, & sequuntur Auicenna 3. *Met. c.* 10. Auerroës 3. *de Cælo,* Simplicius *c. de Relation. cōmento* 1. D. Thomas 4. *contra Gentes c.* 14. & 1. *p. q.* 28. *a.* 1. & *q.* 7. *de Potentia*, Caiet; Bañes, Ferrara, Sotus, Ledesma, & alij Thomistæ, Scotus *in* 1. *distinct.* 29. *quæst.* 1. & *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. & omnes Scotistæ, quos latè referunt, & sequuntur P. Molin. 1. *p. quæst.* 13. *art.* 7. P. Arrub. 1. *p. d.* 99. & 103. P. Valent. ibidem *d.* 2. *q.* 2. P. Fonsec. 1. *Met. c.* 15. *q.* 2. *sect.* 5. P. Rub. *in Logica c.* 7. *q.* 14. P. Albertin. *in Prædicam. de Ad aliquid. q.* 6. *n.* 8. Patres Conimb. 2. *Physic. c.* 7. *q.* 7. *a.* 2. & l. 5. *c.* 2. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 3. P. Vasq. 1. *p. d.* 116. *n.* 7. & *d.* 173. *c.* 4. *n.* 14. & *tom.* 2. *in* 3. *p. d.* 134. *c.* 3. *n.* 52. Ægid. Lusit. *tom.* 1. *de Beatit. l.* 3. *q.* 3. *a.* 2. *s.* 3. *n.* 35. P. Vallius *in Log. tom.* 1. *in Prædicam. Relationis q.* 3. *cap.* 12. P. Fasolus 1. *p. q.* 13. *a.* 7. *n.* 15. P. Tellez *d.* 62. *s.* 3. *n.* 1. P. Cōpronus cit. *s.* 8. à *num.* 1. P. Franciscus Gonzales Sanctacruzanus *in Log. p.* 2. *d.* 5. *q.* 6. *s.* 7. *num.* 874. vbi citat P. Tanner. P. Zunigam, Murciam, Didacum á Iesu Masium, P. Becanum, P. Alarcon. P. Salas, Complutenses, Gallegum, & alios plures.

Aristot. Auicen. Auerroës Simplicius D. Thom. Caietan. Bañes Ferrara Sotus Ledesma Scot. P. Molin. P. Arrub. P. Valent. P. Fonsec. P. Rub. P. Albert. Patres Conimbr. P. Vasq. Ægid. Lus. P. Val. P. Fasol. P. Tellez P. Compt. P. Sancta Cruz P. Tanner. P. Zunига Didacus à Iesu Murcia Masius P. Becan. P. Alarc. P. Salas Cursus Complut. Gallego.

45 Fundamentum est, quia ea, quæ possunt separari, distinguūtur ex naturâ rei, vt diximus *tr.* 1. *n.* 662. & constat ex Aristotel. 7. *Topicorum Loco* 12. ibi: *Si alterum interimit, alterum autem non, profectò non sunt idem*; atqui fundamentum potest separari á Relatione, vt patet in hoc albo, quod remanet destructâ eius similitudine per destructionem eius termini: ergo distinguuntur ex naturâ rei.

46 Respondet P. Soar. & cum eo alij Recentiores, Relationem quoád entitatem semper manere in fundamento, & solùm destruí quoad denominationem formalem. Verū hæc responsio, licèt communi plausu recipi soleat, re tamen ipsâ nō subsistit. Primò, quia aut illa denominatio obiectiua, quæ perit (nam ego non loquor de denominatione formali, quæ consistit in voce, vel conceptu, sed de denominatione obiectiuâ, quæ est obiectū talis vocis, & conceptûs, & perijt): aut, inquam, illa denominatio obiectiua, quæ perijt, est aliquid ex naturâ rei distinctum à fundamento: aut nōn. Si primum, in eo consistit Relatio. Non dices, nón distingui à parte rei á fundamento; cùm hoc possit à parte rei esse sine illâ.

47 Secundò, quia aut destructo termino permanet tota entitas Relationis: aut sola aliqua eius pars. Si tota, remanet tota entitas Relationis sine termino, à quo dependet essentialiter, nec minùs, quàm Vbi à suo spatio, & Vnio à suo termino; cur ergo quæ

quæso, entitas vnius Vbi non potest manere mutato eius spatio, nec entitas Vnionis destructo eius termino; entitas veró Relationis potest manere destructo eius termino? Si solùm remanet aliqua eius pars, in primis saltem Relationes spirituales non habent partes: deinde eadem est ratio de parte, quæ remanet, ac de illà, quæ destruitur: cur igitur destructo termino illa perit, & hæc remanet?

48 Tertiò, quia denominatio sequitur formam, & talis est, qualis est ipsa forma. Et hinc est, quòd quoties admittimus nouam denominationem, debemus concedere nouam formam, v.g. quia hoc, quod est durare hodie, est noua denominatio, quam heri non habebam, admittimus hodie nouam partem Durationis, quam heri nō habebam. Itaque quoties aduenit noua denominatio, aduenit noua forma: ergo quoties perit aliqua denominatio, debet perire aliqua forma. Et confirmatur, quia Relatio, quæ de nouo aduenit, aduenit quóad entitatem: ergo quæ perit, pereat quòad entitatem, necesse est.

§. 3.

Duæ obiectiones solutæ.

49 OBijcies primò. Duratio solùm virtualiter distinguitur ab existentiâ; & tamen potest amitti, & de facto amittitur Duratio præterita, manente existentiâ, ac durante de præsenti: ergo benè potest stare cum eo, quód Relatio distinguatur solùm virtualiter á fundamento, quód ipsa amittatur, hoc preseuerante. Idem argumentum potest confici in actu libero Diuino: nā actus liber solùm supra necessarium addit aliquid virtualiter distinctum, sine quo tamen actus necessarius poterat realiter existere.

50 Respondeo, Durationem posse considerari, aut secundùm id, quod dicit in recto, quo pacto est ipsa existentia rei durantis: aut secundùm id, quod dicit in obliquo, nimirum secundùm ipsum tempus imaginariū. Itaque Duratio, vt suo in loco dicemus, includit formaliter duo, alterum in recto, nimirum existentiam; alterum in obliquo, hoc est, tempus imaginarium: ex his duobus formaliter coalescit, & altero sublato destruitur; sicut diximus de Cōcreto Substantiali, quod formaliter integratur ex Naturâ, quam dicit in recto, & ex Subsistentiâ, quam dicit in obliquo, ita vt altero sublato destruatur: nihil ergo mirū, quòd Duratio hodierna sit distincta ab hesterna, quia hodierna habet diuersū tēpus imaginarium in obliquo, & Duratio hesterna habebat diuersum. Inferes: Ergo Duratio distinguitur ab existentiâ plusquàm virtualiter. Respondeo non distingui secundùm id, quod dicit in recto, distingui tamen secundùm id, quod dicit in obliquo.

51 Eodem modo respondendum est ad argumentum petitum ex actu libero Diuino: nam etiam, vt suo loco diximus, actus liber includit formaliter duo, alterum dictum in recto, nimirum ipsum actum necessarium; alterum dictum in obliquo, hoc est, obiectum creatum contingens, & poterat non esse in Deo secundùm id, quod dicit in obliquo, nō secundùm id, quod dicit in recto.

52 Instabis: Ergo similiter Relatio includet formaliter duo, alterum in recto, hoc est, subiectum; alterum in obliquo, nimirum terminum: sicut se habent Duratio, & actus liber. Respōdeo, me iam ostendisse n. 36. contra P. Arriagam & alios, Relationem non posse includere terminum, illoque constitui: idque exemplo Relationum Diuinarum. Ex quo clarè cōniicitur Relationē nō posse consistere in solâ connotatione, quæ coalescat ex recto, & obliquo: Duratio potest consistere in solâ huiusmodi connotatione, & omnis alia eius entitas est superflua, vt tract. 7. ex professo ostendemus. Similiter actus liber in Deo non potest aliud addere supra necessarium, nisi puram connotationem, & denominationem conflatam formaliter ex actu necessario dicto in recto, & ex obiecto contingenti dicto in obliquo.

53 Obijcies secundò. Conseruatio distinguitur virtualiter á Creatione; & tamen hęc in primo instanti est realiter sine illâ: ergo similiter Relatio poterit distingui à fundamento, licèt possit diuelli ab illo. Respondeo Cōseruationem nihil addere supra Creationē, nisi permanentiam, seu Durationem in ipsâ Creatione: Duratio autem, cùm coalescat essentialiter ex re durante dictâ in recto, & tempore imaginario dicto in obliquo, ratione illius distinguuntur á subiecto, hoc est, à Creatione: coincidit ergo Conseruatio cum Creatione secundùm id, quod Conseruatio dicit in recto, non secundùm id, quod dicit in obliquo; ac proinde secundùm hoc potest diuelli ab illâ. Qui philosophandi modus non habet locum in Diuinâ Relatione, vt patet ex dictis. His ita constitutis,

§. 4.

Fundamenta contraria soluta.

54 NEque fundamēta opinionis cōtrariæ proposita n. 42. opposi-

tum

tum conuincunt. Ad primum (quâtenus dicit nullam esse necessitatem ponendi Relationem distinctam à fundamento ex naturâ rei) respõdeo necessitatẽ prouenire ex eo, quòd nisi Relatio distinguatur à fundamẽto ex naturâ rei, non potest saluari quomodò consistat in aliquâ formalitate, & sit separabilis à fundamento. Dixi, *quomodò consistat in aliqua formalitate, & sit separabilis*, quia si consisteret in solâ connotatione, id benè posset intelligi; at ex dictis n. 36. constat non posse consistere in solâ connotatione, sed omninò oportere consistere in aliquâ formalitate.

55 Ad secundum (quâtenus dicit videri incredibile, quòd ad ortum, vel interitum vnius formæ ponantur, vel destruantur in alijs rebus penè infinitis penè infinitæ Relationes idẽtitatis, vel diuersitatis distinctæ à suis fundamentis ex naturâ rei) respondeo huic argumento satisfactum esse n. 19. vbi diximus, sicut non est incredibile, quòd ad ortum, vel interitum vnius formæ resultent, vel destruantur in alijs rebus denominationes reales penè infinitæ ex naturâ rei distinctæ à fundamentis, ita incredibile non esse, quòd resultent, & destruantur Relationes, quas sequuntur ipsæ denominationes, & ab illis proueniunt.

56 Ad tertium (quâtenus dicit in nostrâ sententiâ sequi, quòd existentibus duobus albis possit Deus impedire eorum similitudinem, eiusque resultantiam) respondent aliqui, licèt omnis concursus Dei effectiuus sit absolutè liber, & consequenter possit à Deo absolutè, hoc est, nullâ factâ suppositione cohiberi, tamen non omnem esse liberum ex suppositione; sed dicunt ex suppositione, quòd Deus conseruet aliquam rem, necessariò illi adhibere concursum ad eius Vbi; hoc enim, cùm sit respectiuum, resultat logicè ex correspondentiâ rei ad spatium imaginarium: similiter non posse non adhibere suum concursum ad Relationem, posito quòd res alteri coexistat. Ita in casu proposito respondet P. Tellez cit. n. 10. Verùm hæc responsio in meis Principijs non subsistit. Quare responderi debet secundò cum P. Rub. cit. q. 9. n. 333. posse Deum negare talem concursum ad Relationẽ, quo in euentu manebunt illa duo alba solùm virtualiter, seu fundamentaliter similia; formaliter, non nisi per Relationem rationis.

P. Tellez. P. Rub.

57 Ad quartum (quâtenus asserit, sequi in nostrâ sententiâ posse Deum ponere Paternitatem in Socrate respectu filij, quem non genuit) respondeo non posse Deum ponere Relationẽ vnius in subiecto alieno, sicut nõ potest ponere Vbi, & alios modos in subiecto alieno. Et ratio est primò, quia modus pendet essentialiter à suâ realitate, quam proinde non potest variare. Et idem asserunt etiã, qui putãt Relationẽ distingui realiter, vt res à re; dicũt enim depẽdere essentialiter à suo fũdamento, vt dependet actio à suo principio, à quo distinguitur realiter, & cognitio ab obiecto. Secũdò, quia Deus non potest ponere accidens in subiecto improportionato, vt constat ex dictis tract. 2. de Anima à n. 49.

58 Ad quintum (quâtenus dicit, quòd positis duobus albis præcisâ quacunque aliâ formâ superadditâ intelliguntur similia) respondeo positis duobus albis, & præcisâ Relatione intelligi quidem duo similia fundamentaliter, seu virtualiter, non formaliter. Si autẽ quæras, Quid sit esse simile virtualiter? Respõdeo nihil aliud esse, quàm habere virtutem, & omnia requisita ad similitudinem formalem; quo pacto si ab igne auferatur omnis calor, licèt non maneat ignis calidus formaliter, adhuc tamen manebit, & dicetur calidus virtualiter, seu fundamentaliter.

§. 5.

Vtrùm Relatio sit modus, an realitas?

59 Secunda difficultas: Vtrùm Relatio distinguatur à fundamento distinctione reali: an potiùs modali? Distingui distinctione reali existimant Capreol. *in 1. dist. 30. q. 1.* Caiet. *1. p. q. 28. art. 2.* Ferrara *4. contra Gentes cap. 14.* Mayron. Ledesm. Scot. & eius discipuli suprà citati. Quibus accedit Cursus Thomisticus *in Log. q. 17. de Relatione art. 4.* citans Flandriam, Sotum, Bañes, Landunum, & alios. Eorum fundamentum est primò, quia eadem res non potest simul intendi, & remitti; sed Relatio aliquando intenditur, & eius fundamentum remittitur, vt patet in albedine vt octo, quæ quò magis remittitur, eò magis assimilatur albedini vt quatuor: ergo distinguitur realiter à fundamento. Secundò, quia magis distant inter se ens absolutum, & relatiuum, quàm duo entia absoluta: at verò entia absoluta, nimirum Quantitas, & Qualitas, distinguuntur ex naturâ rei.

Capreol. Caietan. Ferrara Mayron. Ledesma Scotus Thomistici Flandria Sotus Bañes Landunus

60 His non obstantibus, dicendum Relationem solùm esse modum. Ita P. Molin. P. Fons. P. Rub. P. Albertinus, Patres Conimb. & alij suprà cit. n. 44. quibus accedit P. Tellez cit. n. 6. P. Cõpt. *in Met. d. 11. s. 1 2. n. 7.* & expressè *s. 7. n. 1.* Probatur, quia re verâ nõ est necessaria maior distinctio. Et confirmatur, quia aliàs posset Relatio existere separata à fundamento, quòd non minùs repugnare videtur, quàm posse Vbicationem existere separatam; item

P. Molin. P. Fons. P. Rub. P. Albertin. Patres Conimbr. P. Tellez. P. Cõpto.

item Subsistentiam existere separatam: at *trac.* 2. *n.* 120. ostendimus Subsistentiam non esse realitatem, sed modum; ac proinde non posse existere separatam: item *tract.* 7. ostendam cōtra P. Arriagam Vbicationem non esse realitatem, sed modum, & idcircò non posse existere separatam.

61 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum de Relatione, quæ intenditur, & de fundamento, quod remittitur: respondeo primò, inde solùm colligi distinctionem ex naturâ rei modalē: non probari necessariò distinctionem realē. Respondeo secundò, in eo euentu perire præcedentē Relationem, & aduenire aliam de nouo; sola enim Qualitas, & non Relatio est capax Intensionis, & Remissionis, vt suo loco vidimus.

62 Ad secundum (quâtenus dicit magis distare inter se ens absolutum, & relatiuum; quàm duo entia absoluta: entia verò absoluta distingui realiter, vt visitur in Quantitate, & Qualitate) respondeo, ens absolutum, & relatiuum magis distare; hoc est, magis opponi; non tamen inde sequi, magis distingui: nã Actio, & Passio magis opponuntur inter se, quàm Creatio, & Eductio: & tamen Creatio, & Eductio distinguuntur realiter: non ita Actio, & Passio. Similiter Vbi, & Situs magis opponuntur, quàm Vbi Definitiuum, & Circumscriptiuum: & tamen Vbi Definitiuum, & Circumscriptiuum distinguuntur realiter; Vbi, & Situs solùm virtualiter. Et idem patet in pluribus aliis exemplis.

SECTIO III.

De fundamento Relationis.

63 QVID sit fundamentum remotum Relationis: Quid, & quotuplex fundamentū proximum: Quid tandem eius terminus, diximus in *Logica tract.* 5. *à num.* 103. Hoc loco solùm agendum superest de rebus, quæ possunt fundare Relationem realem. Et quæri possunt quinque. Primum, Vtrùm Deus fundet Relationem realem ad creaturas? Secundùm, Vtrùm relatum Transcendens possit fundare Relationem Prædicamentalem? Tertium, Vtrùm vna Relatio Prædicamentalis possit fundare aliam? Quartum, Vtrùm omnis entitas absoluta creata possit fundare aliquam Relationem? Quintum, Quæ distinctio requiratur inter fundamenta remota Relationum oppositarum.

§. I.

Vtrùm Deus fundet Relationem realem ad creaturas?

64 PRima difficultas: Vtrùm in Deo detur Relatio realis ad creaturas? Affirmant Ocham, Gabriel, Bonet, Aureol, Durand, Gregor, Marsil, Palat, Soncin, Heruæus; & ex Sanctis Patribus affirmare videntur D. Iustinus, D. August. D. Cyril. D. Anselm. & Philo, quos eruditissimè allegant, & sequuntur P. Theophil. Raynau. *in sua Theologia natural. dist.* 7. *n.* 70. P. Hurt. *in Met. d.* 15. §. 18. P. Arriaga *in Log. d.* 12. *s.* 6. *n.* 28. P. Ouied. *in Met. controu.* 9. *n.* 22.

Ocham. Gabriel. Bonet. Aureol. Durand. Gregor. Marsilius. Palatius. Soncinas. Heruæus. D. Iustin. D. Aug. D. Cyrill. D. Anselm. Philo. P. Raynau. P. Hurt. P. Arriaga. P. Ouied.

65 Supponunt hi Auctores Relationem nihil aliud esse quàm fundamentum, & terminum; v. g. Relationem Creatoris nihil aliud esse, quàm Deum Creatorem, & creaturam existentem. Verùm hunc dicendi modum suprà reiecimus *num.* 36. vbi exemplo aliarum Relationum Diuinarum, quæ dantur *ad intrà*, & specialiter exemplo Relationis Spirationis actiuæ, probauimus Relationes esse aliquid distinctum á fundamento, & termino, illis adueniens, ac superadditum.

66 Procedendum ergo nobis est in hâc sententiâ asserente Relationes esse aliquid distinctum ex naturâ rei à fundamento, & à termino illis aduenienς, ac superadditum: & in his terminis inuestigamus, Vtrùm in Deo dentur Relationes reales ad creaturas?

67 Pro parte affirmatiuâ facit primò; quia si aliquid obstaret, esset quia Relationes distinguuntur ex naturâ rei á suo fundamento: huiusmodi autem distinctio repugnat Deo: at verò hoc incommodum nullius est momēti; nam licèt Relationes creatæ distinguantur ex naturâ rei á fundamento; aliter dicendum est de Relationibus Diuinis ad eum modum, quo licèt Vbi, Intellectus, & Voluntas creata (in meâ sententiâ) distinguantur ex naturâ rei à Naturâ, aliter se habent Vbi, Intellectus, & Voluntas Diuina. Secundò, quia in Deo dantur Relationes *ad intrà* reales: ergo etiam dabuntur Relationes reales *ad extrà*. Tertiò, quia in Deo datur Relatio Transcendens ad creaturas, nimirum Omnipotentia: ergo etiam dabitur Relatio Prædicamentalis. Quartò, quia denominationes *Creatoris, Domini*, & similes, quæ dantur in Deo ad creaturas, sunt respectiuæ, & reales: ergò debent prouenire ab aliquâ formâ respectiuâ reali. Quintò, quia Relatio creaturæ ad Deum est realis; ergò idem dicendum

cendum de Relatione Dei ad creaturam; siquidem non minùs realiter Deus creat, quàm creatura creatur.

68 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium in Deo non dari Relationem realem ad creaturas. Ita D. Tho. Ferrar. Caiet. Alexand. de Ales, Magister, D. Bonauent. Capreol. Scot. Henric. Ægidius, Richard. Hispalens. Bañes, & alij, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.47. sect. 15. n.17.* P. Vasq. 1. *p. q. 13. a. 7. in commento*, P. Fonsec. 5. *Met. c. 15. q. 1. sect. 7.* P. Molin. 1. *p. q. 13. a. 7.* P. Valent. 1. *p. d. 1. q. 13. punct. 4. à § Nihilominus*, P. Granad. 1. *p. tom. 2. tract. 3. disp. 1. n. 7.* P. Arrub. ibidem *disp. 99. cap. 2. à n. 2.* P. Tellez *disp. 62. sect. 4. n. 1.* Basilius Poncius 1. *p. Variarum q. 8. Scholastica cap. 5.* Patres Conimbric. 2. *Physicor. cap. 7. q. 7. a. 2. § Secundò stabilitur*, fine, P. Becanus 1. *p. de Visione Dei cap. 9. q. 13. n. 9.* P. Albertin. *tom. 2. in Prædicamento ad aliquid q. 3. n. 5.* P. Fasol. 1. *p. q. 13. a. 7. n. 2. & 3. & q. 9. a. 1. dub. 2. n. 14.* P. Præpositus 1. *p. q. 3. a. 6. n. 10.* P. Compton. cit. *s. 7. n. 6.*

D. Thom. Ferrar. Caietan. Alensis Magist. D. Bonau. Capreol. Scot. Henricus Ægid. Richard. Hispalensis Bañes P. Soar. P. Vasq. P. Fonsec. P. Molin. P. Valent. P. Grana. P. Arrub. P. Tellez Basilius Ponce Patres Conimbr. P. Becan. P. Albert. P. Fasol. P. Præpos. P. Compt.

69 Probatur primò, quia si in Deo darentur Relationes, illæ profectò ab eo distinguerentur ex naturâ rei. Et probatur hoc, quia essent separabiles ab illo. Et hoc etiam ostenditur, quia Deus, qui hesternâ die non erat Creator huius formicæ, neque ad illam habebat Relationem realem, hodie est illius Creator, & habet realem Relationem ad illam, quam manè, cùm illa morietur, amittet. Neque dicas, amittere illam quòad denominationem, non veró quòad realitatem. Non, inquã, hoc dicas, quia suprá *num. 46.* istud effugium præclusum est: at veró in Deo non possunt admitti huiusmodi formæ intrinsecæ distinctæ ex naturâ rei, ab illo separabiles; sequitur enim mutari Deum intrinsecè, quod est contra Fidem: item habere rationem subiecti, compositionis, & potentialitatis, quod etiam est cõtra Fidem. Vnde in his terminis P. Soar. cit. *n. 17.* Frigos. 1. *p. q. 8. a. 7. dub. 3. conclusione 1.* & Bañes 1. *p. q. 13. a. 7.* dicunt contrariam sententiã non solùm esse falsam, sed periculosam, & temerariam, ac errori proximam.

P. Soar. Frigosius Bañes

70 Probatur secundò eadem resolutio, etiam in opinione P. Soar. & aliorum asserentium Relationes solùm distingui virtualiter á fundamentis. Quia Relatio est essentialiter ordo: ordo autem non visitur, nisi inter res eiusdem ordinis, qualis non est Deus cum creaturis.

71 Quæres, Quæ dicantur esse eiusdem ordinis? Respondeo cum P. Soar. cit. *n. 23.* ea dici eiusdem ordinis, quæ aut sunt extra omne Genus, & dependentiam causæ; quo pacto se habent Personæ Diuinæ: aut quæ sunt intra idem Genus, & Prædicamentũ; quo pacto se habent duæ Substantiæ creatæ; duæ Quantitates &c. aut quæ licèt spectent ad diuersa Genera, vnum tamen dependet ab alio, vel est perfectibile ab illo; tunc enim illud, quod est perfectibile ab alio, ordinatur ad illud. Et confirmatur, quia non magis ordinatur Deus ad creaturas, quám obiectum ad potentiam, & ad actus; atqui obiectum defectu ordinis non habet Relationem realem ad potentiam, vel ad actus, vt ex inferiùs dicendis fiet manifestum: ergo idem à fortiori dicendum de Deo respectu creaturarum.

P. Soar.

§. 2.

Argumenta soluta.

72 NEque fundamenta opinionis cõtrariæ rem conficiunt. Ad testimonia in primis, & loca Sanctorum Patrum adducta à P. Theophilo, & à P. Hurt. dicendum est illos Sanctos Patres non admittere in Deo Relationes reales intrinsecas, sed solùm denominationes extrinsecas desumptas á Relationibus realibus, quæ dantur ex parte creaturarum, & aliquo modo extrinsecè denominant ipsum Deum.

73 Ad primum (quâtenus dicit ex eo, quòd Relationes creatæ distinguuntur realiter, non sequi Relationes Diuinas distingui realiter: vnde titulo distinctionis non debere excludi á Deo) patet responsio ex dictis. Dicendum enim est Relationes, si in Deo admittantur, non posse non distingui ab illo ex naturâ rei propter separabilitatem realem, quam habent respectu illius. De Vbi, Intellectu, & Voluntate Diuinâ est diuersa ratio, quia hæc non possunt separari ab ipso Deo. Adde, quòd, licét Relationes in Deo ad creaturas solùm virtualiter distinguerentur ab illo, adhuc non possent admitti in illo, vt cõstat ex nostro secundo fundamento.

74 Ad secundum (quâtenus dicit dari in Deo Relationes *ad intrá*: ergo etiam *ad extrà*) respondeo, quòd non est bona argumentatio á Relationibus *ad intrà* ad Relationes *ad extrà*. Primó, quia Relationes *ad intra* non sunt mutabiles, neque distinguuntur á Deo ex naturâ rei: Relationes verò *ad extra* essent separabiles, & consequenter distinctæ á Deo ex naturâ rei. Secundó, quia *ad intra* dantur res eiusdem ordinis, nimirum Personæ Diuinæ.

75 Ad tertium (quâtenus dicit in Deo dari Relationes Transcendentes, nimirũ Omnipotentiam: ergo etiam admitti posse Præ-

dica-

dicamentales) respondeo, in Deo non dari Relationes Transcendentes ad creaturas, vt cum D. Thom, & alijs pluribus ostendimus *in Phys. tract. 2. à n. 464.*

76 Ad quartũ (quatenus dicit dari in Deo denominationes respectiuas reales, vt denominatio *Domini*, *Creatoris*; quæ proinde prouenire debent à Relationibus realibus) respõderi potest primò, denominationes *Creatoris*, *Domini*, & similes esse quidem reales, sed extrinsecas, desumptas à Relationibus realibus, quæ dãtur ex parte creaturarũ. Quòd si de denominationibus intrinsecis, quæ in Deo reperiuntur, sermo fit, dicendum est (& hæc est secunda solutio) in Deo solas denominationes fundamentales esse reales: aliter dicendũ de denominationibus formalibus, propter rationes assignatas.

77 Ad quintum, est longè diuersa ratio in Relatione creaturæ ad Deum, ac in Relatione Dei ad creaturã. Nam creatura potest habere Relationem distinctam ex naturã rei, ac separabilẽ: Deus autẽ minimè. Adde, quòd creatura depẽdet à Deo, à quo est perfectibilis: Deus verò non dependet à creaturis, neque est perfectibilis ab illis.

§. 3.

Vtrùm Relatum Transcendens possit fundare Relationem Prædicamentalem?

78 Secunda difficultas: Vtrùm in Relato Transcendenti possit fundari Relatio Prædicamentalis? Videtur nõ posse, quia illud, quod est formaliter tale, nõ indiget alio, vt sit tale: respectus autem Transcendens formaliter se ipso respicit suum terminum.

79 Sed probabilior videtur opposita resolutio, quã tenet P. Soar. *in Met. d. 47. sect. 3. n. 9.* Probatur primò, quia mensuratũ est respectus Transcendens ad mensurã, vt patet in actu, & in potentiã cõparatione ad obiectũ: & tamen fundat Relationem Prædicamentalem ad mẽsuram, vt cũ Aristotele Disputatione sequenti ostendemus. Secundò, quia creaturæ transcendentaliter referuntur ad Deum: & tamen fundant Relationẽ Prædicamentalem ad illũ, vt omnes communi consensu admittunt. Tertiò, quia Relatum Transcendens ex se solùm respicit suum terminũ sub ratione possibilis, v. g. Materia primaFormas possibiles; Potentia actus possibiles: vt ergo Relatum Transcendens respiciat suum terminum sub ratione existentis, indiget alio respectu.

P. Soar.

80 Ex quo patet responsio ad rationẽ adductam pro parte contrariã. Nam Relatum Transcendens solùm est formaliter Transcẽdens non Prædicamentale: vt ergo referatur Prædicamentaliter, indiget Relatione Prædicamentali, quæ scilicet respiciat terminum sub ratione existentis.

§. 4.

Vtrùm vna Relatiò Prædicamentalis possit fundare aliam?

81 Tertia difficultas; Vtrùm vna Relatio Prædicamentalis possit aliã fundare? Affirmant Scot. & eius discipuli, Lichetus, Mayroni. Antonius Andreas, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d. 47. sect. 11.* P. Rub. *in Log. c. de Relatione q. 11.* P. Tellez *d. 62 s. 4. n. 13.* P. Vallius *tom. 1. in Log. in Prædicamento Ad aliquid q. 5. c. 10.* P. Valent. *1. p. d. 2. q 16 puncto 1. §. Ne fanè*, P. Præpositus *1. p. q. 42. dub. vnicon. 7.* Eorum fundamentum est. Primò, quia, sicut duæ Quantitates habent Relationẽ identitatis inter se, cur illam non habebunt duæ paternitates? Secundò, quia in Diuinis vna Relatio fundatur in aliã, nimirum Relatio Spirationis actiuæ in Paternitate, & Filiatione: ergo etiam in creatis poterit vna Relatio fundari in aliã.

Scotus Lichetus Mayroni Anton. Andreas P. Soarez P. Rub. P. Tellez P. Vall. P. Valent. P. Præposit.

72 Sed probabilior videtur contraria resolutio, quam tenent D. Thom. *1 p. q. 42. a. 1.* & sępe alijs in locis. Ferrar. Capreol. Soncin. Bañes. Ripa. Altisiodor. & alij, quos citant, & sequuntur P. Vasq. *1. p. d. 165. c. 4.* P. Mol. *1. p. q. 42. a. 1. d. 2. §. Illud obiter*, Patres Conimbr. *in Logica cap. de Oppositis q. vnica a. 3. §. In hac dubitatione*, P. Arrubal *tom. 2. in 1. p. ad q. 37. d. 103. c. 3. n. 13.* P. Becanus *1. p. c. 2. de Relationibus Diuinis q. 2. num. 6.* P. Compton. *cit. sect. 11. num. 5.* Et probatur, quia si vna Relatio realis posset fundari in aliã, daretur processus in infinitum. Et hic ostenditur sic: quia si duæ paternitates fundarent Relationes similitudinis inter se, rursum hæ duæ fundarent alias Relationes dissimilitudinis à primis; & hæ iterum alias similitudinis inter se; quæ rursum fundarent alias dissimilitudinis ab illis, in quibus fundantur; & sic in infinitum. Et confirmatur, quia, vt docet Aristoteles *5. Physicor. text. 10.* propter hunc ipsum processum in infinitum vna Actio non potest fieri per aliam; nec vnum Vbi vbicari pro aliud. Addi solet non posse vnam Subsistentiam subsistere per aliam; vel Quantitatem non posse extendi per aliam; neque vnam albedinem per aliam dealbari, & sic de cæteris.

D. Thomas Ferrar. Capreol. Soncin. Bañes Ripa Altisiod. P. Vasq. P. Molin. Patres Conimbr. P. Arrubal P. Becanus P. Compton.

83 Respondent Aduersarij primò, Relationes similitudinis inter duas paternitates per se ipsas esse dissimiles ab ipsis paternitatibus

in quibus fundantur, sicut per se ipsas sunt similes inter se; eo enim ipso quòd sunt similitudines, non sunt paternitates: sunt autem per se ipsas similitudines. Sic, inquiunt, Rationale per se ipsum constituit hominem, & per se ipsum hominem diuidit ab equo. Sed contrà, quia similitudines paternitatum solùm sunt formaliter similitudines paternitatum; nō sunt formaliter dissimilitudines paternitatū: ergo nō possunt per se formaliter cōstitui dissimiles à paternitatibus, sed indigent ad id distinctis dissimilitudinibus. Scio esse per se diuersas à paternitatibus: verùm hoc nō est esse formaliter, sed solùm fundamentaliter dissimiles ab illis: sic Rationale, quod per se est diuersum à Bruto, solùm est illi dissimile fundamētaliter; formaliter non, nisi per Relationem superadditam.

84 Respōdent alij secundò, processum sistere in Relationibus dissimilitudinis; has enim dicunt nō indigere alijs Relationibus, vt sint similes, sed fieri similes per sua fundamēta, nimirum per Relationes similitudinis, in quibus fundantur. Et explicari potest exēplo Actionis ad Vbi, quæ per illud vbicatur: &, quod efficacius est, exēplo Relationis fundatæ in Vbi, quæ similiter vbicatur per illud. Sed contrà, quia dictæ dissimilitudines nō possunt fieri similes per fundamēta. Et huius ratio euidēs est, quia Relationes fundamētales solùm sunt sibi similes, nō verò similes his dissimilitudinibus: nō ergo possunt reddere eas similes; nā formæ nō possunt præstare effectū formalē, quem nō continent: si ergo hæ similitudines solùm sunt sibi similes, non veró dissimilitudinibus, quomodò eas similes reddere poterūt? Et cōfirmatur, quia si similitudines, quæ sunt sui similitudines, fierēt similitudines prædictarū dissimilitudinū, mutarent terminos immediatos respiciendo diuersos, nimirum ipsas dissimilitudines, quas redderent similes, ac referrent: hoc autem stare nō potest cum eàdem quidditate, & ratione formali Relationum.

85 Neque obstant exēpla actionis ad Vbi, & Relationes in ipso fundatæ, quæ omnia vbicātur per ipsum Vbi. Est enim longè diuersa ratio: nā Vbi vbicans suā Actionem, & Relationem non mutat terminū, sed ea omnia præstat per ordinē ad idem spatiū imaginariū: at si similitudines paternitatū redderent similes earū dissimilitudines, mutarent terminos; nam diuersi termini sunt similitudines paternitatū, & diuersi earum dissimilitudines.

86 Respondent alij tertió, hunc processum in infinitum solùm sequi in opinione asserentium Relationes distingui á fundamento ex naturâ rei, quæ sententia, inquiunt, propter hunc processum tenenda non est: non sequi autem in sententiâ asserentium Relationes distingui virtualiter à fundamento; nam nullum est inconueniens, quód in vnâ, eàdemque re possint distingui virtualitates infinitæ. Nō satisfaciunt primò, quia suprá ostendimus Relationes necessariò debere distingui ex naturâ rei à fundamentis: processus verò in infinitum facilè effugitur dicendo vnam Relationem nō posse referri per aliam, sicut vna actio non potest fieri per aliam, &c. Secundò, quia processus in infinitū, etiā in rebus virtualiter distinctis, alicuius est momenti; videtur enim proprium solius Dei, quòd in eo possimus distinguere perfectiones, & formalitates etherogeneè diuersas actu infinitas.

87 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet responsio ex dictis. Dicendum enim est nullum sequi inconueniens ex eo, quòd vna Relatio fundetur in absoluto: sequi verò maximum, nimirum processum in infinitum, ex eo, quòd vna Relatio fundetur in aliâ. Ad secundum satisfacimus *num.* 22. vbi cum P. Soar. & P. Alarc. diximus Relationem Spirationis actiuæ non fundari in Paternitate, & Filiatione, sed in ipsâ vi spirandi communi Patri, & Filio: aut, vt ego existimo, in conceptu Principij, & Originis actiuæ, cui aduenit conceptus Relationis. *P. Soar.* *P. Alarc.*

§. 5.

Vtrùm omnis entitas absoluta creata possit fundare aliquam Relationem Prædicamentalem?

88 QVarta difficultas: Vtrùm omnis entitas creata absoluta possit fundare aliquam Relationem? Solùm dubitare quis posset de Modis, qui, cúm sint adeó minimæ entitatis, videntur non posse sustentare Relationes; præsertim, quia eorum nonnulli sunt accidentia logica; quæ proinde videntur fundare non posse accidentia physica, qualia sunt Relationes in opinione, quam sequimur asserentium Relationes distingui á fundamentis ex naturâ rei.

89 Nihilominus dicendum omnem entitatem absolutam, vnâ exceptâ productione ipsius Relationis, & ijs, quæ cum ipsâ identificantur, posse fundare aliquam Relationem Prædicamentalem. Ita D. Thomas, Ferrar. Capreol. P. Vasq. & P. Soar. suprá citatus, qui tamen nullam entitatem excipit. Probatur primò, quia saltem negari nō potest, quòd omnis entitas creata fundet Relationem creaturæ ad Deū. Secūdò, quia duæ Quātitates fundant *D. Thom.* *Ferrar.* *Capreol.* *P. Vasq.* *P. Soar.*

fundant Relationem æqualitatis; duæ qualitates fundant Relationem similitudinis; & quæuis duo indiuidua eiusdem speciei fundant Relationem identitatis inter se, & Relationem diuersitatis ab indiuiduis alterius speciei, eiusdem, vel diuersi Prædicamenti. Dixi, *excepta productione Relationis*, quia si hæc posset fundare aliam, huius productio posset similiter fundare aliam, & sic in infinitum: vnde sicut propter huiusmodi processum vna Relatio non fundatur in aliâ, ita non fundatur in eius productione. Quæ doctrina noua videri non debet; nam etiam productio Vbi non habet aliud Vbi distinctum á suo termino, nec productio Subsistentiæ aliam Subsistentiam distinctam á suo: ergo neque productio Relationis habebit aliam distinctam à suo termino.

90 Neque obstant ea, quæ in ratione dubitandi pro parte contrariâ nobis obijciuntur: nam Relationes sunt omnium entitatum minimæ; ac proinde benè possunt subiectari in omnibus absolutis; licèt harum nonnullæ sint modi. Illud præterea, quod additur de entitatibus logicis, nullius est momenti: nam entitates logicæ, non idcircò tales dicuntur, quia non habeant maximam entitatem, vt patet in Veste, & alijs Prædicamentis, quæ solùm dicuntur logica, quia non inhærent physicè, sed logicè, & minùs propriè; id tamen non tollit quominùs non habeant sufficientem entitatem ad fundandas Relationes.

§. 6.

Quæ distinctio requiratur inter fundamenta Relationum oppositarum?

91 QVinta difficultas: Quæ distinctio requiratur inter fundamēta Relationum oppositarum? Non requiri distinctionem ex naturâ rei existimat Scot. *in 1. dist.* 31. & *in quodlibet, q.* 66. Probatur primò, quia Relatum Transcendens potest terminari ad terminum virtualiter distinctum, vt patet in Scientiâ Diuinâ, quæ, vt docet P. Soar. *in Met. d.* 47. *sect.* 4. *num.* 2. est Relatum Transcendens ad Essentiam ipsius Dei, à quâ solùm virtualiter distinguitur: ergo idē dicendum de Relato Prædicamentali. Secundò, quia in Diuinis fundamentum Paternitatis, & Filiationis est Essentia Diuina. Tertiò, quia si eadem albedo diuinitùs constituatur in duobus lapidibus, ambo manebunt similes; & tamen fundamentum similitudinis vtriusque est idem, nimirùm, eadem albedo. Quartò, quia in eodem fundamento proximo sub diuersâ virtualitate possunt fundari Relationes oppositæ, vt videre est in illis, quæ fundantur in Actione, & Passione: ergo etiam in eodem fundamento remoto sub diuersis virtualitatibus poterunt fundari Relationes oppositæ.

Scotus. P. Soar.

92 Nihilominus dicendum videtur oportere fundamenta Relationum oppositarū esse distincta ex naturâ rei. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 42. *art.* 4. *ad* 3. Richardus, Durandus, Ægidius, Soncin. Caietan. & alij Thomistæ, quos allegat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.* 4. *sect.* 9. *n.* 3. & 4. *de Trinitate cap.* 5. *num.* 8. P. Vasq. 1. *p. d.* 66. *cap.* 3. P. Molin. 1. *p. q.* 42. *a.* 1. *ad* 4. Patres Conimb. *in Logica cap. de Relatione q.* 1. *a.* 4. P. Fons. 5. *Met. c.* 15. *q.* 1. *sect.* 7. §. *Secundū documentum*, P. Hurt. *in Met. d.* 15. §. 49. P. Cōpton. cit. *sect.* 13. *n.* 9. Probatur primò, quia Relatio Prædicamentalis est ordo realis vnius ad aliud: ea autem, quæ non distinguuntur à parte rei, sed solùm per intellectum, non sunt vnum, & aliud á parte rei: ergo in illis non potest reperiri ordo realis vnius ad aliud. Secundò, quia idcircò Theologi cum D. Thom. loco cit. vt videre est apud P. Soar. *de Trinit. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 8. P. Vasquez *tom.* 2. *in* 1. *p. ad q.* 42. *d.* 166. *c.* 2. *à num* 4. P. Mol. 1. *p. q.* 42. *a.* 1. *d.* 2. §. *Contraria*, P. Valent. 1. *p. disp.* 2. *q.* 6. *puncto* 1. §. *Nihilominus*, non admittunt Personas Diuinas fundare Relationes reales æqualitatis, & similitudinis inter se; quia Essentia Diuina, quæ est fundamentum æqualitatis, & similitudinis, est eadem in omnibus Personis. Tertiò, quia Relationes mutuò oppositæ à parte rei differunt á parte rei; non possunt enim á parte rei opponi, nisi similiter differant à parte rei: atqui differre nequeunt á parte rei, nisi habeant fundamenta distincta distinctione á parte rei. Et huius ratio est, quia Relationes identificantur cū suis fundamentis.

D. Thom. Richard. Durand. Ægid. Soncin. Caiet. P. Soar. P. Vasq. P. Molin. Patres Conimbr. P. Fonsec. P. Hurt. P. Compt. D. Thom. P. Soar. P. Vasq. P. Molin. P. Valent.

93 Quæres, Vtrùm sufficiat distinctio modalis: an potiùs omninò requiratur distinctio realis? Soncin. 5. *Metaphys. q.* 29. P. Fonsec. P. Hurtad. & P. Vasq. locis cit. opinantur non sufficere distinctionem modalem; sed omninò requiri realem. Quia Theologi probant distinctionē realē inter Diuinas Personas ex distinctione Relationum realium.

Soncin. P. Fons. P. Hurt. P. Vasq.

94 Dicendum tamen cum P. Soar. cit. *n.* 4. P. Albertin. *tom.* 2. *in Prædicamento Ad aliquid q.* 13. *num.* 15. & P. Tellez *disp.* 62. *sect.* 4. *num.* 27. sufficere distinctionem modalem. Et probatur, quia ad verā dependentiam, & rationē causæ, & effectûs, sufficit distinctio modalis,

P. Soar. P. Albert. P. Tellez.

vt patet in omnibus modis, qui emanant à suis realitatibus: ergo etiam sufficiet ad veram Relationem; non enim videtur requiri plus distinctionis ad hanc, quàm ad illam. Et confirmatur, quia ea distinctio sufficit ad Relationem à parte rei, quæ sufficit ad oppositionem á parte rei; nam Relationes oppositæ eâtenus requirunt distinctionem suorum fundamentorum, quâtenus requirunt eorumdem oppositionem: at verò ad oppositionem à parte rei sufficit distinctio modalis, vt videre est in illâ, quæ reperitur inter causam, & effectum modalem.

95 Neque Theologi colligunt realem distinctionem inter Diuinas Personas solùm ex distinctione Relationum, sed etiam ex productione, & constitutione Personarum; nam vna Persona non est modus alterius. Accedit, quòd entitates Diuinæ distinctæ, cùm sint perfectissimæ, non sunt modi, sed res.

§. 7.

Argumenta soluta.

96 AD primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit ad Relatum Transcendens sufficere distinctionem virtualem) respondent nonnulli primó, negando Relatum Transcendens posse referri ad terminum virtualiter distinctum; quia re verâ, inquiunt, ordo simpliciter vnius ad aliud, non potest intelligi, nisi inter aliud, & aliud simpliciter distincta, hoc est, distincta ex naturâ rei. Ad confirmationem de Scientiâ Diuinâ respondent, illam non esse Relatum Transcendens defectu distinctionis. Responderi potest secundó, & meliùs, esse diuersam rationem in Relato Transcendenti, ac in Prædicamentali: quia respectus Transcendens non est aliquid superadditum entitati rei, cuius est respectus; nec medium ex naturâ rei distinctum inter illam, & eius terminum, sed est ipsamet entitas rei: vnde quæ ad illam sufficiunt, censentur sufficere ad rationem respectûs Transcendentis. At verò Relatio realis est aliquid superadditum, & distinctum ex naturâ rei ab ipso fundamento; medium inter vtrunque: vnde clarum est non posse realiter resultare, nisi inter illa, quæ distinguuntur ex naturâ rei.

97 Ad secundum (quâtenus dicit in Diuinis fundamentum Paternitatis, & Filiationis esse Essentiam Diuinam) respondeo cum P. Soar. 5. *de Trinitate cap.* 8. *num.* 8. Relationes Diuinas non fundari in Essentiâ, neque indigere fundamento; sunt enim per se perfectissimè subsistentes. Deinde dato, quód aliquo modo in Essentiâ fundarentur, non illam referunt, neque ad id muneris dantur, sed constituunt Personas, quas se ipsis referunt; ad quod muneris habent oppositionem, & distinctionem realem: at verò Relationes creatæ dantur primariò ad hoc, vt referant fundamenta, quod præstare non possunt, nisi illa distinguantur, & opponantur ex naturâ rei. P. Soar.

98 Ad tertium (quâtenus dicit eandem albedinem diuinitùs collocatam in duobus lapidibus fundare similitudines oppositas) respondeo in eo euentu, quo vna albedo diuinitùs constituatur in duobus subiectis, illa alba solùm posse dici similia penes inhærentiam, quæ in duobus subiectis multiplicaretur, non penes formam præcisè sumptam, cùm hæc in vtroque subiecto non multiplicetur, vt Scotus supponit.

99 Quid autem dicendum de Petro constituto diuinitùs in diuersis locis, & in vno habente albedinem, in alio verò nigredinem? poteritnè dici sibi dissimilis? Respondent communiter negatiuè cum P. Fonsec. cit. 5. *Met. cap.* 15. *q.* 1. *sect.* 7 defectu distinctionis. Sed ego contrarium sentio, nam in primis fundamenta remota dissimilitudinis, nimirum albedo, & nigredo, distinguuntur realiter: sed & ipse Petrus differt accidentaliter á se ipso, idque á parte rei, hoc est, sub diuerso accidente distincto à parte rei. P. Fons.

100 Ad quartum (quâtenus dicit non requiri distinctionem à parte rei in fundamentis proximis: ergo neque in remotis) respondeo esse longè diuersam rationem in fundamentis proximis Relationum, ac in remotis. Nam Relationes non referunt fundamenta proxima, sed remota: nihil ergo mirum, quòd non requirant distinctionem, & oppositionem inter fundamenta proxima, illam verò requirant inter remota.

SECTIO IV.

De termino Relationis.

101 TRIA hoc loco disputari possunt: primum, Vtrùm terminus Relationis debeat realiter existere? secundum, Vtrùm sit quid relatiuum, an absolutum? tertium, Vtrùm vna Relatio possit respicere plures terminos?

Vtrùm

§. 1.

Vtrùm Relatio Prædicamentalis possit terminari ad terminum non existentem?

102 PRima difficultas: Vtrùm ad Relationem realem requiratur terminus realiter existens? Nō requiri existimat Gregorius *in 1. dist. 28. q. 3. a. 1. conclusione* 3. quē sequitur P. Vasq. 1. *p. d. 75. num. 5.* & nonnulli Recētiores optimæ notę in suis manuscriptis. Probatur primò ex Aristot. 5. *Met. t.* 15. vbi asserit productiuum referri ad producibile: hoc autē tale est, antequàm existat. Secūdò, quia nō minùs dependet Relatum Transcendens á suo termino, quám Prædicamentale á suo; sed Transcendens refertur ad terminū nō existentem: ergo idem dicendum de Prædicamētali. Tertiò, quia existentia termini, neque requiritur ex parte termini; nam hic potest exercere munus terminādi, quin existat, vt patet in termino Relationis Trāscendentis: neque requiritur ex parte Relationis, quia hæc totā suā entitatem habet á fundamento, & in fundamēto.

Greger. P. Vasq. Aristot.

103 Quartó, quia Beatissima Virgo in illo triduo mortis Christi Domini non amisit Relationē Matris. Et hoc ostenditur, quia post resurrectionē Christi Domini Beatissima Virgo extitit vera Mater, vt cū cōmuni Theologorū inferiùs ostendemus: non per Maternitatē, quæ de nouo in resurrectione resultauerit; nā in resurrectione, sicut nō resultauit generatio, quæ est fundamentū Maternitatis, ita non potuit resultare Maternitas: ergo illa, quæ priùs extitit, in triduo non fuit amissa. Quintò, quia omnis effectus fundat Relationē realem ad suā causā: at verò non omnis causa realiter existit, vt patet in causā finali.

104 Nihilominùs probabilior videtur cōtraria resolutio asserentiū ad Relationē realē requiri realē existentiā sui termini. Ita D. Th. Auicen. Caiet. Ferrara, Soncin. Capreol. Scot. Mayronius, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d. 47. s. 8. n* 3. Patres Conimb. *in Log. c. de Relatione q. 1. a. 4.* P. Fōs. 5. *Met. c. 15. q. 1. s. 7.* P. Rub. *in Log. c. 7. in Prædicamento Ad aliquid q. 9. à n. 202.* P. Vallius ibi. *q. 6. c. 6.* P. Tell. 2 *d. 62. s. 6. n.* 1. P. Ouied. *in Met. controu. 9. puncto* 3. *n.* 8. P. Cōpton. cit. *s. 13. n. 3.* Accedit Fr. Ioannes Poncius suo *in Cursu Philosophico* nouissimè edito, *d. 15. q. 2. Concl. 3.* qui nūc primùm è prelo adhuc recēs ad nos peruenit. Probatur, quia ea, quæ respiciunt realē existentiā sui termini, non possunt dari sine illā. Et hoc ostenditur in Vnione, & in Actione respectu sui termini: atqui Relatio Prædicamentalis respicit realiter existentiam sui termini. Probo hoc, tū quia si Relatio non respiceret existētiā sui termini, resultaret ante illā: tū quia idcircò Relatio Trāscendēs potest fundare Prædicamentalē, quia Transcendens nō respicit existentiā sui termini; Prædicamentalis veró maximè. Secundó, quia aliter Petrus, v. g. posset denominari pater antequā m haberet filiū, quod nō cōceditur. Tertiò, quia Relatio Prædicamentalis respicit suū terminū, nō vt purū terminū, hoc est, statim necessariò resultat positā eius existentiā, quin aliud respiciat, quám eius existentiam; ac proinde illam logicè supponit. Vide quæ diximus *n.* 31.

D. Thom. Auicen. Caietan. Ferrar. Soncin. Capreol. Scot. Mayron. P. Soar. Patres Conimbr. P. Fonf. P. Rub. P. Val. P. Tellez. P. Ouiedo P. Cōpto. Fr. Ioann. Poncius

105 Vtrùm veró Relatio requirat logicé: an solùm physicè realē existentiam sui termini? Nonnulli Magistri dicunt talem existentiam requiri solùm physicè; ac proinde posse Deum de potentiā absolutā conseruare Relationem destructo eius termino. Sed re verā minùs benè. Meliùs dicendū existimo Relationem requirere logicè realem existētiam sui termini. Et ita conuincere videntur rationes proximè factæ: nam Vnio, & Actio requirunt logicè existentiam suorum terminorum; idque ex eo, quòd illas respiciant immediatè, & essentialiter: at verò etiam Relatio Prædicamentalis respicit immediatè existentiam sui termini, vt constat ex dictis.

§. 2.

Argumenta soluta.

106 AD primum fundamentum opinionis contrariæ deductum ex loco Aristotelis, respondeo Philosophum *text.* cit. solùm velle productiuum, nimirum potentiam, respicere transcendentaliter producibile: nostra verò quæstio procedit de Relatione Prædicamentali.

107 Ad secundum (quātenus dicit nō minùs pendere Relatum Transcendens á suo termino, quám Prædicamentale á suo; vtrumque enim respicit suum terminum essentialiter: & tamen Trāscendens non requirit existentiam sui termini) respondeo, esse diuersam rationē. Quia Relatum Transcendens non respicit suū terminum, vt purum terminum: Relatum verò Prædicamentale respicit suum terminum, vt purum terminum, hoc est, necessariò resultat positā eius existentiā, vt constat ex dictis *num.* 31. Vides Relatum Prædicamentale supponere existentiam sui termini, & resultare illā positā, non ita Relatum Transcendens?

108 Ad tertium (quātenus dicit existentiam termini neque requiri ex parte termini, neque ex parte fundamenti) respondeo, requiri ex parte Relationis, quæ licèt totā suā entitatem habeat á suo, & in suo fundamento; illam tamen habet dependentem ab existentiā sui

sui termini, quam immediatè, & essentialiter respicit eodem prorsus modo, quo vnio respicit existentiam sui termini, licèt alioqui totam suam entitatem habeat à subiecto, & in subiecto, cum quo identificatur.

109 Ad quartum de Beatissimâ Virgine, quæ dicitur in triduo mortis non amisisse Relationem Matris: respondeo Beatissimam Virginem in triduo mortis amisisse Relationē Matris, & posteá eam recuperasse in resurrectione Christi. Neque ad id fuit necesse, quód aduenirct noua generatio; satis est quód aliqua præcesserit; nam, vt diximus *in Logica tract. 5. n. 107.* ad Relationem Patris, aut Matris, non requiritur continua existentia generationis; satis est quód hæc aliquando extiterit. Vtrúm veró redierit eadem numero Maternitas? Probabiliùs dicendum existimo rediisse aliam numero diuersam. Et ratio est, quia semel corruptum non potest idem numero redire viribus naturæ, vt cum Aristotele, & D. Thom. *quodlib. 4. a. 5.* docet communis doctrina: miracula autem non sunt admittenda absque necessitate.

Aristot. D. Thom.

110 Ad quintum (quâtenus dicit omnem effectum fundare Relationem realem ad suam causam, & non omnem causam existere, vt patet in causâ finali) respondeo tunc solùm effectum fundare Relationem realem ad suam causam, quando ad id interueniunt omnia requisita: vnum autem ex requisitis est realis existentia termini, quæ cùm non detur in causâ Finali; clarum est eius effectum non posse fundare Relationem realem ad illam.

§. 3.

Vtrùm Relatio terminetur ad relatiuum: an ad absolutum?

111 Secunda difficultas: Vtrùm terminus vnius Relationis sit altera Relatio opposita: an potiùs eius fundamentum? Esse alteram Relationem oppositam existimant Caietan. Ripa, Ferrara, Nyphus, Deza, Hispal. & alij, quos citant, & sequuntur P. Fonsec. *5. Metaph. cap. 15. q. 4. sect. 4.* Cursus Thomist. *in Logica q. 17. de Relatione art. 3.* P. Albertin. *q. 8. n. 14.* Probatur primó ex Aristotele *6. Topicor. loco 20. 56. & 57.* vbi docet, vnum relatum poni in definitione alterius, non nisi quia est eius terminus: ergo &c. Prætereá *cap. de Relatione* docet, quód, si ab homine auferatur esse bipidem, esse scientiæ susceptiuum, & reliqua omnia, dummodò relinquatur *esse domini*, adhuc terminabit seruitutem: ergo sensit Aristoteles seruitutem terminari ad *Relationem domini.* Probatur secundò, ratione, quia Relationes Diuinæ terminantur ad relatiuum; debent enim terminari ad aliquid distinctum; in Diuinis autem sola relatiua distinguuntur: ergo idem dicēdum de Relationibus creatis. Tertiò argumentatur Caietanus, quia si Relatio terminetur ad absolutum, non erit simul naturâ, & cognitione cum Relatione sibi oppositâ. Et hoc ostenditur, quia erit simul cum suo termino absoluto: hic autem est prior Relatione, quæ ab eo ex parte ipsius termini resultat.

Caietan. Ripa Ferrara Nyphus Deza Hispalens. P. Fons. Cursus Thomist. P. Alberti. Aristot.

112 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Relationem terminari ad absolutum. Ita Scotus cum suâ scholâ, & certè D. Thom. *2. contra Gentes c. 11.* & *q. 1. de Potentia art. 1.* & *q. 7. a. 11.* Capreol. Soncin. Lichetus, & alij, quos citant, & sequūtur P. Soar. *in Met. d. 47. sect. 16.* P. Vasq. *1. p. d. 159. c. 6.* P. Hurt. *in Met. d. 15. s. 57.* P. Ouiedo *in Met. controuers. 9. punct. 5. n. 7.* P. Rub. *in Log. cap. de Relatione q. 7. n. 171.* Murcia *cap. de Relatione d. 1. q. 6.* P. Tellez *d. 62. sect. 6. num. 4.* P. Compton cit. *s. 14. n. 6. & 7.* Quæ vt probetur, maioris distinctionis gratiâ aduertendum est Relationes alias esse mutuas; alias nō mutuas.

D. Thom. Capreol. Soncinas Lichetus P. Soar. P. Vasq. P. Hurt. P. Ouiedo P. Rub. Murcia P. Tellez P. Compton

§. 4.

Relationes non mutuæ terminantur ad absolutum.

113 Dico primó. Relationes non mutuæ terminantur ad absolutum. Hæc resolutio est euidens, & á nonnullis ex ipsis Aduersarijs conceditur. Probatur, quia aliter iam Relationes non mutuæ essent mutuæ. Et declaratur exemplo creaturæ ad Creatorem; nam ex parte Dei non est alia Relatio realis ad creaturam, ad quam ipsa Relatio creaturæ terminetur.

114 Respondent Aduersarij cum Ferrar. ex parte Dei esse Relationem rationis. Non satisfaciunt. Primò, quia Relatio rationis non est, nisi per intellectum: creatura autem nemine cogitante refertur ad Creatorem. Secundó, quia Relatio realis non est, nisi ad terminum realem.

115 Occurrunt P. Fons. & P. Albertin. cit. dicendo, Relationes rationis posse sumi dupliciter. Primò, quóad conuenientiam. Secundò, quóad existentiam: quóad conuenientiam est realis, hoc est, realiter conuenit: quóad existentiam est rationis, hoc est, existit per rationem, & non à parte rei. Dicunt igitur Relationem creaturæ, & cæteras non mutuas terminari ad Relationes rationis ex parte termini

mini sumptas quoad conuenientiam.

116 Non placet istud effugium, quia aut ista conuenientia sumitur ex parte Relationis rationis, quæ conuenit absoluto ex parte termini? aut ex parte ipsius absoluti, cui conuenit Relatio rationis. Si ex parte Relationis, ista conuenientia non distinguitur ab ipsâ Relatione rationis; ac proinde, sicut ipsa Relatio est rationis, & consequenter incapax terminandi Relationem realem, ita dicendum videtur de eius conuenientiâ. Si ex parte absoluti, ista conuenientia non distinguitur ab ipso absoluto; ac proinde iam Relatio terminatur ad absolutum, quod erat intentum.

§. 5.

Idem asserendum de Relationibus mutuis.

117 Dico secundò. Etiam Relationes mutuæ terminantur ad absolutum. Hæc resolutio etiam videtur certa. Primò, quia terminus absolutus est capax terminandi, vt patet in Relationibus non mutuis, quæ, vt constat ex dictis, ad absolutum terminantur. Secundò, quia si ab hoc albo præscindatur Relatio, adhuc terminabit similitudinem alterius. Tertiò probari potest eodem argumento Caietani superiùs facto, illud retorquendo contra ipsum, hoc modo: Quia si Relatio terminaretur ad correlationem, relata non essent simul naturâ, & cognitione. Et hoc ostenditur, quia terminus est prior naturâ, quàm Relatio; siquidem hæc ab illo dependet, & ad eius positionem resultat: vnde prius naturâ est poni terminum, quàm resultare Relationem, & terminari ad illum.

118 Respondet P. Arriaga (qui vt videbimus sequenti §. existimat Relationem terminari simul ad relatiuum, & absolutum) *in Log. d. 12. n. 58.* non oportere terminum esse priorem naturâ; nam terminus actionis, non est prior illâ: ergo neque terminus Relationis. Sed contrà, quia est longè diuersa ratio; nam actio est per modum viæ ad terminum, cui confert existentiam; vnde non potest non esse prior illo: at Relatio non est per modum viæ, nec confert existentiam termino, sed potiùs illum supponit, & resultat post illum.

P. Arriaga

119 Instat P. Arriaga exemplo Relationum in Diuinis; nam Filius non est prior Relatione Patris, cuius est terminus. Respondeo in primis Relationes Diuinas non esse purè Prędicamentales, sed constitutiuas Personarum: vnde non est necesse, quód resultent post terminum, cùm eius Principium constituant ante illum. Deinde assero Relationes Diuinas, licèt in ratione Hypostasis, Principij, & Originis antecedant terminum, in ratione Relationis Prædicamentalis resultare post illum. De quo fusè diximus in *Materia de Trinit.*

120 Obijcies primò. Vna Relatio mutua pendet ab aliâ; non vt à causâ, vt patet: ergo vt à termino; ac proinde terminatur ad illam. Respondeo distinguendo Maiorem: Vna Relatio mutua pendet ab aliâ formaliter, nego: concomitanter, concedo. Non, inquam, pendet ab aliâ *formaliter*, quia illam formaliter non respicit: pendet tamen *concomitanter*, quia, cùm in Relationibus mutuis eadem sit ratio referendi, quæ terminandi, illæ, quæ obesse possunt, ne terminus correferatur, oberunt; ne terminet.

Obijcies secundò. Si Relatio Prędicamentalis terminetur ad absolutum, dabitur duplex oppositio relatiua: prima, inter ipsas Relationes, v. g. inter paternitatem, & filiationem: secunda, inter Relationem, & terminum, v. g. inter paternitatem, & Substantiam filij. Respondeo id ita admitti in communi sententiâ: imò id etiā Aduersarij concedunt; nā in suâ opinione asserente Relationē terminari ad Relatiuū, vna Relatio nō solùm opponitur alteri Relationi oppositæ, sed etiam eius fundamento. Ego in proposito exemplo non soleo admittere nisi vnam tantùm oppositionē, quâ paternitas immediatè opponitur filiationi; & eâ mediante Substantiæ filij. Vide quæ diximus *in Log. n. 5. n. 149.*

121 Dices: Ergo iam admitto vnam Relationem terminari ad aliam, nimirum oppositionem, quâ paternitas opponitur filiationi; terminatur enim hęc oppositio, & si non ad oppositionem contrariam, saltem ad filiationem, quæ est Relatio. Respondeo, nos, cùm negamus Relationem terminari ad aliam, solùm negare Relationem terminari ad sibi correspondentem, ac resultantem ex parte termini; & dicere, non ad illam terminari, sed ad eius fundamentum, quod in Relationibus realibus est absolutum; in Relationibus rationis, qualis est oppositio relatiua, non repugnat esse Relatio.

122 Obijcies tertiò. Conceptus terminatus ad paternitatem habet Relationem realem ad suum obiectum; sed habet pro obiecto Relationem, nimirum paternitatem: ergo Relatio prædicti conceptûs terminatur ad Relationem. Respondeo iuxta proximè dicta, Relationem prædicti conceptûs in proposito euentu non terminari ad sibi correspondentē, & resultantem ex parte obiecti; sed ad eius fundamentum, nimirùm ad obiectum, quod in casu proposito est Relatio.

§. 6.

Non admittitur opinio P. Roderici de Arriagâ, quæ Relationem simul terminat ad relatiuum, & absolutum.

P. Arriaga 123 SCio P. Arriagam suprà cit. loquendo de Relatione similitudinis, contemnere, & vetustatis arguere duas prædictas opiniones, alteram, quam impugnamus, terminantem Relationes ad relatiuum; alteram, quam sequimur, eas terminantem ad absolutum; & resoluere Relationem similitudinis terminari simul ad relatiuum, & ad absolutum. Et probat, quia Relatio similitudinis refert se, & fundamentum ad Relationem oppositam, & ad eius fundamentum; non enim solùm est similis fundamento opposito, sed etiam Relationi oppositæ. Respondeo, me non negare Relationem etiam secundariò esse similem Relationi oppositæ: solùm dicimus primariò terminari ad absolutum; nam si per possibile, vel impossibile Deus ex parte termini impediret resultantiam eius Relationis, adhuc Relatio ex alterâ parte perseueraret, & daretur; sicut datur ex parte creaturæ ad Deum, licèt non detur ex parte Dei ad creaturam: ergo signum est, quòd Relatio non sit terminus primarius.

124. Illud potius est, quod docet P. Arriaga cit. *n.* 59. solam Relationem similitudinis referri ad Relationem oppositam, & ad eius fundamentum: non ita alias Relationes; dicit enim paternitatem solùm referri ad filium, non verò ad filiationem, quia, vt inquit, solùm refertur ad id, quod formaliter generatur: solus autem filius formaliter generatur, non verò eius filiatio. Sed contrà, quia in homine, v. g. sola Vnio formaliter generatur: & tamen Relatio refertur ad totum filium. Dices, id prouenire ex eo, quòd totus filius denominetur genitus. Sed contrà, quia non solus filius materialis, sed etiam filius formalis denominatur genitus; dicitur enim filius: ergo & genitus: ergo sic formaliter sumptus respicitur. His positis:

§. 7.

Argumenta soluta.

125 AD primum argumentum opinionis contrariæ propositum initio *n.* 111. (quâtenus ex eo, quòd Aristoteles dicit vnum relatum poni in definitione alterius, infert esse eius terminum) respondeo Aristotelem 6. *Topicorum*, solùm velle vnum relatum poni in definitione alterius, non quòd formaliter spectatum pro Relatione in concreto sit terminus alterius, sed quia est illius terminus sumptum in suppositione materiali pro illo, quod habet Relationem. Ex hoc explicat ipse Aristoteles 1. *Topicor. c.* 3. vbi: *Non tam, inquit, dici debet, seruum est Domini seruum, quàm seruus hominis habentis ius seruitutis; nec tantum dici debet, pater est filij pater, quàm pater est geniti pater.* Aristot. Ad illud præterea, quod dicit *cap. de Relatione* (nimirum, si Domino auferatur esse hominem, & tamen maneat esse dominum, adhuc terminabit seruitutem) respondeo, seruum communi nomine spectatum non terminari ad aliquod certum, & determinatum subiectum dominij; sed ad aliquod indeterminatum habens ius, siue sit homo, siue Angelus, siue Deus: quæuis igitur auferatur à Domino esse subiecti determinati, dummodò tamen relinquatur aliquid, ratione cuius persistat esse dominum in suppositione materiali, dabitur terminus seruitutis.

126. Ad secundum (quâtenus dicit, Relationes Diuinas terminari ad absolutum: & inde infert, idem dici debere de Relationibus creatis) respondeo esse longè diuersam rationem in Relationibus Diuinis, ac in creatis. Nam Relationes Diuinæ sunt formaliter constitutiuæ termini, hoc est, Personæ; vnde non possunt non ingredi rationem terminandi: at verò Relationes creatæ non constituunt terminum, sed illi adueniunt iam in suo esse constituto; ac proinde sunt extra illum. Imò ex Relationibus Diuinis retorqueri potest argumentum ad creatas; nam in Diuinis Relatio, quæ non est constitutiua Personæ, non terminat formaliter Relationem oppositam, sed solùm materialiter per suum fundamentum. Et hoc ostenditur, quia Relatio Spirationis actiuæ non est formalis terminus Spiritûs Sancti, sed hic formaliter terminatur ad Patrem, & ad Filium sumptum sub Relatione Spirationis, hoc est, non terminatur ad Spirationem actiuam, sed ad Spiratorem, vt docet P. Soar. *lib.* 5. *de Trinitate c.* 8. *n.* 11. & *in Met. d.* 47. *s.* 16. *n.* 37. imò neque ad Spiratorem, prout hic constituitur conceptu Relationis, sed prout constituitur conceptu Principij, & Originis actiuæ: ergo etiam in creatis, vbi Relationes non sunt constitutiuæ terminorum, sed illis adueniunt in suo esse constitutis, tales Relationes non ingrediuntur formaliter rationem terminandi. P. Soar.

127. Ad tertium Caietani (quâtenus dicit, si Relatio terminetur ad absolutum, sequi non esse simul, sed priorem Relatione oppositâ;

est

est enim simul cum absoluto opposito, quod est prius Relatione, quæ ex illo resultat) respondeo in solâ opinione, qua non sequimur, asserentium Relationes terminari ad absolutū, intelligi, quomodò illæ sint simul naturâ. Nā in contrariâ opinione dicentium vnam Relationem terminari ad aliam, clarum est non posse esse simul; nam terminus necessariò debet esse prior Relatione, quam terminat; siquidem hæc resultat ad positionem illius, vt constat ex suprà dictis *num.* 117. in nostrâ autem opinione, cùm Relationes non terminentur ad inuicem, non est necesse, quòd mutuò sint priores; sed quælibet est posterior suo termino absoluto, & ambæ simul in instāti sequēti.

§. 8

Vtrùm vna Relatio possit respicere plures terminos?

128 Tertia difficultas: Vtrùm in vno relato tot sint Relationes, quot eius termini? Non est dubium in vno relato reperiri plures Relationes diuersæ speciei, v. g. in vno relato Relationes identitatis, & diuersitatis, similitudinis, & dissimilitudinis respectu diuersorum terminorum. Tota quæstio est: Vtrùm possint reperiri plures Relationes eiusdem speciei solo numero diuersæ, & tot, quot sunt eius termini, v. g. in vno albo plures Relationes similitudinis respectu huius, & illius albi; in vno patre plures paternitates, & tot quot sunt eius filij?

D.Thom. Caietan. Ferrara Soncinas P.Tolet. P.Rub. P. Albertin. Bañes Cabrera Gallego

129 Negant D. Thom. 3. *p. q.* 35. *art.* 5. Caiet. Ferrar. Soncin. & alij Thomistæ communiter, quos citant, & sequuntur P. Toler. *in Logica q.* 2. *de Relatione.* P. Rubius ibidem *q.* 8. *n.* 172. P. Albertin. *tom.* 2. *in Prædicamento Ad aliquid q.* 10. *a.* 1. *n.* 14. Bañes, Cabrera, & alij, quos citat, & sequitur Gallego *tom. 1. controu.* 30. Probatur argumento D. Thom. quia duo accidentia eiusdem speciei nequeunt esse in eodem subiecto, nimirum duæ quantitates, duæ albedines: ergo neque duæ paternitates, duæ æqualitates, duæ similitudines, &c. Probari solet secundò ab alijs, quia in contrariâ sententiâ sequitur dari infinitas Relationes in ferro, quod spatio vnius horæ successiuè calefit. Et hoc ostenditur, quia in quolibet instāti datur aliquid caloris de nouo productum, & consequenter noua Relatio ignis ad ferrū, & ferri ad ignem: at veró instantia sunt infinita. Tertio, quia Relatio Transcendens non multiplicatur ad multiplicationem terminorum, sed vna respicit vniuersaliter omnes terminos, nimirum vnus Intellectus omnia intelligibilia, vna potentia vniuersaliter omnes actus, vna Materia omnes Formas: ergo idē dicendum de Relatione Prædicamentali: vna similitudo respiciet omnia similia, vna paternitas omnes filios, &c.

130 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Relationes Prædicamentales multiplicari ad multiplicationem terminorum, v. g. in vno Priamo tot dari paternitates, quot eius filij, alteram terminatam ad Hectorem, alteram ad Paridem, &c. Ita Scot. *in* 3. *dist.* 8. *q. vltima*, eius discipuli Lichetus, Tromb. & alij communiter, quos citant, & sequuntur P. Suar. *in Met. d.* 47. *s.* 17 *n.* 27. P. Fons. 5. *Met. c.* 15. *q.* 5. *sect.* 1. Patres Conimbric. *in Logica c. de Relatione q.* 3. *a.* 1. P. Vasquez *tom.* 4 *in* 3. *p. q.* 91 *art.* 1. *dub* 4. *n.* 7. P. Tellez *disp.* 62. *sect.* 6. *n.* 18. P. Compton. cit. *s.* 16. *n.* 1. Quæ, vt clariùs intelligantur, aduertendum est quæstionem posse primó procedere de Relatis, quæ non necessarió postulant plures terminos, qualis est pater, qui potest intelligi in ordine ad vnum tantùm filiū; & simile, quod etiam potest intelligi in ordine ad aliud simile. Secundó potest procedere de Relato, quod necessariò postulat plures terminos, sine quibus non potest intelligi: & hi termini, aut possunt esse eiusdem rationis, quo pacto se habent Particularia respectu sui Vniuersalis: aut diuersæ rationis, vt videre est in Signo in ordine ad potentiam, & ad rem significatam.

Scotus Lichetus Tromb. P. Suar. P. Fons. Patres Conimbr. P. Vasq. P. Tellez. P. Cōpton.

§. 9.

Relatum, quod non necessariò postulat plures terminos, habet plures Relationes ad illos.

131 Dico primò. Relatum, quod non necessarió postulat plures terminos, tot habet Relationes, quot sunt ipsi termini, v. g. Priamus tot habet Relationes, quot filios. Et probatur primò, simili argumento, quo *n.* 45. probauimus distinctionem Relationis ex naturâ rei á fundamento. Nam Priamus emortuo filio Hectore amittit Relationem ad illum; adhuc tamen retinet Relationem ad filium Paridem: ergo hæ duæ in Priamo distinguuntur.

132 Respondent Aduersarij primò, vnicam esse Relationem ad vtrùmque filium quoad entitatem, & solùm diuersam quóad denominationem: vnde emortuo Hectore perit Relatio ad illum quóad denominationem, non verò quoad entitatem. Verùm hæc euasio facilè præcluditur ex dictis *n.* 46.

133 Respondent Aduersarij secundò, emortuo

emortuo Hectore destrui Relationem Priami ad omnes filios, & resultare aliam specie diuersam habentem pro termino Paridem tantùm; nam prima habebat pro termino Hectorem simul, & Paridem. Non placent, quia tenentur dicere, quòd adueniente secundo filio destruatur præcedens Relatio ad primogenitum; quod videtur liberé, imò falsò dictum, cùm secunda Relatio non sit opposita primæ, nec illi contraria: cur igitur prima destruetur per aduentum secundæ?

134 Dices, perire primam Relationem, quia in eodem subiecto nequeũt existere duo accidentia eiusdem speciei propter superfluitatem, quam inducunt. Sed contrà, quia licèt duo accidentia eiusdem speciei, quæ præstant omninò eumdem effectum formalem, nequeant esse in eodem subiecto propter superfluitatem, quam inducunt: quando tamen accidentia sunt talis conditionis, vt in eodem subiecto præstent effectum aliquo modo diuersum, cùm nulla tunc appareat superfluitas, in eodem subiecto simul collocari possunt. Et hoc modo se habent plures paternitates in eodem parente in ordine ad plures filios; quælibet enim respicit suum diuersum; & consequenter quælibet præstat effectum aliquo modo diuersum.

135 Probari solet secundò eadem resolutio, quia quando vna Relatio non postulat plures terminos, sed tota per ordinem ad quẽlibet illorum intelligitur, illos respicit, vt plures terminos totales, & adæquatos: at verò vna Relatio nõ potest respicere plures terminos adæquatos, & totales, ad eum modum, quo vnus conceptus non potest respicere plura obiecta adæquata, & totalia; vna actio plura principia adæquata, & totalia. Tertiò, quia in vno filio ad duos parẽtes datur duplex Relatio, altera terminata ad patrem, altera ad matrem, vt cum probabiliori sententiâ pauló inferiùs ostendemus: ergo in vno parente ad duos filios dabuntur duæ Relationes, v. g. in Priamo vna ad Hectorem, & altera ad Paridem.

§. 10.

Relatum, quod necessariò postulat plures terminos diuersæ rationis, habet plures Relationes ad illos.

136 Dico secundò. Relatum, quod necessarió postulat plures terminos diuersæ rationis, habet plures Relationes ad illos, & tot, quot sunt ipsi termini. Probatur in Signo, quod licèt necessariò postulet plures terminos, nimirum rem significatam, & potentiam; quia tamen hi sunt diuersę rationis, Signum habet diuersas Relationes ad illos, vt diximus *in Logica tr. 6. n. 22.* Similiter Compositum physicum diuersam Relationem habet ad Materiam, diuersam ad Formam, quia licèt vtramque postulet necessarió necessitate logicâ, & essentiali, illæ tamen constituunt terminos diuersæ rationis.

137 Quæres, Quinam dicantur termini diuersæ rationis: qui veró eiusdem? Assignari potest hæc Regula generalis: Tunc scilicet terminos dici diuersæ rationis, quando fũdamentum proximum, seu ratio fundandi per ordinem ad illos est diuersa: tunc veró dici eiusdem rationis, quando fundamentum proximum, seu ratio fundandi est omninò eadem. Et hoc ostenditur inductione, quia idcircò in Signo Formali eius termini censentur diuersę rationis, quia fundamentum proximum, seu ratio fundandi per ordinem ad rem consistit in mensurato; per ordinem ad potentiam in informatione actiuâ. In Signo Instrumentali per ordinem ad rem, fundamentum proximũ, seu ratio fundandi consistit in cõnexione Signi cum re significatâ, siue ipsa cõnexio sit naturalis, siue ex impositione; per ordinem ad potentiam consistit in intelligibilitate, seu mensurâ. E contra verò Particularia Vniuersalis censentur termini eiusdem rationis, quia fundamentum proximum, seu ratio fundandi ad illos est omninò eadem, nimirum aptitudo: & sic de cæteris. De quo pleniùs *in Logic. tr. 6. num. 22.*

138 Obijcies. Quando Relatum postulat necessariò plures terminos, hi, licèt sint plures partiales, constituunt vnum totalem: at veró vna Relatio potest respicere plures terminos partiales, vt patet in Relatione Vniuersalis erga sua Inferiora: & in conceptu, qui potest attingere plura obiecta partialia constituentia vnum totale. Respondeo, non semper plures terminos necessarios constituere vnum totalem; sed tunc solùm, quando hi sunt eiusdẽ rationis, hoc est, quando ad illos omnes est idem fundamentum proximum, seu eadem ratio fundandi, vt patet in Relatione Vniuersalis.

139 Instabis: Tale Relatum non potest intelligi absque omnibus illis terminis: ergo constituunt vnum terminum adæquatum. Et confirmatur, quia idcircó plures lapides, qui attinguũtur vnico conceptu, constituunt vnũ obiectum adæquatum, quia talis conceptus non potest intelligi sine illis omnibus. Respondeo, Relatum, v. g. Signum sumptum in suppositione materiali pro re, quæ refertur prædicamentaliter, v. g. pro conceptu, vel specie,

cie, non posse intelligi sine illis duobus terminis: aliter dicendum de Relato sumpto in suppositione formali pro Relatione Prædicamentali in concreto; tunc enim in tali Relato tot sunt Relationes, quot eius termini, & quælibet potest intelligi solùm per ordinem ad suum. Verum quidem est, quòd conflatum ex illis duabus Relationibus non possit intelligi sine duobus terminis simul sumptis: verùm nostra quæstio procedit de qualibet illarum singillatim spectatâ.

§. 11.
Relatum, quod necessariò postulat plures terminos eiusdem rationis, illos respicit vnicâ Relatione.

140 Dico tertiò, Relatum, quod necessariò postulat plures terminos eiusdē rationis, habet vnicam Relationē ad illos. Hæc resolutio probatur ex proximè dictis exemplo Relationis Vniuersalis ad sua Inferiora: & exemplo conceptûs attingentis plura obiecta partialia constituentia vnum totale, qui quidem conceptus, vnicus cùm sit, potest attingere plura obiecta, sine quibus non potest intelligi: ergo idem dicendum de Relatione per ordinem ad plures terminos eiusdem rationis, seu partiales, sine quibus non potest intelligi.

141 Obijcies. Filius necessariò postulat vtrumque parentem; & tamen non habet vnā Relationem, sed duas, alteram ad patrem, alteram ad matrem: ergo non omne Relatum, quod necessariò postulat plures terminos eiusdem rationis, fundat vnicam Relationem ad illos. Respondent aliqui primò cum P. Fons. 5. Met. c. 15. q. 5. sect. 3. §. Quæret aliquis, filium habere vnicam Relationem ad vtrumque parentem; vnde emortuo vno parente, & persistente altero dicunt perire totam Relationē, quæ adæquatè respiciebat vtrumque; & resultare aliam de nouo, quâ filius adæquatè respicit superstitem parentem. Verùm ex suprà dictis n. 133. patet hanc responsionem non esse sufficientem.

P. Fons.

142 Responderi potest secundò, & veriùs cum P. Soar. d. 47. sect. 17. n. 19. filium solùm postulare vtrumque parentem necessitate physicâ, non necessitate logicâ, vt patet in generatione humanâ Christi Domini, ad quā concurrit sola Mater sine Patre; & in generatione Verbi Diuini, ad quam concurrit solus Pater sine Matre; & in generatione Adami, ad quam nec pater, nec mater concurrit. Adde, quòd, licèt ad generationem filij requiratur physicè vterque parens; certè non requiritur ad eius conseruationem: vnde fit, quód optimé possit intelligi filius, licèt altero parente orbetur: signum igitur est, quód terminus necessarius filiationis non sit vterque parens. Respondeti potest tertiò, filium habere diuersam rationem fundandi ad vtrunque parētem: vnde illos non constituere terminos eiusdem, sed diuersæ rationis. Habet, inquam, *diuersam rationem fundandi*; nimirum receptionem diuersi concursûs, & causalitatis; neque enim parentes concurrunt eâdem numero actione; vterque tamen cōcurrit effectiuè, vt diximus *tract. de Generat. num. 75.*

P. Soar.

§. 12.
Argumenta soluta.

143 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ propositæ n. 129. (quâtenus absolutè dicit duas Relationes solo numero diuersas, v. g. duas paternitates, non posse reperiri in eodem subiecto, nimirum in eodem Priamo respectu Hectoris, & Paridis) patet solutió ex dictis. Dicendum enim est duo accidentia eiusdem speciei posse esse in eodem subiecto, quando in illo præstant effectum formalem aliquo modo diuersum; tunc enim nulla visitur superfluitas: & ita se habent paternitates respectu huius, & illius filij in Priamo.

144 Ad secundum (quâtenus dicit in nostrâ sententiâ sequi in ferro, quod spatio vnius horæ successiuè calefit, dari infinitas Relationes) respondeo in eo euentu, quo ferrum spatio vnius horæ successiuè calefit, dari vnam Relationem totalem, sicut datur vnus calor totalis. Neque in Relatione vlla apparet maior difficultas, quàm in motu per accidens successiuo; nā sicut hic habet infinitas partes, non actu, sed potentiâ; ita Relatio successiua habet infinitas, non actu, sed potentiâ: quod nullum est inconueniens, vt constat ex dictis in *Phys. tract. 4. n. 204.* vbi ostendimus cum communi dari de facto in rerum naturâ infinitum potentiâ syncategorematicum.

145 Ad tertium (quâtenus dicit Relatum Transcendens vnico respectu respicere omnes suos terminos, vt patet in potentiâ, quæ vnico respectu respicit suos actus) respondeo, esse diuersam rationem in Relato Transcendente, & in Prædicamentali. Nam Relatum Transcendens respicit omnes suos terminos per suam essentiam, quæ est vna, & eadem: at verò Relatum Prædicamentale respicit suos terminos per respectus superadditos, qui tot sunt,

sunt, quot rationes fundandi, seu fundamenta proxima. Itaque respectus Relati Transcendentis est ipsa eius essentia, quæ est vna, & eadem: respectus Relati Prædicamentalis est superadditus, & multiplex pro multiplici ratione fundandi, seu fundamento proximo.

SECTIO V.

Vtrùm Relatio Prædicamentalis dicat perfectionem?

146 QVÆSTIO potest primó procedere de Relationibus creatis: deinde de Diuinis. De vtrisque dicemus. Vt, quod de singulis dici potest, plenius intelligantur, sit.

§. I.

Vtrùm Relationes creatæ dicant perfectionem?

147 PRima difficultas: Vtrùm Relationes creatæ dicant perfectionẽ? Et quæri potest primò, Vtrùm dicant perfectionem in se, quin considerentur in ordine ad subiectum? Negare videtur D. Thom. 1. p. q. 42. a. 4. ad 2. quatenus docet perfectionem, vt sic, dicere aliquid absolutum. Et certè negant Caietan. Capreol. Marsil. & alij apud P. Soar. vbi infrà. Primó, quia incredibile videtur aliquam in Petro resultare perfectionem ex eo, quòd Paulus fiat etiam albus, vt ille, aut niger. Secundó, quia præciso *esse in*, Relatio solùm dicit *esse ad*: hoc autem, cùm sit commune Relationibus realibus, & rationis, nullam dicit perfectionem. Tertiò, quia aliter sequeretur Relationem serui, aut inferioris dicere perfectionem. Quartò, quia omne perfectum est absolutum.

D. Thom. Caietan. Capreol. Marsil.

148 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Relationes creatas consideratas in se, & præciso subiecto, dicere perfectionem. Ita Ocham. Gabriel. Gregor. Aquarius, & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *in Met. d.* 10. *sect.* 3. *n.* 15. & *lib.* 3. *de Trinitate c.* 10. *n.* 2. P. Fons. 5. *Met. c.* 15. *q.* 3. *sect.* 2. P. Vasq. 1. *p. d.* 23. *c.* 7. *n.* 21. & *d.* 122. *c.* 2. *n.* 3. P. Molin. 1. *p. q* 42. *a.* 6. *d.* 2. §. *Tertia conclusio*, P. Arrub. 1. *p. tom.* 2. *d.* 105. *cap.* 3. *n.* 13. P. Granad. 1. *p. tom.* 2. *tract.* 3. *d.* 5. *sect.* 3. *n.* 25. P. Albertin. *tom.* 2. *in Prædicamento Ad aliquid q.* 3. *n.* 4. P. Ragusa 3. *p. q.* 3. *a.* 1. *n.* 48. §. *Dicendum est ergo*, P. Tellez *disp.* 61. *sect.* 2. *n.* 1. Et probatur, quia bonitas, seu perfectio est proprietas recurrens cum Ente, vt constat ex *tract.* 1. *à n.* 85. atqui Relationes Prædicamentales sunt vera entia, vt constat ex dictis *à n.* 9. ergo dicunt perfectionem. Et confirmatur, quia perfectum definitur ab Aristotele 5. *Met. cap.* 16. Illud, *cui in suo genere nihil deest*: at veró Relationi Prædicamentali nihil deest in suo genere.

Ocham. Gabriel. Gregor. Aquarius P. Soar. P. Fons. P. Vasq. P. Molin. P. Arrub. P. Granad. P. Albertin. P. Ragus. P. Tellez. Aristot.

149 Ad primum, respondeo non esse magis incredibile resultare in Petro perfectionem, quàm resultare Relationem ad positionem solius termini: vnde qui primum dicit, dicere tenetur & aliud. Ad secundum, respondeo, *esse ad* Relationis creatæ non posse præscindere ab *esse in*, cùm tale *esse ad* sit accidens; ac proinde formaliter includat *esse in*. Nec verum est, quòd *esse ad* reale sit commune Relationibus rationis. Ad tertium, dico Relationem serui, aut inferioris non dicere perfectionem moralem; dicere tamen perfectionem physicam, de quâ nobis est quæstio: eadem autem entitas potest esse perfectio physica, & imperfectio moralis, vt patet in actu, & habitu vitij, aut erroris. Ad quartum, dico *absolutum* posse sumi dupliciter: primó, prout opponitur relatiuo; & sic non omne perfectum est absolutum: secundó, prout *absolutum* dicit id, cui nihil deest in suo genere; & sic Relatio est quid absolutum, seu perfectum, nec D. Thom. contrarium opinatur.

150 Quæri potest secundò, Vtrùm Relationes creatæ dicant perfectionem respectu subiecti? Negant Caiet. Marsil. & Capreol. vbi suprá. Primò, quia tam perfecta est vna albedo, quando se solâ existit, ac quando illi coexistit alia albedo, aut nigredo. Secundò, quia si Relatio est perfectio subiecti, in vno quoque dabuntur perfectiones infinitæ.

Caiet. Marsil. Capreol.

151 Nihilominus contraria resolutio probabilior est asserentium Relationes creatas esse perfectiones sui subiecti. Ita Doctores, & alij suprà cit. n. 148. Probatur, quia Relationes sunt perfectiones, vt constat ex proximè dictis: at veró omnis perfectio applicata subiecto respectu cuius est conueniens, est illius perfectio. Dixi, *respectu cuius est conueniens*, quia non omnis perfectio talis est respectu cuiuscunque subiecti, vt videre est in calore respectu aquæ, cuius perfectio non est, & in sexto digito respectu manûs, cui non conuenit: perfectio igitur, vt talis sit respectu subiecti, debet illi esse conueniens, quo pacto se habent Relationes, quæ quidem conueniunt subiectis.

Ad pri-

152 Ad primum, respondeo vnam albedinem ante positionem alterius esse tam perfectam perfectione absolutâ, ac post positionem illius: non tamen esse tam perfectam per fectione relatiuâ. Ad secundum, dico in vnoquoque subiecto dari quidem plures, non tamen infinitas Relationes: non enim dantur infiniti termini; nullum enim admittimus infinitum actu in rerum naturâ.

§. 2.

Vtrùm Relationes Diuinæ dicant perfectionem?

153 SEcunda difficultas: Vtrùm Relationes Diuinæ dicant perfectionem? Negare videtur D. Thom. & certé negant Richard. Durand. Greg. Marsil. Argentin. Capreol. Paludan. Caietan. Ferrar. Scot. & alij, quos citat, & sequitur P. Molin. 1. *p. q.* 72. *art.* 2. *d.* 2. & *q.* 42. *a* 6. *d.* 2. P. Bellarm. *tom.* 1. *l.* 2. *de Christo c.* 12. P. Fonsec. 4. *Met. c.* 2. *q.* 7. *s.* 7. P. Becan. *in Summa* 1. *part. tract.* 1. *c.* 2. *quæst.* 6. *à num.* 3. Cornejo 1. *part. tom.* 1. *tract.* 1. *quæst.* 14 *disp.* 1. *dub.* 3. *num.* 3. Fundamentum est, quia in contrariâ sententiâ sequitur primò, aliquam perfectionem esse in Patre, quæ non est in Filio; & aliquam in Filio, quæ non est in Patre: nam in Patre est Paternitas, quæ non est in Filio; & in Filio est Filiatio, quæ non est in Patre. Secundò sequitur, Patrem esse ipsâ Deitate perfectiorem; siquidem præter illam includit Paternitatem. Sequela autem est falsa, quia nihil potest esse perfectius Deitate, iuxta illud *Ioann.* 10. *Quod dedit mihi Pater, maius omnibus est.* Tertió sequitur, solùm Patrē esse minùs perfectum, quàm totam Trinitatem: hoc autem est contra D. August. *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 7. ibi: *In summa Trinitate tantum est vna, quantum tres simul sunt, nec plus aliquid sunt duæ, quàm vna.*

D. Thom. Richard. Durand. Greg. Marsil. Argent. Capreol. Palud. Caiet. Ferrar. Scotus P. Molin. P. Bellar. P. Fonf. P. Becanus Cornejo Ioan. 10. D. August.

154 Quartó sequitur, vnam Relationem esse perfectiorem aliâ; non enim sunt eiusdem speciei: ea veró, quæ sunt diuersæ speciei, habent perfectionem inæqualem, vt docet Aristotel. 8. *Met. text.* 10. Quintò, quia aut quælibet Relatio dicit perfectionem finitam; & hoc non, quia nulla perfectio Diuina est finita: aut infinitam; & hoc etiam non; sin minùs quælibet includeret omnes alias; nam quod est in vno genere infinitum, includit omnem perfectionem talis generis.

(:?:)

§. 3.

Prafertur, & explicatur sententia affirmatiua.

155 NIhilominus distinctione veniendum videtur. Nam, licèt perfectio rei in se spectata recurrat cum eius integritate, respectu tamen illius, cui aduenit, duplex est, altera intensiua; extensiua altera. Intensiua est illa, quæ aduenit subiecto, quod illam non habebat, nec formaliter, neque eminenter: perfectio extensiua est illa, quæ aduenit subiecto, quod illam iam habebat eminenter.

156 Dico primò. Relationes Diuinæ dicunt perfectionem in se. Ita P. Soar, *In Met. d.* 10. *sect.* 3. *à num.* 11. & 3. *de Trinit. cap.* 9. *num.* 14. P. Vasquez 1. *p. d.* 122. *cap* 6. P. Valent. ibidem *d.* 2. *q.* 2. *punc.* 2. P. Granad. ibidem *tract.* 3. *d* 5. *sect.* 2. P. Ruiz *d.* 29. *sect.* 2. P. Arrub. *d.* 105. *a n.* 7. P. Alarc. *tr.* 5, *cap.* 3. *num.* 5. P. Tellez *d.* 56. *sect.* 2. *n.* 3. Quibus accedunt P. Florauantius *lib. de Trinit. notat.* 18. P. Amic. *de Trinitate d.* 19. *sect.* 8. P. Albert. *corol.* 1. *ex Prædicamento Relation.* Forest. *de Trinit. cap.* 5 *de Relation.* March. *de Trinit. d. p.* 20. P. Arriag. *de Trinit. d.* 42. *sect.* 3. P. Tanner. *d.* 4. *q.* 3. *dub.* 4. P. Martinon *d.* 25. *de Trinit. n.* 93.

P. Soar. P. Vasq. P. Valent. P. Grana. P. Ruiz P. Arrub. P. Alarc. P. Tellez P. Florau. P. Amicus P. Albertin. Forestus March. P. Arriaga P. Tanner P. Martin.

157 Probatur primó ex Sanctis Patribus, D. Cyrillo Alexand. *l.* 1. *Thesauri c.* 5. circa medium, ibi: *Si Patri Filius coæternus non est, necesse erit concedere imperfectam aliquando fuisse Sanctam Trinitatem.* Et *lib.* 2. *Thesauri c.* 1. hæc addit: *Non potest esse perfecta Deitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat.* D. Gregor. Nazianz. *orat.* 37. ferè initio ibi: *Si vnum deijcis* (Spiritum Sanctum) *audax hoc dicam: Ne duo quidem superiori loco tolleces. Quæ enim imperfectæ Deitatis vtilitas? Imò quæ Deitas, si imperfecta? perfecta autem quomodò erit, in qua ad perfectionem aliquid desideretur?* Diuo Athanasio *orat.* 2. *contra Arianos*, in medio, ibi: *Res conditæ, si non sunt in rerum natura, non diminuunt Conditorem: Proles autem si non coæternaliter existat cum Patre, detrimentum affert perfectioni illius Substantiæ.* Diuo Ambrosio *lib.* 4. *de Fide ad Gratian. cap.* 4. prope finem, ibi: *Si aliquando Filius non fuit, quod nefas dictu est: non fuit ergo in Deo aliquando perfectionis plenitudo,* &c. Alia plura testimonia ex Diuo Basilio *lib.* 2. *contra Eunomium*, Diuo Epiphanio *hæresibus column.* 10. & alijs Sanctis Patribus refert P. Ruiz citat. *disp.* 29. *sect.* 3. & 4. Quibus subscribit Diu. Thomas 1. *part. quæst.* 29. *art.* 3. sic ait: *Persona significat id, quod est perfectissimum: inde, cùm omnis perfectio sit Deo tribuenda, consequens est, vt Persona de Deo dicatur.*

D. Cyril. Alexand. D. Greg. Nazianz. D. Athan. D. Ambr. D. Basil. D. Epiph. P. Ruiz D. Thom.

158 Probatur secundò ex doctrinâ, & Principijs Aristotel. 3. *Met. c. 16.* vbi dicit: Perfectum esse *ens reale, cui in suo genere nihil deest*: at verò Relationes Diuinæ sunt entia realia, & illis in suo genere nihil deest. Tertiò, quia Subsistentiæ creatæ sunt perfectiones: ergo idem dicendũ de Diuinis. Et cõfirmatur, quia Subsistentia Verbi in Naturâ Christi Domini supplet Subsistentiã creatã; hæc autẽ dicit perfectionem: ergo & illa; sin minùs perfectior esset Christus Dominus, si subsisteret propriâ Subsistentiâ creatâ, quàm Diuinâ. — *Aristot.*

159 Quartò, quia Relationes Diuinæ etiã, prout præscindunt ab Essentiâ, sunt perfectiores quâlibet perfectione creatâ. Quintò, quia Ecclesia in præfatione Missæ Sãctissimæ Trinitatis docet, Relationes esse adorãdas adoratione Latriæ, ibi: *Vt in Personis proprietas, & in Essentia vnitas, & in Maiestate adoretur æqualitas*: nõ adoratur autẽ nisi id, quod est maximè perfectum. Idem eruditissimè probat P. Ruiz cit. *d. 29. s. 6. à n. 12.* ex Synodo VI. *actione 11.* ex Nicen. II. *actione 3.* — *P. Ruiz. Synod. VI. Nicen. II.*

160 Dico secundò, Relationes Diuinæ respectu Essentiæ non dicunt perfectionem intensiuam, sed extensiuam. Ita Doctores proximè allegati. Et probatur, quia perfectio intensiua, vt diximus *n. 155.* est illa, quæ aduenit rei, in quâ non continetur eminenter; nam si in illâ continetur eminenter, non est eius perfectio intensiua, sed extensiua: at verò ita se habent Relationes Diuinæ; adueniunt enim Essentiæ, in quâ continentur eminenter.

§. 4.
Argumenta soluta.

161 AD primum fundamentũ Scoti, & aliorũ (quâtenus dicũt sequi ex nostrâ sententiâ aliquam perfectionem esse in Patre, quæ non est in Filio) respondeo id falsum esse de perfectione simpliciter simplici; verum de perfectione non simpliciter simplici: & de hâc adhuc dicendum est non esse in Filio formaliter, esse tamen in illo eminẽter ratione Naturæ Diuinæ, in quâ omnis perfectio includitur, aut formaliter, si sit perfectio simpliciter simplex: aut eminẽter, si talis nõsit.

162 Ad secundum (quâtenus dicit ex hâc sententiâ sequi Patrem esse perfectiorẽ Deitate, siquidem præter illam includit Paternitatem) respondeo solùm sequi esse perfectiorem perfectione extensiuâ, non intensiuâ; ad eum modum, quo Verbum Diuinum simul cũ humanitate est perfectius se solo perfectione extensiuâ, non intensiuâ; & Deus simul cum Mundo est perfectior se solo non intensiuè, sed extensiuè.

Ad tertium, ex D. Augustino eadem applicanda est solutio, asserendum que Patrem Æternum esse minùs perfectum totâ Sãctissimâ Trinitate perfectione extensiuâ, non intensiuâ, vt patet ex dictis.

163 Ad quartum (quâtenus dicit, sequi vnã Relationem esse perfectiorem aliâ; non enim sunt eiusdem speciei) respondeo primò, benè posse duas species esse æquales, vt ostendimus *tract. 1. de Anima num. 166.* & ita se habent conceptus huius, & illius Differentiæ indiuiduantis: item Vniones hypostaticæ eiusdem Naturæ, quæ à Patre, & Filio assumeretur. Aristotel. citat. solùm videtur loqui de speciebus subalternis, quarum vna sub aliâ collocatur. Respondeo secundò, quidquid sit de speciebus creatis, certè Relationes Diuinas non habere vnde desumant inæqualitatem: non à fundamento, seu quasi fundamento, quia Natura Diuina æqualiter est in omnibus: non à termino, quia Persona Diuina opposita est æqualis. Respondeo tertiò, Relationes Diuinas non differre propriè specie, sed solùm negatiuè, hoc est, vna non est alia, vt de Differentijs dicitur. Aristoteles loco cit. solùm loquitur de speciebus proprijs.

164 Ad quintum de finitate, vel infinitate, respondeo Relationes Diuinas non esse simpliciter infinitas in omni genere, sed quamlibet in suo, hoc est, Paternitatem in genere Paternitatis, & non Filiationis; Filiationem in genere Filiationis, & non Paternitatis: vnde patet quamlibet non includere perfectionem alterius.

§. 5.
Vtrùm absolutè dici possit dari in Deo tres Perfectiones realiter distinctas?

165 TErtia difficultas: Vtrùm absolutè dici possit dari in Deo tres perfectiones realiter distinctas? Negat P. Vasq. 1. *p. d. 122. c. 6. & 7.* vbi dicit dari in Deo tres Relationes realiter distinctas: non tamen tres perfectiones. Et huius, inquit, diuersa ratio est, quia Relationes tales dicuntur per ordinẽ ad terminũ; Relationes verò Diuinæ habent terminos realiter distinctos: at verò Perfectiones tales dicuntur per ordinem ad subiectum; Relationes verò Diuinæ non habent subiecta realiter distincta. Quæ doctrina confirmari potest primò, quia si absolutè posset dici dari in Deo tres perfectiones realiter distinctas, etiam posset dici dari tres Res, tres — *P. Vasq.*

Enti-

Entitates, seu tria Entia. Secundò, quia posset dici dari tres Vnitates, tres Veritates, & tres Bonitates. Tertiò, posset dici dari tres Substantias. Quartò, dari tres Existentias. Quintò, dari tres Æternitates. Sextò, dari tres Infinitates. Septimò, dari tres Omnipotentes, & tres Creatores: quæ tamen videntur esse contra Symbolum D. Athanasij.

166 Nihilominus distinctione opus est. Dico primò: Dici potest absolutè dari in Deo tres perfectiones realiter distinctas. Hæc resolutio est contra P. Vasq. traditur tamen à P. Soar. lib. 3. de Trinit. c. 9. n. 19. P. Granad. tract. 3. disp. 5. sect. 2. num. 15. P. Alarc. tract. 5. disp. 3. cap. 3 n. 7. & cap. 4 n. 10. Marchin. de Trinit. disp. 29. P. Martinon d. 25. de Trinit. n. 103. P. Ruiz disp. 29. sect. 2. vbi pro hac resolutione multa congerit ex D. Tho. & alijs Doctoribus Scholasticis, & Sanctis Patribus, & Concilijs. Probatur primò ex D. Damascen. 1. de Fide cap. 11. vbi dicit: *Patrem, & Filium distingui Perfectionibus Personalibus*; atqui distinguuntur realiter: ergo absolutè admittendæ sunt in Deo perfectiones realiter distinctæ. Probatur secundò ex D. Basilio homil. 24. contra Sabelianos, ibi: *Quatenus Sanctam Triadam coniungi in trium Perfectorum, & incorporalium inseparabilem coniunctionem intellige.* Itaque tres Personas absolutè vocat *Tria Perfecta.* Tertiò ex D. Epiphan. hæresi 96. vbi etiam tres Personas vocat *Tria Perfecta*, & paulò infrà dicit, esse in Deo *Tres perfectas Subsistentias.* Quartò ex D. Anselm. epistola de Trisagio, vbi dicit in Deo esse *Tres hypostases perfectas.* Quintò ex D. Hieronym. epist. 57. ad Damas. vbi dicit, in Deo dari *Tres Personas subsistentes perfectas, & æquales.* Sextò ratione, quia Relationes Diuinæ absolutè sunt tria Entia realiter distincta: ergo tria Bona, & Perfecta; nam bonitas, seu perfectio recurrit cum ente, cuius est proprietas transcẽdens. Et cõfirmatur, quia Relationibus Diuinis cuilibet in suo genere nihil deest; atqui sunt tres realiter distinctæ: ergo tres sunt Perfectiones.

P. Soar. P. Granad. P. Alarc. Marchin. P. Martin. P. Ruiz. D. Thom. D. Damas. D. Basil. D. Epiph. D. Ansel. D. Hieron.

167 Neque obstat fundamentũ P. Vasq. asserentis perfectiones non esse tales, nisi per ordinem ad subiectũ. Non, inquam, id obstat. Primò, quia perfectio nõ solùm desumitur per ordinem ad subiectũ, sed etiam secundùm se, & consistit in eo, cui nihil deest: Relationibus autem Diuinis, cuilibet in suo genere nihil deest. Et confirmatur, quia Deus est summa perfectio: & tamen non ordinatur ad aliquod subiectum. Secundò, quia Relationes Diuinæ sunt perfectiones reales; neque enim sunt entia rationis: deinde distinguuntur realiter inter se. Maior est euidens, quia gradus metaphysici sunt reales, quidquid sit de earum distinctione; quæ tamen optimè reperitur inter Relationes Diuinas. Tertiò, quia Relationes Diuinæ nõ solùm secundùm suũ *esse in*, sed etiam secundùm suum *esse ad* sunt perfectæ, cùm illis in tali genere nihil desit: at verò prout sic, distinguuntur realiter.

168 Obijcies primò. Perfectio rei recurrit cum eius integritate; atqui in Deo non datur nisi vna integritas constitutiua vnius Dei: ergo non datur nisi vna Perfectio. Respondeo, in Deo reperiri quidem vnam integritatem essentialem; dari tamen tres personales realiter distinctas.

169 Obijcies secundò. Si tres Relationes constituunt tres Perfectiones, cùm in Deo dentur quatuor Relationes, dabuntur quatuor Perfectiones, quod videtur esse contra *Cap. Damnamus de Sum. Trinit.* P. Alarc. cit. n. 7. & 8. admittit, dari in Deo quatuor Perfectiones, sicut dantur quatuor Relationes. Probabiliùs tamen respondeo, Relationẽ Spiratoris actiui non constituere quartam perfectionem; nam perfectio sequitur rem, & eius entitatem: vnde, cùm Relatio Spiratoris non cõstituat quartam rem, vt definitur in dicto *Cap. Damnamus*, non constituit quartam Perfectionem.

Cap. Dãnamus. P. Alarc.

§. 6.

In Deo dantur tres Res, tres Entitates, & tria Entia.

170 Dico secundò. Dici potest dari in Deo tres Res, tres Entitates, & tria Entia realiter distincta. Ita D. Thom. 1. p. q. 30. a. 1. & 3. & q. 39. a. 3. ad 3. P. Mol. ibidẽ d. 2. P. Torres q. 23. a. 3. P. Soar. 3. de Trinitat. cap. 6. P. Granad. tract. 5. de Trinit. d. 1. s. 2. P. Zuniga d. 14. dub. 1. mẽbro 2. n. 1. P. Ruiz cit. d. 26. s. 1. vbi dicit id esse cõmune Theologorũ, quos latè allegat (vno Hẽrico, & altero Gregorio exceptis) P. Bellarm. lib. 2. de Christo c. 8. & 16. P. Martinon d. 25. de Trinit. num. 122. Probatur primò ex D. Anselm. lib. de Incarnat. Verbi cap. 3. ibi: *Nihil prohibet dicere duas Personas, Patrem, & Filium esse duas res: si tamen intelligatur cuiusmodi sunt res; non enim sic sunt Pater, & Filius duæ res, vt in his duabus rebus intelligatur eorum Substãtia; sed eorum Relationes.* Item ex D. Aug. lib. 1. de Doctrina Christiana c. 5. ibi: *Res igitur, quibus fruendum est, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus est.* Necnon ex Diuo Hilario lib. 7. de Trinitate multò post medium exponens illud Ioannis 10. *Ego, & Pater vnum sumus*, sic ait: *Ego, & Pater, rerum nomina sunt: vnum verò Naturæ professio est.* Alia plura testimonia ex Synodo VI. Generali actione 11. ex Concilio Niceno II. actione 3. ex S. Martiali epistol. 1. ad Burde-

D. Thom. P. Molin. P. Torres P. Soar. P. Granad. P. Zuniga P. Ruiz. P. Bellar. P. Martin. D. Ansel. D. August. D. Hilar. Ioan. 10. Synod. VI. Concil. Nicen. D. Martial.

D. Ambr. Burdegalensis cap. 10. ex D. Ambrosio in Symbolo D. Aug. Apostolorum cap. 2. ex D. Aug. lib. 6 de Trinit. c. 8. D. Greg. ex D. Gregor. Nazianz. orat. 32. congerunt P. Nazianz. Ruiz, & P. Martinon locis cit.

P. Ruiz 171 Secundó probari solet à Theologis P. Martin. ratione, quia nomen *Res* (& idem dicendum de nomine *Ens*, seu *Entitas*) non significat Naturam, aut Essentiam, sed id, quod datur, aut dari potest á parte rei: at veró á parte rei dantur tres Diuinæ Personæ: ergo sunt tres Res, tres Entitates, & tria Entia. Præterea, quia omnis vera, ac realis productio terminatur ad verum Ens: Filius autem, & Spiritus Sanctus secundùm id, quod addunt supra Naturam, verè, ac realiter producuntur: & deinde verè, ac realiter distinguuntur inter se. Accedit, quòd illæ res, quarum vna veré, ac realiter negatur de aliâ, sunt plures, & distinctæ á parte rei: at verò Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt Res, quarum vna negatur de aliâ; Pater enim non est Filius; Pater, & Filius non sunt Spiritus Sanctus.

Cap. Dãnamus 172 Obijcies primó. *In Cap. Damnamus*, definitur omnes tres Personas esse vnam summam Rem, nimirum, Essentiam: ergo nõ sunt tres Res. Respondeo prædicatum, *Res*, aut posse considerari prout sumitur ab Essentia; aut prout sumitur á Personalitatibus: primo modo tres Personæ Diuinæ sunt *vna Res*; & hoc tantũ vult *text. in Cap. Damnamus*: secundo modo tres Diuinæ Personæ sunt *tres Res*. Seu dic esse vnam Rem absolutam, & tres relatiuas.

173 Obijcies secundò. Ens dicitur ab esse; & in Trinitate sicut vna tantũ est Essentia, Ioan. 10. ita vnum tantùm est esse, iuxta illud *Ego & Pa-* n. 30. *ter vnum sumus*: ergo &c. Respondeo, in Deo admitti quidem vnum tantùm esse absolutè, & simpliciter prolatum, sed tria cum addito, *relatiua*. Instabis: Ergo solùm possunt dici cum addito tria Entia relatiua. Respondeo, vocabula pendere ex communi vsu: vsus autem iam obtinuit, vt esse absolutè, & simpliciter prolatum accipiatur in Deo pro Essentiâ & Existentiâ absolutâ, quæ est vna tantùm: Ens veró non ita, sed pro quâlibet re existente, etiam relatiuâ.

174 Obijcies tertió. Si Relatio est entitas, Pater non cõmunicauit Filio omnem entitatẽ. Respondeo, Patrem solùm communicasse Filio entitatem absolutam, non relatiuam, vt ha-Concil. betur in Concilio Florent. *sess.* 18. ibi: *Omnia,* Florent. *quæ Patris sunt, dedit Filio præter esse Patrem.*

175 Obijcies quartò. In Deo nomina neutra referuntur ad significandam Essentiam: quæ autem ita se habent, non multiplicantur in Deo; hinc est quòd in illo non admittatur *aliud*, & *aliud*, sed *alius*, & *alius*. Respondeo, non omnia nomina neutra in Deo referri ad Naturam; aliter non possent in Deo admitti tria Supposita. Nomina *aliud*, & *aliud*, & similia ex vsu Sapientũm referuntur ad Naturam: idcircò in Deo nequeunt multiplicari.

§. 7.

In Deo dantur tres Vnitates, tres Veritates, & tres Bonitates relatiuæ.

176 Dico tertió. Dici potest dari in Deo tres Vnitates, tres Veritates, & tres Bonitates relatiuæ realiter distinctæ. Ita D. Thom. citat. *art.* 3. P. Molin. D. Thom. ibidem, P. Vasquez *disp.* 122. *cap.* 7. P. Soar. P. Molin. 3. *de Trinitate cap.* 7. Probatur, quia hæc omnia P. Vasq. sunt proprietates Entis reciprocæ cum illo: at P. Soa. verò in Deo dantur tria Entia, vt constat ex proximè dictis.

177 Obijcies primò. Ecclesia vocat Trinitatem *sanctam, & vnam*: ergo habet vnam tantùm Vnitatem. Respondeo aliud esse loqui de Vnitate essentiali, aliud de personali. In Deo datur vna tantùm Vnitas essentialis, & de hâc loquitur Ecclesia: nostra verò conclusio procedit de Vnitate personali.

178 Obijcies secundò. Patres multis in locis asserunt in Deo esse vnicam Veritatem: ergo &c. Respondeo, Patres loqui de Veritate in cognoscendo, quæ in Deo est vna, sicut & vna cognitio: aut de Veritate in dicendo, quæ etiam est vna, nimirum virtus quædam moralis inclinans ad loquendum verum: aut de Veritate Transcendentali absolutâ, & essentiali, quæ etiam est vna, sicut ipsa Essentia vna est: non de Veritate personali Transcendentali, quæ est triplex, sicut ipsæ Entitates personales, cum quibus reciprocatur. Et de hâc procedit nostra resolutio.

179 Obijcies tertiò. Si hoc esset verum, admitterentur in Deo Tres Primæ Veritates. Respondeo, nomine *Primæ Veritatis* in Deo intelligi à Patribus eius Veritatem essentialem, quæ est vna.

§. 8.

Dantur in Deo tres Substantiæ relatiuæ.

180 Dico quartò. Dici potest dari in Deo tres Subsŧãtias cũ addito, *relatiuas*. Et probatur, quia dici potest dari tres Personas: hæ autẽ, etiã dicuntur Substantię, vt constat ex definitione Personæ apud Boëtiũ, *Persona est Natura Rationalis indiuidua Substantia.* Et cõfirmatur, quia Substãtia nihil aliud est, quàm ens

ens non existens in alio, siue existens per se; atqui qualibet Relatio Diuina est Ens non existens in alio, seu existens per se, deinde sunt realiter distinctæ: ergo &c. Aduerte tamen nomen *Substantiæ* posse sumi tripliciter: primò, prout est idem, atque Essentia, seu Natura: secundò, prout est idem, atque Ens per se existens: tertiò, pro Subsistentiâ. Et tradita resolutio non procedit in primâ acceptione; sed in secundâ, & tertiâ.

181 Obijcies. Concilia, & Sancti Patres condemnant modum loquendi asserentium dari in Deo tres Substantias. Ita in primis Concilium Toletan. VI *cap. 1.* ibi: *In hac Trinitate tamen est vnitas Substantiæ, vt pluralitatem tollat*. Et Toletan. 11. *in confessione Fidei*, ibi: *Nec sicut tres Personas, ita tres Substantias prædicamus; sed vnam Substantiam; tres autem Personas.* Deinde Concilium Lateranens. *in Cap. Firmiter*, & *Cap. Damnamus de Summ. Trinit.* ibi: *Tres Personæ, sed vna Essentia, Substantia, seu Natura*. Concilium Nicen. *in Symbolo Missæ*, vbi dicitur Filium esse consubstantialem Patri. Mitto loca Sanctorum Patrum, quos latè adducit P. Molin. 1. *p. quest. 29. art. 2. disput. 5.* P. Alarcon *tract. 5. disp. 5. cap. 4. numero 3.* Vnum prætereire non possum Diuum Hieronymum *epistol. ad Damas.* ibi: *Sufficiat nobis dicere vnam Substantiam, & tres Personas*. Et D. Augustinum *5. de Trinit. cap. 9.* ibi: *Quia nostra consuetudo iam obtinuit, vt idem intelligamus, cùm dicimus Substantiam, & cùm dicimus Essentiam, non audemus dicere vnam Essentiam, & tres Substantias; sed vnam Essentiam, vel Substantiam, & tres Personas.*

Concil. Tolet. VI.
Tolet. XI.
Concil. Lateran.
Concil. Nicen.
P. Molin.
P. Alarc.
D. Hieron.
D. Aug.

182 Respondeo cum P. Alarcon *tract. 5. disp. 2. cap. 11. num. 8.* & P. Ruiz *disp. 104. sect. 4.* & *5.* Concilia, & Sanctos Patres solùm negare tres Substantias absolutas, non relatiuas, seu, quod idem est, negare tres Substantias sine addito, *relatiuæ*. Nam in Deo nomine *Substantiæ* absolutè sine addito, venit Natura, seu Essentia constitutiua Dei; hæc autem in Deo est essentialiter vna: nos verò solùm dicimus dari in Deo tres Substantias relatiuas cum addito *relatiuæ*. Quo sensu Substantia relatiua nihil aliud est, quàm Relatio non inhærens, seu existens per se: & ita se habent tres Relationes Diuinæ. Qui modus loquendi frequens est apud Sanctos Patres, D. Anselmum *in Monologio in penultima dictione*, D. Augustin. *7. de Trinitate cap. 6. Iam, placet*, inquit, *propter disputandi necessitatem, cùm quæritur, quid tria? dicere tres Substantias, seu Personas*: & D. Hilar. *lib. de Synodis* testatur concessum id fuisse in quadam Synodo, cui ipse interfuerat. Et, vt vno verbo respondeam ad Concilia, & Sanctos Patres, assero illos loqui de Substantiâ in primâ acceptione: & ita illos explicant D. Thom. P. Soar. P. Vasq. P. Ruiz, apud P. Alarc. cit. *n. 3.* P. Amic. *de Trinit. d. 19. n. 183.* Ex quo nihil infertur contra traditam resolutionem, vt patet.

D. Anselm.
D. August.
D. Hilar.
D. Thom.
P. Soar.
P. Vasq.
P. Ruiz.
P. Alarc.
P. Amicus.

§. 9.

In Deo dantur tres Existentiæ relatiuæ.

183 Dico quintò. Dici potest dari in Deo tres Substantias relatiuas. Hæc Conclusio est contra Caiet. Capreol. Canariens. & alios, quos citant, & sequuntur P. Vasq. *1. p. d. 126. c. 2.* P. Becan. *4. 3. q. 8. n. 2.* & *5.* P. Albertin. *tom. 2. coroll. 9. ex Prædicam. Relat.* Marchin. *de Trinit. d. 17.* P. Granad. *tract. 5. d. 1. s. 3.* vbi allegat D. Thom. Bañes, & alios. Traditur tamen ab Scot. Zumel, & alijs, quos allegant, & sequuntur P. Soar. *tom. 1. in 3. p. disp. 11. sect. 2.* & *3. de Trinit. cap. 5.* & *lib. 5. cap. 2.* P. Amicus cit. *disp. 19. n. 172.* P. Ruiz *de Trinit. d. 25. sect. 5.* Forest. *de Trinit. d. 3.* P. Florauant. *Not. 25.* P. Tanner. *d. 4. q. 3. dub. 6. n. 10.* P. Arriag. *de Trinit. d. 49. s. 2.* P. Fons. *5. Met. c. 8. q. 5. s. 4.* P. Arrub. *tom. 2. in 1. p. d. 104. c. 3.* P. Alarc. *tract. 5. d. 5. c. 4. n. 5.* P. Molin. *q. 39. a. 3. d. 2.* P. Martinon *d. 25. de Trinit. n. 103.* Probatur primò, auctoritate D. August. *5. de Trinit. cap. 6.* ibi: *Aliud est esse Deum, aliud esse Patrem*. Necnon auctoritate Richardi Victor. *lib. 4. de Trinit. c. 15.* vbi expresè dicit dari in Deo plures Existentias relatiuas. Probatur deinde ratione, quia Existētia nihil aliud est, quàm actualitas, seu entitas actualis, vt constat ex *tract. 1. n. 228.* sed in Deo dantur tres actualitates relatiuæ, seu entitates actuales relatiuæ: ergo dantur tres Existentiæ relatiuæ.

Caiet.
Capreol.
Canariens.
P. Vasq.
P. Becanus
P. Alberti.
Marchinus
P. Granadi.
D. Thom.
Bañes
Scotus
Zumel
P. Soar.
P. Amicus
P. Ruiz
Forestus
P. Florau.
P. Tanner.
P. Arriaga
P. Fons.
P. Arrub.
P. Alarc.
P. Molin.
P. Martin.
D. Aug.
Richard. Victor.

184 Probatur tertiò, quia Essentia, & Existentia sunt in eodem genere, cum hoc tamen discrimine, quòd Existentia continet in ratione actualitatis, quidquid illa continet in ratione quidditatis; sed quidditas Relationum non est absoluta, sed respectiua, eaque triplex: ergo idem dicendum de earum Existentiâ. Probatur quartò, quia Relationes Diuinæ, prout distinguuntur à Naturâ, & ab Existentiâ absolutâ, producuntur: productio autem non terminatur, nisi ad Existentiam. Probatur quintò, quia Vnio hypostatica terminatur ad Relationem Verbi, prout hæc distinguitur à Naturâ, & ab eius Existentiâ absolutâ; atqui terminatur ad actualitatem, seu Existentiam: ergo Relationes Diuinæ habent distinctam Existentiam ab Existentiâ absolutâ; sunt autem tres Relationes; ergo tres Existentiæ. Sextò, quia Relationes creatæ habent suas actualitates, & Existētias rela-

relationes distinctas ab existentiâ Naturæ, cuius Relationes sunt: ergo idem dicendum de Relationibus Diuinis.

185 Obijcies primò. D. Thom. multis in locis, quos diligenter notauit, & refert Marchin. cit. asserit Essentiam Diuinam, & Relationes habere idem esse: ergo eandem Existentiam. Respondeo D. Thom. solùm velle Relationes Diuinas non distingui ab Essentiâ, & Naturâ Diuinâ à parte rei. Instabis: D. Thom. *in* 1. *dist*. 33. *q*. 1. *art*. 1. *ad* 1. asserit, esse existentiæ Relationis creatæ non esse respectiuum: ergo idem dicendum de esse existentiæ Relationis Diuinæ; ac proinde sentit D. Tho. Relationes Diuinas existere per Existētiā absolutam, quæ est vna. Respondeo, D. Tho. solùm ibi loqui de inhærentiâ Relationis in subiecto, quæ sub conceptu inhærentię respectiua non est, sed præscindit à respectiuo, & absoluto. *D. Thom.*

186 Obijcies secundò. Relationes Diuinæ sunt in esse Essentiæ per Essentiam absolutam: ergo etiam erunt in esse Existentiæ per Existentiam absolutam. Respondeo, aliud esse Essentiam Diuinam esse Naturam Relationum: aliud esse illarum quidditatem. Relationes Diuinæ sunt in Essentiâ, tanquam Subsistentiæ in Naturâ: non tamen eam includunt per modum quidditatis. Et huius ratio est, quia Relationes, prout distinguuntur à Naturâ Diuinâ, habent suam peculiarem quidditatem, & eodem modo suam peculiarem Existentiam.

187 Instabis: Relationes Diuinæ sufficienter possunt existere per Existentiam Naturæ. Et hoc ostenditur, quia virtualiter tantùm ab illâ distinguuntur: at verò entitas potest existere per existentiam virtualiter distinctā, etiam quando est finita, vt patet in essentijs creatis: ergo à fortiori quando hæc fuerit infinita: superfluæ ergo sunt Existentiæ relatiuæ. Respondeo Relationes non posse existere per Existentiam absolutam, quia hæc, cùm sit alterius generis, non est proportionata quidditati Relationum, vt patet ex tertiâ ratione pro fundamento nostræ resolutionis.

§. 10.

Vtrùm in Deo dentur tres Æternitates relatiuæ?

188 OBijcies tertiò. Si dantur tres Existentiæ relatiuæ, erunt in Deo tres existentes substantiuè, qui, cùm careant principio, & fine existendi, erunt tres æterni, quod est contra Symbolum D. Athanasij, ibi: *Non tres Æterni, sed vnus Æternus.* Respondent nonnulli Recentiores cum P. Suar. *tom.* 1. *in* 3. *p. d.* 11. *sect.* 2. benè posse admitti tres Æternitates cum addito *relatiuas*, dicuntque D. Athanasium loqui de Æternitate sine addito *absoluta*, quæ est vna tantùm. *P. Suar.*

189 Respondeti potest secundò, & quidem veriùs, in Relationibus Diuinis dari quidem tres Durationes; hæ enim tot sunt, quot ipsæ Existentiæ permanentes; nam Duratio nihil aliud est, quàm permansio rei in suâ existentiâ: non tamen admittendas esse tres Æternitates, quia Æternitas in Deo ex vsu Theologorum, & determinatione Patrum, habetur pro perfectione simpliciter simplici, quæ stare non potest cum eo, quòd sit Relatiua.

190 Neque instes: Durationes relatiuæ non collocātur sub Æuo, aut Tempore. Et hoc est euidens, quia principio, & fine carent: ergo collocantur sub Æternitate. Respondeo negando Consequentiam; nam (vt dixi, & constabit ex dicendis *tract.* 7. *n.* 291.) vt Duratio Relatiua esset Æternitas, & sub Æternitate collocaretur, debebat vita, cui competit, per illam Durationem possidere non solùm gradum vitæ, sed similiter omnem perfectionem simpliciter simplicem: Relatio autem Diuina non includit formaliter gradum vitæ, neque est perfectio simpliciter simplex, vt infrà *num.* 294. ostendemus. Erit igitur Duratio Diuina Relatiua pars, vel proprietas Æternitatis, sicut Duratio Omnipotentiæ est pars Æternitatis, & Anima Rationalis pars hominis. Dixi, *vel proprietas*, quia sicut Relatio Diuina nō est pars Essentiæ, sed eius proprietas, ita Duratio eiusdem Relationis Diuinæ non videtur esse pars Æternitatis, sed eius proprietas, quemadmodum in creatis Subsistentia non est pars, sed proprietas Naturæ substantialis. Quòd verò Duratio Diuina Relatiua careat principio, & fine, & ideò non collocetur sub Æuo, aut Tēpore, solùm probat esse partem Æternitatis; non verò esse Æternitatē, & sub illâ collocari.

§. 11.

Alia argumenta soluta.

191 OBijcies quartò (& hoc est fundamentum P. Vasq.). Res non multiplicantur per modos, v.g. Petrus stans, & sedens non est diuersus, sed idem, sub diuerso modo; atqui Relationes sunt Modi Existentiæ Diuinæ, vt cum D. Damasc. *lib.* 1. *de Fide cap.* 11. D. Iustino Martyre *in Expositione Fidei de Trinit.* D. Gregor. Nysseno *libro ad Ablabium. Quòd non tres Dij*, in fine, D. Cyrillo Alex. in *D. Damasc. D. Iustin. D. Greg. D. Cyril. Alexand.*

in Dialogo de Trinit. lib. 7. prope medium, docent communiter Theologi apud P. Ruiz d. 12. de Trinit. sect. P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 6. n. 4. P. Vasq. d. 120 c. 6. n. 27. in fine, P. Martinon disp. 25. de Trinit. num. 112. ergo in Deo datur vnica Existentia absoluta sumpta sub diuersis Modis relatiuis. Respondeo, hoc argumento solum probari Existentiam absolutam non multiplicari per relatiuas, quod verum est: non tamen probari ipsas Relationes (sint, vel non sint Modi) prout distinguuntur à Naturâ, non habere suas peculiares actualitates, & Existentias; ad eum modum quo Petrus stans, & sedens, non quidem multiplicatur: eius verò statio, & sessio sunt modi ab illo diuersi habentes suas peculiares quidditates, & existentias. Dixi, sint, vel non sint Modi: quia Relationes Diuinæ non sunt purè Modi, sed perfectissimæ realitates: dicuntur tamen Modi à Theologis, & Sanctis Patribus, quia respondent Modis creatis: seu quia præstant in Naturâ Diuinâ eumdem effectum, siue quasi effectum, quem in Naturâ creatâ præstant Modi creati. Vide P. Martinon cit. n. 119. ibi: Non sunt puri Modi, sed etiam res excellentissima.

192 Obijcies quintò. Vel illæ Existentiæ sunt completæ; & hoc non, quia non facerent vnum per se cum Existentiâ absolutâ: vel incompletæ; & hoc etiam non, quia essent imperfectæ: ergo &c. Respondeo, esse completas in suo genere, non verò in omni genere. Neque inde sequitur esse imperfectas imperfectione positiuâ, sed solùm imperfectione negatiuâ per nostros conceptus inadæquatos, quibus concipimus Relationes Diuinas relictâ Naturâ, siue Essentiâ, quod nullum est inconueniens.

193 Obijcies sextò. Existentia absoluta, cùm sit simpliciter infinitatis est, vt quidquid existit in Personis, existat per illam. Et hoc probatur, quia si in Deo esset vna tantùm Persona, existeret per Existentiam absolutam, & non per relatiuam. Respondeo negando Antecedens. Ad probationem dico, illam Personam tunc temporis exituram per Existentiam absolutam, quia non foret Persona relatiua, sed absoluta. Addo tamen in illâ Personâ considerari duplicem Existentiam virtualiter distinctam; vnam correspondentem Naturæ, & aliam correspondentem Personalitati.

§. 12.

In Deo dantur tres Infinitates relatiuæ.

194 Dico sextò. Dici potest dari in Deo, tres Infinitates relatiuas. Ita P. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 12. n. 9. P. Alarc. d. 5. cap. 4. n. 10. & alij. Probatur primò, quia finitas, vel infinitas perfectionis est proprietas sequens quantitatem perfectionis; ad eum modum, quo finitas, vel infinitas molis est proprietas sequens quantitatem molis; sed Relationes Diuinæ sunt quantæ quantitate perfectionis: ergo sunt finitæ, vel infinitæ: Non finitæ: ergo infinitæ. Secundò, quia illa perfectio in aliquo genere videtur infinita, cuius intelligibilitas nullâ virtute creatâ potest exhauriri, & comprehendi. & ita se habent tres Relationes Diuinæ; nam nullius earum intelligibilitas potest virtute aliquâ creatâ exhauriri, aut comprehendi.

195 Dices: Ergo in Deo dantur tres Infiniti. Respondeo dari tres Infinitos Infinitate relatiuâ, non tres Infinitos Infinitate absolutâ: nisi fortè sumatur nomen Infinitum adiectiuè, & non substantiuè. De quo infra n. 200.

§. 13.

Non potest dici dari in Deo tres Naturas, seu Essentias relatiuas.

196 Dico septimò. Dici non potest dari in Deo tres Essentias, vel Naturas relatiuas, sed vnam tantùm, eamque absolutam. Ita communiter Theologi cum Magistro, & D. Thom. apud P. Alarc. de Trinit. d. 5. c. 3. n. 1. & Marchin. d. 17. §. Obseruandum tertiò, vbi dicit contrarium modum loquendi esse suspectum, & periculosum. Probatur auctoritate Edicti Imperatoris Iustiniani, ibi: Tres Naturas in Sanctâ Trinitate solus Arius ausus est dicere. Idem definitur in Cap. Firmiter, & Cap. Damnamus de Sum. Trinit. Idem voce vnanimi prædicant Sancti Patres, quos latè allegat P. Ruiz de Trinit. d. 24. sect. 2. Et ratio est, quia Essentia recurrit cum Naturâ, consistitque in eo, quod in Supposito est radix, vnde proprietates enascuntur: at verò in Deo ita se habet sola Entitas, & Natura absoluta.

197 Obijcies primò. In Deo dantur tres Relationes; quælibet autem habet suam Essentiam relatiuam diuersam: ergo &c. Respondeo, aliud esse reperiri in Deo tres formalitates, seu quidditates relatiuas; aliud tres Naturas, seu Essentias. Ad primum satis est, quòd reperiantur tres entitates habentes definitiones, & conceptus diuersos: ad secundum requiritur, quòd dentur tres Naturæ, ac primariæ radices. In Deo visitur primum: non secundum.

198 Obijcies secundò. In Deo dantur tres quidditates relatiuæ; quidditas autem coincidit

cidit cum Essentiâ: ergo. Respondeo, quidditatem non coincidere cum Essentiâ, si Essentia sumatur rigorosè, prout scilicet coincidit cum Naturâ: vnde dico quidditatem esse formalitatem, seu definitionem cuiuslibet prædicati: & Essentiam, seu Naturam non ita, sed habere se per modum radicis, vnde alicuius proprietates emanant.

199 Obijcies tertiò. Essentia, vt docet Aristoteles *in Metaph.* aut sumitur negatiuè; & est illud, quod non repugnat existere: aut positiuè; & est illud, quod potest existere á parte rei; vtrumque autem conuenit Relationibus Diuinis, prout præscindunt à Naturâ absolutâ: ergo. Respondeo, Aristotelem loco citat. loqui de Ente, non de Essentiâ, prout in Supposito est eius radix, & Natura.

§. 14.

Quæ in Deo sunt essentialia, non multiplicantur substantiuè, sed solùm adiectiuè.

200 DIco octauò. Prædicata, quæ cõueniunt Deo ratione Naturæ, seu Essentiæ, non multiplicantur in Deo multiplicatione substantiuâ. Hæc resolutio est de Fide in Symbolo D. Athanasij, ibi: *Non tres Dij; sed vnus est Deus: non tres Omnipotentes; sed vnus Omnipotens: non tres Increati; sed vnus Increatus*, &c. & videri potest apud P. Soar. cit. & apud P. Vasq. *1. p. d.* 122. *c.* 7. & 155. *c.* 8. Probatur vno verbo, quia sicut Essentia non multiplicatur in Personis, ita neque Prædicata, & Attributa, quæ sequuntur ipsam Essentiam, & ratione illius Personis conueniunt.

D. Athan. P. Soar. P. Vasq.

201 Dixi, non multiplicari *multiplicatione substantiua*, quia multiplicari possunt *multiplicatione adiectiua*: nam ad hanc satis est, quòd subiecta multiplicentur; vt videre est in tribus lapidibus habentibus vnam albedinem, qui dicuntur tria alba adiectiuè. Et in hoc sensu dici potest, dari in Deo tres Personas Creantes, Coæternas, & Consubstantiales, &c. ad quod satis est, quòd Personę multiplicentur.

§. 15.

Vtrùm Relationes Diuinæ sint perfectiones simpliciter simplices?

202 ESse perfectiones simpliciter simplices, contendunt P. Vasquez *tom.* 2. *in* 1. *p. ad q.* 28. *d.* 122. *cap.* 4. *à n.* 10. P. Alarcon *tract. de Trinit. d.* 3. *cap.* 4. *à num.* 10. P. Ruiz *de Trinit. d.* 30. *s.* 9. P. Præpositus 1. *p. q.* 4. *a.* 3. *dub.* 5. *à n.* 24. P. Valent. 1. *p. d.* 2. *q.* 2. *puncto* 1. § *Tertium argumentum*, P. Tellez *d.* 62. *s.* 2. *n.* 11. P. Granad. *tom.* 3. *in* 1. *p. tract.* 3. *d.* 5. *cap.* 3. *n.* 22. Marchinus *de Trinit. d.* 21. Bañes 1. *p. q.* 28. *a.* 2. *á* § *Sed contra hanc solutionem.*

P. Vasq. P. Alarc. P. Ruiz P. Præpos. P. Valent. P. Tellez. P. Grana. Marchinus Bañes

203 Probatur, quia perfectio simpliciter simplex, vt docet D. Anselmus in *Proslogio cap.* 5. & *cap.* 11. fine, & *in Monologio cap.* 14. est illa, *Quæ in quolibet ente melior est ipsa, quàm non ipsa.* Relationes verò Diuinæ possunt considerari multis modis, quibus in quolibet ente meliores sunt ipsæ, quàm non ipsæ. Sic se habent in primis sumptæ *sub conceptu Subsistentiæ Diuinæ disiunctiuè*, prout dicit hanc, vel illam Subsistentiam Diuinam; nam in quolibet ente melius est esse aliquam Subsistentiam Diuinam, quàm nullam. Secundò, sic se habent Subsistentiæ Diuinæ sumptæ *sub conceptu præciso Personæ Diuinæ*; nam in quolibet ente melius est esse Personam Diuinam, quàm non esse. Tertiò, sic se habent comparatæ *vt proprietates, seu Personalitates ad Naturam*; nam in quâlibet Naturâ proprietates, seu Personalitates Diuinę meliores sunt, quàm non ipsæ. Quartò, sic se habent consideratæ *vt habitæ aliquo modo*; nam habere Relationes Diuinas aliquo modo, hoc est, aut formaliter, aut identicè, aut per circuminsessionem, quo pacto quæcunque sunt vnius Personæ, sunt etiam alterius, iuxta illud *Ioann.* 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*: & *Ioan.* 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt*: habere, inquam, Relationes Diuinas aliquo modo, est melius, quàm illas non habere.

D. Ansel. Ioan. 16. & 17.

204 His non obstantibus, probabiliùs dicendum existimo Relationes Diuinas non esse perfectiones simpliciter simplices. Ita Gabriel, Heruæus, & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 10. *à n.* 4. P. Arrubal 1. *p. tom.* 2. *d.* 105. *cap.* 4. *à n.* 19. P. Fasol. 1. *p. q.* 4. *a.* 2. *n.* 4. fine, P. Amicus *de Trinit. d.* 19. *n.* 205. P. Martinon *d.* 15. *de Trinit. n.* 97. P. Florauantius *de Trinit. lib.* 2. *fol.* 96. Et sanè ita dicendum videtur, si standum sit definitione perfectionis simpliciter simplicis traditâ á D. Anselmo loco cit. *in Monologio cap.* 14. prout eam ibi declarat; dicit enim perfectionem simpliciter simplicem esse illam, *Quæ melior est ipsa, quàm non ipsa, aut qualibet alia incompossibilis cum ipsa cuilibet enti, vt ens est*, hoc est, quæ non repugnat vlli alteri meliori, aut æquè bonæ in quolibet ente singulari spectato iuxta rationem entis, & non iuxta propriam rationem specificam: ita nimirum, vt ens habens talem perfectionem sit melius, ac perfectius quolibet eam non habente. Ex hâc definitione ita intellectâ desumitur euidens argumentum nostræ resolutionis. Nam perfectio simpliciter simplex

Gabriel Heruæus P. Soar. P. Arrubal P. Fasol. P. Amicus P. Marti. P. Florau.

simplex, vt patet ex dictis, in nullo ente singulari, hoc est, in nullo Supposito repugnat alteri æquè bonæ: at verò Paternitas in Patre repugnat Filiationi, quæ est æquè bona; Filiatio in Filio repugnat Paternitati, quæ est æquè bona: at Spiratio passiua in Spiritu Sancto repugnat Paternitati, & Filiationi. Et confirmatur, quia Natura Diuina, vt diximus *tract. 1. n. 129.* includit formaliter omnem perfectionē simpliciter simplicem; at non includit formaliter Relationes; sin minùs constaret partibus realiter distinctis, quod est contra rationē suæ perfectissimæ simplicitatis.

205 Dices, non omnem perfectionē simpliciter simplicem includi formaliter in Naturâ Diuinâ; multæ enim dantur perfectiones simpliciter simplices negatiuæ, quæ proinde non includuntur formaliter in Naturâ Diuinâ. Dantur, inquam, multæ perfectiones simpliciter simplices negatiuæ. vt *Immortalitas, Independentia, Infinitas, Vnitas, Immensitas,* &c. quæ sunt perfectiones simpliciter simplices, vt docent Scotus, Lichetus, Bargius, Viguerius, Durand. Maior, Andreas de Nouo Castro, P. Valent. & alij, quos citat, & sequitur P. Fasol. cit. *q. 3. a. 7. dub. 3. n. 9.* & *q. 11. a. 1. dub. 6. n. 19.* Respondeo, has perfectiones negatiuas tales dici, quia explicantur negationibus, in se tamen esse entitates positiuas, aliàs non essent perfectiones, quod est de intrinsecâ ratione perfectionis simpliciter simplicis.

Scotus. Lichetus. Bargius. Viguer. Durand. Maior. NouoCast. P. Valent. P. Fasol.

§. 16.

Argumenta soluta.

206 NEque fundamēta opinionis cōtrariæ oppositum suadēt, quàtenus dicitur Relationes Diuinas posse cōsiderari multis modis, quibus in quolibet ente meliores sunt ipsæ, quàm non ipsę. Et ad primum (in quo asseritur, sic se habere Relationes Diuinas *sub conceptu Subsistētiæ Diuinæ disiunctiuo,* prout dicit hanc, vel illam Subsistentiam Diuinam; nam in quolibet ente melius est esse aliquam Subsistentiam Diuinam, quàm nullam) respōdeo, perfectionem simpliciter simplicem debere sumi determinatè, ac non disiunctiuè; nam perfectio disiunctiua non est vna, sed multiplex: aliàs si perfectio simpliciter simplex posset accipi disiunctiuè, foret perfectio simpliciter simplex *esse Deum, aut creaturam*: item *esse Substantiam, aut accidens*: necnon *esse Spiritum, aut corpus*, quæ sunt absurda, & inaudita in Scholis.

207 Ad secundum (quàtenus dicit sic se habere Relationes Diuinas *sub conceptu præcisè Personæ Diuinæ*; nam in quolibet ente melius est esse Personam Diuinam, quàm non esse) respondeo similiter hunc conceptum *Personæ Diuinæ*, cùm non præscindat à Differentijs, iuxta dicta *in Log. tract. 4. n. 103.* esse multiplicem, & non simplicem. Præterea (dato quòd præscinderet) ratio *Personæ Diuinæ* in quolibet Supposito repugnat cū aliâ Personâ Diuinâ æquè perfectâ.

208 Ad tertium (quàtenus dicit, sic se habere Relationes Diuinas *in ratione proprietatum respectu Naturæ*, nam in quálibet Naturâ meliores sunt proprietates Diuinæ) respondeo imprimis Relationes Diuinas non esse vnam perfectionem, sed tres. Deinde assero perfectionem simpliciter simplicem debere non in quálibet Naturâ, sed in quolibet ente singulari, nimirum in quolibet Supposito, quà ens est, esse meliorem ipsam, quàm eius oppositam: at verò in Patre, quà ens est, non est melius esse Patrem, quàm Filium; nec meliùs esse Filium, quàm Patrem: similiter in Filio, quà ens est, non est melius esse Filium, quàm Patrem; nec meliùs esse Patrem, quàm Filium.

209 Ad quartum (quàtenus dicit, sic se habere Relationes Diuinas sub conceptu *habentis illas aliquo modo*; nam in quolibet ente est melius habere aliquo modo Relationes Diuinas, quàm illas nullo modo habere) respondeo, perfectionem simpliciter simplicem non benè explicari per *habere*; imò nec per *esse in alio* aliquo modo; quo pacto Pater potest dici esse in Filio, & Filius in Patre, iuxta illud, *Ego in Patre, & Pater in me est*: sed solùm rectè explicari per *esse aliud*; quo pacto D. Anselm. illam explicat loco cit. *in Monolog. cap. 14.* ibi: *Melior ipsa, quàm non ipsa, aut quæuis alia incompossibilis.* Et pauló infrà: *Melius autem est in aliquo non ipsum, quàm ipsum: vt non aurum, quàm aurum. Nam melius est homini non esse aurum, quàm esse aurum: quamuis forsitan melius esset alicui aurum esse, quàm non aurum esse, vt plumbo.* Itaque perfectio simpliciter simplex debet explicari per *melius esse ipsam, quàm non ipsam, aut eius incompossibilem*, ita vt in quolibet singulari, hoc est, in quolibet Supposito, prout ens est, sit melior ipsa, quàm nō ipsa: at in Patre, prout ens est, non est melius esse Filium, quàm Patrem; nec melius esse Patrem, quàm Filium: similiter in Filio non est melius esse Patrem, quàm Filium; nec melius esse Filium, quàm Patrem.

Ioan. 14. n. 11. D. Ansel.

(·?·)

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Speciebus Relationis.

IN Sectiones quatuor diuisa. Prima disserit de specificatione Relationum. Secunda de Relationibus primæ Speciei, quæ fundantur in Vnitate, & Multitudine. Tertia de Relationibus, quæ fundantur in Actione, & Passione. Quarta de ijs, quæ fundantur in Mensurâ, & Mensurato.

SECTIO I.

Vnde Relationes specificentur?

210 DVO sūt principia distinctionis in Relationibus: alterum intrinsecum: extrinsecum alterum, & tanquam à signo. Intrinsecum, aut est specificans: aut indiuiduans. Specificans nihil aliud est, quàm ipsa Differentia specifica. Indiuiduans est ipsa Differentia indiuiduans: neque in hoc occurrit aliqua difficultas, aut ratio dubitandi. De principio extrinseco, tam specifico, quàm indiuiduante, solet esse controuersia.

211 Prima difficultas est de principio indiuiduationis Relationis extrinseco. Et non est sermo de principio Vniuersali, qualis est Deus; certum est enim Deum omnes creaturas in earum productione liberè determinare quóad indiuiduum. Quæstio solùm procedit de principio particulari indiuiduationis Relationum, quo scilicet variato, non possunt non ipsæ Relationes numero variari. Et dicendum est Relationes multiplicari numero per emanationes, seu resultantias à principio, á quo producuntur, ad eum modum, quo conceptus per actiones multiplicantur. Vnde verò desumatur multiplicatio harum emanationū? Respondeo, desumi à fundamento remoto, vel á termino, ita vt quolibet eorum variato, non possit hæc numero Relatio subsistere. Et probatur, quia Relatio ab vtroque dependet essentialiter, ad eum modum, quo Vnio similiter ab vtroque extremo dependet essentialiter. Et confirmatur specialiter de fundamento remoto, quia cùm Relatio identificetur cum illo, non potest vna, ac eadem cum pluribus identificari, sed necessariò debet multiplicari ad multiplicationem illorum. Confirmatur item specialiter de termino, quia Relatio non potest variare terminum, sicut nec cognitio obiectum.

212 Secunda difficultas de principio specifico Relationis extrinseco. Prima sententia docet Relationes specificari per terminos. Ita Scot. *in* 2. *dist.* 1. *q.* 5. Hispalensis *in* 1. *dist.* 13. *q.* 1. *notabili* 4. Soncin. *in Prædicamento Relationis q.* 32. Secunda sententia tenet Relationes specificari á fundamentis. Ita Capreol. *in* 1. *dist.* 30. *q.* 1. Caiet. 3. *p. q.* 35. *a.* 5. *Scotus* *Hispalensis* *Capreol.* *Caiet.*

§. I.

Relationes non specificantur per sola fundamenta remota.

213 NIhilominus distinctione vtendum censeo. Dico primò: Relationes non specificantur per sola fundamenta remota. Probatur, quia idem fundamentum remotum potest fundare Relationes specie diuersas, vt videre est in eâdem albedine, quæ fundat Relationes similitudinis, & dissimilitudinis per ordinem ad diuersos terminos.

214 Obijcies. Relationes variantur essentialiter ad variationem solius fundamenti remoti. Et hoc ostenditur exemplo Relationis causæ, quam habet Angelus, & agens corporeum ad eundem effectum, v. g. ad eundē impulsum; in quo euentu datur quidem fundamentum proximum, & terminus eiusdem speciei: Relatio tamen Angeli est diuersæ rationis á Relatione agentis corporei; cùm illa sit spiritualis, hæc verò materialis, vt est manifestum. Respondent nonnulli, Relationes desumere á fundamentis suam distinctionem genericam, seu subalternam: non verò specificam,

ficam, & infimam, de quâ est quæstio: ad eum modum, quo communiter dicitur, actus Intellectûs desumere suam distinctionem genericam, seu subalternam à luminibus, specificam verò à motiuis; & ad eum modum, quo etiam communiter dicitur actiones eductiuas, & creatiuas desumere suam distinctionem genericam à subiectis, specificam verò à terminis. Ego faciliùs respondere soleo, argumentum solùm probare Relationes etiam specificari per fundamenta remota, non verò per illa solùm; cùm persistente eodem fundamento remoto etiam Relationes varientur essentialiter ad variationem solius fundamenti proximi, vel termini, vt ex inferiùs dicẽdis cõstabit.

§. 2.

Relationes non specificantur per solos terminos.

215 Dico secundò. Relationes non specificantur per solos terminos. Probatur, quia idem terminus, v.g. eadem albedo potest terminare Relationes specie diuersas, similitudinis scilicet respectu alterius albedinis, & dissimilitudinis respectu nigredinis.

216 Obijcies primò. Actiones specificantur per solos terminos: ergo idem dicendum de Relationibus. Respondeo in primis negãdo Antecedens. De quo sequenti *tract.6.* Deinde dato Antecedente, nego Consequentiam. Diuersa ratio est, quia actiones (præterquamquòd identificentur cum suis terminis, Relationes verò non ita) primariò solùm videntur intendere terminum; Relationes verò, minimè.

217 Obijcies secundò. Persistente eodem fundamento remoto, & proximo Relationes essentialiter variantur ad solam variationem termini. Et hoc ostenditur in generatione Petri, quæ eadem fundat vnam Relationẽ creaturæ ad Deum; aliam filij ad parentem; aliam effectûs ad Solem, iuxta illud Principium *Sol, & homo generant hominem.* Respondent nõnulli in hoc euẽtu variari fundamenta proxima; nam licèt generatio materialiter sit eadem, formaliter est diuersa secundùm diuersas virtualitates, altera prout respicit Primam causam; altera prout respicit parentem; prout respicit Solem altera. Et hoc explicari solet exemplo Materiæ primæ, quæ, eadem cùm sit, potest specificare diuersas Formas secundùm diuersas capacitates, & virtualitates ad illas. Nos tamen iuxta superiùs dicta faciliùs respondere possumus, prædictum argumentum solùm probare Relationes specificari per terminos: non tamen per illos solos; cùm persistente eodem termino varientur ad variationem solius fundamenti proximi, aut remoti, vt suprà ostendimus.

§. 3.

Relationes non specificantur per sola fundamenta proxima.

218 Dico tertiò. Relationes non specificantur per sola fundamenta proxima. Est contra Fr. Ioannem Poncium, qui oppositum expressè tenet *d.15. q. 5. Conclus. 2.* Probatur tamen, quia Relationes etiam specificantur per fundamenta remota, & per terminos, vt ex dictis, & ex sequenti Conclusione fiet manifestum. *Fr. Ioann. Poncius*

219 Obijcies. Ita se habet assensus Intellectûs ad rationem assentiendi, ac Relatio ad rationem referendi; sed assensus Intellectûs specificatur à solâ ratione assentiendi, nimirum à motiuo: ergo Relatio specificabitur à solâ ratione referendi: hæc autem consistit in fundamento proximo. Respondeo primò, rationem referendi adæquatam integrari ex fundamento remoto, & termino, prout hæc stant sub fundamento proximo. Non nego rationem referendi proximam consistere in solo fundamento proximo: dico tamen rationem referendi adæquatam etiam includere fundamentum remotum, & terminum; siquidem sublato quolibet eorum non manet in extremo adæquata ratio referendi. Respondeo secundò, assensum Intellectûs non specificari à solo motiuo, sed etiam à lumine Intellectûs, & ab ipsâ Conclusione, in quâ est specialis Veritas distincta à motiuo, propter quam etiã Intellectus illi assentitur.

§. 4.

Relationes specificantur per fundamenta remota, & terminos, prout hæc stant sub fundamento proximo.

220 Dico quartò. Relationes specificantur à fundamento remoto, & à termino, prout hæc stant sub fundamentis proximis. Ita sentire videtur D. Thomas quatenus *3. p. q. 35. a. 5.* & *in 1. dist. 8. q. 1. a. 5.* docet Relationes distingui per fundamenta, & quatenus *1. p. q. 32. a. 2.* dicit Relationes specificari per terminos: vnde, ne sibi contradicat, videtur amplexum fuisse vtramque rationem *D. Thomas*

tionem specificationis, á fundamentis scilicet, & á terminis; seu, vt explico in meâ Conclusione, à fundamento remoto, & à termino, prout hæc stant sub fundamentis proximis. Ita certè sentit P. Soar. *in Metaph. d 47. sect. 17.* P. Tellez *disp. 62. sect. 6. à n. 28.* Conclusio habet tres partes: prima est, Relationes specificari per fundamenta remota: secunda, specificari per terminos: tertia, specificari per hæc non materialiter, sed formaliter spectata, prout scilicet stant sub fundamentis proximis.

P. Soar. P. Tellez.

221 Prima pars ostenditur, quia Relationes desumunt suam essentiam à fundamentis remotis: ergo etiam suam vnitatem, & distinctionem, iuxta illud Principium: *Vnde res habet suam essentiam, inde habet suam specificationem.* Antecedens ostenditur, quia Relationes idẽtificantur cum fundamentis remotis, & fiunt spirituales, quando illa sunt spiritualia; materiales, quando illa sunt materialia.

222 Secunda pars (nimirum Relationes etiam specificari per terminos) ostenditur. Primó, quia Relatio est quædam veluti vnio: hęc autem specificatur per vtrunque extremum. Secundó, quia Relatio in communi, in omnium opinione, specificatur á termino: ergo talis Relatio à tali termino. Tertiò, quia variato termino variatur species Relationis. Quartò, quia Relatio totum suum esse habet per ordinem ad terminum, non minùs, quàm cognitio per ordinem ad obiectum.

223 Tertia pars (nimirum Relationes non specificari per fundamentum remotum, & terminum, sumptum non materialiter, sed per hæc prout stant sub fundamentis proximis). Probatur primò, quia assensus Intellectûs specificatur à ratione assentiendi: ergo Relationes à ratione referendi, quæ consistit in fundamento proximo. Secundó, quia variato fundamento proximo variatur species Relationis. Tertiò ex Aristotele *cap. de Relatione*, qui diuidit Relationes in suas Species per fundamenta proxima, tanquam per proximam rationem distinctionis earum.

Aristot.

§. 5.

Argumenta soluta.

224 Obijcies primó contra primam partem. Accidentia absoluta nullo modo specificantur per subiecta: ergo idem dicendum de relatiuis. Antecedens ostenditur, quia albedo, & nigredo, quæ sunt in eâdem quantitate, sunt diuersæ speciei. Responderi potest primò, argumentum solùm probare accidentia absoluta nõ specificari per sola subiecta, sed etiam aliunde. Responderi potest secundó, accidentia absoluta etiam aliquo modo specificari per subiecta, & ab illis desumere suam specificationem genericam, seu subalternam: vnde sunt corporea, quæ ordinantur ad subiectum corporeum: spiritualia, quæ ordinantur ad subiectum spirituale. Responderi potest tertiò, esse specialem rationem in Relationibus. Nam hæ sunt quidam respectus vnius extremi ad aliud: huiusmodi autem respectus specificantur ab vtroque extremo.

225 Obijcies contra secundam partem. Id, quod specificat, dat esse; sed terminus non dat esse Relationi: ergo hæc non specificatur per illum. Minor ostenditur, quia terminus Relationis Prædicamentalis est purus terminus. Et confirmatur, quia omnes Relationes Creatoris ad creaturas sunt eiusdem speciei, vt docet D. Thom. *1. p. q. 32.* Soncin. Caietan. & alij Thomistæ ibidem: & tamen termini, nimirum creaturæ, sunt diuersæ rationis.

D. Thom. Soncin. Caiet.

226 Respondent communiter primò, Relationes specificari à termino, non tanquam á causâ sui esse, sed tanquam à signo illius, & consequenter eius distinctionis. Respondent alij secundó negando Minorem, dicendoque terminum aliquo modo dare esse Relationi in genere causæ formalis extrinsecæ. Neque obstat, quòd terminus Relationis Prædicamentalis dicatur purus: dicitur enim purus, aut quia positâ eius purâ existentiâ statim necessarió resultat Relatio; aut dicitur purus respectu fundamenti Relationis, ad eum modũ, quo in Mysterio Incarnationis Verbum Diuinum dicitur purus terminus, non quòd talis sit respectu Vnionis hypostaticę, cùm illam specificet, sed quòd talis sit respectu fundamenti illius, nimirum humanitatis. Dicitur ergo terminus Relationis Prædicamentalis purus ad distinctionem termini Relationis Transcendentis; hic enim semper specificat fundamentum, de cuius essentiâ est: terminus Relationis Prædicamentalis est purus respectu fundamenti. Ad confirmationem Relationum Creatoris ad creaturas dicendum est, illas in primis non esse reales, sed rationis, de quibus nobis quæstio non est. Deinde dico, tales Relationes esse diuersæ speciei, vt hodie communis, & vera docet Philosophia, cui subscribit P. Tellez cit. *d. 62. sect. 6. num. 32.* Et ratio est, quia fundamenta proxima talium Relationum, nimirum actiones creatiuæ, sunt diuersæ speciei pro diuersitate terminorum, cum quibus identificantur.

P. Tellez

227 Obijcies tertiò contra tertiam partẽ Conclusionis. Persistente eodem fundamento

proximo

proximo variatur Species Relationum. Et hoc ostenditur, quia Relatio similitudinis, quæ datur inter duas albedines, est essentialiter diuersa á Relatione similitudinis, quæ reperitur inter duas nigredines ambas intensas, vt octo; in quo euentu vnitas gradualis, quę est fundamētum proximū vtriusque similitudinis, & dissimilitudinis, est eadem. Respondent aliqui primò, illas vnitates graduales albedinū, & nigredinum esse diuersæ rationis, sicut earū vnitates formales. Responderi potest secundò, nos non dicere totā distinctionem Relationū desumi á fundamentis proximis, sed etiā aliquo modo á remotis, & á terminis; seu, quod idem est, á toto illo conflato ex fundamento remoto, termino, & fundamento proximo: hoc autem conflatum variatur ad variationem cuiuslibet partis, quâ constat.

SECTIO II.

De primâ Specie Relationū, quæ fundatur in Vnitate, & Multitudine.

228 NOMINE *Vnitatis* intelligitur hoc loco identitas, seu conuenientia in aliquā naturâ communi, qualem habent Petrus, & Paulus in homine: vel conuenientia in aliquâ formâ, qualem habent duo alba. Nomine *Multitudinis* intelligitur diuisio, seu disconuenientia in aliquâ naturâ, vel formâ, qualem habent Petrus albus, & Paulus niger.

§. I.

De Relationibus, quæ fundantur in Vnitate.

229 PRima difficultas est de Relationibus, quæ fundantur in Vnitate. Et quæritur primò, Vtrū n de se sint reales? Negat P. Fons. 5. *Met. c.* 15. *q.* 1. *s.* 7. *à* §. *Quartum documentū*. Primò, quia non fundantur in fundamento reali, sed in negatiuo. Secundò, quia saltem vnitas formalis non datur à parte rei, sed solùm per intellectum; nam à parte rei solùm datur vnitas numeralis: fundamentū verò Relationis realis debet dari á parte rei. P. Fons.

230 Dicendum tamen has Relationes ex se esse reales. Ita D. Thom. Caiet. Ferrar. & alij, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. disp.* 47. *sect.* 11. Patres Conimbr. *in Logica q.* 2. *de Relatione a.* 2. P. Rub. *in Log. cap.* 7. *de Relatione q.* 10. *a. n.* 222. P. Vallius *tom.* 1. *in Prædicamento Ad aliquid q.* 5. *c.* 11. ad finem, P. Tell. 2. *d.* 62. *s.* 5. *n.* 2. P. Cōpton. cit. *sect.* 17. *num.* 1. Fr. Ioannes Poncius *d.* 15. *q.* 4. *n.* 63. Et probatur, quia prædictæ Relationes ex se habent omnia requisita, vt sint reales. Neque enim obstat primò, quòd eorum fundamentum proximum sit negatiuum: nam Relationes non identificantur cum fundamento proximo, sed cum remoto. Non obstat secundò, quòd nō detur vnitas formalis distincta á numerali á parte rei: satis enim est quòd sit realis, hoc est, independens ab intellectu; licet alioquì solùm virtualiter distinguatur á numerali. Patet hoc exemplo Actionis, & Passionis, quæ non distinguuntur ex naturâ rei: & tamē fundant Relationes reales agentis, & patientis. D. Thom. Caiet. Ferrar. P. Soar. Patres Conimbr. P. Rub. P. Vallius P. Tellez. P. Compt. Fr. Ioan. Ponius

231 Secundò quæritur, Vtrùm quælibet vnitas realis vniuoca sufficiat ad fundandam Relationem realem? Videtur non sufficere. Primò, quia alioquì in quolibet Indiuiduo, v. g. in Petro, tot darētur Relationes reales, quot gradus Entis; cùm cuilibet respōdeat sua vnitas formalis distincta. Secundò, quia re verâ vnitas generica, & specifica videntur nō posse fundare Relationes identitatis; sin minùs duo Genera, v. g. *Animal*, & *Brutum* dicerentur esse idē; duæ Species *homo*, & *leo* esse idem; duo Indiuidua *Petrus*, & *Paulus* similiter esse idem; quod tamen est falsum; nam hæc omnia simpliciter dicuntur esse diuersa.

232 Nihilominus dicendum est quamlibet vnitatem vniuocam fundare Relationem realem. Ita D. Thom. & alij, quos citat, & sequitur P. Soar. cit. *n.* 16. Caiet. Ferrar. P. Rub. P. Vallius, & P. Tellez vbi proximè. Et probatur, quia ea vnitas sufficit ad fundandum Relationem realem, quæ sufficit ad dandam denominationem realem; hæc enim non prouenit nisi à Relatione reali: sed quælibet vnitas vniuoca tam specifica, quàm generica sufficit ad dandam denominationem identitatis realem. Et hoc ostenditur, quia duæ Species, v. g. *homo*, & *leo* dicuntur idem in Animali: *Animal*, & *Brutum* idem in Substantiâ, & sic de cæteris: ergo &c. D. Thom. P. Soar. Caiet. Ferrar. P. Rub. P. Vallius P. Tellez.

233 Ad primum, respondeo Indiuidua, v. g. Petrum, & Paulum posse comparari, aut secundùm naturam adæquatam, in quâ conueniunt: aut secundùm singulos gradus, *Animalis*, *Rationalis*, *Viuentis*, *Sensitiui*, &c. Primo modo illi respondet vna Relatio identitatis, sicut vnica vnitas formalis, quæ est fundamentum talis Relationis: & sic intelligendus est P. Soar. cit. *n.* 17. Secundo modo tot dantur Relationes, quot earum fundamenta proxima, nimirum vnitates: hæ autem tot

sunt, quot gradus perfectionis, vt ostendimus in Log. tract. 3. n. 250.

234 Ad secundum, respondeo duo Genera, duas Species, & duo Indiuidua posse dici idem in gradu, in quo conueniunt, simpliciter tamen diuersa penes differentias. Ratio verò, cur potiùs Relatio differentiæ, quàm Relatio identitatis simpliciter denominet tales entitates differentes, hæc est: Quia differentiæ habent se per modū actûs; Genus per modū potentiæ: actus verò est, qui distinguit, vt est cōmune Philosophorū Axioma. Adde, quòd denominatio diuersitatis est per modum negationis, quæ est malignantis naturæ.

235 Tertiò quæritur, Vtrùm vnitas analogica sufficiat ad fundandā Relationem identitatis realem? Dico primò: Vnitas analogica, (præsertim si sermo sit de analogis proportionis propriæ, quorū quodlibet habeat formā intrinsecā, in quā cōueniant) satis est ad fundādā Relationē proportionis realem. Ita D. Thom. Caiet. & alij, quos citat, & sequitur P. Soar. d. 47. s. 11. n. 18. & s. 15. n. 6. P. Vasq. 1. p. d. 166 n. 12. Probatur, quia istorū vnitas satis est ad fūdandā denominationem proportionis realem; Substantia enim, & Accidens, similiter Deus, & creatura dicuntur á parte rei proportionaliter idem in Ente. Dico secundó: Prædicta vnitas analogica non sufficit ad fundandā Relationem identitatis realē. Ita P. Valent. 1. p. d. 2. q. 16. punct. 1. Et probatur, quia analoga etiā in eā ratione, in quā conueniunt, simpliciter dicuntur diuersa: solùm secundùm quid dicuntur idem.

D. Thom. Caiet. P. Soar. P. Vasq. P. Valent.

236 Quartó quæritur, Vtrùm Relatio identitatis, quæ datur inter duas Qualitates, coincidat cum Relatione similitudinis: & Relatio identitatis duarū Quantitatum cum Relatione æqualitatis? Videntur coincidere, cùm nulla sit necessitas eas multiplicandi: entitates enim nō sunt multiplicandæ absque necessitate.

P. Soar.

237 Dicendum tamen cum P. Soar. cit. á n. 114. non coincidere, sed esse diuersas. Et probatur, quia Relatio identitatis inter duas Qualitates fundatur in vnitate specificā; Relatio verò similitudinis in vnitate graduali: item Relatio identitatis inter duas Quantitates fūdatur in vnitate specificā; Relatio verò æqualitatis in vnitate, seu adæquatione partium: at veró Relationes sunt diuersæ, quoties fundamenta sunt diuersa. Confirmatur, quia Relatio similitudinis potest separari á Relatione identitatis, vt videre est in duabus albedinibus, quarum altera est remissa, intensa altera; tunc enim habent Relationem identitatis, & non similitudinis: item Relatio identitatis potest separari á Relatione æqualitatis, vt videre est in duabus lineis, alterā palmari, semipalmari alterā.

§. 2.

De Relationibus, quæ fundantur in Multitudine.

238 Secunda difficultas est de Relationibus, quæ fundantur in Multitudine. Et quæritur, Vtrùm sint reales? Negat P. Valent. de Trinit. d. 2. q. 16. Primò, quia quæ inter se sunt dissimilia, diuersa, & inæqualia nullum seruant ordinem inter se; imò inter se sunt maximè deordinata: ergo non possunt fūdare Relationem realem; hæc enim nihil aliud est, quàm ordo realis. Secundó, quia Relatio lucidi ad tenebrosum; similiter Relatio videntis ad cæcum non est realis. Itaque ad tenebrosum, & ad cæcum non potest terminari Relatio realis: ergo neque ad dissimile, neque ad inæquale. Et confirmatur, quia huiusmodi Relationes fundantur in carentiā gradûs, vel partis, quæ, cùm sit negatio, non potest fundare, nec terminare Relationem realem.

P. Valent.

239 Nihilominus dicendum cum P. Soar. cit. n. 19. quamlibet multitudinem, diuisionē, seu diuersitatem ex se esse sufficientem ad fūdandas Relationes reales, si alioquì adsint cætera requisita: subscribunt Patres Conimbr. in Log. cap. de Differentia, & cap. de Oppositis. Et probatur, quia huiusmodi fundamenta proxima ex se nullam destruunt cōditionem requisitam ad Relationem realem, vt ex solutione fundamenti opinionis contrariæ fiet manifestum. Confirmatur, quia non est maior ratio, cur Relationes identitatis, similitudinis, & conuenientiæ sint reales, non verò Relationes diuersitatis, dissimilitudinis, &c.

P. Soar. Patres Conimbr.

240 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondeo ea quæ inter se sunt dissimilia, diuersa, &c. non habere quidem ordinem conuenientiæ, & amicitiæ, habere tamen ordinem inimicitiæ, seu contrarietatis; dissimile enim, diuersum, &c. non potest stare, & intelligi nisi in ordine ad aliud: hic ordo non est quidem amicitiæ, sed inimicitiæ, & contrarietatis. Ad secundum de lucido ad tenebrosum, & de vidente ad cæcum, dico lucidum nō esse in ordine ad tenebrosum, nec videntem ad cæcum; idcircó non fundare Relationē realem: at verò dissimile, & inæquale esse per ordinem ad aliud. Neque obstat, quòd huiusmodi Relationes aliquo modo fundentur in carentiā gradûs, vel partis; solùm enim in eā fūdantur tanquam in fundamento proximo, non tanquam in remoto.

SECTIO

SECTIO III.

De secundâ Specie Relationum, quæ fundantur in Actione, & Passione.

241 NOMINE *Actionis* hoc loco intelligitur omnis causalitas prouenìens à causâ realiter existente, & tendens ad existentiam effectûs; siue causalitas sit causæ Efficientis; siue causæ Materialis; siue Formalis intrinsecæ. Dixi *à causa realiter existente, & tendens ad existentiam effectus*, ad excludendã Relationẽ causæ Finalis, & Exẽplaris, in opinione, quæ exẽplar collocat in cõceptu obiectiuo; nã huiusmodi Relationes spectãt ad tertiã Speciẽ *Mensuræ, & Mensurati*, de quâ in sequẽti *Sectione*. Similiter nomine *Passionis* intelligitur omnis causalitas, seu quasi causalitas recepta; hoc est, omnis dependẽtia à causâ existente, & tendẽs ad existentiam effectûs: vnde Relatio Naturæ humanæ vnitæ ad Verbũ Diuinum spectat ad hanc secundam; quia fundatur in dependentiâ Naturæ humanæ à Verbo Diuino.

Fr. Ioan. Poncius 242 Scio Fr. Ioannem Ponc. cit. *q. 4. à n. 64.* sequi vt probabile, inter producens, & productum non dari alias Relationes, præter Actionẽ, & Passionem. Duabus potissimum nititur rationibus. Prima est: Nulla assignari potest necessitas alterius Relationis præter ipsã generationem actualem; nam omnis denominatio, quam habet v. g. pater ad filium potest prouenire ab ipsâ generatione actuali. Secũda est: Paternitas in Diuinis est ipsamet generatio actualis: ergo etiam in creatis.

243 Verùm hæc non obstant. Nam inter producens, & productũ agnosco diuersã formalitatẽ fundantẽ Relationẽ, cuius fundamentũ est ipsa productio, quæ quidẽ est quid absolutũ; ac proinde non potest nõ esse diuersa ab ipsâ Relatione. Neque denominatio patris, cùm sit respectiua, prouenire potest, nisi à formâ relatiuâ, quæ primariò ordinetur ad præstandum hunc effectũ; actio verò solùm est primariò ad denominandam rem *agentem*, & non *relatam*. Ex quo patet solutio ad secundã rationẽ. Nam in Diuinis Paternitas sub conceptu Generationis, siue Productionis actiuę, nõ est, neque dicitur Relatio: solùm est talis sub formalitate, & virtualitate diuersâ. Imò retorqueri potest argumentũ. Nã Paternitas in Diuinis præcisè quà Generatio est, & sub ratione Productionis, nõ denominat primã Personã, Patrẽ; sed solùm producẽtẽ: ergo similiter in creatis. Neque inferas: Ergo quem admodũ prima Persona dicitur Pater per formalitatem solùm virtualiter distinctã à Generatione, ita etiã generans in creatis dicetur pater per formã virtualiter distinctã à generatione; ac proinde Relationes nõ distinguentur ex naturâ rei à fundamento. Nõ, inquã, hoc inferas, quia in Diuinis non potest admitti distinctio ex naturâ rei: at verò in creatis potest, & debet admitti inter Relationes, & fundamenta. Vide quæ diximus n. 44. His positis:

§. I.

Vtrùm causa transactâ Actione conseruet Relationem realem ad effectum?

244 PRima difficultas: Vtrùm causa post transactam actionẽ adhuc cõseruet Relationẽ realẽ ad effectũ? Et pro parte negatiuâ facit primò, quòd hæc Relatio pendet in fieri ab existentiâ actionis: ergo etiã in cõseruari. Secundò, quia nõ minùs pendet huiusmodi Relatio à suo fundamento proximo, nimirum ab actione, quã actus Voluntatis à cognitione Intellectûs: at verò actus Volũtatis nequit existere absque præuiâ cognitione Intellectûs. Tertiò, quia ad Relationẽ realẽ nõ sufficit causalitas futura: ergo neq; præterita. Quartò, quia causa ordinatur realiter ad effectũ per actionẽ, seu influxũ; vnde hoc cessante, nõ potest non cessare illius ordo, seu Relatio.

245 His non obstantibus, dicendum post transactam actionem perseuerare eandem numero Relationẽ. Ita P. Soar. *in Met. d. 47. s. 12. n. 9.* Patres Conimbr. *in Log. q. 1. de Relatione a. 4.* P. Rub. *in Log. in Prædicamento Ad aliquid q. 12. n. 272.* P. Tellez *d. 62. s. 5. n. 9.* Satis probabilẽ dicit hanc sententiam Fr. Ioannes Poncius cit. à *num. 67.* Probatur, quia pater transactâ actione generatiuâ, adhuc realiter denominatur pater, quandiu filius existit: at verò denominatio realis respectiua prouenit à Relatione reali. Et confirmatur, quia denominatio causæ perseuerat, quandiu perseuerat esse effectûs acceptum ab ipsâ causâ: hoc autem perseuerat etiam post transactam actionem. Quòd verò perseueret eadem numero Relatio, sic ostẽditur: quia cessatio actionis, cùm sit priuatio, non est sufficiens ratio ad nouam Relationem: quia hæ Relationes fundantur in actione, non verò in eius carentiâ. P. Soar. Patres Conimbr. P. Rub. P. Tellez. Fr. Ioan. Poncius

246 Dices: Cessãte actione, quâ causa producit effectũ, statim resultat alia actio cõseruatiua effectûs: ergo etiã alia Relatio. Respõdeo, resultare aliã Relationẽ ad aliã causã cõseruãtẽ; nõ ad primã producentẽ. Ex dictis sequitur

quòd si Deus ponat Foro à Bucephali in aliâ Materiâ, vel extra omnem, adhuc propria eius Materia conferuet Relationem ad illam: similiter lucerna ad lucem cõseruatam miraculosè solùm á Deo, vel ab aliâ causâ.

247 Instabis: Destructâ Vnione non perseuerat Relatio vniti: ergo neque destructâ causalitate perseuerabit Relatio causæ. Respõdeo esse diuersam rationẽ, quia Relatio vniti fundatur remotè in vnione; sicut Relatio differẽtis in differentiâ, & Relatio dealbati in albedine: at veró Relatio causæ fundatur remotè in causâ, non in causalitate: in causalitate solùm fundatur proximè.

248 Sed iam ad fundamenta opinionis cõtrariæ. Ad primũ (quâtenus dicit Relationem causæ pendere in fieri ab existentiâ actionis: ergo etiã in cõseruari) respõdeo negando Cõsequentiã. Diuersa ratio est, quia ad existentiã Relationis requiritur, & sufficit id, quod requiritur, & sufficit ad hoc, vt causa denominetur causa talis effectûs: ad hoc autẽ sufficit, & requiritur quòd effectus fuerit causatus á causâ, non est necesse, quòd adhuc modò causetur ab illâ. Neque nouũ est, quód plura requirãtur ad fieri rei, quám ad eius cõseruari; filius enim depẽdet in fieri á parẽtibus, non ita in cõseruari.

249 Ad secundum de actu Voluntatis, qui dependet in fieri, & cõseruari á cognitione Intellectûs, respõdeo, Relationẽ dependere quidẽ logicè in suo fieri á fundamento proximo, ad eũ modũ, quo etiã actus Voluntatis logicè depẽdet á præuiâ cognitione Intellectûs: quòad suũ tamen cõseruari Relatio nõ dependet à suo fũdamento proximo, quãuis actus Volũtatis dependeat à cognitione Intellectûs. Diuersa ratio est, quia Voluntas, cùm sit cæca, tãdiu potest ferri in obiectum, quandiu istud illi proponitur ab Intellectu. Quę ratio nõ militat in Relatione causæ respectu sui fundamẽti proximi, nimirũ causalitatis; hæc enim solùm requiritur, vt effectus habeat esse acceptũ á causâ: illud autẽ habet etiã post trãsactã actionẽ.

250 Ad tertium, respondeo esse diuersam rationem de actione futurâ, ac de præteritâ. Nam actio futura, cùm nunquã extiterit, non constituit sufficienter terminum, neque illũ reddit habentem esse acceptum á causa: aliter dicendum de actione præteritâ; hæc enim, cùm aliquando extiterit, constituit terminum sufficienter, & illum reddit habentem esse acceptum à causâ.

251 Ad quartũ, dico causam ordinari fundamentaliter per actionem; formaliter per Relationem: vnde cessante actione, non cessat illius ordo formalis. Instabis: Sublato fundamẽto corruit Relatio. Respõdeo cum distinctione: Sublato fundamento remoto corruit Relatio, concedo: aliter dicendum de fundamento proximo. Et huius diuersa ratio est, quia Relatio nõ identificatur cũ fundamento proximo, sed cũ remoto. Proxim ũ solùm requiritur ad sufficientem constitutionem termini: terminus autẽ Relationis causæ, etiam post translactam actionem perseuerat sufficienter constitutus.

§. 2.

Vtrùm Relatio patris fundetur immediatè in eius Substantiâ: an potiùs in potentiâ generatiuâ?

252 Secunda difficultas: Vtrùm Relationes huius secundę Speciei fũdentur immediatè tanquam, in fundamẽto remoto in potentiâ: an potiùs in Substantiâ causæ? V.g. Vtrùm Relatio patris fundetur immediatè in potentiâ generatiuâ: an potiùs in Substantiâ ipsius patris? Nonnulli apud P. Soar. (quibus subscribit P. Rub. *in Log. de Prædicament. cap. 7. q. 12. á num. 207.*) existimant paternitatem fundari immediatè in potentiâ generatiuâ. Probatur primò, quia actio generatiua immediatè egreditur á potentiâ: illud autem videtur esse fundamentum remotum Relationis causæ, á quo proximè egreditur eius causalitas. Secundó, quia aliás, si Æneas reproduceretur ab Ascanio, eadem Substantia Ascanij fundaret immediatè Relationem Filij, & Patris. *P. Rub.*

253 Nihilominus probabiliùs dicendum videtur cum P. Soar. cit. *sect. 12. num. 5.* P. Fonsec. *5. Metaph. cap. 15. q. 1. sect. 8. §. Ad tertium*, P. Hurtad. *in Metaph. disp. 15. n. 104.* & P. Tellez *disp. 62. sect. 5. num. 7.* Relationem patris fundari immediatè in eius Substantiâ. Probatur, quia illud est fundamentum remotum alicuius Relationis, quod ab illâ denominatur. Et huius ratio est, quia Relatio identificatur cum fundamento remoto: non potest autem identificari cum illo, quod non potest denominare: atqui non potentia generatiua, sed ipsa Substantia patris denominatur pater; nam potentia generatiua solùm dicitur instrumentum, quo pater filium generat. Et confirmatur primò, quia Relatio filij fundatur in Substantiâ filij, vt vel ipsi Aduersarij fatentur: ergo etiam Relatio patris fundabitur in Substantiâ patris. Secundó, quia sublatâ diuinitùs post generationem filij potentiâ patris, adhuc pater conseruabit Relationẽ ad filium. *P. Soar.* *P. Fonsec.* *P. Hurt.* *P. Tellez.*

254 Ad primum respondeo, illud esse fundamentum remotum Relationis causæ, á quo

á quo immediatè principaliter egreditur eius causalitas: actio veró solúm egreditur à potentiâ generatiuâ, vt á causâ instrumentali; á solâ forma substantiali, vt à causâ principali. Et hîc obiter notandum primò, Relationem patris non fundari in totâ Substantiâ patris, hoc est, in Materiâ, & Formâ; sed in solâ Substantiâ Formæ, à quâ solâ immediatè egreditur generatio vt á causâ principali. Notandum secundó, quo sensu intelligendus sit Aristoteles, quando dicit Relationem causæ fundari in potentiâ actiuâ; nomine enim potentiæ actiuæ intellexit substantiam ipsius causæ, prout hæc sola est principium principale operandi. Ad secundum, respondeo nullum esse inconueniens, quòd eadem substãtia, prout stat sub diuersis fundamentis proximis, & rationibus fundandi fundet Relationes oppositas.

§. 3.

Vtrùm Relatio Matris in Beatissimâ Virgine ad Christum Dominum fuerit eiusdem rationis cum Relationibus aliarum matrum?

255 TErtia difficultas: Vtrùm Relatio Matris in Beatissimâ Virgine ad Christum Dominum fuerit eiusdem speciei cum Relationibus aliarũ matrũ? Non est dubium fuisse realem. Et ratio est, quia Relatio matris sequitur generationẽ: at veró Beatissima Virgo realiter generauit Christũ Dominũ. Vtrùm verò fuerit eiusdẽ speciei cũ Relationibus aliarum matrũ? Pro parte negatiuâ facit primò, quòd Relationes aliarum matrum sunt naturales: hæc verò est supernaturalis, vt docet D. Bonau. Richar. Gabri. Marsil. apud P. Soar. vbi infrà. Secundò, quia Relationes aliarum matrum habent pro termino personas creatas; hæc verò Personam Verbi Diuini.

D. Bonau. Richard. Gabriel Marsilius

256 Nihilominus dicendum eius Relationem fuisse eiusdem speciei cum Relationibus aliarum matrum. Ita P. Soar. *de Vita Christi disp. 12. sect. 1.* Et probatur, quia hæc Relatio habet fundamentum, & terminum eiusdem rationis cum fundamentis, & terminis Relationum aliarum matrum. Quod attinet ad fundamentum, res est clara. Nam fundamẽtum remotum est idem: deinde fundamentum proximum similiter idem, nimirum concursus eiusdem rationis cũ concursu aliarum matrũ. Quod attinet ad terminum, etiam negari non potest, quia terminus huius Relationis, sicut & generationis, est Christus; at verò Christus in quantum homo, est eiusdem rationis cum alijs hominibus. Et cõfirmatur, quia si Maternitas Beatæ Virginis non esset eiusdem rationis cum maternitatibus aliarum parentum, certè Beatissima Virgo non esset mater eiusdem speciei cum alijs matribus, quod tamẽ videtur contra mentem Conciliorum, & Sanctorum Patrum apud P. Soar. loco cit.

P. Soar.

§. 4.

Argumenta soluta. Et obiter, Vtrùm Virgo simul præstiterit concursum Patris, ac Matris?

257 AD primum respondeo cum D. Ambrosio, & D. Thom. quos citat, & sequitur P. Soar. vbi proximè, Maternitatem Beatissimæ Virginis solùm esse super naturalem quòad modũ: non verò quòad entitatem, & hoc tantùm volunt D. Bonauẽt. Richard. Gabri. & Marsil. suprá cit. Solùm, inquam, est supernaturalis quòad modum, quia fundatur proximè in generatione, & concursu Beatæ Virginis, qui solùm fuit supernaturalis quòad modum.

D. Ambr. D. Thom. P. Soar.

258 Dices, concursum Beatę Virginis fuisse diuersæ rationis á concursu aliarum matrum; nam concursus aliarum matrum solùm est á matre, quá matre: at verò cõcursus Beatæ Virginis fuit ab illâ simul vt á Matre, & à Patre, vt videtur sentire D. Antonin. *4. p. Sum. tit. 15. c. 41.* vbi introducit Beatã Virginem iuxta Crucẽ loquentẽ cũ Filio, & dicentẽ: *Ego tibi sum Mater, & Pater.* Et Petrus Damian. *epist. 4. c. 11.* quâtenus cõparat Beatã Virginẽ in generatione Christi cũ ape, quã Aristoteles dicit esse sui fœtûs simul matrẽ, & patrẽ. Et D. Clem. Alexãd. *5. Stromat.* secutus doctrinã Orphei, vocat Patrẽ Æternũ simul Matrẽ, & Patrem, ex eo, quód in generatione Verbi Diuini obeat munus Patris, & Matris, iuxta illud *Ps. 109. Ex vtero ante Luciferum genui te*, vbi D. Hieronym. legit ex Hebręo *Genui te ex vulua, ex matrice*, quę voces propriæ matris sunt. Vnde Synesius *hymn. 2.* loquens cũ Patre Æterno inquit: *Verbi tu Mater, tu Pater es: tu mas tu fœmina.* Et D. August. *lib. 2. de Ciuitate cap. 9. Pater*, inquit, *simul, & mater est.* Et notandum Beatam Virginẽ in generatione humanâ, adumbrasse Diuinã, iuxta illud *Luc. 2. Virtus Altissimi obumbrabit tibi*: illud enim *obũbrabit* idẽ est, atque *adumbrabit*, seu *imaginabit te* vt D. Athanas. explicat apud P. Baeçam *to. 4. lib. 16. cap. 6. §. 4.* Vnde cõcluditur, quòd, sicut Pater Æternus cõcurrit simul vt Pater, & Mater in generatione Diuinâ, Beatissima Virgo cõcurrit simul vt Mater, & Pater in generatione humanâ.

D. Anton. D. Petrus Damiani. Aristot. D. Clem. Alexand. Orpheus Ps. 19. D. Hieron. Synesius D. August. Luc. 2. D. Athan. P. Baeça

259 Respondeo inprimis, concursum Beatæ Virginis solùm fuisse concursum matris: quidquid spectabat ad virum solus Spiritus Sanctus suppleuit, iuxta illud *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Quando veró Sancti Patres dicunt Beatam Virginem fuisse simul Matrem, & Patrem, solùm intendunt ad generationem Christi nullum virum concurrisse: non negant concursum viri suppletum esse ab Spiritu Sancto. Similiter quando dicunt Patrem Æternum esse simul Patrem, & Matrem, solū intendunt ad Generationem æternam non cōcurrisse aliam Matrem, quám Patrem Æternum: vnde similiter quando dicunt Beatam Virginem esse simul Matrem, & Patrem, solùm intendunt ad generationem temporalem non concurrisse alium Patrem, quám Beatam Virginem. Prætereà, dato quòd Beata Virgo simul præstiterit concursum Patris, & Matris, adhuc dicendum est esse eiusdem speciei cum concursu aliarum matrum; quia habet idem principium, & eundem terminum.

260 Ad secundum (quâtenus dicebat Relationes aliarum matrum habere pro termino personas creatas: Relationem verò Beatæ Virginis Personam Verbi Diuini) respondeo terminum huius Relationis primariū solùm esse naturam humanam in concreto, seu Christum Dominum, prout est *Hic homo*: at verò Christus Dominus, prout est hic homo, est eiusdē speciei cum alijs hominibus. Instabis: Terminus huius Relationis solùm est *hic homo*: ergo Beata Virgo non potest dici Mater Dei: quod est hæreticum. Respondeo cum P. Soar. cit. §. *Ad rationem* negando Consequentiam, quia Relatio, quæ per se primò, & formaliter respicit aliquam naturam in concreto, consequēter respicit eius Suppositum, seu subiectum: vnde hoc album, quod dicitur simile illi albo, nimirum Petro, etiam consequenter dicitur simile ipsi Petro; & quod dicitur simile illi albo, quod simul est dulce, consequenter dicitur simile illi dulci: sic igitur Beatissima Virgo, quæ est Mater *huius hominis*, qui est Deus, consequenter dicetur *Mater Dei*. P. Soar.

§. 5.

Vtrùm Relatio filij in Christo Domino ad Beatam Virginē sit eiusdem rationis cum Relationibus aliorum filiorum?

261 QVarta difficultas: Vtrùm Relatio filij in Christo Domino ad Beatam Virginem sit eiusdem speciei cum Relationibus aliorum filiorum? In hoc puncto non conueniunt omnes Doctores. Nonnulli dicunt Christum Dominum referri ad Beatam Virginem solâ Relatione Verbi increatâ. Ita Henric. *quodlibeto* 4. *q*. 3. Alexand. de Ales 3. *p*. *q*. 10, *memb*. 3. §. *Ad argumenta*. Alij existimant Christum Dominum referri quidem ad Beatam Virginem solâ filiatione temporali: dicunt tamen hanc Relationem esse rationis. Ita D. Thom. 3. *p*. *q*. 35. *a*. 5. & *in* 3. *dist*. 8. *a*. 5. Capreol. ibidem *art*. 2. *quæst*. 2. Henric. Alensis D. Thom. Capreol.

262 Ego dico primó, Christus Dominus non refertur ad Beatam Virginem per Filiationem Diuinam, hoc est, per Relationem Verbi increatam. Ita P. Soar. *de vita Christi d*. 12. *s*. 2. Et probatur, quia Generatio æterna, ac Diuina non est ratio referendi Christum Dominum ad Beatam Virginem, sed ad solum Patrem Æternum: ergo Relatio Diuina non est Relatio Christi ad Beatam Virginem, sed ad solum Patrem Æternum; eadem enim videtur ratio de vtrâque. Et confirmatur primó, quia Generatio æterna, & Generatio temporalis in Christo Domino sunt valde diuersæ: ergo fundabunt Relationes valde diuersas, nimirum Generatio æterna ad Patrem Æternum, & non ad Matrem temporalem; Generatio temporalis ad Matrem temporalem, & non ad Patrem Æternum. Confirmatur secundó, quia Relatio Diuina conuenit Filio, vt Deus est formaliter: at veró, quá talis formaliter, solùm habet Patrem, & non Matrem: sicut quá homo formaliter, solùm habet Matrem, & non Patrem, vt definiunt Cōcilia apud P. Soar. cit. ergo Relatio Diuina non refert Christum Dominum ad Beatam Virginem. P. Soar.

263 Obijcies cum Henrico, & Alexandro de Ales suprà cit. Relatio Diuina terminat Naturam humanam genitam à Beatâ Virgine: ergo eam referet ad illam. Et confirmatur, quia Relatio Diuina reddit Naturam subsistentem loco Subsistentiæ creatæ: ergo etiam reddet relatam loco Relationis creatæ. Respondeo Subsistētiam Verbi in humanitate solùm præstare id, quod præstaret Subsistentia propria, si adesset: at verò Subsistentia propria, si adesset, solùm terminaret, & non referret. Neque obstat, quòd Subsistentia Verbi sit Relatio. Nam solùm præstat quidquid præstaret Subsistentia Spiritûs Sancti, si loco Subsistentiæ Verbi terminaret Naturam humanam; at clarum est Subsistentiam Spiritûs Sancti non relaturam humanitatē ad Beatam Virginem vt ad Matrem; nam Subsistētia Spiritûs Sancti non est Filiatio. Neque obstat, quòd Subsistentia Verbi sit Filiatio: solùm enim est Filiatio æterna sequēs Generationē Æternam. Henric. Alensis

Æternam, qualis non est generatio Beatæ Virginis, sed solùm temporalis.

264 Dico secundò. Probabilius est in Christo Domino sumpto, quatenus homo est, dari Filiationem creatam realem, hoc est, Relationem filij ad Beatam Virginem. Ita Richard, *in* 3. *dist.* 8. *a.* 2. *q.* 2. in fine, Scot. ibidem *q. vnica*, Durand. *q.* 3. Gabr. ibidem *conclusione* 3. Marsil. *q.* 7. *a.* 2. P. Soar. *de Vita Christi d.* 12. *sect.* 2. 5. *Dico secundò*. Et probatur, quia in Christo Domino dantur omnia requisita ad Relationem realem filij ad Beatam Virginem. Idque, tum ex parte extremi: tum ex parte fundamenti remoti, & proximi; tum ex parte termini. Ex parte extremi, quia Christus Dominus potest esse extremum aliarum Relationum creatarum, nimirùm similitudinis, æqualitatis, &c. Ex parte fundamenti remoti, quia hoc nihil aliud est, quàm ipsa Substantia Naturæ humanæ accepta à Beatâ Virgine. Ex parte fundamenti proximi, quia hoc consistit in generatione passiuâ, quæ quidem verè recepta est in Christo Domino. Ex parte termini, quia Beata Virgo realiter existit, & habet cætera requisita, vt possit terminare Relationem realem, seu filiationem Christi Domini. Et confirmatur, quia Relatio Matris in Beatâ Virgine ad Christum Dominum est realis; ergo Relatio filij in Christo Domino ad Beatam Virginem erit realis.

Richard. Scot. Durand. Gabriel Marsil. P. Soar.

265 Obijcies cum D. Thom. D. Bonauent. & Capreol. suprà citatis. Subiectum Filiationis in Christo Domino est eius Persona: hæc autem, cùm sit Diuina, non est capax Relationis creatæ realis. Respondeo Filiationē Beatæ Virginis in Christo Domino subiectari in Naturâ humanâ subsistentē in Verbo. Dices: Filiatio Diuina non subiectatur in Naturâ, sed in Personâ: ergo idem dicendum de Filiatione humanâ. Respondeo esse diuersam rationem, quia Filiatio Diuina, cùm sit in ordine ad Principium generans, sequitur distinctionem ab illo; in Diuinis autem solæ Personæ distinguuntur, & non Natura: in creatis autem Natura generans, & genita distinguūtur. Adde, quód in Diuinis Filiatio, cùm sit constitutiua Personæ, illam debet sequi: quæ ratio non militat in Filiatione creatâ.

D. Thom. D. Bonau. Capreol.

266 Instabis: Filiatio adoptiua sequitur Personam (idcircò Christus Dominus non est capax illius, quia scilicet non est Persona extranea, quam supponit Filiatio adoptiua); ergo similiter Filiatio Beatæ Virginis in Christo Domino sequetur eius Personam. Respondeo non esse bonam Consequentiam, quia Filiatio adoptiua est libera; vnde potest immediatè tendere in Personam; at verò Filiatio naturalis est necessaria resultans immediatè ex fundamento, illudque sequens: est autem eius fundamentum Natura accepta per generationem. Dices: Si Filiatio adoptiua est libera: ergo potuit adoptari Natura humana Christi Domini. Respondeo negando sequelam, quia adoptio sequitur gratiam indebitam: gratia verò non erat indebita, sed maximè connaturalis Naturæ humanæ subsistenti in Verbo.

267 Replicabis: Si Filiatio Beatæ Virginis fundaretur in humanitate, sequeretur, dato quód demitteretur à Verbo, & resultaret propria Subsistentia, adhuc talem hominem fore, & dici Filium Beatæ Virginis: quod tamen videtur falsum; nam Beata Virgo non genuit talem hominem, sed Christum Dominū. Respondeo, si Verbum demitteret humanitatem, permansuram in illo homine, seu humanitate subsistente in proprio Supposito eandem Relationem filij, quæ nunc est; cùm permaneret idem subiectum, fundamentum, & terminus. Neque est verum, illum hominem esse diuersum ab hoc, qui est Christus, cùm eadem sit Natura: Concreta verò, quæ denominantur á Naturâ, non multiplicantur ad multiplicationem Suppositi, sin minús Natura Diuina subsistens in tribus Suppositis nō esset vnus Deus, sed tres Dij.

268 Vrgebis: Ergo, si Pater assumeret Naturam demissam à Verbo, Pater diceretur Filius Virginis. Respondeo negando illationem de Patre, quà Pater est: aliter dicendum de illo quá homo, seu quá hic homo. Non, inquam, diceretur Filius Virginis, quà Pater; quia generatio Virginis nullo modo terminata fuit ad Paternitatem: ea verò solùm denominant Subsistentiam, quæ aliquo modo mediatè terminantur ad illam, hoc est, quæ aliquo modo exercentur in Naturâ subsistente tali Subsistentiâ. Vnde si Pater assumeret Naturam hominis peccatoris, non diceretur peccator, quia actio peccati non fuit exercita in Naturâ assumptâ ad Subsistentiam Patris, sed in Naturâ subsistente in proprio Supposito, quod proinde solúm potest denominare. Similiter Pater assumendo humanitatem Christi non diceretur Redemptor, quia scilicet actio Redemptoris solùm fuit exercita in Naturâ assumptâ á Verbo; quod proinde solùm potest denominare. Similiter Pater Æternus non diceretur Filius Virginis, quia actio generatiua non fuit exercita in Naturâ assumptâ á Patre, sed in Naturâ assumptâ á Verbo.

P.Fons. P.Albert. P.Tellez. P.Vasq. P.Hurt. Fr.Ioann. Poncius

n.289. P.Fons. 5.*Met.* c.15 q.4. P. Albertin. *tom.* 2. *in Prædicamento Ad aliquid q.* 18. *à n.* 3. P. Tellez *d.*62. *s.* 5. *n.*12. P. Vasquez 1. *p. d.*173. *cap.* 4. P. Hurtado *in Met. d.* 15. § 112. Fr. Ioan. Ponc. cit. *n.*68. Et probatur, quia mensura nō ordinatur ad mensuratum: vbi verò ordo realis non est, nec Relatio realis esse potest, cùm hæc consistat in illo. Maior ostenditur primò, quia mensura, v. g. obiectum respectu potentiæ sufficienter constituitur talis per non-repugnantiam. Secundò, quia Deus est obiectū potentiæ creatæ, & mensura omnis creaturæ: & tamen non ordinatur ad illam. Tertiò, quia huiusmodi mensura de se non requirit existentiam: imò antecedenter ad illam mensurat. Et confirmatur, quia ex hoc titulo Finis, & Exemplar consistens in conceptu obiectiuo non fundant Relationem realem. Quartò, quia, vt *in Prædicament. cap. de Relatione* docet Aristoteles, Relationes mensuræ, & mensurati non sunt mutuæ: idcircò autem non sunt mutuæ, quia Relatio mensuræ non est realis. Et sanè hæc est expressa sententia Aristotelis loco cit.

Aristot.

275 Obijcies. Vna albedo non ordinatur ad aliam, neque vnus homo ad alium, quem non produxit; & tamen habent inter se Relationes reales: ergo, licèt obiectum non ordinetur ad potentiam, habebit Relationem realem ad illam. Vt respondeas aduerte, illas vt suprà dixi *n.* 71. ordinari inter se, quæ aut sunt extra omne Genus, & dependentiam causæ, vt Personæ Diuinæ: aut intra idem Genus, & Prædicamentum, vt duæ Substantiæ, duæ Quantitates: aut licèt non sint eiusdem Prædicamenti, vnum tamen est perfectibile per aliud. His positis: patet solutio ad argumentum. Negandum enim est vnam albedinem non ordinari ad aliam: similiter negandum vnum hominem non ordinari ad alium, quem non produxit; sunt enim hæc intra idem Prædicamentum, & consequenter eiusdem ordinis inter se. At verò obiectum ideò non ordinatur ad potentiam, quia neque perficitur per illam, vt patet: neque est eiusdem Prædicamenti. Quòd si contingat esse eiusdem Prædicamenti, in ratione mensuræ non ita consideratur.

276 Neque alia fundamenta opinionis contrariæ oppositum conuincunt. Ad primū (quâtenus dicit mensuram habere omnia requisita ad fundandam Relationem realem) patet responsio ex dictis. Dicendum enim est mensuram esse incapacem fundandæ Relationis realis defectu ordinis ad mensuratum.

277 Dices: Color, qui est obiectum, & mensura potentiæ visiuæ, idcircò talis est respectu illius, non verò respectu auditûs, quia ordinatur ad potentiam visiuam, non verò ad auditum. Respondeo negando Antecedens; nam color non ordinatur ad potentiam visiuā: idcircò autem est obiectum respectu potentiæ visiuæ, non verò auditûs, quia potentia visiua ordinatur ad illum, & non auditus. Explicatur id optimo exemplo; nam Deus est obiectum Intellectûs, non verò auditûs: non quia ordinetur ad Intellectum, sed quia ad illum ordinatur Intellectus, non verò auditus.

278 Instabis: Si à colore auferatur non-repugnantia ad visum (quam sanè habet color, non verò sonus) destruetur essentia coloris: sicut si ab Ente auferatur intelligibilitas ad Intellectum, destruetur eius essentia; destructâ enim proprietate, destruitur essentia: ergo signum est, quòd color per suam essentiam ordinetur ad visum. Respondeo non esse bonam Consequentiam, nam etiam, si à Deo auferatur intelligibilitas ad Intellectum creatum, destruetur eius Essentia: & tamen per illam non ordinatur ad Intellectum. Et ratio est, quia non omnis non-repugnantia arguit ordinem in subiecto, sed illa solùm, quæ est ad aliquam perfectionem: at verò obiectum nō perficitur per cognitionem.

279 Vrgebis: Materia refertur ad Formam, vt ad suam mensuram: & similiter Forma ad Materiam. Respondeo, me non negare mensuratum habere Relationem realem ad mensuram, sed solùm mensuram habere Relationem realem ad mensuratum. Sed dices: Forma est mensura Materiæ, & è contrà. Respondeo, illas non habere Relationes reales in ratione mensuræ, sed sub alijs titulis, & formalitatibus, quibus mutuò perficiuntur, & ordinantur.

280 Replicabis: Denominationes obiecti, v. g. visibilis, audibilis, &c. sunt reales: vbi autem dantur denominationes respectiuæ reales, dantur Relationes reales. Respondeo, huiusmodi denominationes non esse positiuas, sed negatiuas, prouenientes à non-repugnantijs. Dici etiam potest, esse extrinsecas à potētijs, quæ sicut denominant Animam potētem videre, & audire, ita denominant obiectum potens videri, & audiri.

281 Ad secundum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit omnem causam habere Relationem realem ad effectum; mensuram verò esse causam formalem extrinsecam) respondeo, non omnem causam habere Relationem realem ad suum effectū, sed illam solam, quæ ordinatur ad illum; idcircò Deus, qui habet perfectissimam rationē causæ, non habet Relationem realem ad creaturas: similiter Finis, qui est vera, & realis

causa

TRACTATVS VI.

DE ACTIONE, ET PASSIONE.

PARTITVS in Disputationes duas. Altera differit de Actione. Altera de Passione.

DISPVTATIO I.

De Actione.

IN quatuor distributa Sectiones. Prima agit de Actione secundùm se. Secunda de Actione in ordine ad Principium. Tertia de illâ per ordinem ad Terminum. Quarta de specificatione, & diuisione Actionis in suas species.

SECTIO I.

De Actione secundùm se.

1 NOMINE *Actionis* intelligitur *vltimus actus agentis, quatenus agens est, quo mediante aliquid fit.* Includit tres respectus, alterum ad Agens; & per hunc formaliter constituitur in ratione Actionis: alterum ad terminum; & per hunc constituitur via ad illum: alterum ad passum, seu subiectum; & per hunc constituitur in ratione Passionis. De quâ in Disputatione sequenti.

2 Prima difficultas: Vtrùm dentur Actiones? Negant P. Wadingus *de Incarnat. disput. 1. prœmiali.* & P. Martinon *disp. 22. de Deo sect. 2.* Ocham. *in 1. d. 30. q. 2.* Gregor. *in 1. d. 228 q. 2. ad 13.* Gabri. *in d. 30. q. 4. a. 1. concl. 3.* Sot. *in Phys. q. 2.* P. Tolet. *3. Phys. q. 3. a. 2.* P. Valêt. *1. p. d. 3. q. 2. p. 1.* & plerique Nominales. Eius fundamentum est, quia videntur superfluæ huiusmodi entitates. Et hoc ostenditur primò, quia res se ipsis fiunt, sicut se ipsis sunt; ita enim se habent in suo fieri, ac in suo esse. Secundò, quia sufficit extrinseca voluntas Dei. Et hoc probatur, quia per solam extrinsecam voluntatem Dei Dauid de non rege factus est rex: ergo similiter per extrinsecam solam voluntatem Dei poterit de non ente fieri ens. Et ita è loquendo de Causâ Primâ in ordine ad effectus, quos se solâ producit Fr. Ioan. Ponc. *d. 17. q. 3. concl. 2.* expressè tenet non opus esse, quòd intercedat aliqua actio distincta. Tertiò, quia in contrariâ sententiâ sequitur, quòd Deus nequeat aliter producere effectũ, quàm mediante Actione; ac proinde quòd Deus in operando dependeat à creaturâ, nimirum ab Actione. Quartò, quia benè intelligitur effectum procedere à causâ per hoc, quòd ab illâ recipiat suum esse per suammet entitatem: ergo non est necessaria actio distincta. Quintò, quia satis est causa disposita in actu primo, vt effectus sine intermediâ Actione ab illâ procedat.

P. Wadi. P. Martin. Ocham. Gregor. Gabriel Sotus P. Tolet. P. Valent. Nominales.

Fr. Ioann. Poncius

§. I.

Concluditur dari Actiones.

3 NIhilominus dicendum dari Actiones. Ita D. Thom. *1. p. q. 45. a. 3. in arg. Sed contrà,* P. Soar. *in Met. d. 48. sect. 1.* P. Fons. *5. Met. cap. 15. q. 7. sect. 2.* P. Hurtad. *in Met. d. 16. sect. 1. & in Phys. d. 12. sect. 1.* Patres Conimbr. P. Rub. P. Molin. Quibus accedunt

D. Thom. P. Soar. P. Fons. P. Hurt. Patres Conimb. P. Rub. P. Molin.

P. Arriaga *P. Ouiedo* *P. Tellez.* *P. S. Cruz.* *P. Lugo* *P. Hemel.* *P. Alarc.* *P. Bernal.* *Castelui* *P. Cōpto.* *Fr. Ioan. Poncius*

dit P. Arriaga *in Phys. d. 9. à n. 18.* P. Ouiedo *in Phys. controuers. 12. puncto 1. à n. 2.* P. Tellez *d. 63. s. 1.* P. Sancta Cruz *in Phys. n. 399.* Cardinal. Lugo, P. Hemelman, P. Alarcon, P. Bernal. Castelui, P. Cōpt. *in Phys. d. 40. s. 6. n. 4.* Fr. Ioan. Poncius *d. 17. q. 3. n. 26.* Probatur, quia potest existere hæc causa, & hic numero effectus, quin producatur ab illâ. Et hoc ostenditur, quia calor B, qui in hoc instanti producitur ab igne C, in sequēti instāti ab illo nō producitur, sed à solo Deo cōseruatur; & tamē in tali instanti existit; & calor B, & ignis C: ergo hoc, quod est calorē B. produci ab igne C, est aliquid distinctū ab illis etiā simul sūptis; si enim nō esset aliquid distinctū, nō possēt ambo simul existere, quin calor B produceretur ab igne C, vt est euidens. Deinde Petrus, qui de facto productus est á Paulo, potuit saltē diuinitùs produci à Francisco: ergo hoc, quod est actu produci á Paulo, est aliquid distinctum ab ipso Petro, & Paulo.

4 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit nullam esse necessitatem admittendi huiusmodi entitates, seu Actiones) respondeo, necessitatem patere ex dictis. Ad illud prætereà, quod assumitur, nimirum rem ita se habere in suo fieri, ac in suo esse, respondeo id esse æquiuocum: nam si velit rem ita esse, vt fit, seu ita fieri, vt est, verum habet; res enim, cùm totum suum esse habeant per productionem, & causalitatem, ita sunt, vt fiunt, & producuntur. Sin autem velit esse rei ita se habere ad ipsam rem, ac eius fieri, est falsum; nam eius esse non distinguitur á re ipsâ; eius autem fieri aliquo modo distinguitur ab illâ: tùm quia potest amittere suum fieri, hoc est, suam primam Actionem, & aliâ de nouo, & valde diuersâ conseruari: tum quia fieri rei est via ad illam, eius causalitas, & dependentia: res autem dependens aliquo modo distinguitur ab eius dependentiâ.

§. 2.

Ostenditur Actiones esse aliquid distinctum ab extrinseco Decreto Dei.

5 AD secundum (quâtenus dicit sufficere extrinsecam voluntatem Dei) respondeo, non sufficere, nec posse rem formaliter produci per solam extrinsecam voluntatem Dei; sicut non potest formaliter causari in genere causæ Materialis, vel Formalis per solam extrinsecam voluntatem Dei. Neque exemplum Dauidis, qui per extrinsecam voluntatem Dei fuit factus rex à non-rege, rem concludit. Diuersa ratio est, quia prædicta mutatio est merè extrinseca, & moralis, quæ proinde potest fieri per solam extrinsecam voluntatem: at verò dependentia causæ Efficientis est physica, & intrinseca ex parte effectus, quæ proinde intelligi non potest absque aliquâ mutatione physicâ, & intrinsecâ ex parte illius.

6 Deinde probatur specialiter creaturas non posse produci per solum Decretum Diuinum, tanquam per actionem. Primò, quia productio creaturarum est formalis, & realis dependentia: at verò ens Diuinum non est realis dependentia. Secundò, quia Volitio Diuina est Actio immanens: productio verò creaturarum est Actio transiens. Tertiò, quia datur causalitas causæ Formalis distincta à Voluntate Diuinâ: ergo idem dicendum de causalitate causæ Efficientis, hoc est, de Actione. Antecedens ostenditur, quia Forma posita in Materiâ, similiter albedo collocata in subiecto apto, præcisâ Voluntate Diuinâ præstant suos effectus formales: Forma informando Materiam: albedo reddendo subiectum album, ita vt non possit illud non reddere album. Quartò, quia dependentia est aliquid ex parte rei dependentis: ergo distinguitur á Voluntate Dei. Antecedens ostenditur, quia sessio, & statio est aliquid ex parte rei stantis, & sedentis distinctum á Voluntate Diuinâ: similiter Subsistentia est aliquid ex parte rei subsistentis distinctum à Voluntate Dei: ergo etiam dependentia, seu causalitas causæ Efficientis, hoc est, Actio, erit aliquid ex parte rei dependentis, seu causatæ á principio Efficiente distinctum á Voluntate Dei. Quintò, quia Decretum Dei existit ab æterno: productio verò creaturarum in tempore: ergo hæc non potest consistere in Decreto: aliter daretur Actio actualiter existens, quin existeret eius terminus.

7 Dices, Decretum constitui in ratione actualis productionis per existentiam termini dictam in obliquo. Sed contrá, quia in primis, licèt tale Decretum foret Actio Dei, non potest intelligi esse Actio creaturæ, quâ producit aliam; neque enim creaturæ, v. g. ignis per Decretum Diuinum tanquam per suam Actionem producit calorem; aliás Intellectus intelligeret per Decretum Diuinum, tanquam per intellectionem, & viueret per Decretum Diuinum extrinsecum, tanquam per Actionem vitalem, quo quid absurdius? ergo saltem constat dari Actiones creatas. Ex illis prætereá argumentor ad Actiones Diuinas: Nam Actiones creatæ non sunt volitiones creatæ connotantes effectum, sed præter has admittimus Actiones distinctas; ergo Actiones Diuinæ non

non erunt Volitiones Diuinæ, sed præter has admittendæ erunt Actiones distinctæ.

8 Secundò, Processiones ad intrá non consistunt in Decretis, & connotatis ad intrá: ergo Actiones ad extrá non consistent in Decretis, & connotatis ad extrá. Et confirmatur quoad Actiones creatas, quia non repugnant Actiones creatæ, quæ imitentur Diuinas: sicut ergo Diuinæ non cōsistunt in Decretis, ita neque creatæ: hæ autem spectant ad Prædicamētum Actionis.

9 Tertiò, & euidenter, quia Decretum Dei ab æterno connotat, & dicit in obliquo existentiam effectûs pro tali tempore; & tamē non ab æterno creat: ergo si Actio consistit in tali Decreto, ab æterno existit Actio sine termino, & causalitas sine effectu.

10 Quartò, quia effectus non potest intelligi dependere á causâ per Decretum connotans ipsum effectum: Nam Decretum connotans effectum includit duo, alterum in recto, nimirum ipsum Decretum; & per hoc clarum est non posse effectum dependere; nam Decretum Diuinum, vt dixi, non est dependentia: ergo effectus non potest per illud à causâ dependere. Alterum est ipse effectus dictus in obliquo; & per hunc non potest ipse effectus realiter, & efficiēter dependere á causâ; sin minùs per se ipsum immediatè ab illâ dependeret; & cōsequenter essentialiter; nam omnis dependentia immediata est essentialis.

§. 3.

An Effectus dependeat essentialiter ab Actione, & á Deo?

11 INstabis: Effectus dependet immediatè ab Actione; non tamen essentialiter. Respondeo, effectum non dependere per se ipsum immediatè ab Actione, sed per Actionem dependere á causâ. Non nego etiā dependere ab Actione; siquidē illâ sublatâ, nisi eius loco substitueretur alia, periret: sed dico non dependere per se immediatè, sed per ipsam; nam Actio, sicut est dependentia huius effectûs ab hoc Principio, ita est ipsius effectûs dependentia ab ipsâ Actione: & effectus sicut per Actionem dependet à Principio, ita per illam dependet ab ipsâ. Quod iterū, ac pleniùs declarabo *n.* 38.

12 Et hinc patet solutio ad aliā instantiā, quæ fieri potest ab Aduersarijs: possunt enim dicere, Animā vniri Vnioni immediatè: nō tamen essentialiter. Sed respondendū est, Animā nō vniri immediatè se ipsâ ad Vnionē, sed per ipsā Vnionē, quæ sicut est formalis Vnio Animæ ad corpus, ita est formalis Vnio Animæ ad ipsam Vnionē. Declaratur exēplo volitionis, quæ sicut est libera volitio Voluntatis ad obiectū, ita est libera volitio Voluntatis ad ipsam.

13 Vrgebis: Effectus creatus dependet essentialiter à Deo: ergo berè potest ab illo dependere immediatè. Respondeo, hanc replicam ad summum probare effectus creatos dependere immediatè á Deo, non verò á causis creatis: vnde illâ non tolluntur Actiones inter causas, & effectus creatos. Sed neque dictâ replicâ probatur non dari Actiones inter Deū, & effectus creatos: nam, licèt effectus creati dependeant essentialiter á Deo, non dependēt hoc modo determinato, sed qui ab illo immediatè creatur, potest creari ab instrumēto, vt suo loco ostendimus; & qui educitur, potest creari; & rursum hic, qui creatur, potest iterum educi, vt patet in Quantitate Eucharisticâ. Itaque quod immediatè dependet ab alio, ita essentialiter ab illo dependet hoc modo, vt non possit alio dependere; aliàs non pendet immediatè, sed mediante modo dicto: cùm ergo effectus non ita dependeāt á causâ, benè sequitur non dependere ab illâ immediatè. Quibus ita explicatis:

§. 4.

Alia argumenta soluta.

14 AD tertium fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ, quòd Deus non possit producere effectus nisi mediâ Actione; ac proinde quòd in operando dependeat ab illâ) respondeo, nullum esse inconueniens, quòd non possit producere effectus nisi mediâ Productione: sicut non potest reddere lapidem album nisi mediâ albedine, & reddere nigrum nisi mediâ nigredine, aut reddere Intellectum creatum intelligentem nisi mediâ intellectione. Quod non est dependere á rebus: sed est earum effectus formales dependere ab illis; nam esse productum, est effectus formalis Productionis, seu Actionis, sicut esse album est effectus formalis albedinis: & sic de cæteris.

15 Ad quartum (quâtenus dicit benè intelligi effectum procedere á causâ per hoc, quòd ab illâ recipiat suum esse per suam entitatem immediatè absque vllâ intermediâ Actione) respondeo, non id posse intelligi, quia effectum recipere suū esse ab istâ causâ, est aliquid separabile ab illo, & á causâ; potest enim & illa causa, & hic effectus simul existere, quin effectus ab illâ recipiat suū esse, vt patet in lo-

ce, quæ potest existere simul cũ Sole, quin ab illo producatur. Dices, effectum intelligi recipere suum esse ab illâ causâ per hoc, quod illud ab aliâ non recipiat. Sed contrá, quia effectus potest diuinitùs recipere suum esse ab aliâ causâ, & non ab istâ, á quâ modò illud recipit: ergo tunc aliquid amittet, ratione cuius ab istâ non recipiat suum esse; & aliquid illi addetur, ratione cuius ab aliâ illud recipiat; non enim est intelligibile quomodò eadem entitas sine aliquo positiuo superaddito modó ab vnâ causâ, & posteà ab aliâ recipiat suum esse. Deinde hic numero effectus potest recipere suum esse ab istâ, & ab aliâ causâ: ergo hoc, quod est illud ab aliâ modò non recipere, est aliquid distinctum ab ipso effectu, & ab aliâ causâ.

16 Ad quintum (quâtenus dicit, satis esse causam dispositam in actu primo, vt effectus sine intermediâ Actione ab illâ procedat) respondeo similiter negando Antecedens, quia causa disposita in actu primo est entitas ignis v. g. & potentia Dei; sed hæc possunt simul existere, quin calor ab igne de facto producatur: ergo produci ab illo est aliquid distinctum. Dices, hoc prouenire à diuerso Decreto Dei, qui modó applicat Omnipotentiam pro concursu adæquato; & sic calor procedit à solo Deo: modò pro concursu inadæquato; & sic calor procedit etiam ab igne. Sed contrà, quia talis concursus inadæquatus, cùm nõ sit ipse calor (hic enim semper est idem) neque ipsa Omnipotentia, cùm hæc semper sit eadem, non potest esse nisi Actio distincta. Et explicatur, quia si Deus modò concurrat cum hoc igne, & posteá cum alio ad producendum eundem calorem, quid, quæso, auferet à primo igne ne concurrat: & quid ponet in secundo, vt concurrat cum ipso Deo? non enim potest, in hoc euentu recurri ad concursum Dei inadæquatum; nam, siue Deus concurrat cum primo igne, siue cum secundo, semper concurrit inadæquatè: nihil ergo manet, quod sit obiectum noui Decreti, quod fingis; nam ex parte Dei semper manet potentia applicata ad concursum inadæquatum; primus verò ignis, & secundus, in ó & ipse calor ab illis productus semper perseuerant eodem modo, atque anteá: ergo per illud nouum Decretum non explicatur, quâ ratione idem calor modó procedat ab vno igne, & posteà ab alio.

(:?:)

§. 5.

An Actio consistat in aliquo relatiuo?

17 Secunda difficultas: Vtrùm Actio sit aliquid relatiuum: an potiùs absolutum? Scotus *in 4. dist. 13. q. 1. §. Ad huius autem*, P. Salas 1. 2. *tract. 1. d. 3. num. 18*, P. Vasquez *disput. 173. cap. 2*. Fr. Ioannes Poncius *disp. 17. q. 3. á num. 37.* & alij existimant Actionem nihil aliud esse, quàm Relationem Principij ad Terminum, & Termini ad Principium. Probant id exemplo Productionum Diuinarum, quas ipsæ productiones creatæ imitantur; nam Productiones Diuinæ sunt Relationes: ergo idem dicendum de creatis. *Scotus* *P. Salas* *P. Vasq.* *Fr. Ioann. Poncius*

18 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Actionem consistere in aliquo absoluto, prout hoc distinguitur á Relatione prædicamentali. Ita Herueus, Soncin. Capreol. Comment. D. Thom. licèt hi videantur existimare Actionem præter absolutum includere formaliter respectum prædicamentalem ad Principium. *Herueus* *Soncin.* *Capreol.* *Commẽt.* *D. Thom.*

19 Non rectè tamen. Primò, quia Actio esset ens per accidens constans ex absoluto, & relatiuo. Secundò, quia vnum Prædicamentum non includitur in alio. Quòd essentia Actionis consistat in puro absoluto, prout hoc adæquatè distinguitur á relatiuo prædicamentali, tenet P. Soar. *in Metaphys. disput. 48. sect. 1.* & cum eo communiter Recentiores apud P. Hurtad. *in Phys. disput. 12. sect. 1.* Et probatur, quia aut Actio consistit in Relatione sumptâ ex parte causæ: aut in Relatione sumptâ ex parte effectûs. Non in Relatione sumptâ ex parte causæ. Primó, quia Actio est causalitas, seu dependentia: hæc autem debet habere se ex parte rei causatæ, seu dependentis, vt ostendimus *in Phys. tract. 2. numero 27*. Secundò, quia Deus operatur ad extrá per veras, & reales Actiones: & tamen non habet Relationem realem ad creaturas, vt constat ex dictis proximo *tractat. 5. de Relatione num. 68*. Deinde non in Relatione sumptâ ex parte effectûs, quia Actio non supponit effectum: Relatio verò maximé, cùm in illo fundetur. *P. Soar.* *P. Hurt.*

§. 6.

Quid sit istud absolutum?

20 Qvid autem sit istud absolutum, in quo Actio consistit? Respon-

Respondeo, nihil aliud esse, quàm formalem dependentiam effectûs á suo Principio efficiente. Ita P. Soar. cit. *sect.* 5. Et probatur ex definitione ipsius Actionis desumptâ ab Aristotele 3. *Met.cap.* 3. & explicatâ á Patribus Conimbr. *in Logica q.* 1. *de Actione art.* 1. quæ ita habet: *Actio est ultimus actus Agentis, quatenus Agens est, quo mediante aliquid fit*: quæ definitio intelligi non potest absque eo, quód Actio consistat in prædictâ dependentiâ formali.

P. Soar. *Aristot.*

21 Obijcies primò. Actio etiam est formalis dependentia á causâ Formali, Materiali, & Finali: ergo non à solo Principio Efficiente. Respondeo, Actionem, quá Actio est, & prout constituit Prædicamentum Actionis, desumi solùm per ordinem ad Agens: per ordinem ad formam nullum constituit Prædicamentum, vt suo in loco ostendimus; & si aliquod constitueret, illud esset diuersum á Prædicamento Actionis: similiter in ordine ad Materiam constituit Prædicamentum Passionis distinctum: in ordine ad Finem nullum constituit Prędicamentum: hi igitur respectus per accidens se habent ad Actionem, quá talem: Actio enim, quà talis, solùm est per ordinem ad Agens.

22 Objicies secundò. Dependentia effectûs oritur ab Actione: ergo hæc potiùs est effectiua dependentia, quàm ipsa dependentia formalis. Respondeo, dependentiam effectûs oriri ab Actione, tâquam á causâ Formali, hoc est, se ipsâ reddente effectum dependentem à Principio efficiente: non tamen tanquam á causâ Effectiuâ dependentiæ.

23 Ad fundamentum Scoti, & aliorum propositum *n.* 17. (quâtenus dicebat Productiones Diuinas consistere in Relationibus: ergo idem dicendum oportere de Productionibus creatis) respondeo, non valere argumentum á Productionibus Diuinis ad creatas quòad esse relatiuû. Diuersa ratio est, quia Productiones, Oppositiones, & Origines Diuinæ sunt inter se realiter distinctæ: in Deo autem sola relatiua distinguuntur. Quæ ratio non militat in creatis. Et declaratur, quia ex eo, quód Subsistentiæ Diuinæ sint Relationes; item ex eo, quòd Principia, & Termini Productionum Diuinarum similiter Relationes sint, non inde sequitur Subsistentias creatas, Principia, & Terminos creatos esse Relationes: ergo licèt Productiones Diuinæ sint Relationes, non inde sequetur Productiones creatas esse Relationes.

(·?·)

SECTIO II.

De Actione per ordinem ad Principium.

24 In hâc sectione tria disputanda veniunt. Primum: Vtrùm Actio respiciat Principium essentialiter? Secundum: Vtrùm illud saltem diuinitùs variare queat? Tertium: Vtrùm vna Actio possit diuinitùs fieri per aliam?

§. I.

Vtrùm Actio respiciat Principium essentialiter?

25 PRima difficultas: Vtrùm Actio respiciat Principiû essentialiter? hoc est, Vtrùm dicat respectû essentialē ad Principiû? Pro parte negatiuâ cōtendunt Herueus *quodlib.* 1. *q.* 9. & Iauellus 5 *Met. q.* 23. quibus videtur subscribere P. Fons. 5. *Met. cap.* 2. *q.* 14. *sect.* 4. §. *Huic obiectioni.* Et facit primò, quòd effectus non dicit essentialem respectum ad Principium: ergo neque Actio; hæc enim est quidam effectus. Secundò, quia Actio respicit essentialiter Terminum: ergo nō Principium; sin minùs esset ens per accidens; nam ens per se non potest coalescere ex duplici respectu, vt patet in Signo, quod est ens per accidens: item in Actione, & Passione, ex quibus non resultat vnum per se. Tertiò, quia eodem modo respiciût sua Principia Actio naturalis, & supernaturalis: sed supernaturalis non respicit suum Principium essentialiter. Et hoc ostenditur, quia Actio supernaturalis, quâ Gratia Sanctificans egreditur ab aquâ Baptismali, nō habet proportionem cum illâ: ergo non potest illam respicere essentialiter. Quartó, quia Principium non dicit essentialem respectû ad Actionem: ergo neque Actio ad Principiû; eadē enim videtur vtriusque ratio.

Herueus *Iauellus* *P. Fonseca*

26 Nihilominus dicendum Actionem respicere essentialiter Principium. Ita D. Thom. 2.2. *q.* 1. *a.* 3. Caietan. 1. *p. q.* 26. *art.* 5. P. Soar. *in Metaph. d.* 48. *sect.* 1. *n.* 17. P. Tellez *d.* 63. *s.* 5. *n.* 1. P. Cōpt. *in Phys. d.* 4. *s.* 4. *n.* 9. & alij. Et probatur primò, quia Actio, quâ talis, nō potest intelligi nisi per ordinē ad Agens. Secundò, quia Actio, & Passio differunt in eo, quòd Actio respiciat Agens, Passio verò Passum: at verò differunt essentialiter. Tertió, quia

D. Thom. *Caiet.* *P. Soar.* *P. Tellez* *P. Cōpton*

Actio est immediata dependentia: ergo essentialis. Antecedens ostenditur, quia si Actio dependeret mediante aliâ, daretur processus in infinitum.

27 Ad primum (quâtenus dicit, effectum non dicere respectum essentialem ad Principium: ergo idem dicendum de Actione, quia etiam est effectus) respondeo cum distinctione hoc modo: Effectus propriè talis, hoc est, sumptus pro termino Actionis non dicit respectum essentialem ad Principium, concedo: effectus impropriè talis, hoc est, sumptus pro ipsâ Actione, non dicit respectũ essentialem ad Principium, nego Antecedens. Diuersa ratio est, quia effectus proprius, nimirum terminus Actionis non dependet immediatè á suo Principio, sed mediante Actione: Actio verò dependet per suam essentiam immediatè.

28 Ad secundum (quâtenus dicit, Actionem respicere essentialiter terminum: ergo non Principium; sin minùs erit ens per accidens) repondeo, Actionem dicere quidem ordinem essentialem ad terminum: non tamen constitui per illum, sed inadæquaté per ordinem ad Principium, & denominationem ad illud.

29 Ad tertium (quâtenus dicit, eandem esse rationem de Actione naturali, & supernaturali: Actionem veró supernaturalem non respicere essentialiter suum Principium, vt patet in Actione, quâ producitur Gratia Baptismalis; hæc enim non potest respicere essentialiter aquam, cùm non habeat proportionem cum illâ) respondeo, habere proportionem cũ eius potentiâ obedientiali eleuatâ.

30 Ad quartum (quâtenus asserit, Principium non dicere essentialem respectum ad Actionem: ergo neque Actionem ad Principium) respondeo, quæstionem posse procedere, aut de Principijs, quæ primariò ordinantur ad agendum, quales sunt potentiæ: aut de Principijs, quæ primarió non ordinantur ad agendum, quales sunt ignis respectu fumi, Philippus respectu Alexandri eius filij. Prima Agentia etiam dicunt essentialem respectum ad Actiones, propter quas dantur: posteriora Agentia minimè. Inde tamen non potest confici argumentum contra respectum essentialem Actionis; hæc enim primarió respicit Principium, sine quo dari, & intelligi non potest: Principia verò secundi generis non respiciunt primarió Actiones; siquidem sine illis dari possunt, & intelligi.

(:?:)

§. 2.

Vtrùm vna Actio possit variare suum Principium?

31 **S**Ecunda difficultas: Vtrùm vna Actio possit variare suum Principium? Posse diuinitùs, sentire videntur Patres Conimb. 2. *Phys. c. 7. q. 10. a. 2. ad 4.* vbi docent quamlibet Actionẽ Agentis creati posse egredi á solo Deo. Et hoc suaderi potest primò, quia Actio distinguitur realiter à suo Principio, siquidem identificatur cũ termino, qui realiter distinguitur à Principio: ergo saltem diuinitùs illud poterit variare. Secundó, quia non minús pendet hic numero calor ab hâc numero Actione, quàm hæc numero Actio ab hoc numero Principio; siquidem vtriusque depẽdentia est immediata; atquî hic numero calor potest variare Actionem, & produci per aliã: ergo etiam hæc numero Actio poterit variare Principium, & produci ab alio. Tertiò, quia Deus potest facere se solo quidquid potest efficere simul cum causâ secundâ. Et huius ratio est, quia se solo continet eminenter omnem entitatem creatam.

32 Nihilominus distinctione opus est. Dico primó: Actio in specie potest variare Principium, hoc est, non respicit certũ, & determinatũ Principiũ in specie. Probatur, quia Actiones eiusdem speciei possunt egredi, & de facto egrediuntur á Principijs specie diuersis. V. g. calefactiones, quę vt *tr. de Generat.* ostendi *n. 413.* omnes sunt eiusdẽ speciei, egrediuntur ab igne, à Sole, á corde, à pipere, á Deo, quæ Principia sunt specie diuersa: ergo Actio in specie non respicit certum, ac determinatum Principium in specie.

33 Dico secundó: Hæc numero Actio in indiuiduo non potest variare suum Principium, hoc est, respicit essentialiter hoc numero Principium in indiuiduo. Ita communis doctrina cum P. Soar. varijs in locis in *Met. d. 26. sect. 5. d. 13.* & *d. 48. s. 3. n. 22.* & *de Incarn. d. 31. s. 6. §. Sextò argumentari,* & *de Sacram. d. 9. s. 2. §. Ad 4.* P. Arriag. *in Phys. disp. 9. num. 66.* P. Tellez *disp. 43. sect. 1 num. 4.* Pro hâc parte allegari etiam potest P. Comptonus *in Phys. disput. 14. sect. 9. num. 5.* Et probatur, quia hæc numero Actio dependet immediatè ab hoc numero Principio, à quo egreditur: ergo essentialiter. Et confirmatur exẽplo vnionis, & Relationis; nã hæc numero vnio, & hæc numero relatio respiciũt essentialiter hæc numero extrema, ad quæ terminantur. Itẽ exemplo cognitionis, & appetitionis, quæ respiciũt essẽtialiter hoc

P. Soar. P. Arriaga P. Tellez P, Compt.

hoc numero obiectum: ergo idem dicendum de hâc numero Actione respectu huius numero Principij, à quo egreditur, & cuius est quædam veluti Vnio cum effectu.

34 Obijcies. Actio in specie potest variare Principium in specie: ergo hæc numero Actio in indiuiduo poterit variare Principium in indiuiduo. Respondeo esse diuersam rationem: Quia licèt vtraque Actio respiciat quidē suum Principium sumptum formaliter, v. g. calefactio calefactiuum; hoc tamē reperitur discriminis inter hanc Actionem sumptam in specie, & sumptam in indiuiduo, quòd Actio in specie respicit formalitatem calefactiui in communi, sub quâ continentur multa Principia specie diuersa, nimirum ignis, Sol, cor, piper, &c. at verò hæc numero Actio in indiuiduo solùm respicit formalitatem huius calefactiui singularis, sub quo nullum aliud, quàm hoc numero Principium continetur; ac proinde non potest variari.

35 Ad primum (quatenus dicit, Actionem distingui à Principio; ac proinde benè posse diuinitùs illud variare) respondeo, benè posse vnam rem distingui realiter ab aliâ; & tamen illam respicere essentialiter, vt patet primò in creaturis, quæ distinguuntur realiter à Deo: & tamen illum respiciunt essentialiter. Secundò, in cognitione, quæ distinguitur realiter ab obiecto. Tertiò, in Vnione, quæ distinguitur realiter à termino, cum quo non idē tificatur. Quartò, in Relatione, quę etiā distinguitur realiter à termino; ergo idem dicendū de Actione respectu Principij, quantumuis ab illo realiter distinguatur.

36 Ad secundum (quatenus dicit, non minùs immediatè pendere hūc numero calorem ab hâc numero Actione, quàm dependet hæc numero Actio ab hoc numero Principio: & tamen hunc numero calorē posse variare Actionem) respondeo, hunc numero calorem non pendere essentialiter ab hâc numero Actione; hanc verò Actionem pendere essentialiter ab hoc numero Principio. Diuersa ratio est, quia hic ignis potest intelligi sine ordine ad hanc numero Actionem: hæc verò Actio non potest intelligi sine ordine ad hoc numero Principium; est enim, vt diximus, illius quasi vnio ad effectum: vnio autem non potest intelligi sine vtroque extremo.

37 Instabis: Hic numero calor depēdet immediatè ab hâc numero Actione: ergo essētialiter, quia omnis depēdentia immediata est essentialis. Aliqui negant omnē dependentiam immediatā esse essentialē, solùm eā dicūt esse essentialem, quæ est de conceptu primario rei dependentis. Sed hi illudunt cōmune Principiū, & difficilè assignabunt, cur potiùs hæ dependentiæ immediatæ sint de conceptu primario rei dependentis, non verò illæ. Deinde refelluntur à priori, quia, aut ea, quæ dependent immediatè, dependent per suam essentiam: aut mediante alio. Si primum, dependent essentialiter; si secundum, non dependent immediatè.

38 Quare meliùs dicendum existimo iuxta dicta n. 11. effectum non dependere ab hâc Actione immediatè se ipso, sed per illam: non nego dependere ab ipsâ Actione, sed assero non dependere ab illâ immediatè per suam entitatem, sed per ipsam Actionem. Itaque effectus non per suam entitatem, sed per Actionē dependet à suo Principio, & ab ipsâ Actione; quæ sicùt est formalis dependentia huius effectûs ab hoc Principio, ita est illius dependentia ab ipsâ Actione: non ergo effectus dependet immediatè per se ipsum ab Actione, sed per ipsam Actionem: Actio verò per se ipsam immediatè depēdet à Principio: hæc ergo dependet essentialiter ab illo; non ita effectus ab Actione.

39 Ad tertium (quatenus dicit, Deum posse supplere Principium Actionis; potest enim facere se solo, quidquid potest facere cū causis secundis) respondeo, Deum non posse se solo efficere hanc numero Actionem, cùm illa sit essentialis dependentia à Principio creato illud Axioma, *Deus potest facere se solo quidquid potest facere cum causa secunda*, solum intelligitur de terminis Actionum, non verò de ipsis Actionibus. Diuersa ratio est, quia termini Actionum non dependent à suis Principijs immediatè, & essentialiter, sed mediatè Actione distinctâ: at verò Actiones sunt ipsæ immediatæ, & essentiales dependentiæ à suis Principijs; quæ proinde non possunt variari.

40 Neque obstat, quòd Deus illas contineat eminenter, & possit producere, vt de facto producit simul cum causis secundis. Non, inquam, id obstat, quia licèt Deus illas contineat eminenter; non inde sequitur illas posse producere modo, qui repugnat, & contradicit earum essentiæ: satis est, quòd illas possit producere modo, qui non repugnat, nec contradicit earum essentiæ, qualis est ille, quo eas producit simul cum causis secundis.

§. 3.

Vtrùm vna Actio possit fieri per aliam.

41 Tertia difficultas: Vtrùm vna Actio possit fieri per aliā? Pro parte

 affir-

affirmatiuâ pugnant quidem ingeniosissimi Recentiores. Et facit primò, quòd saltem in probabili opinione P. Soar. P. Rub. Scot. & aliorum vna relatio prædicamentalis potest referri per aliam. Secundò, vnum relatum transcendens, licèt sit immediatus, & essentialis respectus ad suum terminum, potest ad illum referri mediante relatione accidentali. Tertiò, quia vna Vnio potest vniri per aliam, vt patet in Vnionibus hypostaticis partialibus Animæ, & corporis Christi Domini ad Verbum Diuinum, quæ inter se vniuntur mediante aliâ peculiari Vnione non hypostaticâ. Quartò, quia vna cognitio, quæ est formaliter talis, potest cognosci per aliam: ergo etiam vna Actio poterit fieri per aliam. Quintò, quia non repugnat vnam Actionem diuinitùs fieri simul immediatè, & mediatè: sicut non repugnat idem accidens diuinitùs simul inhærere, & existere per se.

42 Nihilominus hæc, prout proferuntur, non habent verum. Nostra Conclusio sit: Non repugnat vna Actio fieri ab aliâ: repugnat fieri per aliam. Hoc est, non repugnat vna Actio fieri ab aliâ tanquam á Principio: repugnat fieri per aliam tanquam per causalitatem. Prima pars ostenditur, quia non repugnat eleuari entitas Actionis productiuæ, v. g. ignis ad productionem Gratiæ, sicut eleuatur aqua Baptismalis: Ecce vna Actio per aliam producit Gratiam; & consequenter dabitur vna Actio egrediens ab aliâ tanquam à Principio. Antecedens traditur à P. Soar. P. Mol. P. Valent. P. Arrubal, P. Tanner. P. Ruiz, P. Granad. P. Albertin. P. Fonf. P. Becano, P. Hurtado, P. Bellarmin. P. Ripald. P. Arriag. P. Mærat. & alijs pluribus, quos cum D. August. & D. Thom. allegauimus *in Phys. tract. 2. n. 598.* quâtenus in quâlibet entitate operatiuâ admittunt potentiam obedientialem ad quosuis effectus supernaturales. Imò naturaliter admittitur entitatem Actionis producere suam vbicationem, suas relationes, suam vnionem, & suam subsistentiam, si sit substantialis: quibus in euentibus negari non potest quòd vna Actio egrediatur ab aliâ tanquam á Principio: ergo &c.

P. Soar. P. Molin. P. Valent. P. Arrubal P. Tanne. P. Ruiz P. Granad. P. Alberti. P. Fonsec. P. Becanus P. Hurt. P. Bellar. P. Ripalda P. Arriaga P. Marat. D. Aug. D. Thom.

43 Secunda pars, nimirum vnam Actionem non posse fieri per aliam, traditur à P. Soar. *in Met. d. 18. s. 10. n. 8. & tom. de Incarnat. d. 47. s. 3. §. Sed supersunt*, P. Vasquez *1. p. d. 166. n. 11. & d. 168. n. 2. & d. 173. n. 5.* fine, P. Hurt. *in Met. d. 6. s. 1. n. 3.* Accedunt Patres Conimb. *3. de Anim. cap. 8. q. 3. a. 3. §. Vt autem*, P. Tellez *d. 63 s. 5. n. 1.* P. Arriaga *in Phys. d. 14. á n. 56.* P. Ouiedo *in Phys. controuers. 15. punct. 10. n. 3.* Fauet etiam P. Compt. cit. *d. 28. s. 4. n. 6.*

P. Soar. P. Vasq. P. Hurt. Patres Conimbr. P. Tellez. P. Arriaga P. Ouiedo P. Cõpton.

Fundamentum est; quia Actio se ipsâ formaliter est immediata dependentia á suo Principio, á quo egreditur; egreditur enim ab illo per suam essentiam: ergo non potest fieri non immediata; quia *Quod est formaliter tale, non potest fieri non tale*; sin minùs Spiritus, nimirùm Angelus, vel Anima Rationalis, quæ per suam essentiam in se non admittit partes formales, & est indiuisibilis, poterit contingenter illas admittere, & fieri diuisibilis.

44 Confirmatur primò, quia Actio nõ potest tendere in terminum in ratione termini, hoc est, non potest terminari mediatè: ergo neque procedere á Principio, seu fieri mediatè. Dixi *in ratione termini*, quia non nego posse Actionem productiuam caloris eleuari vt per aliam Actionem illum conseruet: verùm tunc non terminabitur ad illũ vt via ad terminum, sed vt causa, seu Principium ad effectum.

45 Confirmatur secundò, quia vna relatio prædicamentalis non potest referri ad suũ terminum per aliam: neque vna Vnio vniri suis extremis per aliam: neque vna Vbicatio vbicari suo spatio per aliam: neque vna inhærentia inhærere suo subiecto per aliam: neque vna Subsistentia subsistere per aliam: ergo neque vna Actio fieri per aliam.

46 Dices: Vna Actio potest fieri ab aliâ: ergo etiam per aliam. Respondeo esse diuersam rationem, quia Actio, quæ fit ab aliâ, non desinit esse immediata dependentia; quæ autem fieret per aliam, maximè: Actio autem formaliter se ipsâ est immediata dependentia; & non potest amittere suam essentiã, vt patet.

§. 4.

Argumenta soluta.

47 NEque fundamenta opinionis cõtrariæ oppositum conuincunt. Ad primum (quâtenus dicit, vnam relationem in bonâ opinione posse referri per aliam) respondeo primò, vnam relationem prædicamẽtalem non posse referri per aliam, vt cum D. Thom. P. Vasq. P. Molin. & alijs ostendimus proxime *tract. 5. de Relatione n. 82.* Respondeo secundò, stando in opinione P. Soar. & aliorum distinguendo Antecedens: Vna relatio prædicamentalis potest ad suum terminum referri per aliam, v. g. paternitas referri ad filiũ per aliam paternitatem, nego Antecedens: referri ad alium terminum diuersum, seu disparatum, transeat Antecedens. Diuersa ratio est, quia relatio solùm respicit essentialiter suum terminum; non verò alium. Inde tamen non colligi-

D. Thom. P. Vasq. P. Molin. P. Soar.

colligitur vnam Actionem posse fieri à suo Principio mediante aliâ; cùm formaliter sit immediata dependentia respectu illius. De quo pleniùs infrà n. 51.

48 Ad secundum (quâtenus dicit, vnum relatum transcendens posse referri ad suum terminum per superadditam relationem prædicamentalem) respondent nonnulli Recentiores, relatum transcendens solùm respicere suum terminum sumptum in esse possibili; & ad illum hoc modo consideratum non posse referri mediante relatione prædicamentali, sed solùm ad illum sumptum in esse existentiæ, vt patet. Non satisfaciunt, quia, licèt relatum trãscendens de se solùm respiciat suum terminum sumptum in esse possibili, aliqua dantur relata transcendentia, quæ per accidens respiciunt terminos sumptos in esse existentiæ, cuiusmodi sunt Vnio, Actio, &, vt vno verbo dicam, omnes modi respectu suæ realitatis: & tamen adhuc huiusmodi relata transcendentia fundant relationes prædicamẽtales, vt communiter admittitur.

49 Quare respondendum censeo, vnum relatum transcendens posse referri per relationem prædicamentalem, quia hæc relata sunt diuersi generis; nam relatum transcendens solùm est formaliter immediatum in genere relati transcendentis, non in genere relati prædicamentalis: at verò vna Actio est formaliter immediata in genere Actionis; vnde est contra eius essentiam fieri in eodem genere mediata.

50 Ad tertium (quâtenus dicit vnam Vnionem posse vniri per aliam, vt patet in Vnionibus hypostaticis partialibus) respondeo, nõ posse vniri per aliam suis extremis, quorum ipsa est Vnio; & sic Vnio hypostatica Animæ non potest illi vniri per aliam: & similiter alia partialis hypostatica corporis non potest ipsi corpori vniri per aliam. Quòd si vna Vnio hypostatica partialis potest mediatè vniri alij, est quia solùm sunt Vniones extremorum, non verò sui; possunt enim se ipsis existere separatæ, vt de facto extiterunt in triduo mortis Christi Domini: tunc enim Vnio hypostatica Animæ extitit separata ab Vnione hypostaticâ corporis. Itaque Vniones non possunt vniri mediatè suis extremis, quorum ipsæ sunt Vniones: solùm possunt vniri mediatè extremis, quorum ipsæ non sunt Vniones: & sic plures concedunt Vniones physicas Materiæ, & Formæ posse vniri hypostaticè mediatè.

51 Dices: Ergo etiam Actiones non poterunt fieri mediatè à Principijs, quorum ipsæ sunt Actiones: at poterunt fieri mediatè ab alijs Principijs, quorum ipsæ non erunt Actiones, sed termini. Respondeo, si fierent ab alijs Principijs, non posse non esse illorum Actiones mediatas; siquidem talia Principia per alias Actiones producerent has, & per has producerent earum terminos: repugnat autem esse eorum Actiones, & tamen mediatas; nam de ratione Actionis est esse immediatam. Adde aliam repugnantiam, nimirum tales Actiones mutare Principia: quòd non minùs repugnat, quàm mutare terminos, & quàm vnam cognitionem mutare obiectum; quod non admittitur, etiam si id fieret mediatè. Accedit, quòd illa Actio, quæ fieret mediatè ab alio Principio extraneo, etiam fieret mediatè à Deo concurrente cum illo mediatè ad talem Actionem: repugnat autem, quòd vna Actio fiat per aliam à Deo, cùm omnis sit immediata dependentia ab illo.

52 Ad quartum (quâtenus contendit, vnam cognitionem posse cognosci per aliam: ergo etiam vnam Actionem fieri per aliam) respondeo, si argumentum valeret, etiam probare vnam Actionem naturaliter posse fieri per aliam, quia vna cognitio naturaliter potest cognosci per aliam: at verò neque Aduersarij admittunt id posse fieri naturaliter: omnibus ergo est assignanda diuersa ratio. Et est hæc, quia cognitio, quæ cognoscitur per aliam reflexam, non desinit esse immediata; reflexio enim non est prior cognitione, sed posterior: at verò Actio, quæ fieret per aliam, desineret esse immediata.

53 Ad quintum (quâtenus dicit, idem accidens diuinitùs posse simul inhærere, & existere per se: ergo eandem Actionem simul esse immediatam, & mediatam) respondeo esse longè diuersam rationem, quia *inhærere*, & *existere per se* præstatur per diuersos modos positiuos, qui ad summum solùm pugnant contrariè; pugna verò contraria potest vinci à Deo. At esse eandem Actionem simul *immediatam*, & *mediatam*, non præstatur per diuersos modos eiusdem Actionis, sed per vnum modum, & eius negationem, quæ in eâdem Actione pugnant contradictoriè: pugna autem contradictoria non potest vinci etiam diuinitùs.

54 Dices, hoc etiam præstari per diuersos modos positiuos; erit enim talis Actio immediata per se ipsam, & mediata per aliam Actionem. Non possum non mirari Recentiores, qui hoc dicunt. Respondeo igitur mediationem, & immediationem exerceri in Actione tanquam in subiecto, in quo immediatio est quædam negatio logica habens mediationem pro formâ negatâ, & pugnans cum illâ contradictoriè; sin minùs in eodem subiecto,

 simul-

nimirum in eâdem Actione, dabitur negatio, & forma negata. Aliter se res habet in accidente, quod simul existeret per se, & inhæreret; nam tunc in accidente tanquam in subiecto solùm pugnarent duo modi positiui, qui respectu eiusdem subiecti solùm, vt dixi, pugnant contrariè.

SECTIO III.

De Actione per ordinem ad Terminum.

55 VIDENDVM primò, Vtrùm Actio respiciat terminum essentialiter? Quod idem est, ac quærere, Vtrùm possit dari Actio sine Termino? Secundò, Quo pacto à Termino distinguatur? Tertiò, Vtrùm cum illo efficiat vnum per se? Quartò, Vtrùm sequatur eius compositionem?

§. I.

Vtrùm Actio respiciat Terminum essentialiter?

56 PRima difficultas: Vtrùm Actio respiciat essentialiter suum Terminum? Non illum respicere essentialiter; imò dari posse Actionẽ absque vllo Termino, existimant Caiet. 1. p. q. 27. a. 1. Ferrar. 2. *contra Gentes cap.* 15. Capreol. *in* 1. *dist.* 27. *q.* 2. Cabrera *tom.* 2. *in* 3. *p. q.* 11. *a.* 1. *d.* 1. §. 9. *n.* 289. Zumel 1. *p. q.* 12. *a.* 2. *d.* 2. *conclusione* 3. Bañes ibidẽ *dub.* 1. *ad* 3. fine, Nazarius ibidem *controuers.* 2. Nauarrete ibidem §. 3. P. Dandinus 3. *de anima digressione* 32. P. Lorinus *Psal.* 35. *versu* 10. §. *Refellitur*, quâtenus asserunt dari intellectionem sine verbo; imò omnes Actiones immanentes potentiarum vitalium elici per se immediatè à potentijs vitalibus, & in eisdem recipi, quin per tales Actiones aliquis Terminus producatur. Probatur primò ex Aristotele 9. *Met. text.* 16. vbi asserit hoc interesse discriminis inter Actiones immanentes, & transeuntes, quód per transeuntes aliquid fiat, non veró per immanentes. Secundó, quia saltem Visio Beata non producit Verbum mentis, seu Terminum. Et sanè huic sententiæ nouissimé subscribunt Patres Carmelitæ *in suo Cursu Complutensi de Anima d.* 21. *q.* 5. *à num.* 78. vbi citant suos Salmanticenses, Aluares, Gonzales, & alios plures.

Caiet. Ferrar. Capreol. Cabrera Zumel Bañes Nazarius Nauarrete P. Dandi. P. Lorinus Aristot. Cursus Complut. Collegium Salmantic. Aluares Gonzales

57 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Actionem respicere Terminum essentialiter, ita vt dari non possit sine illo. Ita D. Thom. D. August. Scot. D. Bonauent. Gabr. & alij, quos citant, & sequuntur P. Soar. *lib.* 2. *de Attributis cap.* 11. *n.* 4. & *in Met. d.* 48. *sect.* 2. *à num.* 16. P. Hurt. *in Met. d.* 16. *à* §. 10. Ægid. Lusit. *l.* 11. *q.* 7. *a.* 3. *n.* 31. P. Gil. *tomo de Visione manuscripto tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 9. P. Molin. 1. *p. q.* 12. *a.* 2. *d.* 1. P. Fasol. 1. *p. q.* 12. *a.* 2. & *n.* 5. citans Syluest. Sotum, Guilhelmum Parisiensem, Radam, Richardum, Bassolum, Frigosium, P. Arrubal, P. Betanum, P. Torres, & alios. Quibus accedunt P. Salas 1. 2. *tom.* 1. *q.* 3. *tract.* 2. *d.* 5. *s.* 2. *num.* 28. Patres Conimbr. 3. *de Anima cap.* 8. *q.* 3. *a.* 2. P. Tellez *d.* 63. *sect.* 2. *n.* 11. P. Rub. *lib.* 3. *de Anima tract. de Actu intellectus q.* 3. *num.* 168. P. Arriaga *in Physi. d.* 9. *num.* 70. P. Compton. *de Anima d.* 22. *sect.* 1. *num.* 2.

58 Et probatur, quia Actio est essentialiter via, productio, causalitas, & dependentia; at veró via non intelligitur sine Termino, nec productio sine re productâ, nec causalitas, & dependentia sine re dependente. Et confirmatur, quia non potest intelligi relatio sine Termino, nec cognitio sine obiecto cognito; neque sine Termino; imò neque ipsa Actio sine re agente: ergo neque sine re actâ.

D. Thom. D. Aug. Scotus D. Bonau. Gabriel P. Soar. P. Hurt. Ægid. Lus. P. Gil. P. Molin. P. Fasol. Syluest. Sotus Guilhelm. Parisiens. Rada Richard. Bassol. Frigosius P. Arrub. P. Betan. P. Torres P. Salas Patres Conimbr. P. Rub. P. Arriaga P. Compto.

59 Ad primum ex Aristotele respondeo, Aristotelem loco cit. solùm velle Actiones immanentes nihil producere extra potentiam, & in eo distingui ab omnibus Actionibus transeuntibus; nam hæc semper producunt aliquid extra potentias.

60 Ad secundum (quâtenus asserit, Visionem Beatam non producere Verbum mentis, seu Terminum) respondeo, eam opinionem de Visione Beatâ esse contra D. Thom. 1. *p. q.* 24. *a.* 1. & 3. *contra Gentes cap.* 49. & *q.* 9. *de Potentia a.* 5. vbi docet, Verbum formari ab omni Intellectu creato, eo ipso quòd intelligens est, & *q.* 4. *de Veritate a.* 2. idem expresse docet de Visione per Essentiam. Est etiam contra D. August. *lib.* 9. *de Trinitate cap.* 7. 10. & 11. & *lib.* 15. *cap.* 26. Imò Sancti Patres exemplo Actionis intellectiuæ, quæ producit Verbum, explicare solent productionem Verbi Diuini via Intellectionis: quod exemplum non esset bonum, si Visio Essentiæ Diuinæ non produceret Verbum. Et id alijs pluribus, & efficacissimis rationibus probant P. Soar. cit. *lib.* 2. *de Attrib. cap.* 11. P. Erice 1. *p. tract.* 4. *d.* 42. *c.* 5. vbi cit. P. Vasquez, P. Valent. P. Arrubal, Patres Conimbric. P. Hurtad. & alios. Id etiam optimè conuincit P. Martinon *disput.* 8. *de Deo num.* 25.

D. Thom. D. Aug. P. Soar. P. Erice P. Vasq. P. Valent. P. Arrub. Patres Conimbr. P. Hurt. P. Martin.

Dicunt

61 Dicunt Aduersarij Verbum oportere esse eiusdem rationis cum obiecto. Verùm hoc reiecimus tract. 7. de Anim. n. 127. agendo de speciebus. Dicunt prætereà Verbum repræsentans Deum debere esse infinitum. Sed contrà, quia illum non repræsentat comprehensiuè, neque infinito modo. Sed de hoc pleniùs in Materiâ de Visione, quò me differo, ac reseruo.

§. 2.

De distinctione Actionis à suo Termino.

62 Secunda difficultas: Quo pacto Actio distinguatur à suo Termino? Prima sententia est Scoti in 4. dist. 13. Caietani, & aliorum apud Patres Conimbricenses 3. Physicor. cap. 3. q. 1. opinantium Actiones esse quidem modos, sed identificari cum Agentibus; ac proinde ratione eorum distingui realiter à suis Terminis. Verùm hanc sententiam refutauimus in Phys. tract. 2. n. 27. vbi ostendimus cum communi Actiones, seu causalitates habere se ex parte Termini, & cum illo identificari. *Scotus Caiet.*

63 Secunda sententia est Ocham, Gregor. Heruæi, Iauel. & aliorum apud P. Soar. in Met. d. 48 sect. 1. n. 9. qui existimant Actionē distingui tantùm virtualiter à suo Termino. Huius sententiæ partem videtur tenere D. Thom. 1. p. q. 45. a. 3. Et certè eam sequuntur Thomistæ ibidem, quibus subscribit P. Valent. 1. p. d. 3. q. 2. puncto 1. 6. Si autem Creatio accipiatur, quatenus in Creatione distinguūt duas partes, alteram actiuam; & hanc collocant ex parte Dei, dicuntque consistere in eius Voluntate, seu Decreto: alteram passiuam; & hanc collocant ex parte creaturæ, dicuntque solùm virtualiter distingui ab ipsâ creaturâ. Consentit P. Tiphanus lib. de Hypost. & Persona c. 54. & 6. negās cum P. Wadingo omnes Modos, pro quâ sententiâ allegat 40. graues Doctores. Et hoc secundum probatur primò, quia superflua est maior distinctio, quàm virtualis. Secundò, quia si daretur Creatio distincta à Termino ex naturâ rei, certè esset infinita; eadem enim videtur ratio de Creatione, ac de Potentiâ creatiuâ; atqui hæc debet esse infinita: ergo & illa. Tertiò, quia si Creatio accidentis esset aliquid ex naturâ rei distinctum à Termino, neque foret Substantia, vt patet; neque accidens, cùm sit formalis independentia à subiecto inhæsionis. *Oham. Gregor. Heruæus Iauellus D. Thom. P. Valent. P. Tiphan.*

64 Nihilominus dicendum cum probabiliori sententiâ Actionem distingui à Termino distinctione modali ex naturâ rei. Ita Victoria, Sot. & alij, quos referunt, & sequuntur P. Soar. in Met. d. 18. sect. 10. & d. 48. s. 2. & 4. P. Vasq. 1. 2. d. 7 . P. Tellez d. 63. sect 4. n 1. P. Hurt. in Met. d. 16. s. 1. P. Rub. 2. Physic tract. de Causa Efficiente, P. Molin. 1. p. q. 27. art. 1. d. 8. memb. 2. P. Ouiedo in Phys controuers. 12 puncto 1. n. 9. P. Sancta Cruz in Phys. n. 399. cum P. Hemelman, P. Alarcon, P. Bernal. Cardin. Lugo, Castelui, Patres Conimb 3. Physic. c. 2. q. 3. art. 2. P. Arriaga in Phys. d. 9. num. 19. P. Compton in Phys. d. 40. s. 6. n 4. Et in primis, quòd Actio distinguatur à solo Decreto, vel à Decreto Dei connotante terminum, probaui à n. 5. Quòd verò distinguatur ab ipso Termino, probatur, quia Terminus productus per vnam Actionem potest conseruari, & manere sine illâ, vt patet in Quantitate Sacræ Eucharistiæ, quæ ante conseruationem producta fuit per Eductionem, & posteá conseruatur extra subiectum per Creationem. *P. Soar. P. Vasq. P. Tellez P. Hurt. P. Rub. P. Molin. P. S. Cruz P. Hemel. P. Alarc. P. Bernal. P. Lugo Castelui Patres Conimbr. P. Arriaga P. Cōpton.*

65 Et confirmatur primò, quia prædictæ Actiones successiuæ distinguuntur inter se ex naturâ rei; siquidem dari potest vna sine aliâ: ergo etiam distinguuntur à Termino; sin minùs non distinguerentur inter se, iuxta illud Axioma: Quæ sunt eadem in vno tertio, sunt idem inter se. Confirmatur secundò, quia dependentia causæ Materialis distinguitur ab eius effectu ex naturâ rei; siquidem potest ab illo auferri, vt videre est in accidente, quod collocatur extra subiectum: ergo idem dicendum de dependentiâ causæ Efficientis respectu effectûs.

66 Procedit hæc doctrina, & habet locum etiam in Creatione (tametsi de illâ soleat esse maior controuersia) procedit tamen etiam in illâ. Et ostenditur efficaciter in Creatione Quantitatis Sacræ Eucharistiæ; negari enim non potest quòd distinguatur ab ipsâ Quantitate ex naturâ rei; siquidem Quantitas potest manere sine illâ.

67 Quòd huiusmodi distinctio ex naturâ rei sit solùm modalis, hoc est, vt modus à re, ostenditur: quia non est necessaria maior distinctio. Deinde, quia Terminus potest manere sine illâ Actione, succedente aliâ: Actio verò non potest manere sine Termino.

§. 3.

Quo pacto Actio productiua Modi distinguatur ab illo?

68 Vtrùm verò solæ Actiones productiuæ Realitatum: an etiam productiuæ Modorum ab illis distinguantur ex naturâ rei? Plures Recentiores opinantur Actiones Modorum non distingui ab ipsis Modis ex naturâ rei, sed solùm virtualiter, sicut

sicut eorum inhęrentiæ, & vniones. Probatur primò, quia Modus opponitur realitati ; sed dependet à suo principio mediante Actione distinctâ ex naturâ rei: ergo Modus dependebit immediatè se ipso. Secundò, quia Modus propter suam diminutam entitatem est essentialiter immediatus suæ realitati: ergo etiam suo principio.

69 Debuere tamen hi meminisse defendere se cum P. Hurt. Modos posse diuinitùs creari; quod stare non potest cum eo, quòd essentialiter se ipsis educantur. Deinde ostendo Modorum Actiones distingui ab illis ex naturâ rei, quia productio Modi non potest manere sine illo: Modus autem potest manere sine hâc productione; nam Deus potest se solo illum conseruare. Et hoc nititur, tum illo communi Principio, *Deus potest facere se solo quidquid potest efficere cum causa secunda*: tum multis exemplis: Nam Deus se solo conseruat Vnionem inter Materiam, & Animam Rationalem, quæ fuit producta á parentibus: se solo conseruat Vnionem hypostaticam, ad quam, vt plures existimant, primò concurrit Beata Virgo: adde, quód primum Vbi corporis Christi Domini in Sacrâ Eucharistiâ, quod fuit productum á verbis Consecrationis, conseruatur ab speciebus Sacramentalibus, vt sequēti *tract.* 7. ostendemus.

70 Neque conuincunt illæ duæ rationes in contrarium adductæ, quibus succumbunt recentiores Magistri. Non prima, quia Modus non opponitur realitati quóad omnia, sed in aliquibus, nimirum in eo, quòd Modus sit immediata, & essentialis vnio sui ad suam realitatem, realitas verò non sit essentialis vnio sui ad aliam realitatem. Non secunda, est enim longè diuersa ratio; nam Modus est essentialiter immediatus suæ realitati, quia est illius Modus; ac proinde sui vnio ad illam: non est autem Modus principij; imò ab illo distinguitur ex naturâ rei, vt patet in ipsâ Actione respectu Principij, quæ, cùm se habeat ex parte Termini, sicut illa, ita & ipsa distinguitur á Principio ex naturâ rei.

71 Sed iam ad fundamenta Ochami, & aliorum proposita *num.* 63. quibus Nominales contendunt solùm Creationem distingui à Termino solùm virtualiter. Ad primum (quâtenus dicit superfluam esse maiorem distinctionem) respōdeo patere ex dictis necessitatem distinctionis ex naturâ rei.

72 Ad secundum (quâtenus dicit Creationem distinctam á Termino fore infinitam; quia eadem est ratio de Creatione, ac de potentiâ creatiuâ) respondeo esse diuersam rationem, quia Creatio tenet se ex parte effectûs: vnde sicut ille non est infinitus, ita neque Creatio.

73 Ad tertium (quâtenus asserit implicare Creationem accidentis distinctam, quia neque esset Substantia, neque accidens) patet solutio ex sæpè dictis. Nam ad hoc, vt talis Actio sit in suâ entitate accidens, satis est quòd identificetur cum accidente faciendo vnum per se cū illo, prout diximus de Modo Eucharistico.

§. 4.

Vtrùm possibilis sit Actio aut virtualiter, aut realiter distincta á suo Termino?

74 QVæres primó, Vtrùm possibilis sit creatura, cuius Actio ab eâ virtualiter distinguatur? Respondeo in primis, si detur aliqua entitas actu essentialiter procedens ab aliquâ causâ hoc determinato modo, id fore per Actionem indistinctam; procederet enim actu immediatè per suam quidditatem, & essentiam: ergo per aliquid indistinctum. Vtrùm verò possibilis sit talis entitas sic actu egrediens essentialiter ab aliquâ causâ? Nulla in eo visitur repugnantia; sic se habent in Diuinis Filius respectu Patris, & Spiritus Sanctus respectu vtriusque. Et in creatis nulla apparet contradictio; non enim repugnat ex parte conceptûs entis creati; nam omnis Actio creata sic actu dependet essentialiter á suo Principio: non ex parte entis realis, prout realitas contradistinguitur à Modo; nam in Diuinis Filius est realitas: & tamen actu procedit essentialiter á Patre. Et sanè ita cum P. Arriagâ, & alijs Modernis sentit P. Ouiedo *in Phys. controuers.* 12. *puncto* 1. *n.* 7. P. Arriaga P. Ouiedo

75 Quæres secundò, Vtrùm possibilis sit Terminus, cuius Actio ab illo realiter distinguatur? Respondeo negatiuè cum P. Suar. *in Met. d.* 48. *s.* 1. *n.* 9. Et probatur, quia Actio est essentialiter causalitas, seu dependentia: de ratione autem dependentiæ est esse Modum rei dependentis; sicut de ratione Subsistentiæ est esse Modum rei subsistentis; & de ratione Sessionis, & Stationis est esse Modū rei Sedētis, & Stantis. P. Suar.

76 Et confirmatur, quia Actiones Diuinæ ad intrà, solùm sunt realitates, quia sunt Actiones Diuinæ; si enim essent creatæ non essent realitates, sed modalitates: quando autem vna ratio conuenit alicui enti solùm ex eo, quòd sit Diuinum, ita est propria solius Dei, vt nulli alij simili enti creato competere possit; sic *esse à se*, quia competit perfectionibus Diuinis ex eo, quòd sint Diuinæ, nulli perfe-

perfectioni creatæ competere potest; Vide quæ diximus *tract. 1. n. 531.*

§. 5.

Vtrùm Actio recipiatur in Termino tanquam in subiecto?

77 TErtia difficultas: Vtrùm Actio recipiatur in Termino, tanquam in subiecto? Affirmant P. Sancta Cruz *in Phys. num. 812.* & Patres Conimbr. *1. de Generat. c. 4. q. 4. a. 3. §. Quoad secundum*, vbi dicunt Actionem, & Terminum esse mutuò priores, & posteriores in diuerso genere causæ, vt se habent Materia, & Forma in diuerso genere causæ. Et confirmatur, quia Actio est Modus Termini; Modus autem subiectatur in suâ realitate.

P.S.Cruz. Patres Conimbr.

78 Sed probabiliùs dicendum Actionem non subiectari in Termino. Probatur, quia subiectum logicè præintelligitur, & existit priùs, ac antecedenter ad formam, quam recipit: at verò Terminus non potest intelligi, & existere priùs, ac antecedenter ad Actionem; nam in eo priori quomodò habet existentiam ante Actionem? Potestnè habere existentiam ante Actionem? & si illam habet, ad quid posteà indiget subsequente Actione? Confirmatur ex ijs, quæ *in Phys. tract. 2. n. 176.* diximus de Formâ, ex eo enim, quòd sit posterior Materiâ, ostendimus nō posse esse causā illius: ergo neque Terminus poterit esse causa Materialis Actionis; siquidem non est prior illâ. Et sanè ita in præsenti docent P. Soar. *in Met. d. 48. s. 3.* P. Vasquez *1. p. q. 42. d. 219. cap. 5. n. 17. §. Age tamen*, P. Tellez *d. 63. s. 2. n. 10.* P. Hurtad. *in Phys. d. 11. §. 47.*

P. Soar. P. Vasq. P. Tellez. P. Hurt.

79 Neque obstat primò, quod pro contrariâ sententiâ dicitur de mutuâ prioritate in diuerso genere: hanc enim non admittimus *in Phys. tract. 2. n. 60.* Non obstat secundò, quòd Actio sit Modus Termini; & omnis Modus recipiatur in suâ realitate: id enim solùm est verum de Modo, qui supponit suam realitatē, & est posterior illâ; quo pacto se non habet Actio respectu Termini.

§. 6.

Vtrùm Actio efficiat vnum per se cum Termino?

80 QVarta difficultas: Vtrùm Actio efficiat vnum per se cum Termino? Negant Cardinalis Lugo *de Eucharist. d. 7. n. 129.* P. Hurt. *in Phys. d. 12. s. n. 40.* Basilius Ponce *1. p. Variarum d. 98. s. 3.* P. Arriaga *in Met. d. 4. n. 40.* & communiter Recentiores, Probatur primò, quia Actio, & Terminus sunt duo entia completa: Actio spectās ad Prædicamentum Actionis; Terminus, v.g. Angelus, spectans ad Prædicamentum Substantiæ: ex duobus autem entibus completis non coalescit vnum per se. Secundò, quia ex entibus diuersi Prædicamenti non fit vnum per se. Tertiò, quia Actio est accidens; Terminus Substantia: ex accidente verò, & Substantiâ non fit vnum per se. Quartò, quia si Actiones efficerent vnū per se cum Terminis, non possent magis conuenire inter se, quàm ipsi Termini: & quod inde sequitur, Actiones non essent vniuocæ; siquidem earum Termini sunt analogi. Quintò, quia in tantùm Actio efficeret vnum per se cum Termino, in quantùm esset illius complementum: atqui non est illius complementum. Et hoc ostenditur, tū quia complementū supponit rem, quam complet; Actio verò subsequitur suum Terminum: tum quia res censetur variari, variato eius Termino, & complemento: non censetur autem Terminus variari, variatâ eius Actione: tum, quia si Actio poneretur ex parte causæ, Terminus non esset minùs completus, quàm modò est; ergo signum est, quòd Actio non sit complementum Termini. Sextò, quia Vbicatio non facit vnum per se cum re vbicatâ: ergo neque Actio cum re productâ.

P. Arriaga

81 Nihilominus hæc solùm rectè procedunt, & institutum conficiunt in Actione sumptâ secundùm respectum ad Agens: non in illâ prout est via ad Terminum, quem constituit, & secundùm habitudinem ad illum, vt optimè notat P. Soar. *in Met. d. 20. s. 5. num. 27.* & *de Sacramentis d. 50. s. 5. §. Dices*, cui subscribit P. Tellez *d. 63. s. 4. n. 2.* Et probatur, quia Actio, prout est via ad Terminum, non illum supponit, imò constituit; componit enim cum illo, non supponendo: ergo cōstituendo. Quidquid autem efficit vnum per accidens cum alio, illi aduenit iam in suo esse constituto, hoc est, illud non constituit in suo esse, sed supponit constitutum. Et declaratur, quia Actio, prout est via ad Terminum, non denominat Agens, id solùm præstat sub respectu, & habitudine ad illud. Deinde non habet aliud subiectum respectu cuius sit accidens; non enim subiectatur in Termino, vt constat ex proximè dictis *n. 78.* Itaque, prout est via, non est accidens respectu Principij; siquidem, prout sic, nō illud denominat: sed neque est accidens respectu Termini, quia non subiectatur in illo. Et vrgetur efficaciter, quia omne illud, quod cum alio componit, non vt eius accidens, facit vnum per se cum illo. V.g. quid-

P. Soar. P. Tellez.

quid

quid componit cum Substantiâ, non vti eius accidens, facit vnum per se cum illâ; si enim componit, aut est eius pars; aut complementum: si non vti eius accidens, sanè vti Substantia, ac illa.

82 Et confirmatur exemplo inhærentiæ, quia inhærentia prout identificatur cum accidente, sub habitudine ad illud constituit illud: ergo similiter Actio prout identificatur cum Termino, sub habitudine ad illum constituet illum. Dices, esse diuersam rationem, quia Actio spectat ad aliud Prædicamentum; & ideò non potest constituere Terminum in esse diuerso: inhærentia non spectat ad aliud Prædicamentum. Sed contrà, quia eo non obstante Actio constituit Passionem in esse diuerso: ergo etiam potest constituere Terminum in esse diuerso. Itaque ratio Actionis Prædicamentalis, cùm consistat in denominatione per ordinem ad Agens, non consequitur entitatem Actionis secundùm alios respectus, sed sistit in solo respectu, & habitudine ad ipsum Agens. Potest adhuc eadem entitas spectare ad diuersa Prædicamenta, si habeat respectus eorum constitutiuos, & de facto sub respectu, & habitudine ad Passum constituit Prædicamentum Passionis: ergo similiter sub respectu ad Terminum, quàtenus cum illo identificatur non illum supponendo, eum constituet; sicut inhærentia quàtenus identificatur cum accidente, non illud supponendo, constituit illud.

§. 7.

Argumenta soluta.

83 NEque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quàtenus dicit Actionem, & Terminum esse duo entia completa, spectantia ad diuersa Prædicamenta: ex duobus autem entibus completis non fieri vnum per se) respondeo, Actionē non efficere vnum per se cum Termino sumptam secundùm respectum ad Agens, sed secundùm respectum ad ipsum Terminum, cuius est via, constitutiua illius, quo pacto non est ens completum, sed incompletum. Neque est absurdum, quòd eadem entitas sub vno respectu sit completa, & sub alio incompleta: sicut non est quód sub vno pertineat ad vnum Prædicamentum, & sub alio ad aliud, vt patet in ipsâ Actione, & Passione. Adde, quòd Linea sub vno respectu est completa, & sub alio incompleta, vt liquet ex dictis *tract.* 3. *de Quantitate à n.*65. & ibi alia exempla retulimus.

84 Ad secundum (quàtenus dicit ex entibus diuersi Prædicamenti non resultare vnū per se) patet responsio ex dictis. Dicendum enim est Actionem solùm per ordinem ad Agens spectare ad Prædicamentum Actionis: per ordinem autem ad Terminum cum illo identificari, & spectare ad idem Prædicamentum, ad quod ipse spectat.

85 Ad tertium (quàtenus asserit Actionem esse accidens, Terminum veró Substantiam) respondeo, Actionem productiuam Substantiæ physicè cōsideratam esse Substantiam eiusdem ordinis cum suo Termino, quem producit: solùm per ordinem ad Agens logicè considerata dicitur accidens, quàtenus denominat Agens iam in suo esse constitutum. Benè potest autem eadem entitas physicè considerata esse Substantia, logicè verò accidens; vt patet in veste, quæ in se, ac physicè spectata pertinet ad vnum Prædicamentum, considerata veró per ordinem ad aliud constituit diuersum Prædicamentum.

86 Ad quartum (quàtenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ Actiones non conuenire vniuocè, sed spectare ad diuersa Prædicamenta pro diuersitate Terminorum) respondeo, id verum esse de Actionibus, quàtenus sunt viæ; falsum de illis per respectum ad Agens: sub hoc respectu, & denominatione possunt conuenire vniuocè, sicut conueniunt in ratione Passionis sub respectu ad Passum.

87 Instabis: Actio quá talis, dicit respectum essentialem ad Terminum, cuius est via; sed sub hoc respectu ad Terminum non potest esse vniuoca: ergo &c. Respondeo, Actionem adæquatè sumptam secundùm vtrūque respectum non posse vniuocé conuenire, sed esse ens per accidens: aliter dicendum de Actione inadæquatè, sumptâ solùm per ordinem ad Agens, quo pacto constituit Prædicamentum Actionis, & conuenit vniuocè.

88 Ad quintum (quàtenus dicit, Actionem non esse complementum sui Termini) respondeo esse. Neque verum est complemētum debere semper supponere rem, quam complet; nam Vnio Compositi physici, & Vnio Formæ materialis est illius complementum; & tamen non illam supponit, sed constituit; similiter inhęrentia non supponit accidens, sed est simul cum illo; & tamen illud constituit. Illud prætereá, quod assumitur, nimirum rem variari variato eius complemento, est falsum, si de entitate rei specificatiuè sumptâ sermo sit: vnde eadem entitas accidentis perseuerabit, licèt varietur eius inhærentia; eadem Natura, licèt varietur eius Subsistentia: similiter eadem entitas Termini, licèt varietur Actio circa illum. Vltimò ad id, quod dicitur, nēpe, si Actio

si Actio poneretur ex parte Agentis, adhuc Terminum manere completum: respōdeo non manere, sed cum aliquali vacuitate, quam Actio complebat.

89 Ad sextum de Vbicatione, quæ non facit vnum per se cū re vbicatā: respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam. Ratio diuersitatis est, quia Vbicatio supponit rē cōstitutā in suo esse, solùmq; illā determinat ad locū: at verò Actio nō supponit, sed cōstituit rem in suo esse, cùm sit fieri illius.

§. 8.

Vtrùm Actio sequatur compositionem sui Termini?

90 QVinta difficultas: Vtrùm Actio Termini diuisibilis, diuisibilis sit? Esse impartibilem, nec sequi compositionem sui Termini, suaderi potest primò, quia Actio quā producitur accidens simul, & inhærentia; item Formæ materialis simul, & eius Vnio, est vna, & indiuisibilis, vt communiter dicitur: & tamen eius Terminus est diuisibilis. Secundò, quia Vbi Angelicum non sequitur simplicitatem ipsius Angeli; potest enim esse diuisibile, licèt Angelus omninò indiuisibilis sit: item Vnio Animæ Rationalis ad corpus non sequitur simplicitatem ipsius Animæ, sed est sectilis, & diuisibilis, quantumuis ipsa Anima indiuisibilis sit: ergo etiam Actio non sequitur compositionem Termini, cum quo identificatur.

91 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Actionem sequi compositionem sui Termini, cum quo identificatur. Ita P. Soar. *in Met. d. 34 sect. 6. à num. 5. & tom. de Incarnat. d. 8. s. 1. §. Sed nihilominus*, imò P. Compton. *in Phys. d. 13. s. 5. n. 6.* expresè docet implicare Actionem indiuisibilem habentem Terminū diuisibilem. Et probatur, quia Modus sequitur naturam rei, cuius est Modus; sed Actio est Modus Termini, vt constat ex dictis *num. 64.* ergo sequitur illius naturam, seu compositionem. Et confirmatur primò, quia si Actio esset simplex, & non ità Terminus, sanè partes Termini, cùm essent idem modaliter in Actione, non possent esse plures inter se: item si Terminus esset simplex, & non ità Actio, cùm partes Actionis essent idem in Termino, non possent esse plures inter se. Confirmatur secundò, quia si Terminus est spiritualis, etiā Actio est spiritualis; si corporeus, etiam Actio est corporea: ergo si diuisibilis, vel indiuisibilis, etiā Actio erit diuisibilis, vel indiuisibilis.

P. Soar.
P. Compt.

92 Ad primum de Actione accidentis, simul & eius inhærentiæ; item de Actione Formæ materialis, simul & eius Vnionis: respondeo dici indiuisibilem in opinione P. Soar. nō quòd careat partibus, sed quia sint simul inseparabiliter.

93 Instabis: Signum distinctionis est separabilitas; atqui per se vna pars huiusmodi Actionis nequit separari ab aliā: ergo non distinguuntur ex naturā rei. Respondeo illa distingui, quæ aut per se possunt separari: aut saltem identificantur cum rebus, quæ possunt separari: hinc est, quòd vniones Materiæ, & Formæ distinguantur ex naturā rei, quia licèt per se vna non possit separari ab aliā, idē tificantur tamen cum Materiā, & Formā, quæ possunt separari à parte rei. Similiter dicendum de partialibus Actionibus, quæ terminantur ad accidens, & ad eius inhærentiam, quæ licèt non possint separari per se formaliter, satis est quòd identificentur cum Terminis, qui possunt separari à parte rei. Hæc, vt dixi, procedunt in opinione P. Soar. Nam in meā opinione Actio partialis Formæ potest perseuerare variatā eius vnione ad Materiam: & similiter Actio partialis accidētis variatā eius vnione ad idem subiectum.

94 Ad secundum de Vbi Angelico, & Vnione Animæ Rationalis ad corpus: respondeo primò, neque Vbi Angelicum, neque Vnionem Animæ Rationalis ad corpus esse formaliter diuisibilem; vt sequenti *tract. 7.* agendo de Vbi Definitiuo rei spiritualis ostendemus. Respondent alij secundò, esse diuersam rationem de Vbi Angelico, & de Vnione Animæ Rationalis; nam Vbi Angelicum habet vnde desumat diuisibilitatem, nimirum, ab spatio diuisibili, cuius est correspondentia essentialiter. Similiter Vnio Animæ Rationalis ad corpus habet, vnde desumat diuisibilitatem, nimirū ab ipso corpore, quod respicit essentialiter: at verò Actio Termini diuisibilis non habet, vnde desumat indiuisibilitatem.

§. 9.

Vtrùm quoties Termini constituunt vnum per se, similiter constituant eorum Actiones?

95 QVæres, Vtrùm quoties Termini cōstituunt vnū per se, eorū Actiones similiter vnum per se constituant? Negat P. Soar. cit. *in Met. d. 15. s. 3. n. 7.* & cum eo communiter Recentiores. Primò, quia Actiones Cōpositi physici, nēpe Materiæ, & Formæ, sunt valde diuersæ. Secundò, quia cōceptus distincti Materiæ, Formæ, & Vnionis nō P. Soar.

sunt

sunt incompleti: ergo neque earum Actiones. Tertiò, quia vbicationes Materiæ, & Formæ non faciunt vnum per se; & similiter dicendũ de earum Relationibus: ergo & idem de earum Actionibus.

96 His non obstantibus, probabilior mihi videtur opposita resolutio. Probatur inprimis exemplo Actionum partialiũ partium integrantium, quibus nimirum producuntur partes huius Quantitatis palmaris, aut partes huius ignis, aut huius aquæ: omnes enim cõcedũt constituere vnũ per se, sicut earum Termini. Deinde, quia eadem videtur ratio de Subsistẽtijs partialibus; itẽ de inhærentijs partialibus, ac de Actionibus partialibus: Subsistentiæ autẽ partiales cõstituunt vnũ per se, quoties earum Naturæ: itẽ partes inhærentiæ cõstituunt vnũ per se, quoties partes eius accidentis. Præterea, quia Actiones, cũ identificentur cũ Termino, & illũ sequantur quòad cõpositionẽ, vt patet ex dictis n. 91. imò & quòad cõpositionẽ per se cum illo, benè infertur etiam illũ sequi quòad compositionem inter se.

97 Ad primum (quatenus dicit Actiones Cõpositi physici, nempe Materiæ, Formæ, & Vnionis esse valde diuersas) respondeo nõ esse magis diuersas inter se, quàm earũ Terminos: qui tamen constituunt vnum per se. Ad secũdum de conceptibus, dico hos non identificari cum Terminis. Ad tertium de Vbicationibus, & Relationibus, inprimis est specialis ratio, quia Actiones constituunt, & faciunt vnũ per se cũ partibus Termini: ergo & inter se. Deinde etiam plures dicunt Vbicationes cuiusuis Compositi physici facere vnum per se: & idẽ asserunt de relationibus. Quod nos sequenti tract. 7. examinabimus.

SECTIO IV.

Unde Actiones desumant suam specificationem?

98 NON agimus de Principio specificatiuo intrinseco, hoc est de differentiâ specificâ, vel indiuiduante Actionis: sed solùm de eius Principio indiuiduante, & specificatiuo extrinseco; à quo, tanquam à signo infallibiliter colligitur eius Principium intrinsecum.

(:?:)

§. 1.

De Principio indiuiduationis Actionum extrinseco.

99 PRima difficultas, de Principio indiuiduationis Actionũ extrinseco. Non est sermo de Principio Vniuersali, qualis est Causa Prima, cuius proprium est liberè determinare entitates creatas quòad indiuiduum. Quæstio solùm procedit de Principio particulari indiuiduationis Actionum, quo variato non possunt non ipsæ Actiones numero variari. Et ratio dubitandi est, quia videtur Actiones neque à Principio, neque à Termino indiuiduari: non à Principio, quia ab eodem possunt egredi plures numero Actiones: non à Termino, quia circa eundem possunt similiter plures exerceri.

100 Dicendum tamen Actiones indiuiduari à Principio, & à Termino, ita vt quolibet variato non possint non Actiones numero variari. Ita P. Soar. de Incarnat. d. 31. sect. 6. & de Sacram. d. 9. & in Met. d. 20. sect. 5. n. 13. & d. 22. s. 4. n. 9. & d. 48. s. 3. n. 22. P. Arriaga in Phys. d. 9. n. 66. P. Compton. in Phys. d. 4. sect. 4. num. 10. P. Soar. P. Arriaga P. Cõpto. Probatur, quia hæc numero Actio pendet essentialiter ab hoc numero Principio, vt cõstat ex n. 26. & ab hoc numero Termino, vt cõstat ex n. 57. ergo quolibet variato non potest ipsa non variari. Et confirmatur, quia non magis pendet Vnio ab vtroque extremo: similiter Relatio ab vtroque, quàm Actio à Principio, & à Termino: at verò Vnio, & Relatio indiuiduãtur ab vtroque extremo, ita vt quolibet variato nõ possit non Vnio, & Relatio numero variari.

101 Neque obstat illud, quod in ratione dubitandi allegatur. Nam ab eodẽ Principio idcircò possunt egredi plures Actiones, quia possunt earum Termini multiplicari. & circa eundẽ Terminũ possunt multiplicari Actiones, quia possunt earum Principia multiplicari: nos autem dicimus sufficere multiplicationem, vel Principij, vel Termini.

§. 2.

De Principio specificatiuo Actionum extrinseco.

102 SEcunda difficultas, de Principio specificatiuo Actionũ extrinseco. Prima sententia docet Actiones nõ specificari à Terminis, sed à solis Principijs. Ita sentire videtur D. Thom. 1. p. q. 14. a. 5 ad 3. & 1. 2. q. 1. art. 1. & q. 54. art. 2. & de Veritate q. 20. art. 1. D. Thom. Et certè sentiunt Thomistæ Zumel 1. p. q. 27. art. 1. d. 14. Bañes 1. p. quæst. 77. art. 3. Zumel Bañ. Monte.

Bañes 1 p.q.77.a. 3. Montesinus 1. 2. d.1.q.7. Cursus Cõplutensis in Log.d. 16.q.2.n.12. Secũda sententia tenet Actionem non specificari à Principijs, sed à solis Terminis. Ita etiã sentire videtur D. Th.q.6. de Potentia a.8. & sané sentiunt Ægid. Roman. in 1. dist. 17 a.2. Quibus accedunt Patres Conimbr. 5. Phys. c.4 q.1.a.2.

Bañes. Montesin. Cursus Complut. Ægid. Ro. Patres Conimbr.

103 Nihilominus dicendũ Actiones specificari à Principijs simul, & à Terminis. Pro hâc veriùs allegari potest D. Thom. qui docẽs Actiones specificari per Principia locis adductis pro primâ sententiâ, & posteà docẽs specificari per Terminos loco adducto pro secũdâ, certè specificari per vtrũque opinatus est. Adde, quòd vtrũq; expressè tradidit 1.p.q.77. a.3. in corpore, vbi: *Ex his duobus*, inquit, *Actio speciẽ recipit*, scilicet, ex Principio, & ex Termino. Eandẽ sententiã amplectitur P. Sal. 1.2.trac. 1. d. 7.á n. 10. & P. Vasq. ibid. d. 36.n. 18. Et certè P. Soar. in Met. d.48. f.3.n.22. & magis expressè tom. de Incarn. d.31. f. 6. in solutione sexti argumẽti §. An vero. Adde Arist. 5. Phys. c.4. tex. 31. Albert. M. ibidẽ tr.3. c.1. Scot. in 1. dist.23.q.vnica §. Ad quæstionẽ. Accedũt P. Tellez d. 63. f.3. n.2. fine, P. Arriag. in Phys. d.9. á n. 66. P. Sãcta Cruz in Phys. á n 817. P. Cõpton. cit. f.4.n.6.&9 Et probatur, quia Actio est respectus transcendẽtalis ad Principiũ simul, & ad Terminũ, vt cõstat ex dictis n.76. & n.97. seu, quod idẽ est, ab vtroque desumit formaliter suũ esse: iã at verò vnde res formaliter habet quòd sit, inde habet quòd talis sit; nã esse formale huius rei nõ distinguitur á tali esse; cùm res per id distinguatur ab alijs quo constituitur in se.

D. Thom. P. Salas P. Vasq. P. Soar. Aristot. Albert. M. Scotus P. Tellez P. Arriaga P. S. Cruz P. Cõpton.

104 Et cõfirmatur primò, quia ex eo, quòd homo essentialiter cõstet Materiâ, & Formâ, eius differentia specifica desumitur ab vtroq; vt cõstat ex dictis tr. 1. de Antipredicam. n. 727. atqui Actio essẽtialiter cõstat vtroq; respectu, ad Principiũ, scilicet, & ad Terminũ: ergo ab vtroque eius differentia specifica desumenda est.

105 Confirmatur secundó, quia Vnio specificatur ab vtroque extremo: Actio verò est quædam veluti vnio inter Principium, & Terminũ. Neque dicas, esse diuersam rationem; quia Vnio æquè primó respicit vtrũque extremũ: Actio veró principaliùs respicit suũ Terminum. Non, inquã, hoc dicas, tum quia homo principaliùs respicit formã; & tamen eius differentia specifica desumitur etiam à Materiâ: tum quia Actio, quà Actio, non minùs principaliter respicit Agens, á quo denominatur, & in ordine ad quod constituitur.

106 Confirmatur tertiò, quia Relatio specificatur à fundamento simul, & á termino, vt cõstat ex dictis tr. 5. de Relatione n 220. eadem autem videtur ratio de Actione. Confirmatur quartò, quia Actio includit formaliter duos respectus; alterum ad Terminũ; ad Principiũ alterũ: sed respectus ad Terminũ specificatur per ipsum Terminũ; respectus ad Principium similiter specificatur per ipsum Principiũ. Et hoc ostenditur, tũ quia non est maior ratio cur respectus ad Terminum specificetur per ipsum Terminum, cuius est via; respectus verò ad Principiũ non specificetur per ipsum Principium, cuius est egressio: tum quia respectus ad Principium præscindit á respectu ad Terminum; ergo non potest specificari per Terminum, sed per Principium: igitur Actio adæquatè sumpta specificatur simul per Principium, & Terminum.

§. 3.

Argumenta soluta.

107 Obijcies primó. Principium est indifferens ad diuersas species Actiones: á Principio autem indifferente nõ potest sumi determinata species Actionis: ergo Actiones nullo modo specificãtur á Principijs. Respondeo, Principium solùm esse indifferens; secùs dicendũ de illo simul cũ Termino, quo pacto per illum determinatur: at verò nos non dicimus Actiones specificari per solum Principium, sed per Principium simul, & Terminum. Sic quælibet Persona Diuina est indifferens ad diuersas Vniones hypostaticas Naturæ humanæ, leoninæ, &c. & tamen Vnio hypostatica per Personã Diuinã specificatur.

108 Objicies secũdó. Specificatio desumitur ab vltimo actu, vel formâ, ad quã res essentialiter, & vltimatè ordinatur; sed Actio vltimatè ordinatur ad Terminum: ergo solùm ab illo specificatur. Respondeo negando Maiorem, si loquatur de specificatione adæquatâ; nam Relatio vltimatè ordinatur ad Terminũ, Vbi ad spatium, & Vnio hypostatica ad Verbum Diuinum, & sic de alijs exemplis; & tamen ab illis non sumunt adæquatam specificationem, vt omnes concedunt: ergo licèt Actio vltimatè ordinetur ad Terminum, non ab illo solùm specificabitur.

109 Objicies tertiò. Actio recedit à Principio, & accedit ad Terminũ: ergo á solo Termino specificatur. Respõdeo, in hoc argumẽto sumi accessũ, & recessũ nimis materialiter; nã enim Actio specificatur á Termino ex eo, quòd fit in illo, alìter Vnio, Relatio, & Vbi solùm specificarẽtur á realitatibus, in quibus sũt: specificatur ergo Actio á Termino ex eo, quòd ab illo depẽdet essentialiter; sed etiã á Principio depẽdet essentialiter: quid ergo iuuat ille materialis

rialis accessus, & recessus, vt potiùs à Termino, quàm à Principio specificetur?

110 Objicies quartò. Ab eo res accipit specificationem, á quo sumit nomen, & definitionem; sed Actio sumit nomē, & definitionē á solo Termino; dicitur enim frigefactio á frigore, & calefactio à calore: ergo &c. Respōdeo primò, retorquendo argumentū, nā Actio etiā sumit nomen ab Agente, & per ordinē ad illud definitur. Respondeo secundò negando Maiorē, si procedat de specificatione adæquatā, quia Vnio hypostatica sumit nomen á Diuinā hypostasi, & per ordinē ad illam definitur; & tamen non specificatur ab illā solùm: item paternitas sumit nomen á patre, & maternitas à matre; & tamen etiam á Termino, nimirum á filio, specificatur.

111 Obijcies quintó, Si Terminus est idē, licèt Principia sint essentialiter diuersa, Actio est eiusdem speciei: ergo signum est, quód Actiones à solis Terminis specificentur. Respōdeo negando Consequentiam, quia quando Terminus est idem, licèt Principia sint diuersa, nō cōcurrunt vt talia, sed prout cōtinēt Terminum, & sic non sunt formaliter diuersa.

112 Objicies sextò, Principia specificantur per Actiones, v.g. potentiæ per operationes: ergo Actiones non specificātur per Principia; aliter cōmitteretur circulus. Respondeo, id solùm probare Actiones nō specificari adæquatè per Principia: nos tamen solùm dicere specificari inadæquatè; quo pacto nullus cōmittitur circulus; aliter actus, v.g. conceptus, non specificaretur per potentiam, quia potentia specificatur per actus.

113 Obijcies septimò. Si Actio specificaretur á Principio, etiam specificaretur á subiecto, á quo similiter dependet essentialiter: itē Actio, seu causalitas, quā Forma causat Materiā in opinione asserentiū Formam esse verā causam Materiæ, specificaretur ab ipsā Formā; á quā talis causalitas dependet essentialiter: hæc autem videntur cōmuniter non admitti. Respondeo nos solùm loqui de specificatione Actionis sumptæ, quá talis, in quo sensu Actio nō dicit respectum ad subiectum, neque ad Formam, cuius causalitas non est, vt patet in creatione Angeli, quæ neque dicit respectum ad subiectum, neque ad Formam: de conceptu Actionis in communi solus est respectus ad Principium, & ad Terminū. Quód si de hâc, & illā Actione in particulari sermo sit, dicendum erit hanc, & illam specificari etiam á subiecto, si sit eductio; item à Formā si sit eius causalitas.

§. 4.

Vtrùm Actiones specificentur à Principijs, & à Terminis formaliter, an materialiter spectatis?

114 Vtrùm verò Actiones specificētur á Principijs formaliter, an materialiter sumptis? Vtrùm similiter á Terminis formaliter, an potiùs materialiter spectatis? Dico primò: Actiones specificantur per Principia non materialiter, sed formaliter spectata. Hæc resolutio est contra P. Arriag. in Phys. d. 9. num. 66. Probatur tamen, quia á Principijs diuersæ rationis possunt egredi Actiones eiusdē speciei, v.g. calefactiones eiusdem speciei á Sole, ab igne, & á Deo: quas omnes esse eiusdem speciei diximus tract. de Generat. n. 413. Similiter á Principijs eiusdem speciei possunt egredi Actiones diuersæ, nimirum ab eâdem potentiâ operationes specie diuersæ. Et cōfirmatur primò, quia Actio nō respicit Principiū sumptum totaliter, sed solùm in quantùm cōtinet eminenter suum Terminum, v.g. apprehensio respicit suum Principium, quá apprehensiuum, non quá iudicatiuum, aut discursiuum: similiter Actio non vitalis, quá Intellectus produceret lapidem obedientialiter respicit ipsum lapidem vt Principium obedientiale, non quà vitale: Actio productiua leonis respicit Omnipotentiam secundùm eminentiā ad leonem, non secundùm eminentiam ad equum, & sic de cæteris: ergo Actiones nō specificantur per Principia sumpta materialiter, sed formaliter. Cōfirmatur secundò, quia cognitio ex eo, quòd non identificetur cùm obiecto, solùm specificatur per formalitatem, quā respicit: similiter relatio ex eo, quòd nō identificetur cum termino, solùm specificatur per formalitatem, quam respicit: ergo idem dicendum de Actione respectu Principij, cum quo non identificatur. P. Arriaga

115 Dico secundò: Actiones specificātur per Terminos suos materialiter. Hęc resolutio est magis dubia, & videtur contra Albertū M. & Scotum vbi suprà. Traditur tamen à P. Soar. in Met. d. 48. s. 3. P. Vasq. 1. 2. d. 36. c. 3. P. Salas tract. 1. d. 7. sect. 1. num. 10. P. Tellez d. 63. s. 3. n. 2. Patribus Conimbr. suprá cit. 5. Physicor. c. 4. q. 1. a. 2. Probatur, quia Actio talis est respectu entitatis materialis sui Termini, quā producit, & cuius est via; sed specificatur à suo Termino: ergo ab entitate materiali illius. Et cōfirmatur primò, quia circa Terminos diuersæ speciei non possunt non versari Actiones specie diuersæ; possunt autē si respicerent suos Terminos sub aliquā formalitate, hęc enim poterat P. Soar. P. Vasq. P. Salas P. Tellez Patres Conimbr.

poterat esse pluribus terminis communis. Et hoc ostenditur, quia idcircò á Principijs specie diuersis possunt egredi Actiones eiusdē speciei, quia illa respiciunt sumpta formaliter. Cōfirmatur secundò, quia Actiones identificātur cum suis terminis; Modi autem, si sint incompleti, specificantur per entitates materiales, cū quibus identificantur; vt patet in Vnione respectu extremi, cum quo identificatur, in Subsistentiā, &c.

116 Objicies primò. Circa eundem terminum materialem possunt versari Actiones specie diuersæ. Et hoc ostenditur primò, quia circa eandem Quantitatem possunt diuinitùs exerceri Actiones creatiuæ, & eductiuæ. Secundò, circa eundem conceptum Actiones vitales, & non vitales; Actiones immanentes, & transeuntes, & aliæ similes, quæ essentiali discrimine distinguuntur: ergo Actiones non specificantur per terminos materialiter spectatos. Respondeo argumentum solùm probare Actiones non specificari per solos terminos materiales; quod verum est, cùm etiā specificentur per Principia, vt patet ex proximè adnotatis; imò earū nonnullæ etiā specificātur per subiecta, vt videre est in Actionibus eductiuis: at verò quolibet specificatiuo inadęquato variato, necessariò variatur species, & essentia rei, quæ per illud specificatur.

117 Objicies secundò. Actiones specificantur per Principia sumpta formaliter: ergo etiā per terminos sūptos formaliter. Respondeo negando Consequentiā. Diuersa ratio est, quia Actio nō egreditur à Principio materialiter, sed à Principio sūpto formaliter, quātenus emittēter cōtinet Terminū, quē producit: at verò producit entitatē materialem termini: Actio autē specificatur à Principio sumpto secūdùm id, á quo egreditur; & à Termino sūpto secūdùm id, quod producit, & cuius est via.

118 Objicies tertiò. Vniones specificantur per terminos sumptos formaliter, v.g. Vnio hypostatica per Verbū Diuinū, nō quà Natura, sed quà Subsistentia; Vnio physica Formæ ad Materiā per Materiā sub capacitate ad hanc, nō verò ad illā Formam: similiter Relationes specificantur per terminos sūptos formaliter, vt cōstat ex dictis *tract. 5. de Relatione n. 233.* ergo idē dicendū de Actionibus. Respondeo negando Consequentiam. Diuersa ratio est, quia Actiones producunt entitatem materialem sui Termini; specificātur autē per id, quod producunt, & cuius sūt via. Vnio hypostatica ex parte Verbi solùm respicit Subsistentiam, & non Naturam: Vnio Formæ ad Materiam specificatur per materialitatem Materiæ: Relationes per terminos formales, quia cùm sint extrinsecæ terminis, non curant eorum materialitates.

§. 5.

Explicatur series Prædicamentalis Actionis.

119 Tertia difficultas de diuisione Actionis in suas Species. Respondeo, Actionem diuidi in *Immanentem*, & *Transeuntem*. Immanens est illa, quæ per se manet in eādem potentiā; aut saltem in eodem Supposito, á quo egreditur; & ita se habent Actiones cognoscendi, & appetendi; item Actiones nutritiuæ, progressiuæ, &c. Actio transiens è contrà est illa, quæ non recipitur in eādem potentiā, aut Supposito, á quo egreditur; & ita se habent calefactio, quā manus calefit ab igne; & frigefactio, quā ab aquā frigescit.

120 Vtrùm verò Actiones immanentes, & Transeuntes distinguantur specie? Probabilior videtur resolutio affirmatiua, quā tenent Patres Conimbricens. *in Log. q. 1. de Actione a. 2.* Et probatur, quia Actio Immanens essentialiter postulat recipi in eādem potentiā, aut saltem in eodem Supposito, á quo egreditur, nec diuinitùs potest in eodem non recipi: Actio verò Transiens non habet hanc naturam, & essentiam: ergo sunt essentialiter diuersæ. Patres Conimbr.

121 Objicies primò cū aliquibus Recentioribus, qui contrariam sententiam defendūt. Etiam Socrates, & Plato habent essentias diuersas; & tamen non differunt specie. Respondeo esse diuersam rationem. Quia Socrates, & Plato non differunt penes gradum cōmunem, sed solùm penes differentias indiuiduantes: at verò Actio Immanens, & Transiens distinguuntur penes differentias communes; nam differentia Actionis Immanentis est communis omnibus Actionibus immanentibus: differentia Actionis Transeuntis communis omnibus Actionibus Transeuntibus.

122 Objicies secundò. Productio caloris, qui manet in igne, est Immanens; & Productio caloris, qui recipitur in re calefacta, v.g. in aëre, est Transiens: & tamen non differunt essentialiter. Respondeo, primam productionem non esse Immanentem, quia solùm manet per accidens, non per se essentialiter, hoc est, ex naturā suā.

123 Vtrùm omnis Actio Immanens sit vitalis? diximus *tract. 1. de Anima à n. 272.* Vtrùm prętereà Actiones vitales, & nō vitales specie distinguātur? Negant cōmuniter Recentiores cum P. Soar. *in Met. d. 48. s. 3. n. 15.* & P. Tellez *d. 63. sect. 3. n. 8.* Probabiliùs tamen dicendum P. Soar. P. Tellez

distingui specie. Et probatur, quia Actiones vitales respiciunt essentialiter Principium vitale formaliter quá tale; aliter se habent Actiones non vitales: at verò Actiones non solùm distinguuntur per Terminos materiales, sed etiam per Principia sumpta formaliter, vt cōstat ex dictis *n.* 114.

124 Actio immanens vitalis adhuc in *Liberam*, & *Necessariam* dissecatur. Libera est illa, quæ procedit à Principio libero formaliter, quá tali: Necessaria verò illa, quæ aliter se habet. De his latè *tract. 6. de Anim.*

125 Actio Transiens distribuitur in *Creatiuam*, & *Eductiuam*. Creatiua est productio rei ex nihilo: Eductiua, productio rei ex aliquo. Et per id inter se essentialiter discriminantur, prout diximus *in Physica tractat. 1. numero* 241.

DISPVTATIO II.

De Passione.

DVplici Sectione contenta. In primâ explicatur, Quid sit Passio? In secundâ proponuntur, & resoluuntur nonnullæ aliæ difficultates circa Passionem.

SECTIO I.

Quid sit Passio?

126 PRIMA difficultas: Quid sit Passio? Suppono in primis dari Passionem; hæc enim nihil aliud est, quàm receptio formæ in subiecto dependenter ab illo in ratione subiecti: at veró dantur plures formæ, quæ recipiuntur in subiecto dependēter ab illo. Contra hanc verò suppositionem P. Sācta Cruz *in Phys. n.* 835. *vers. Quartò tandem*, & sequenti, existimat non dari Prędicamentum Passionis, sed hanc omninò coincidere cum Vnione. At quidem non rectè, vt patet in Modis, qui immediatè seipsis vniuntur suis realitatibus; non tamen recipiuntur seipsis, sed mediante generatione passiuâ, prout identicè est Passio. Itaque in Modis datur generatio passiua; & consequenter Passio ab ipsis distincta, non tamen Vnio distincta: ergo Passio non coincidit cum Vnione. P. S. Cruz.

Quo autem pacto definiatur ista Passio, seu receptio? Patres Conimbr. *in Log. q.* 1. *de Actione, & Passione a.* 1. illam definiunt hoc modo: Passio *est actus Patientis, vt Patiens est, quo mediante formam recipit*. Quæ definitio desumitur ab Aristotele 3. *Physicor. text.* 33. & communi consensu Philosophorum approbatur. Non dicitur Passio *primus actus*, quia ante illam datur in patiente potentia, mediante quâ Patiens formam recipit, v. g. in Animâ datur Intellectus, mediante quo recipit conceptum. Non item dicitur *vltimus actus*, quia post Passionem adhuc recipitur forma producta. Patres Conimbr. Aristot.

§. I.

Vtrùm Actio, & Passio distinguantur essentialiter?

127 SEcunda difficultas: Quæ distinctio intercedat inter Actionem, & Passionem? Et quęri potest, Vtrùm distinguantur formaliter, seu essentialiter? Non distingui formaliter defendit P. Hurt. *in Physica d.* 11. *s.* 4. *§.* 27. & *in Met. d.* 16. *s.* 4. & cum eo plures Recentiores. Prin ò, quia Passio est differentia Actionis Eductiuæ, per quam hęc distinguitur à Creatiuâ: species veró includit differentiam specificam. Secundò, quia eadem omninò est ratio formalis, per quam ignis calefacit lignum, & ipsum lignum calefit; sed ignis calefacit per Actionem, & lignum calefit per Passionem: ergo Actio, & Passio sunt eadem formalitas. Maior ostenditur á simili, nam eadem omninò est ratio formalis, per quā potentia cognoscit, & obiectum cognoscitur, nimirum eadem omninó cognitio: ergo etiam eadem omninó erit formalitas, per quam ignis calefacit, & passum calefit. Tertiò, quia idem est, P. Hurt.

est, obiectum videri à me, & me videre obiectum: ergo idem est, Formam educi à Materia passiuè, & eam educere actiuè; & consequenter Actio, & Passio non distinguuntur.

128 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium inter Actionem, & Passionem dari discrimen essentiale. Ita P. Suar. in Met. d. 49. sect. 1. n. 9. P. Vasq. 1. p. d. 59. n. 41. P. Rub. in Logica cap. 9. de Actione, & Passione num. 9. P. Ouied. in Phys. controuers. 12. puncto 2. n. 8. Patres Conimbr. in Log. cap. de Actione, & Passion. q. 1. a. 2. P. Tellez d. 63. s. 6. n. 26. P. Arriag. in Phys. d. 8. n. 26. Probatur primò, quia Actio, & Passio spectant ad diuersa Prædicamenta; quæ verò ita se habent distinguuntur essentialiter. Secundò, quia Actio, quà talis, dicit processionem ab Agente; Passio, quà talis, receptionem in Patiente: at verò hæ duæ formalitates, & essentiæ sunt valde diuersæ. Tertiò, quia Actio, quà talis, est causalitas causæ Efficientis; Passio, quà talis, causalitas causæ Materialis, seu Patientis: ergo distinguuntur essentialiter.

P. Suar. P. Vasq. P. Rub. P. Ouiedo Patres Conimbr. P. Tellez. P. Arriaga

129 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quâtenus dicit Passionem esse differentiam Actionis Eductiuæ; ac proinde includi in illâ) respondeo, id solùm verum esse de Passione dictâ in obliquo: non de illâ dictâ in recto. Itaque Actio eductiua non includit Passionē: sed eius cōnotationē, hoc est, nō includit Passionē sūptā in recto, sed in obliquo: & per id distinguitur à Creatione. Huiusmodi discrimen inter Eductionem, & Passionem optimè explicat Aristoteles lib. 3. Phys. tex. 22. exemplo accliuis, & decliuis, quod est in eâdem viâ. Nam respectus ad cacumen includitur simul in accliui, & decliui, sed diuerso modo; nam accliue est ad cacumen, vnde illud respicit in obliquo; decliue non est ad cacumen, sed ipsummet cacumen deorsum versùs: hæc autem diuersa inclusio sufficit ad discrimen.

Aristot.

130 Ad secundum (quâtenus dicit eandem omninò esse formalitatem, per quam ignis lignum calefacit, & ipsum lignum calefit) respondeo, id non esse verum, sed ibi intercedere duas formalitates distinctas; nam ignis calefacit per productionem caloris: lignum verò calefit per receptionem illius: quæ duæ formalitates sunt diuersæ. Ad cōfirmationem, dico illos duos respectus, qui in cognitione reperiuntur ad cognoscentem, & ad cognitū, constituere vnam formalitatem adæquatam, quia non sunt separabiles; nam respectus ad cognitum non est separabilis à respectu ad cognoscentem; cognitum enim ab aliquo cognoscente est cognitum; neque respectus ad cognoscentem potest separari à respectu ad cognitum: nam cognoscens alicuius cogniti est cognoscens. At verò ratio Passionis, & Actionis non constituunt vnam; sed diuersas formalitates, quia sunt separabiles, vt videre est in Actione Creatiuâ, in quâ datur ratio Actionis sine vllâ ratione Passionis. Quòd si hæc in Actione Eductiuâ reperitur, id non est de formali, & in recto, sed in obliquo, & de cōnotato, vt constat ex dictis.

131 Ad tertium (quâtenus dicit idem esse, obiectum videri à me, ac me videre obiectum: ergo similiter idem esse Formam educi à Materiâ passiuè, ac eam educere actiuè) respondeo negando Consequentiam, quia in isto secundo euentu respiciuntur diuersæ causæ, quæ constituuntur per diuersas causalitates: in primo respicitur eadem causa videns solùm sub diuersis vocibus, & diuersâ Grammaticâ. Itaque in primo casu solùm variatur Grammatica; in secundo variatur res.

§. 2.

Vtrùm Actio, & Passio distinguantur ex naturâ rei?

132 Quæri potest secundò, Vtrùm distinguātur ex naturâ rei: an solùm per intellectum distinctione virtuali? Distingui ex naturâ rei, existimant Scot. in 4. dist. 13. q. 1. Antonius Andreas in l. de sex Principijs q. 9. P. Fons. 5. Met. c. 7. q. 3. s. 9. §. Dico tamen, Patres Conimbr. 3. Physic. c. 3. q. 1. a. 2. §. Secundum pronuntiatum, & 1. de Generat. c. 4. q. 6. a. 3. Probatur primò, quia Passio nihil aliud est, quàm Vnio formæ ad subiectum: Vnio autem distinguitur ex naturâ rei ab Actione. Probatur secundò, quia Actio, & Passio possunt separari ex naturâ rei, vt videre est in Animâ separatâ, cuius Actio separatur ab eius receptione, seu Passione in Materiâ. Tertiò, quia Actio est actus Agentis, Passio verò est actus patientis; atqui Agens, & Patiens distinguuntur ex naturâ rei: ergo idem dicendum de eorum actibus. Quartò, quia Generatio Actiua, & Passiua in Diuinis distinguuntur ex naturâ rei: ergo idem dicendum de Actione, & Passione in creatis. Vtrùm verò distinguātur realiter, an modaliter? Scot. & Anton. Andr. cōtendunt distingui distinctione reali ob quartam rationem proximè factam. P. Fons. & Patres Conimbric. distinctione modali contenti sunt.

Scotus Antonius Andreas P. Fonseca Patres Conimbr.

133 Nihilominus dicendum distingui solùm per intellectum distinctione virtuali. Ita Aristotel. 3. Physicor. text. 19. D. Thom. Capreolus,

Aristot. D. Thom. Capreol.

Herutus P. Soar. P. Vasq. P. Rub. Patres Conimbr. P. Arriaga P. Ouiedo P. Hurt.

preolus, Hervaeus, & alij, quos citat, & sequitur P. Soar. *in Met. d.49. sect.1. n.8.* P. Vasq. 1. *p. d.59. n.41.* P. Rub. *in Logica, c.9. de Actione, & Passione n.9.* Patres Conimbr. ibidem q.1. a.2. 5. *Non est difficile*, vbi videntur retractare opinionem contrariam. P. Arriaga *in Phys. d.8. n.* 15. P. Ouied. *in Phys. controuers. 12. puncto 2.* P. Hurtad. *in Phys. d.11. s.4.* §.16. Probatur, quia nulla est necessitas admittendi maiorem distinctionem, quam virtualem. Et confirmatur primò, quia eadem entitas effectus potest procedere, & recipi *vt quod*: ergo similiter eadem eius causalitas poterit à parte rei procedere, & recipi *vt quo*. Secundò, quia eadem entitas Actionis Eductiuae non potest non recipi in passo à parte rei; est enim Actio Eductiua productio termini in subiecto; quod non potest intelligi fieri, quin ipsa productio, & eius terminus in subiecto recipiatur. Tertiò, quia si entitas Passionis non est Actio, fiet per aliam Actionem Eductiuam, quae similiter recipietur per Passionem distinctam; & haec Passio iterum fiet per aliam Actionem Eductiuam, & sic in infinitum; quod non est dicendum.

134 Ad primum fundamentum opinionis contrariae, respondeo Passionem non esse Vnionem, sed hanc ad illam consequi. Non est, inquam, Vnio, quia haec potest perseuerare destructâ Passione, vt patet in euentu, quo Deus conseruaret Formam leonis vnitam Materiae per Actionem Creatiuam, destructâ Eductiuâ; adhuc enim perseueraret eadem Vnio, in quâ consistit vita leonis (suppono enim hanc mutationem de Actione Eductiuâ in Creatiuam posse fieri absque morte leonis): & tamen destrueretur Passio.

135 Ad secundum, nego Actionem Eductiuam, & Passionem posse separari. Ad confirmationem respondeo, Animam Rationalem non recipi per Passionem immediatam, sed per Passionem eius Vnionis, quae simul cum Eductione ipsius Vnionis tollitur, quando Anima separatur.

136 Ad tertium (quatenus dicit Actionem esse actum Agentis, & Passionem esse actum Patientis) respondeo, eandem entitatem Actionis posse esse actum Agentis, & actum Patientis: Agentis, quatenus ab illo immediatè egreditur: Patientis, quatenus in illo immediatè recipitur. Neque obstat, quòd Agens, & Passum distinguantur ex naturâ rei: nam Actio, & Passio non identificantur cum illis, sed cum termino.

137 Ad quartum de Generatione Actiuâ, & Passiuâ in Diuinis, respondeo esse diuersam rationem in Diuinis, ac in creatis: Nam Generatio Actiua, & Passiua in Diuinis identificantur cum rebus realiter distinctis, nimirum cum Principio, & Termino: at verò generatio actiua, & passiua in creatis non identificantur cum rebus distinctis, sed cum eodem termino à parte rei. Et huius diuersa ratio est, quia Generatio Actiua in Diuinis, cùm non sit dependentia, debet identificari cum Principio, sicut Generatio Passiua cum Termino; non enim vlla visitur disparratio: at verò in creatis generatio est dependentia; haec autem semper identificatur cum re dependente, vt saepe adnotauimus.

SECTIO II.

Nonnullae aliae difficultates circa Passionem.

138 PRIMA difficultas: Vtrùm Passio praeter respectum ad subiectum includat etiam formaliter aliquem respectum ad Terminum? Respondeo affirmatiuè. Et probatur, quia eadem omninò videtur ratio de Actione, ac de Passione respectu Termini; nam quemadmodum Actio est egressio Termini ab Agente, ita Passio est illius receptio in Patiente; atqui Actio includit formaliter respectum ad Terminum: ergo idē dicendum de Passione.

139 Secunda difficultas: Vtrùm essentia Passionis consistat in actuali dependentiâ à subiecto? Respondeo affirmatiuè. Et probatur, quia ita se habet Actio ad Agens, ac Passio ad Passum, seu subiectum; sed Actio est actualis dependentia Termini ab Agente: ergo Passio erit actualis dependentia Termini à subiecto, seu Patiente.

140 Tertia difficultas esse poterat de specificatione Passionis. Verùm haec ex dictis de specificatione Actionis resoluta manet à n.103. vbi ostendimus Actionem specificari tum ex Principio sumpto formaliter, tum ex Termino sumpto materialiter: eadem autem videtur ratio de Passione in ordine ad Terminum, & ad subiectum; vnde specificabitur per subiectum sumptum formaliter, & per Terminum sumptum materialiter, cum quo identificatur.

141 Quarta difficultas: Vtrùm Passio faciat vnum per se cum Termino? Haec etiam resoluta manet ex dictis num. 81. de Actione, quam ostendimus constituere vnum per se cum suo Termino; eadem autem est ratio

de Passione, ac de Actione in ordine ad Terminum.

132 Quinta difficultas esse poterat: Vtrùm Passio possit pendere à subiecto mediante aliâ Passione? sexta, Vtrùm possit variare suum subiectum? septima, Vtrùm possibilis sit Passio sine Termino? Verùm hæc ex dictis in simili de Actione resolutæ manent.

TRACTATVS VII.

DE QVATVOR VLTIMIS PRÆDICAMENTIS.

AMPLEXVS Disputationes duas. Prima differit de Vbi, & Situ. Secunda de Duratione, & Habitu.

DISPVTATIO I.

De Vbi, & Situ.

PARTITA in Sectiones nouẽ. Prima agit de essentiâ & naturâ Vbi. Secunda disquirit, Quibus in rebus detur Vbi? Tertia, Vtrùm eadem res possit habere simul plura Vbi? Quarta, Per quam actionem constituatur in diuersis locis? Quinta, Quæ prædicata sequantur rem in diuersis locis constitutam? Sexta, partitur Vbi in Definitiuum, & Circunscriptiuum. Septima disputat specialiter de Vbi Definitiuo rei corporea. Octaua de Vbi Definitiuo rei spiritualis. Nona tandem differit de Situ.

SECTIO I.

De quidditate, & essentiâ Vbi.

1 NOMINE *Vbicationis*, seu *Vbi* intelligitur forma, per quam res est in loco. Dari huiusmodi formam, ex eo conuincitur, quia, cùm Petrus de non præsenti huic loco, fiat illi præsens: & non detur transitus ab vno cōtrario in aliud sine reali mutatione alicuius extremi, necessariò admittenda est aliqua forma, vnde hæc Petri mutatio proueniat. Nec sufficiunt relationes propinquitatis, vel distantiæ ad aliqua puncta fixa spatij; nam ad huiusmodi puncta, cùm non existant realiter, non potest dari relatio realis. Adde, quód relatio, vt adueniat, semper supponit in subiecto aliquam mutationem factam, v.g. vt Petrus habeat relationem similitudinis, debet priùs habere albedinem: ergo similiter, vt habeat relationem propinquitatis ad aliquod punctum spatij, debet priùs acquirere aliquam formam de nouo, ratione cuius illi de nouo conueniat talis relatio.

§. I.

In quo consistat formalis ratio Vbi?

2 PRima difficultas: In quo consistat formalis ratio Vbi? Plures circumferuntur opiniones. Prima sententia asserit Vbi nihil aliud esse, quàm Decretum Diuinum, quo Deus vult, vt creatura existat in hoc, vel illo

illo loco. Ita nonnulli, quos tacito nomine refert P. Compton. *in Phys. d. 34. s. 1. n. 2.* Reijcitur primò, quia vel hoc Decretum est efficax: vel inefficax. Nõ potest dici quòd sit inefficax, quia hoc non sortitur effectum; ac proinde ex vi illius non poneretur res in loco. Si est efficax, debet aliquid producere de nouo, quod se habeat ex parte creaturæ existentis in loco: at verò hoc aliquid de nouo, non est creatura, vel locus; hæc enim anteà dabantur: ergo est alia entitas, quæ sit Vbi. Reijcitur secundò, quia res non potest dici alba, aut viua formaliter per aliquod Decretum Diuinum: ergo neque vbicata.

3 Secunda sententia tenet, Vbi consistere in actione productiuâ rei, non prout illam producit absolutè, sed prout illam producit, vel conseruat in hoc loco. Non placet hæc sententia primò, quia Actio solùm habet pro effectu formali producere, non verò rem ponere in loco. Secundò, quia creatura mouet se, nõ tamẽ se producit, vel cõseruat: ergo Vbicatio nõ coincidit cũ Actione. Tertiò, sequeretur ex hâc doctrinâ, Petrũ v.g. quãdo mutatur de vno loco ad aliũ, non posse deferre secum eundem actum liberum, quem habebat in primo loco. Probo sequelam; quia actus liber, vt liber est, deuoluit actionem; atqui si actio sit etiam Vbi, affigitur essentialiter huic loco, vt fatentur Aduersarij: ergo &c.

4 Tertia sententia docet, rem esse in loco non dicere formam aliquam superadditam, sed tantùm coniunctionem rei cum hoc, vel illo spatio. Quòd si quæras ab Auctoribus huius sententiæ, quid sit ista coniunctio formaliter? Respõdent esse ipsam entitatem rei, prout tollit negationẽ sui cum hâc parte spatij. Non placẽt, quia si entitas Petri v.g. esset formalis ratio, per quam tolleretur negatio sui cum hâc parte spatij, sequeretur Petrum existentem hîc tollere negationem sui cùm aliâ parte spatij, in quâ non existit; cum positâ causâ formali statim ponatur effectus. Respondent Aduersarij negando sequelam; dicunt enim deesse applicationem Petri ad aliam partem spatij, quæ requiritur, vt ponatur effectus formalis. Sed contrà, quia vel hæc applicatio superaddita est aliquid positiuum: vel negatiuum. Si primum, hoc ipsum dicimus Vbi. Si secundũ, sequitur non solam entitatem Petri esse rationem formalem, per quam est in hoc, vel illo loco. Vide P. Compton. cit. *s. 1. & 2.*

5 Quarta asserit, Vbi nihil aliud esse, quàm vltimam superficiem corporis ambientis rem locatam, intra quam superficiem ipsa res locata immediatè continetur. Iuxta hanc opinionem Vbi aquæ, quæ in hoc vase continetur, nihil aliud est, quàm ipsa interna, & concaua superficies vasis, in quo aqua immediatè continetur. Ita P. Fons. *5. Met. c. 15. q. 7. s. 3.* vbi hanc opinionem tribuit Aristoteli, & D. Thom. Pro hâc sententiâ stant Scotistæ cum Ioan. Poncio *d. 17. q. 6. Conclusione 2.* Non tamen placẽt primò, quia res locata potest mutare Vbi, quin mutet superficiem ambientem, vt patet in aquâ hoc vase contentâ, quæ simul cum vase ab vno loco in alium deportatur. Secundò, quia potest mutare superficiem, quin mutet Vbi, vt videre est in turri, quæ afflante vento mutat superficiem aëris, nõ tamen suum Vbi: & in ligno, quod aduerso flumine infigitur, & mutat superficiem præterlabẽtis aquæ, non tamen suum Vbi. Tertiò, quia si res ponatur in spatio imaginario, ibi acquiret suum Vbi: & tamen nullius corporis ambientis superficie contineretur. Quartò, quia Angeli habẽt propria Vbi: non tamẽ ambiuntur alicuius corporis superficie. — *P. Fonseca. Fr. Ioann. Poncius*

6 Quinta sententia asserit, Vbi esse spatium, seu intercapedinem, quam res vbicata occupat. Hæc traditur à Simplicio *4. Physicor. c. 5. in digressione de Loco.* Eam probabilem iudicat P. Tol. ibidem *q. 3.* Auersa *q. 27. a. 1.* Reijcitur tamen primò, quia Vbi est ens Prædicamentale: illud verò spatium actuale est quædam negatio. Et si dicas, esse aliquid possibile, sanè non constituit Prædicamentum distinctum, sed aut est Substantia, aut Quantitas, &c. Secundò, quia Vbi acquiritur per actionem localem, quæ est actio realis: actio autem realis, non potest non habere terminum realẽ actualem. Tertiò, quia res dicitur existere formaliter per Vbi in spatio: ergo Vbi est aliquid distinctum à tali spatio. — *Simplicius. P. Tolet. Auersa*

7 Sexta sententia traditur à P. Francisco Amico *tom. 2. de Angelis d. 5. sect. 2. num. 46.* vbi existimat extensionem localem distingui quidem ab Vbi; siquidem, ipsâ inuariatâ, potest illud variari, nõ tamen distingui ab illo, prout ipsa connotat hoc spatium. Docet igitur iste Auctor, Vbi consistere in extẽsione locali; siue hæc sit formalis, vt est illa, quæ in corporibus reperitur; siue virtualis, vt est illa, quæ datur in spiritibus, prout connotat hoc spatium. Probatur, quia superflua est omnis alia entitas distincta ab hâc extensione locali. Et confirmatur, quia illâ positâ intelligitur res esse in loco. — *P. Amicus*

8 Hæc sententia etiam non placet. Primò, quia quando res ponitur in puncto, ibi nullam habet extensionem, nec formalem, vt est clarum: nec virtualem, siquidem non correspondet spatio diuisibili: & tamen habet suum Vbi. Secundò, quia res constituitur in loco

effectiuè

effectiuè per actionem localem: hæc autem non habet pro termino extensionem. Et probatur, quia talis actio est alicuius productiua: non extensionis, nam iste palmus quando mutatur de loco in locum non mutat extésionem palmarem: ergo habet pro termino correspódentiam extensionis ad locum, in quo consistit Vbi. Et declaratur, quia extensio potest considerari, aut in ordine ad totum; & hic ordo consistit in serie, & in vnione partium inter se: aut in ordine ad locum; & hic consistit in respectu, & correspondentiâ ad illud, qui respectus, & correspondentia est ipsum Vbi. Ex quibus constat quid respondendum sit ad fundamentum P. Amici. Dicendum enim est, rem non posse intelligi respicere hunc locum, ad illumque formaliter determinari nisi per Vbi ex naturâ rei distinctum, quod per actionem localem producatur; extensio enim non producitur per illam, vt est manifestum; & aliquid producitur: non apparet aliud nisi Vbi.

9 Septima sententia asserit Vbi esse relationem creaturæ ad Imméfitatem Diuinam. Ita expressè tenet Ioannes Caramuel *in suo Cursu Philosophico* inscripto. Rationalis, & Realis Philosophia *l. 8. d. 2. a. 2. ad finem*. Verùm hæc sententia est parùm probabilis, neque vllo nititur fundamento alicuius momenti; vnde in illâ reijciendâ immorari superuacaneum duco; cùm, præsertim ex dicendis in totâ hâc Disputatione, satis refutetur.

Caramuel

§. 2.

Proponitur sententia asserentium Vbi non esse aliquid ex naturâ rei distinctum ab existentiâ.

10 Octaua sententia docet Vbi nihil aliud esse, quàm ipsam existentiam rei, prout connotat hoc spatium. Hæc est valde celebris, & quidem probabilis. Illam tenere videtur D. Thom. & certè tenent Nominales Gabriel, Capreol. Gregor. Marsil. Mayron. Ochamus, Durand. & alij, quos citant, & sequuntur P. Ægid *de Sacram. q. 75. a. 4. dub. 1.* vbi pro hâc opinione viriliter contendit. P. Sal. *tom. 1. in 1. 2. tract. 1. d. 3. sect. 2.* P. Tolet. *in Logic. cap. de Vbi*, P. Bellarm. *tom. 2. controuersiar. l. 3. de Eucharistia cap. 3.* & *l. 4. c. 15.* P. Martinon *d. 5. de Deo n. 45.* & *d. 42. de Angelis n. 41.* P. Fasol. 1 *p. q. 10. a. 1. n. 24.* P. Wadingus *de Incarnat. d. proœmiali dub. 4. n. 49.* P. Tiphanus *lib. de Hypostasi, & Persona c. 54.* & 6. vbi sicut P. Wadingus nullum admittit Modum, & pro hâc sententiâ allegat 40. graues Doctores. Subscribit P. Valent. *1. p. d. 4. q. 3. punct. 2.*

D. Thom. Gabriel Capreol. Marsil. Mayron. Ocham. Durand. P. Ægid. P. Sal. P. Tolet. P. Bellar. P. Martin. P. Fasol. P. Wadi. P. Tipha. P. Valent.

11 Probatur primò, quia res absolutè existit sine Formâ à se distinctâ: ergo existet in loco sine Formâ positiuâ distinctâ. Secundò, quia superflua est omnis alia entitas distincta. Et hoc ostenditur, quia positâ existentiâ rei in hoc loco, præcisâ omni aliâ formâ superadditâ, sufficienter intelligitur præsens, & vbicata in tali loco. Tertiò, quia res est formaliter in tempore per suam existentiam: ergo etiam per eandem erit formaliter in loco. Quartò, quia si res esset formaliter in loco per formam superadditam, certè hæc esset immobilis, siquidem essentialiter dependeret ab hoc loco: at verò nulla res creata est immobilis, cùm id sit proprium solius Dei. Quintò, quia quando res primò producitur, priùs ipsa intelligitur esse in loco, quàm ab eâ emanet eius Vbi; in eo autem priori iam intelligitur esse in loco: ergo per suam existentiam, & non per Vbi distinctum.

§. 3.

Præfertur sententia asserentium Vbi esse ex naturâ rei distinctum ab existentiâ.

12 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium Vbi esse aliquid ex naturâ rei distinctum ab existentiâ. Ita P. Molin. 1. *p. q. 52. a. 1. d. vnica memb. 5.* P. Vasq. 1 *p. d. 188. c. 7.* P. Soar. *lib. 4. de Angelis cap. 2.* & *in Met. d. 51. sect. 1. n. 14.* P. Arrub. 1. *p. d. 154. c. 3.* P. Albertin. *in Prædicamento Vbi corollario 5. dubitat. 4.* P. Rub. *3. Physic. q. 6.* Patres Conimb. ibidem *c. 3. q. 2. art. 2.* & *in Logica c. 9. de Prædicamentis q. 2. a. 1.* P. Hurt. *in Physic. d. 4. s. 2.* P. Granad. *tract. 9. d. 3. s. 2.* P. Bubalus *de Angelis q. 52. a. 1. quæsito 2. diff. 3. § 4.* P. Tanner. *3. p. d. 3. c. 3. n. 22.* Cardinalis Lugo *de Eucharistia d. 5. sect. 4. n. 85.* & 101. P. Alarc. *tract. 6. d. 6. c. 4.* P. Valent. Pezant. & alij plures, quos citat, & sequitur P. Turrian. *disp. 36. dub. 7.* P. Tellez *d. 64. sect. 1. n. 1.* P. Arriag. *in Phys. disp. 14. n. 5.* P. Mærat. *tom. 1. tract. de Angel. disp. 20. sect. 1.* P. Ouied. *in Phys. controuers. 15. puncto 4. n. 3.* P. Georgius Henelman *in suo Cursu Philosophico d. de Modis*, P. Lessius *de Perfect. Diuinis l. 12. c. 6.* P. Præposit. *c. 52. a. 1. dub. 11.* P. Sancta Cruz *in Phys. n. 751.* cum Auersâ, P. Erice, P. Vallio, P. Lorino, P. Fasolo, P. Moncæo, P. Ruiz, Castelui, Baranzant, Murciâ, & alijs pluribus.

P. Molina. P. Vasq. P. Soar. P. Arrubal. P. Albert. P. Rub. Patres Conimbr. P. Hurt. P. Granad. P. Bubalus P. Tanner P. Lugo P. Alarc. P. Valent. Pezant. P. Turriano P. Tellez P. Arriaga P. Mærat. P. Ouiedo P. Henel. P. Lessius P. Præpos. P. S. Cruz P. Erice P. Vallius P. Lorin. P. Fasolus P. Monc. P. Ruiz. Castelui Baranzano Murcia

13 Probari solet hæc senteñtia, quia in rerum naturâ possunt existere Petrus, & hic locus, tum realis, tum imaginarius, quin Petrus sit in hoc loco: ergo hoc, quod est esse Petrum in hoc loco, est aliquid ex naturâ rei distinctum à Petro,

á Petro, & ab hoc loco. Dices, *Petrum esse in hoc loco* non esse quidem solùm Petrum, & hūc locum absolutè, sed Petrum, & hunc locum, prout connotant Voluntatem Dei. Sed contrá, quia Voluntas Dei habet pro obiecto præsentiam Petri in hoc loco: ergo non est ipsa præsentia. Sed quidquid sit de hoc fundamento, & alijs huiusmodi, quæ aliquo modo deludi possunt,

14 Illud ego conficio, quod pleniùs, ac faciliùs negotium faceſſet, & habet sic. Actio localis, quâ res constituitur in loco, habet aliquem terminum, qui per ipsam actionem producitur: non apparet alius nisi Vbi. Et hoc ostenditur, quia omnia alia præter Vbi iam supponuntur producta: ergo &c. Respondent Aduersarij primò istam actionem terminari ad spatium. Non satisfaciunt, quia spatium non producitur. Respondent secundó, prædictam actionem terminari ad impulsum. Non rectè, quia impulsus non est illius terminus, sed principium, á quo oritur ipsa actio localis constitutiua rei in loco, vt videre est in proiectis, quorum impulsus ipsis impressi producũt actionem motiuam, seu localem, nec aliud videtur intelligibile. Et confirmatur efficaciter, quia impulsus lapidi impressus illum ferens per spatium est alicuius productiuus; videmus enim ab eo egredi actionem illam, quâ lapis fertur per spatium; atqui non producit alium impulsum: ergo producit Vbi, non enim apparet alius terminus. Minor ostenditur, quia si produceret alium impulsum, aut producto hoc secundo adhuc perseueraret primus; & tunc superfluus est secundus: ad quid enim requiritur? Aut destruitur primus; & hoc non, quia nulla apparet causa eius destructionis. Adde, quód ille primus remittitur decurso spatio; remissio autem non fit per destructionem qualitatis perfectæ, & productionem miniùs perfectæ, sed per destructionem gradûs, alijs gradibus persistentibus.

§. 4.

Obiectiones solutæ.

15 OBijcies primò aliqua testimonia D. Thom. quæ latè adducit P. Soar. cit. *sect.* 1. *num.* 4. ex quibus constat Vbi non esse aliquid intrinsecum rei locatæ: ergo solùm consistit in connotatione ad spatium extrinsecum. Respondeo primò cum P. Soar. S. Doctorem loco citato solùm velle Vbi non esse rem intrinsecè superadditam, sed Modũ. Respondeo secundò cum Cardinali Lugo cit. *num.* 143. D. Thom. non loqui de Vbi intrinseco, sed de Vbi, seu loco extrinseco, cui intrinsecus correspondet. P. Soar. P. Lugo.

16 Obijcies secundò. Ex nostrâ sententiâ sequitur quoties res successiuè mouetur acquirere infinita Vbi, quodlibet pro quâlibet acquisitione cuiuslibet noui puncti spatij, cui correspondet; huiusmodi enim puncta sunt infinita. Respondeo primò nos non admittere in Continuo infinita puncta: imò neque aliqua actu distincta. Respondeo secundó, nullum esse inconueniens quod in Vbi successiuo, seu fluente dentur partes potentiâ infinitæ, sicut in quolibet alio Continuo permanente, & successiuo. Respondent alij tertiò, per quemlibet motum continuum acquiri plura Vbi totalia. Sed de hoc inferiùs, agendo de diuisibilitate Vbi Angelici.

17 Obijcies tertiò. In nostrâ sententiâ sequitur corpus habẽs Vbi supernaturale, v.g. corpus Christi in Eucharistiâ nō posse naturaliter moueri. Et ratio est, quia cùm tale Vbi sit supernaturale, nō potest produci nostro motu naturali: hoc autem est falsum, quia de facto Sacerdos mouendo species mouet corpus Christi, vt constat ex Trid. *sess.* 13. *c.* 5. & 6. *canone* 6. vbi docet nos corpus Christi Domini gestare, & circumferre. Item, quia aliás non verè manducaremus corpus Christi, nec biberemus eius sanguinem; hæc enim fieri nequeunt absque motu locali. Respondeo concedendo corpus habens Vbi supernaturale non posse naturaliter moueri. Quando sacerdos mouet hostiam consecratam, immediatè mouet species: & hæ per vnionem Sacramentalem, quam habent ad corpus Christi supernaturaliter mouent ipsum corpus, & ad id muneris eleuantur á Deo, vt inferiùs dicemus *n.* 190. Idem dicendum de recipiente sacram Eucharistiam. Concil. Trident.

18 Obijcies quartó. Non est minùs præsens locus rei locatæ, quàm res locata ipsi loco; atqui locus redditur præsens rei locatæ absque aliquo modo intrinseco, quem in se recipiat: ergo idem dicendum de re locatâ. Respondeo primò, locum respectu rei locatę posse considerari dupliciter: primò pro corpore imaginario, & hoc non est capax alicuius Modi realis recipiendi: secundò pro superficie existentis; & hæc etiam habet suum Vbi. Respondeo secundó satis esse, quòd præsentia recipiatur ex vnâ parte, nimirum rei locatæ, ad eum modum, quo satis est, quòd Vnio hypostatica recipiatur ex parte humanitatis: & ad eum modum, quo motus corporis pertranseuntis spatium solùm recipitur in corpore transeunte, non verò in spatio.

Solutum

§. 5.

Soluuntur argumenta asserentium Vbi non esse modum ex naturâ rei distinctum ab existentiâ.

18 SEd jam ad fundamenta opinionis contrariæ proposita *n.7.* Ad primum (quâtenus dicit rem absoluiè existere per se absque vllâ formâ superadditâ: ergo similiter existere in loco absque formâ superadditâ) respondeo esse diuersam rationem, quia existentia rei non est separabilis à re existente in rerum naturâ: Vbicationem veró maximè, vt constat ex dictis.

19 Ad secundum (quâtenus dicit superfluã esse omnem aliam entitatem prẹter existentiã rei in loco) respondeo necessariò admittẽdum esse Vbi distinctũ, quo scilicet terminetur motus, seu actio localis. Accedit quòd existẽtia nõ potest concipi esse in hoc loco sine Vbi; nam eius effectus formalis est positio rei in loco: at verò effectus formalis non potest concipi sine suâ formâ, v. g. non potest concipi album sine albedine, aut nigrum sine nigredine. Quód si prẹscindamus ab Vbicatione solùm concipiemus existentiã rei, quẹ, cùm de se sit indifferẽs ad hunc, vel ad illum locũ, non potest concipi formaliter determinata ad hũc sine formâ determinante, quæ est Vbi. Neque dicas, determinari ab actione productiuâ rei in hoc, & nõ in illo loco. Non, inquã, hoc dicas, primò, quia actio solúm determinat effectiuè, nõ formaliter. Secundó, quia aut huiusmodi actio est localis; & hæc debet habere aliquem terminum: non apparet alius, nisi Vbi. Aut productiua rei; & hæc non, tum quia res potest acquirere nouũ Vbi, quin ipsa de nouo producatur, vt videre est in Petro deambulante: tum quia actio productiua de se est indifferens ad hunc, & ad illum locum.

20 Ad tertium (quâtenus dicit rem esse in tempore per suam existentiam: ergo etiam in loco) respondet Cardinalis Lugo cum alijs grauissimis Doctoribus, quos inferiùs agendo de Duratione referemus, Durationem etiam esse modum ex naturâ rei distinctum ab existentiâ. Verùm hãc opinionẽ, & modũ dicẽdi suo in loco minùs probabilẽ iudicabimus. Respõdeo igitur secundò, cõcedendo durationem nõ esse modũ ex naturâ rei distinctũ ab existẽtiâ, quantũuis Vbi sit modus distinctus ex naturâ rei. Diuersa ratio est, quia Vbi est terminus actionis localis, quæ, cùm sit realis, debet habere terminum distinctũ ex naturâ rei: at verò duratio non producitur per aliquã similem actionem. Respondent alij tertiò assignando hanc diuersam rationem, quia Vbi acquiritur per mutationem rei locatæ circa spatium immobile; vnde mutatio debet fieri penes rem locatam: at verò Duratio correspondet tempori imaginariò, quòd est fluxum, & mutabile; vnde satis est, quód mutatio intrinsecè fiat penes illud, & solùm extrinsecè penes rem durantem.

21 Ad quartum (quâtenus dicit, si Vbicatio consisteret in formâ superadditâ, hanc esse essentialiter immobilem, quam nec Deus posset loco dimouere, quod videtur repugnare) respondeo nullum esse inconueniens, quód entitas Vbi sit loco immobilis, illique essentialiter affixa; cùm eius essentia consistat in formali præsentiâ rei ad locum: quod autem est formaliter tale, non potest fieri non tale. Neque obstat, quòd sit propriũ solius Dei esse immutabilem; nam immutabilitas, quæ est propria Dei, est alia consistens in eo, quòd Deus nequeat interire, & mutari de esse ad non esse: item acquirere de nouo, vel amittere aliquam perfectionem intrinsecam: quod in nullâ creaturâ reperitur.

22 Quæres hîc, Vnde proueniat quòd Vbi nequeat separari á suo spatio, cui correspõdet? Respondent communiter id illi prouenire ex eo, quòd sit respectus essentialis, & transcendens ad ipsum spatiũ. Non placet, quia cõceptus de tali spatio est respectus essentialis, & transcendens ad illud: & tamen potest ab eo separari, & de facto existit separatus. Respondeo igitur Vbi esse inseparabile ab spatio, quia est formalis prẹsentia in illo, ad eum modum, quo vnio idcircó nequit separari ab extremis, quia est formalis vnio ad illa.

23 Ad quintum (quâtenus dicit priùs intelligi rem esse in loco, quàm producere suum Vbi in illo: in eo ergo priori intelligi esse in loco per suam existentiam; ac proinde superfluam esse omnẽ aliam formam superadditam) respõdeo, non priùs intelligi rem esse in loco, quàm in illo producat suum Vbi. Ante productionem sui Vbi solùm intelligitur existens, & formaliter indifferens, ac indeterminata ad hũc potiùs locum, quàm ad illum; neque enim potest formaliter determinari, nisi per Vbi. Dixi *formaliter*, quia effectiuè potest intelligi determinata ad hunc locum per actionem, & causam productiuam rei vbicatæ, quæ applicat suam virtutem ad producendum effectum potiùs in hoc loco, quàm in illo.

(·?·)

§. 6.
Vtrùm Vbi sit res: an modus?

P. Arriaga. P. Compt. P. Hurt.

24 SEcunda difficultas: Vtrùm Vbi sit realitas: an modus? Esse realitatem contendũnt P. Arriaga *in Physica disp. 14. à num. 49.* P. Compton. ibidem *d. 34. s. 3. n. 3.* Fundamentum est, quia non datur maior ratio, cur albedo, & nigredo; actus videndi, & amandi sint accidentia realia, non verò Vbi: ergo etiam Vbi est realitas. Huic sententiæ maximè fauet P. Hurtad. *in Phys. d. 14. s. 2. n. 9.*

P. Soar. Patres Conimbr. P. Ouiedo P. Vasq. P. Tellez. P. Rub. Oncha

25 Sed probabilior est contraria resolutio asserentium Vbi esse modum. Illam sequuntur P. Soar. *in Metaph. disp. 51. sect. 1. n. 16.* Patres Conimbricens. *3. Physic. cap 3. q. 2. art. 2.* P. Ouiedo *in Met. controuers. 4. pũct. 6. num. 7.* P. Vasq. *1. p. d 88. cap. 7.* P. Tellez *d. 64. s. 1 n. 1.* P. Rub. *in Log. in Prædicamento Vbi n. 6.* & *3. Phys. q. 6. num. 37.* Oncha *in Prædicam. Vbi a. 4. conclusione 4.* Probari solet communiter, quia Vbi est veluti vnio inter subiectum, & spatium: de ratione autem vnionis est esse modum. Sed non placent, quia etiam conceptus est veluti vnio inter potentiam, & obiectum: & tamen est realitas.

26 Quare meliùs probatur primò, ex illo receptissimo Principio, quód *Non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate*: & nulla datur necessitas faciendi Vbi realitatem. Et hoc ostenditur, quia res intelligitur produci, subsistere, & referri per solam entitatem modalem: ergo & vbicari. Secundó, quia videtur intelligibile posse existere in rerum naturâ Vbicationem, & sessionem sine re sedente, vel vbicatâ.

27 Dices: Optimè intelligitur existere visionẽ, & intellectionem sine subiecto vidẽte & intelligente: ergo & Vbicationẽ sine re vbicatâ. Respondeo negando Antecedens, quia visio, & intellectio, vt alibi probauimus, includunt essentialiter actionem immanentem: vnde clarum est visionem, & intellectionem adæquatè sumptas non posse existere sine subiecto vidente, & intelligente.

28 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondent nonnulli Recentiores, negãdo Antecedens, quia nigredo, & albedo sunt formæ absolutæ, quæ possunt existere sine subiecto: Vbi verò est forma determinans subiectum ad spatiũ, quę non potest existere sine re vbicatâ, Sed contrà, quia hoc est supponere albedinem, & nigredinem esse realitates: Vbi verò modũ, de quo est tota quæstio. Quòd verò Vbi sit forma determinans subiectum ad spatium nihil concludit, quia etiam conceptus est forma determinans potentiam ad obiectum: & tamen est realitas.

29 Respondent alij secundó, Vbi esse immediatam dependentiã ab spatio, atque adeò solùm modaliter distingui. Sed non satisfaciunt, quia potest responderi etiam actus intellectûs, voluntatis, & aliarum potentiarum esse immediatas dependentias á suis obiectis: cùm tamen sint realitates.

30 Respondent alij tertió, actus videndi, & amandi esse vitales, & vitam non posse in modo consistere. Etiam non satisfaciunt, quia potest responderi primó, esse liberé dictum vitam accidentalem non posse in modo consistere. Responderi potest secundò, actiones, quibus producuntur tales actus, esse vitales: & tamen sunt modi. Responderi potest tertió, ex hoc non colligi albedinem, nigredinem, aliaque accidentia non vitalia esse realitates, vnde non esse maiorem rationem, cùr illa dicantur realitates: non veró Vbi.

31 His igitur solutionibus omissis, alia quærenda est. Dico ergo nullum dari fundamentum, vt asseramus Vbi esse realitatẽ: maximum verò vt dicamus, albedinem, nigredinem, & alia similia accidẽtia esse realitates. Et fundamentũ hoc est, quia maior est connexio, quæ datur inter Quantitatẽ, & Materiam primam, quàm inter albedinem, v. g. & ipsam Quantitatẽ; Quãtitas enim est proprietas Materiæ, & albedo nõ est proprietas Quantitatis: sed nõ obstãte maiori cõnexione Quantitatis cũ Materiâ, Quantitas ab illâ realiter distinguitur, vt constat ex Mysterio Eucharistiæ: ergo etiam albedo distinguetur realiter ab ipsâ Quantitate. Et hæc ratio accommodari potest nigredini, actibus potentiarum, & similibus accidentibus, vt á suis subiectis realiter distinguantur.

32 Dices: Maiorem connexionem habet Materia prima cum Quantitate, quàm habet cum suo Vbi: ergo si non obstante maiori connexione Quantitas distinguitur realiter ab illâ, etiam Vbi realiter distinguitur. Respondeo negando Maiorem, quia certum est Materiam primam posse existere sine omni Quantitatẽ: non verò est ita certum posse existere sine Vbi. Imò ipse P. Arriaga loco proximé citato n. 72. asserit manifestè repugnare creaturam, quæ ab omni Vbicatione absoluatur: hoc autem non aliunde prouenit nisi ex maiori connexione, quam habet res cum suo Vbi, quàm Materia prima cum Quantitate.

Physis

§. 7.

Vtrùm possibilis sit creatura, cuius Vbi ab illâ solùm virtualiter distinguatur?

33 TErtia difficultas: Vtrùm possibilis sit creatura virtualiter distincta à suo Vbi? Partem affirmatiuâ à fortiori tenent omnes illi, qui dicunt Vbi de facto virtualiter esse distinctū ab existentiâ. Et quòd saltem de possibili id fieri posit, videtur manifestum; nam in eo nulla visitur implicatio.

34 Negatiuam sententiam supponere videntur P. Molin. P. Vasq. P. Soar. & alij suprà citati, quos sequuntur plures Recentiores. Et probant primò, quia impossibilis est creatura, quā Deus non posit mouere ab spatio in spatiū, & à loco in locū: at verò talis actio localis, cùm sit realis, est acquisitio Vbi ex naturâ rei distincti. Secundò, quia aut talis actio oritur á re vbicatâ, vt à principio: aut in illâ recipitur, tanquam in passo; atqui actio distinguitur ex naturâ rei, & á principio, & á passo: ergo idem dicendum de eius termino, nimirum Vbi, cum quo ipsa actio identificatur. Tertiò, quia impossibilis est creatura, quæ non posit variare suum Vbi, acquirendo vnum, & amittendo aliud, quin ipsa rei essentia varietur: huiusmodi autem separabilitas est signum distinctionis ex naturâ rei. Quartò, quia magis separabile est Vbi à re vbicatâ, quám Subsistentia à re subsistente; atqui non est possibilis natura virtualiter distincta à suâ Subsistentiâ: ergo neque virtualiter distincta á suo Vbi. Quintò, quia omnis potentia creata respicit obiectum per actum ex naturâ rei distinctum: ergo etiam omnis creatura respicit locum per formam ex naturâ rei distinctam.

P. Molin. P. Vasq. P. Soar.

35 Dico tamen: Si detur creatura aliqua, quæ nec diuinitùs posit moueri ab vno loco in alium, hæc solùm virtualiter distinguetur à suo Vbi. Et probatur, quia Vbi modaliter distinctum solùm admittitur, vt sit terminus actionis localis; sed circa talem creaturam, vt supponimus, non potest dari actio localis: ergo nulla est necessitas admittendi Vbi modaliter distinctum. Et confirmatur primò, quia vt suprà diximus *tract. 6. n. 74.* si esset vna creatura, quæ non posset produci, nisi ab vnâ tantùm causâ, produceretur per actionem virtualiter distinctam: ergo similiter si non posset correspondere, nisi vni tantùm loco, hoc haberet per Vbi virtualiter distinctum. Confirmatur secundó, quia vbi nulla est separabilitas, nullum est signum distinctionis ex naturâ rei: at verò in tali creaturâ nulla esset separabilitas á suo Vbi.

36 Vtrùm verò repugnet talis creatura? Respondeo negatiuè cū P. Arriag. *de Angelis d. 3. n. 19.* Et probatur, quia in hoc nulla apparet manifesta cōtradictio. Cōfirmatur, quia nō implicat, vt suprà probauimus, creatura, quæ essentialiter postulet produci ab vnâ tantùm causâ: ergo neque creatura, quæ respiciat essētialiter vnum tantùm locum. P. Arriag.

37 Ad primum, secundum, & tertium fundamentum opinionis contrariæ patet solutio ex dictis. Ad quartum de Subsistētiâ dico, esse specialem repugnantiam in Subsistētiâ virtualiter distinctâ; nam maior perfectio talis creaturæ impediret eius maiorē identificationem cum Deo, prout plenè diximus *tr. 2. n. 4. n. 141.* quæ repugnantia non visitur in creaturâ, cuius Vbicatio ab eâ solū virtualiter distingueretur.

38 Ad quintum (quátenus dicit impossibilem esse potentiā, quæ nō respiciat obiectum per actū distinctū: ergo etiā impossibilem esse entitatē creatam, quæ non respiciat locum per Vbi distinctū) respondeo negando Antecedēs, si intelligatur de omni potentiâ creatâ possibili; nulla enim assignabitur repugnantia in possibilitate alicuius potentiæ, quæ se ipsâ cognoscat aliquot obiecta, ita vt ab illorū cognitione nequeat cessare. Neque hinc sequitur talē potentiam fore tā simplicem, vt est ipse Deus; adhuc enim posset habere compositionem ex emanatione, quâ produceretur, & reciperetur in suo principio: vel ex relatione, quam haberet ad alia entia saltem diuinitùs.

SECTIO II.

Quibus in rebus detur Vbi?

39 PRIMA difficultas: In quibus rebus detur Vbi? Prima sententia asserit solas Substantias habere propria Vbi: accidentia verò solùm esse in loco ratione Substantiæ. Ita P. Rub. *4. Physic. tract. de natura Loci q. 5. n. 74.* subscribit Caramuel *cit. d. 3. Conclus. 2.* Probatur primò, quia nulla est necessitas admittendi in accidentibus Vbi distincta; sufficienter enim ipsa intelliguntur esse in loco ratione Substantiæ. Secundò, quia solùm mouētur ratione Subſtātiæ: ergo solúm ratione illius erūt in loco. Tertiò, quia illis nō imprimitur diuersus impulsus ab eo, qui impri- P. Rubi. Caramuel

mirur Substantiæ.

40 Secunda sententia tenet solam Quantitatem habere proprium Vbi; Substātiā verò, & alia accidentia esse in loco solius ratione Quātitatis. Ita P. Vasq. 1. p. d. 29. c. 3. à n. 15. & d. 188. c. 7. n. 28. & tom. 3. in 3. p. d. 189. à n. 28. Subscribunt Patres Conimbr. 3. Phys. c. 3. q. 2. a. 2. §. Est tamē. Hęc sētētia nō aliter nisi elidēdo probari potest, quàm adducēdo repugnātias, quas afferunt Vbi cæterorum entium vnâ exceptâ Quantitate.

P. Vasq. Patres Conimbr.

41 Et in primis quod attinet ad repugnātiā Vbi Substantiæ materialis, & corporeæ, probatur. Primò, quia Substātia est in loco ratione Quātitatis, quæ ipsā Substantiā extendit in ordine ad illū. Secundò, quia Vbi Substātiæ materialis nec est Circūscriptiuū, nec Definitiuū. Non Circumscriptiuum, quia nō excludit aliud corpus ab eodem loco. Non Definitiuum, quia non constituit totam Substātiam materialem in qualibet parte spatij. Tertiò, quia Substantia sufficienter redditur figurata per figuram Quantitatis: ergo etiam sufficienter reddetur vbicata per Vbi Quantitatis.

42 Quòd attinet ad repugnātias Vbi Substantiæ spiritualis, probatur. Primò, quia si Anima Petri haberet Vbi, hoc certè produceretur, quoties Petrus mouetur ab vno loco in alium: atqui nō potest produci. Et ratio est, quia motus ille, quo Petrus mouetur, est corporeus; Vbi verò Animæ spirituale: terminus autē spiritualis nō potest produci motu corporeo. Secūdò, quia si Angelus haberet Vbi, nō posset nō esse in aliquo loco, seu, vt Theologi loquuntur, non posset se absoluere ab omni loco: & quod inde sequitur, nō posset trāsire de extremo ad extremū, nisi per mediū: quod tamen falsū esse docetur *tract. de Angelis*. Tertiò, quia nō posset Angelus se cōstituere in maiori, vel minori spatio pro suâ libertate; sicut non potest corpus materiale, nisi per condensationem, vel rarefactionem: quæ tamen in Angelis, cùm sint partium expertes, non reperitur.

43 Quod attinet ad repugnantiā Vbi accidentiū exceptâ Quātitate, declaratur: quia cętera accidētia, aut sūt corporea, aut spiritualia: si corporea, omnia mouētur ad motū Quantitatis, in eâque immediatè subiectātur: si spiritualia, hæc non requirūt Vbi, sicut nec ipsa Substantia spiritualis, vt constat ex dictis.

§. 1.

Cuilibet entitati respōdet propriū Vbi, excepto ipso Vbi, & ijs, quæ cū illo identificātur.

44 Nihilominus vera est cōtraria resolutio asserentium omnes entitates, tum substātiales, tum accidentales; tum corporeas, tum spirituales, tum reales, tum modales, excepto Vbi, eius productione, relationibus, & alijs, quæ cum illo identificantur, habere sua propria, & peculiaria Vbi, quibus in loco constituuntur. Ita D. August. *de Immortalit. Animæ cap. 1.* ibi: *Quidquid est, nusquam esse non potest.* Aristotel. *4. Physic. cap. 1.* ibi: *Omnes existimant, quæ sunt alicubi esse, quod verò non est, nusquam esse*. P. Soar. *in Met. d. 51. sect. 5.* & *de Sacram. d. 48. s. 1. §. Secundò infero*. P. Hurtad. *in Physica disp. 14. sect. 4.* P. Franciscus Amicus *tom. 2. de Angelis d. 5. s. 1.* Cardinalis Lugo *de Eucharistia disp. 5. sect. 2. num. 35.* P. Alarc. *tract. 6. disp. 6. cap. 3.* P. Ouied. *in Phys. controuers. 15. puncto 5. num. 7.* P. Sancta Cruz ibidem *à n. 754.* cum P. Mæratio, Auersâ, & alijs pluribus. Probatur generaliter de omnibus prædictis entitatibus, quia omnes hę, illis tantùm exceptis, quas proximè adnumerauimus, possunt moueri de loco ad locum: at verò motus iste, seu actio localis non potest non producere suum terminum, nimirùm Vbi. Et confirmatur, quia omnes hæ entitates quando existunt, intelliguntur esse alicubi, vt patet ex dictis: esse autem alicubi nihil aliud est, quàm habere Vbi.

D. Aug. Aristot. P. Soar. P. Hurt. P. Amicus P. Lugo P. Alarc. P. Ouied. P. S. Cruz P. Marat. Auersa.

§. 2.

Accidentia habent proprium Vbi.

45 HÆc resolutio etiam est communis, & traditur à P. Soar. loco cit. n. 9. P. Tellez d. 64. s. 1. n. 6. P. Compton. *in Phys. d. 34. s. 5. n. 7.* & alijs. Probatur, quia licèt ista effectiuè moueantur ratione Substantiæ, id non tollit quóminus ipsa formaliter moueantur; neque enim quando Substantia mouetur á loco *A*, in locum *B*, manent accidentia in loco *A*, mutatâ Substantiâ in locum *B*. Verùm quidem est, quòd talia accidentia mouentur effectiuè ratione Substantiæ, hoc est, Substantia est causa eorum motûs: id tamen non tollit quòminus ipsa accidentia formaliter moueantur. Et confirmatur primò, quia accidentia Sacræ Eucharistiæ sunt in loco, idque Circumscriptiuè; non ratione Vbi Substantiæ, cùm illâ careant: ergo ratione suorum Vbi particularium. Secundò, quia Vbi est modus intrinsecus rei locatæ: ergo non potest esse vnus in multis, sed pro eorum numero debet multiplicari. Tertiò, quia alioquì quoties Substantia, & Quantitas ęris de nouo illustratur, calefit, aut frigefit, mutabit Vbicationem; nam quæ anteá erat, non erat in his accidentibus, quæ de nouo adueniunt: & non potest de nouo subiectari in illis.

P. Soar. P. Tellez. P. Compton.

Ex quo

46 Ex quo manifesta fit responsio ad ea, quæ n. 39 pro prima sententia nobis P. Rubius obiectabat. Ad primum enim dicendum est, dari maximam necessitatem admittendi in accidentibus Vbi distincta; siquidem in illis datur motus localis proprius, ac distinctus, qui stare non potest sine termino, seu Vbi distincto. Ad secundum, dico motum Substantiæ esse quidem causam motuum accidentium: hos tamen esse distinctos ab illo. Ad tertium, respondeo vnum impulsum posse impellere plura corpora, & gignere plures motus.

§. 3.

Substantia corporea habet proprium Vbi.

P. Soar. P. Tellez Scotus P. Hurt. P. Arriaga P. Compto.

47 HÆc resolutio etiam est communis, & traditur á P. Soar. cit. n. 3. P. Tellez similiter cit. n. 4. Scot. *in 1. dist. 29. q. 2.* Ocham. *quodlib. 10. q. 4.* P. Hurt. *in Phys. d. 14. á n. 27.* P. Arriag. *in Phys. disp. 14. n. 108.* P. Compton. cit. Et probatur, quia Deus potest illam conseruare in rerum naturá denudatam omni Quantitate: deinde potest illam sic denudatam mouere de loco in locum: at veró iste motus localis nihil aliud est, quàm acquisitio Vbi. Et confirmatur, quia Substantia corporea est capax sibi specialium relationum, & actionum: ergó etiam erit capax Vbi sibi specialis.

48 Neque obstant ea, quæ pro sententiâ P. Vasq. retulimus n. 41. Ad primum (quâtenus dicit Substantiam esse in loco ratione Quantitatis) negandum est esse in loco ratione Quantitatis; est in loco ratione sui Vbi; quod est eius modus, & cum illâ identificatur. Quod deinde ostendi potest, quia si Deus ab illâ auferat Quantitatem, adhuc talis Substantia manebit in loco. Ad secundum (quâtenus dicit Vbi Substantiæ materialis neque esse Circunscriptiuum, neque Definitiuum) respondeo esse Circunscriptiuum, cùm constituat totam Substantiam in toto spatio, & quamlibet partem Substantiæ in quâlibet parte spatij: in quo consistit essentia Vbi Circunscriptiui. Nec refert, quòd non excludat aliud corpus ab eodem spatio; nam excludere aliud corpus solùm est proprium Vbi Circunscriptiui Quantitatis, non Vbi aliorum entium materialium.

49 Ad tertium (quâtenus dicit Substâtiam sufficienter figurari per figuram Quantitatis: ergo similiter sufficiêter vbicari per Vbi Quantitatis) respondeo, quidquid sit de figurâ, esse specialem rationê ad hoc, vt in Substantiâ admittatur Vbi distinctum ab Vbi Quantitatis; cùm in Substantiâ admittitur motus localis distinctus: ergo admitti debet terminus distinctus, nimirum Vbi.

§. 4.

Substantiæ spirituales habent propriũ Vbi.

50 HAnc conclusionẽ sequuntur D. Bonau. Scot. Gabriel, Alensis, Marsil. Ocham. quos citant, & sequuntur P. Soar. *in Met. d. 51. s. 3. à n. 7.* P. Mol. *1. p. q. 52. a. 1. d. vnica membro 5. §. His prænotatis,* P. Bubalus *de Angelis q. 52. a. 1. diff. 3. s. 6. fol. 502.* P. Tellez cit. *sect. 2. n. 6.* Cardinalis Lugo *de Eucharist. d. 5. s. 2. n. 35.* P. Arriag. cit. n. 85. P. Martinon *d. 42. de Angelis n. 46.* Probatur, quia Substantiæ spirituales, v. g. Angeli, mouentur motu locali de loco in locũ; vt constat *ex Iob. 1. n. 7. Iudicum 13. n. 2. Isai. 6. n. 2.* & sequentibus. *Apocal. 12.* ibi: *Et locus eorum non est amplius inuentus in Cælo.* Item ex *Tob. 8. n. 7.* vbi Asmodeus á Sãctô Raphaele religatur in deserto superioris Ægypti. Necnõ *ex Marci 5. num. 15.* vbi Dæmones eijciuntur ab energumenô, & transmittuntur in porcos. Itaque ex Sacrâ Scripturâ constat Angelos moueri de loco in locum: iste autem motus localis nihil aliud est, quàm acquisitio Vbi.

D. Bona. Scotus Gabriel Alensis Marsil. et Ochamus P. Soar. P. Molin. P. Bubal. P. Tell. P. Lugo P. Arriaga P. Martin. Iob. 1. Iudic. 13. Isa. 6. Apoc. 12. Tob. 8. Marci 5.

51 Quartó specialiter contra P. Vasq. qui non negat Vbi spirituale, sed dicit illud non esse proprium Vbi, & solùm consistere in vnione Angeli, aut Animæ ad corpus. Quod quidem videtur omninò falsum, tum quia Angelus, & Anima mouêtur intrinsecè motu proprio de loco in locum; tum quia si ponerentur extra Mundũ in spatio imaginario, in quo nullum est corpus, certè ibi haberent proprium Vbi; siquidê possêt moueri motu sibi proprio, & intrinseco, vt ipse P. Vasq. fatetur; & est manifestũ: nã talis Angelus, & Anima non responderent omni spatio infinito; id enim solius Dei propriũ est: ergo alicui spatio certo, & determinato, in cuius correspondentiâ consistit Vbi. Tum denique, quia non intelligitur ista vnio physica Angeli ad locũ; vnio enim facit vnũ: non autẽ intelligitur quomodó Angelus fiat vnum cũ loco. Sed de hoc infrá n. 218.

52 Neque oppositum suadent ea, quæ pro suâ opinione n. 42. retulimus ex P. Vasq. Ad primum (quâtenus dicit Vbicationem Animæ Petri, cùm sit spiritualis, non posse produci á potentiâ motiuâ ipsius Petri, quæ est corporea) responderi potest, quando Petrus mouetur, eius Animæ Vbicationem non produci á potentiâ motiuâ corporis, sed á potentiâ motiuâ ipsius Animæ, quæ spiritualis cùm sit, potest elicere motum, & terminum spiritualem.

53 Ad secundum (quâtenus asserit, si Angelus haberet Vbi, sequi non posse se absoluere ab omni loco: nec posse transire de vno ad aliũ, nisi per mediũ) respõdeo, verũ esse Angelos non posse se absoluere ab omni loco, sed in aliquo esse oportere saltẽ indiuisibili, vt inferiùs pleniùs ostendemus. Præterea assero Angelũ, non posse transire de loco in locum nisi per medium, vt cum communi Theologorum docet P. Soar. *lib. 4. de Angelis cap. 19.* & P. Martinon *d. 42. de Angelis n. 69.* P. Arriaga *de Angelis d. 17. n. 16.*

P. Soar. P. Martin. P. Arriaga

54 Ad tertium (quâtenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ non posse Angelum pro suâ libertate se constituere in maiori, vel minori spatio) respondeo adhuc pro suâ libertate posse se constituere in maiori, vel minori spatio intra suam sphæram, licèt id non possit corpus quantum, nisi per densationem, vel rarefactionem. Diuersa ratio est, quia partes corporis quanti sibi mutuò resistunt; ac proinde nequeunt se contrahere, vel extendere nisi per densationem, vel rarefactionem: at verò partes virtuales Substantiæ Angeli, cùm sibi non resistant, possunt in se contrahi.

§. 5.

Modi excepto Vbi, & ijs, quæ cum illo identificantur, habent proprium Vbi.

55 HÆc conclusio est contra P. Tellez cit. *sect. 1. n. 9.* P. Compton. cit. *n. 8.* traditur tamen á P. Arriagâ vbi suprà *d. 14. n. 111.* P. Hurtado *in Phys. d. 54. n. 33.* & alijs suprá relatis. Probatur de Vbi Modorum, quia huiusmodi entitates modales etiam habent suos proprios motus, quibus intrinsecè mouentur de loco in locum: huiusmodi autem motus locales nihil aliud sunt, quàm acquisitiones Vbi. Confirmatur, quia realitas potest esse hîc vbicata, quin Modus illis vnitus vbicetur. Et hoc ostenditur, quia si realitas, quæ est Romæ, ponatur Conimbricæ, quin ibi ponatur eius Modus, nimirum sessio, vel statio, certè realitas erit vbicata Conimbricæ, non veró eius Modus: ergo hic non vbicatur per Vbi realitatis.

P. Arriaga P. Hurt.

56 Excepimus tamen á numero Modorum ipsum Vbi, illius productionem, eius relationes, & si quæ sunt alia, quæ cum ipso Vbi identificantur. Primò, quia illa tantùm entia habent proprium Vbi á se distinctum, quæ possunt moueri ab vno loco in alium: at verò prædicta entia sunt prorsùs immobilia. De Vbi, res est clara; nam Vbi est formalis præsentia rei in hoc spatio: cæteræ entitates sũt adeó cõnexæ cũ ipso Vbi, vt ab illo nequeant separari. Secundó, quia si aliqua ex prædictis entitatibus haberet proprium Vbi, sequeretur manifestus processus in infinitum. Nam in primis, si ipsum Vbi vbicaretur per aliud, etiam hoc per aliud vbicaretur, & sic in infinitum; non enim est maior ratio de vno, quám de alio. Similiter si actio productiua ipsius Vbi haberet proprium Vbi distinctum á suo termino, tale Vbi per aliam actionem produceretur, & hæc vendicaret aliud Vbi, quod similiter per aliam actionem produceretur, & sic in infinitum. Idem dicendum de relationibus ipsius Vbi; nam si hæ haberent aliud Vbi, etiam hoc fundaret alias relationes, & hæ aliud Vbi, & sic in infinitum.

57 Dices primó: Modus habet totam suam essentiam à realitate: ergo etiam suum Vbi. Respondeo, Vbi non esse de essentiâ Modorum, sed illorum proprietatem: proprietas autem emanat à re, cuius est proprietas. Dices secundò: Modus nullam per se habet extẽsionem: ergo nullam per se habet Vbicationẽ. Respondeo primò, Modum rei corporeæ habere propriam extensionem; cùm enim sit ens corporeum, non potest non habere suam peculiarem extensionem. Respondeo secundó, non esse necessariam extensionem, vt res habeat proprium Vbi; nam res spirituales habent propria Vbi; & tamen non habent extensionem. Dices tertiò: Modi non possunt separari á suis realitatibus: ergo satis est quòd vbicentur per earum vbicationes. Respondeo, inseparabilitatem Modi à suâ realitate non prouenire ex eo, quòd non habeat Vbi distinctum, sed ex eo, quòd aliunde sit essentialis vnio respectu illius.

§. 6.

Vtrùm vnum Vbi possit vbicari per aliud?

58 SEcunda difficultas: Vtrùm de potentiâ Dei absolutâ vnum Vbi possit vbicari per aliud? Et quæri potest primò, Vtrùm vnum Vbi possit constitui in diuerso loco per aliud, v. g. Vbi Petri existentis Conimbricæ constitui Vlysipone per aliud Vbi? Affirmant nonnulli Recentiores, qui quidem dicunt tale Vbi Conimbricense non posse separari á Conimbricâ: posse tamen persistendo Conimbricæ simul constitui Vlysipone per aliud Vbi distinctum. Eorum fundamentum est, quia in eo nulla visitur manifesta contradictio. Et confirmatur exemplo Vbi Angeli existentis in totâ hâc aulâ; nam huiusmodi Vbi naturaliter existit simul in pluribus

angulis

angulis partialibus, & continuis: ergo diuinitùs poterit existere in pluribus discretis, ac totalibus.

59 Nihilominus hæc sententia nimis singularis est, & videtur omninò falsa. Eam latè impugnant Cardinalis Lugo *de Euchar. d.5. s.3. n.61.* P. Ouied. *in Phys. controu.15. punct.10. n.3.* P. Soar. *de Sacram. d.48. s.5.* Patres Conimb. *4. Phys. c.5. q.5. a.2. § Hæc sunt,* P. Arriag. *in Phys. d.14. s.7.* P. Tellez *d.32. s.4 n.11.* Idque primò, quia in tali sententiâ sequitur, quòd Petrus Vlysipone sit Conimbricæ, habet enim Vlysipone Vbi Conimbricense, cuius effectus formalis est constituere rem Conimbricæ. Secundò, quia in opinione asserentium Durationem esse modum ex naturâ rei distinctum ab existentiâ, vna Duratio non potest durare per aliam. v.g. Duratio hesterna per hodiernam: Duratio autem non magis essentialiter respicit tempus imaginarium, quàm Vbi spatium similiter imaginarium. Similiter dicendum de conceptu, qui non potest per alium respicere diuersum obiectum. Tertiò, & à priori, quia non potest forma multiplicari, aut reiterari in subiecto, in quo non multiplicatur, & reiteratur eius effectus formalis, vt latè ostendimus *tract.2. de Anima à n.49.* vbi docuimus accidens non posse poni in subiecto improportionato: at verò Vbi Conimbricense non potest exercere suum effectum formalem Vlysipone; siquidem Vlysipone collocaret rem Conimbricæ. Et propter hanc eandem rationem non potest Duratio hesterna durare hodie; non enim potest reddere hodie rem durantem heri; sin minus hodie posset res durare centum annis, si centum anni hodie reproducantur, & conseruentur. Quod absurdum facilè potest applicari ad Vbi; nam in contrariâ sententiâ sequitur, quòd Petrus in hoc palmo possit existere in omnibus ciuitatibus Europæ, si in hoc palmo diuinitùs vbicentur omnia Vbi, quæ ipse Petrus potest habere in omnibus ciuitatibus.

P. Lugo
P. Ouiedo
P. Soar.
Patres Conimbr.
P. Arriaga
P. Tellez.

60 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet responsio ex dictis. Dicendum enim est manifestam inuolui contradictionem in eo, quòd forma possit poni in subiecto, in quo nequit exercere suum effectum formalem; ferretur enim extra suum subiectum. Ad confirmationem, respondeo concedendo posse idem Vbi indiuisibile, nimirum Angelicum existere in pluribus locis partialibus; non tamen in pluribus locis totalibus, & adæquatis. Diuersa ratio est, quia tale Vbi in quolibet loco partiali exercet suum effectum formalem, qui est constituere totam rem in quâlibet parte spatij: at verò non potest exercere suum effectum formalem in alio loco totali diuerso, v.g. Vbi Conimbricense in loco Vlysiponensi.

61 Quæri potest secundò, Vtrùm vnum Vbi possit constitui in eodem loco per aliud? Et ratio dubitandi est, quia in illo euentu nō militat prædicta implicatio: & videtur non apparere alia.

Nihilominus dicendum vnum Vbi nō posse constitui per aliud in eodem loco. Et ratio vno verbo est, quia Vbi non potest respicere suum spatium mediatè: taliter autem illud respiceret, si illud respiceret mediante alio Vbi, vt est manifestum. Maior ostenditur, quia Vbi formaliter se ipso est immediata correspondentia: ergo non potest fieri non immediata, iuxta illud, *Quod est formaliter tale non potest etiam diuinitùs fieri non tale.* Et confirmatur, quia ex hoc Principio diximus *tract.6. num.43.* vnam Actionem non posse fieri per aliam; vt & Vnionem non posse vniri suis extremis per aliam; vnam Relationem Prædicamentalem nō posse referri ad suum terminum per aliam: ergo neque vnum Vbi poterit in suo spatio vbicari per aliud.

§. 7.

Vtrùm aliqua entitas possit existere in rerum naturâ absque omni Vbi?

62 Tertia difficultas: Quâ necessitate Vbi rebus conueniat? Prima sententia docet entitates spirituales non indigere Vbi, sed posse naturaliter existere absque omni proprio, & alieno. Ita D. Thom. *in 1. dist.37. q.3. ad 4.* Vbi dicit nullum esse inconueniens, quòd Angelus nusquam sit. Quod etiam docet Albert. M. Bañes, Zumel, & alij Thomistæ communiter, quos latè citat, & sequitur P. Vasq. suprà cit. subscribunt P. Alarcon *tract.6. de Angelis d.6.* P. Bubalus vbi suprà & alij. Eorum fundamentum est, quia Angeli, vt ipsi existimant, non sunt in loco, nisi vel ratione vnionis ad corpus, quæ, vt diximus, est sententia P. Vasq. & P. Alarc. vel ratione operationis: & huius, aut sumptæ in actu secundo, aut sumptæ in actu primo, hoc est, ratione applicationis, quâ se applicant ad operandum in aliquod corpus, quæ est sententia D. Thom. & eius Scholæ; atqui Angelus potest cessare ab omni vnione ad corpus, item ab omni operatione tam in actu primo, quàm in actu secundo circa ipsum corpus, cùm ea omnia exerceat liberè: ergo potest carere omni Vbi, &, vt aiunt, absoluere se ab omni loco. Verùm hæc sententia ex dicendis infrà *n.220.* vbi ostendemus Angelos non esse in loco per vnio-

D. Thom.
Albert. M.
Bañes
Zumel
P. Vasq.
P. Alarc.
P. Bubal.

nem ad corpus, vel per potentiam, vel per operationem, sed per proprium Vbi, & sui correspondentiam ad spatium imaginarium, commodiùs refutanda erit: & iam sufficienter refutata est ex dictis *n.* 51. & sequentibus.

P. Soar. P. Molin. P. Arriaga P. Valent. P. Marti. P. Amicus P. Præpos. P. Tellez P. Connin. P. Bubal. P. Hurt. P. Compt.

63 Secunda sententia huic extremè contraria defendit omnem entitatem indigere aliquo Vbi necessitate logicâ. Hanc tenent P. Soar. *lib. 4. de Angelis c. 2. n.* 9. P. Molin. 1. *p. q.* 52. *a.* 1. P. Arriaga *in Phys. d.* 14. *num.* 72. P. Valentia 1. *p. d.* 4. *q.* 3. *punct.* 2. P. Martinon *d.* 5. *de Deo n.* 45. P. Amicus *de Angelis d.* 5. *s.* 1. *n.* 10. P. Præpositus 1. *p. q.* 52. *a.* 1. *dub.* 2. §. *Quamuis autem*, P. Tellez *d.* 64. *sect.* 3. *n.* 1. P. Conninck 3. *p. q.* 75. *a.* 4. *d.* 1. *num.* 72. asserens oppositum esse inconceptibile. P. Bubalus *de anima d.* 12. *a.* 1. *q.* 2. *diff. vltima.* P. Hurtado ibidem *d.* 12. *s.* 6. P. Compton. *in Phys. d.* 33. *s.* 5. *n.* 2.

Probari potest primò, quia non minùs repugnat dari entitatē absq; omni Vbi, quàm lineā, quæ non sit, aut curua, aut recta: sed hæc implicat. Secūdò, quia natura non potest carere omni subsistentiâ. Tertiò, quia non potest carere omni relatione. Quartò, quia res non potest intelligi existens, quin sit in aliquo spatio: non potest autem esse in aliquo spatio, quin illi correspondeat: at verò Vbi consistit in istâ correspondentiâ. Quintò ex D. Augustin. *epist.* 57. *ad Dardanium*, ibi: *Spatia locorum tolle à corporibus, & nusquam erunt: & quæ nusquam erunt, non erunt.* Sextò, quia res existens non potest non esse in tempore per durationem: ergo similiter non poterit non esse in loco per præsentiam, seu Vbi. Septimò, quia forma non potest esse in subiecto sine vnione, siue inhærentiâ positiuâ: ergo neque esse in loco sine formâ positiuâ. Octauò, quia talis creatura, supposito quòd existat, necessariò coexisteret Deo, & erit illi præsens; sed Deus est in loco: ergo & illa creatura non potest non esse in illo. Hæc sententia est communis in Scholis, & valde probabilis.

D. Aug.

P. Vasq. P. Moncæus P. Ouiedo Fr. Ioan. Poncius P. Marat.

64 Nihilominus contraria non videtur improbabilis asserentium non repugnare existere rem diuinitùs absque omni Vbicatione. Hanc tenent P. Vasq. *tom.* 2. *in* 1. *p. d.* 195. *c.* 3. & 4. P. Moncæus *d.* 1. *cap.* 2. & 8. P. Ouiedo *in Phys. controuers.* 15. *punct.* 7. Ioannes Poncius *l.* 4. *d.* 44. *q.* 2. *n.* 22. P. Marat. 1. *p. d.* 29. *s.* 1. *n.* 6. Probatur, quia nulla in eo videtur manifesta implicatio, vt ex solutione eorum, quæ pro parte contrariâ objiciuntur, fiet manifestum. Et confirmatur primò, quia Vbicatio est accidēs superadditum naturæ productum per actionē distinctam ab ipsâ naturâ: poterit ergo Deus positâ actione productiuâ naturæ, v. g. Petri, suspendere actionem, quâ producenda erat eius Vbicatio. Quod sic ostendo: nam actio, ex vi cuius producitur Petrus, est prior actione, ex vi cuius producitur eius Vbicatio: cùm igitur illam antecedat, non dependet à priori ab illâ: dependentia autem à posteriori non est tanta, vt non possit suppleri à Deo. Et confirmatur secundò exemplis similium rerum, quæ possunt diuinitùs absolui à proprietatibus, à quibus solùm dependent à posteriori; hinc enim est, quód Natura possit diuinitùs absolui ab omni Subsistentiâ; Anima à suis potentijs vitalibus, cum quibus maximè connectitur. Confirmatur tertió, quia accidens potest diuinitùs existere absque omni subiecto; Materia absque omni Formâ; Quantitas absque omni Figurâ: & cur non etiam absque omni Vbi.

65 Obijcies primò: Talis Natura esset præsens alicui spatio, v. g. spatio *A*, & non spatio *B*; non per se ipsam; de se enim est indifferens, vt sit potiùs præsens spatio *A*, quàm spatio *B*: ergo per Vbicationem; ac proinde necessariò aliqua ei concedenda est. Respondeo, talem Naturam nulli spatio esse præsentem positiuè: alicui erit præsens negatiuè, hoc est, indistans; sicut de Naturâ denudatâ omni Subsistentiâ dicitur, quód sit terminata negatiuè, non positiuè.

66 Obijcies secundò. Tale corpus aut esset extensum, aut inextensum. Si extensum: ergo per aliquam Vbicationem, ex vi cuius extēdatur. Si inextensum: ergo partes illius essent penetratæ, & consequenter in eodem loco: ergo per Vbicationē. Respōdeo tale corpus, & eius partes esse inextensas negatiuè per negationem extensionis, ex quo non sequitur esse penetratas in eodem loco; nam ad hunc effectum non sufficit negatio extensionis, sed vlteriùs requiritur præsentia, seu Vbicatio partium in eodem loco.

Instabis: aut huiusmodi partes essent mutuó intra se: aut extra. Si intra: ergo in eodem spatio. Si extra: ergo in alio spatio, quod est effectus formalis Vbicationis: ergo quocunque modo erunt in spatio, & Vbicationem habebunt. Similiter potest instari: Nam, aut tale corpus absolutum omni Vbicatione esset intra Cælum: aut extra Cælum: vtrumque aliquam Vbicationem importat. Respondeo, talis corporis partes non esse mutuò intra se positiuè; sed solùm negatiuè per indistantiam: similiter nō esse intra Cęlum positiué, sed negatiuè per indistantiam ab aliquo, quod est intra.

67 Obijcies tertió. Implicat creatura, quæ non sit præsens Deo: ergo implicat creatura absoluta omni Vbicatione. Respondeo primò, talem creaturam esse præsentem Deo

non

non positiuè, sed negatiuè per indistantiam ab illo: Deus quidem esset illi positiuè præsens per suam Immensitatem; at ipsa esset illi præsens negatiuè per indistantiam, non tamen positiuè per præsentiam; siquidem careret omni præsentiâ positiuâ, in quo nulla visitur implicatio. Potest etiam dici cum P. Ouied. cit. *puncto* 8. *n.* 5. talem creaturam per suam existentiam esse positiué præsentem Immensitati Diuinæ: nam licèt creaturæ requirant præsentias superadditas, vt sunt præsentes alijs creaturis, per suam essentiam sunt præsentes Diuinæ Immensitati; sunt enim illi essentialiter præsentes.

68 Obijcies quartò. Implicat creatura existens sine aliquâ actione: ergo & sine aliquâ Vbicatione. Respondeo esse diuersam rationem, quia creatura dependet essentialiter à Deo in suo fieri, & conseruari, quod non potest præstari nisi per aliquam actionem; at non dependet essentialiter à loco; vnde potest diuinitùs ab omni absolui.

§. 8.

Argumenta soluta.

69 AD primum argumentum factum pro opinione contrariâ de lineâ, quæ nō potest nō esse aut recta, aut curua: respondeo id esse, quia aliás sequitur contradictio; nam aut linea est á puncto in punctum breuissimâ viâ: aut non. Si primum, est linea recta. Si secundum, est curua. At veró ex eo, quòd creatura absoluatur ab omni Vbicatione, nulla sequitur contradictio.

70 Ad secundum de Naturâ, quæ dicitur non posse carere omni subsistentiâ, respōdeo posse conseruari absque omni Subsistentiâ, vt constat ex latè disputatis *tract.* 2. *n.* 273. Ad tertium de creaturâ, quæ non potest carere omni relatione, responderi potest cum P. Rubio posse carere omni relatione formali, si Deus desinat concurrere ad eius emanationē. Vide quæ diximus *tract.* 5. *n.* 56. Ad quartum (quâtenus dicit rem non posse intelligi existentem, quin sit in aliquo spatio) respondeo posse; nam vt intelligatur existens satis est, quód intelligatur extra causas, ac deinde indistans ab aliquo spatio, non positiué per aliquam præsentiam, sed negatiuè per indistantiā ab illo.

71 Ad quintum ex D. Augustino respondeo, sublato omni Vbi, naturaliter perituram eius realitatem, in quâ ipsum Vbi fundatur; ad eum modum, quo sublatâ subsistentiâ consequenter destrueretur eius Natura: & in hoc sensu loquitur D. August. loco cit. vbi dicit: Rem, quæ nusquam existeret, non extituram. Nostra verò quæstio procedit de potentiâ Dei absolutâ: & dicimus nullam apparere implicationem in eo, quòd Deus possit conseruare aliquam entitatem, v.g. Angelum destructo eius Vbi, & correspondentiâ ad spatiū formali.

72 Ad sextum (quâtenus dicit rem existentē non posse non esse in tempore per durationē: ergo neque posse nō esse in loco per Vbicationē) respōderi potest esse diuersā rationē de duratione, ac de Vbi; nam duratio non distinguitur ab entitate rei durantis, vt inferiùs suo in loco ostendemus: at verò Vbi est entitas ex naturâ rei distincta á re vbicatâ: cur igitur non poterit Deus conseruare entitatem rei destructo eius Vbi?

73 Ad septimum (quâtenus dicit formam non posse esse in subiecto absque vnione: ergo neque in loco absque Vbicatione) respondeo negando Antecedens, quia forma potest esse indistans á subiecto sine aliquo positiuo intermedio: in quo casu diceretur esse in illo non positiuè, sed negatiuè per indistantiam: & ita dicimus posse quamlibet entitatem fieri indistantem ab spatio sine aliquâ formâ positiuâ distinctâ. Dices: Si forma potest intelligi esse in subiecto, & res in loco sine formâ positiuâ, etiam Petrus, v.g. poterit dici albus sine albedine. Respondeo negando illationem, quia esse album est effectus omninò positiuus, qui sine formâ positiuâ intelligi non potest: at verò esse indistans á subiecto, & à loco optimè potest intelligi cum solâ negatione distantiæ.

74 Ad octauum (quâtenus dicit creaturam existentem non posse non coexistere Deo, & esse illi præsentem: Deum autem esse in loco; ac proinde talem creaturam non posse non esse in illo) respondeo, quidquid sit de potentiâ talis creaturæ respectu Dei (est enim illi præsens per suam essentiam, seu existentiam actualem) nego non posse non esse præsentem loco; est enim illi præsens per formam superadditam, nempe per Vbicationem, quam Deus potest impedire.

§. 9.

Vtrùm vna res possit vbicari per Vbi alienum?

75 QVarta difficultas: Vtrùm vna res possit vbicari per Vbi alienum? Et quæri potest primò, Vtrùm possit vbicari per Vbi alienum creatum? Respondeo

pondeo negatiuè. Et probatur primò, quia non minor implicatio videtur in eo, quod vbicetur per Vbi creatum alienum, quàm in eo, quòd subsistat per subsistentiam creatam alienam; atqui non potest subsistere per subsistentiam creatam alienam, vt constat ex dictis *tract.* 2. *n.* 395. Secundò, quia inhærentia, per quam forma est in subiecto, non potest suppleri per alienam: ergo neque eius Vbi per Vbi alienum. Quæ quæ pro, & contra hanc Conclusionem dici possunt (sunt autem plura) dicta sunt *tr.* 2. *à n.* 388. pro, & contra resolutionem, quâ statuimus vnam Naturam non posse subsistere per subsistentiam alienam.

76 Quæri potest secundò, Vtrùm possit vbicari per Vbi alienum Diuinum? Quod alijs terminis idem est ac quærere, Vtrùm creatura possit immensitari per Immensitatem Diuinam? Affirmant nonnulli Recentiores. Primo, quia in eo nulla videtur implicatio. Secundò, quia Natura creata potest terminari per Subsistentiam Diuinam: ergo etiam immensitari per Immensitatem Diuinam. Et quod dicunt de Immensitate, asserunt etiā de Æternitate, ac omnibus alijs Attributis, & perfectionibus Diuinis, exceptis solis vitalibus, quia hæ debent esse ab intrinseco.

77 His non obstantibus, tenenda resolutio negatiua. Probatur primò ex Sanctis Patribus, & Concil. apud P. Vasquez *to.* 1. *in* 3 *p. d.* 23. *n.* 5. & apud P. Soar. *de Incarnat. d.* 13. *s.* 1. § *In quo est*, qui tenus nullam aliam agnoscunt vnionem possibilem creaturæ ad Deum, nisi hypostaticam. Et hinc est, inquit P. Vasquez cit. quòd disputantes contra Euthychem separunt vnionem Naturæ creatæ ad Naturam Diuinam, & solam illam admiserunt ad Personam, vt constat ex Concilio Tolet. XI. prout refertur *to.* 2. *Conciliorum fol.* 265. *col* 2.

P. Vasq.
P. Soar.
P. Vasq.
Concil. Tolet.

78 Occurrunt Aduersarij primò, Concilium loqui de facto. Respondeo solùm de facto ad mittere vnionem creaturæ ad Personam, quia Sancti Patres in suis Disputationibus contra Euthychem omnem aliam vnionē creaturæ ad Deum iudicarunt impossibilem, vt videre est apud P. Vasquez loco cit.

79 Occurrunt secundò, licèt non intercedat vnio, posse nihilominus creaturam immensitari per Immensitatem Diuinam. Et id probant primò, quia Thomistæ asserunt humanitatem Christi Domini existere per existentiā Diuinam: cùm tamen non ad illam facta sit vnio, sed ad solam Subsistentiam. Secundò, quia Essentia Diuina præstat munus speciei impressæ in Intellectu Beato: cùm tamen illi non vniatur. Sed contrà, quia si ad hoc, vt creatura immensitetur per Immensitatem Diuinam, non requiritur vnio ad illam, de facto per illam immensitabitur. Item, quia vt subsistat per Subsistentiam Diuinam, requiritur vnio hypostatica ad Subsistentiam Diuinam: ergo vt immensitetur, etiam necessaria erit vnio ad Immensitatem Diuinam.

80 Neque obstat primò, quòd in opinione Thomistarum humanitas Christi Domini existat per existentiam Diuinam: nam solùm volunt existere per existentiam Personæ, ad quam terminatur vnio hypostatica; non enim terminatur ad Personam non existentem; sed ad existentem.

81 Non obstat secundò, quòd Essentia Diuina exerceat munus speciei impressæ in Intellectu Beato absque vnione: nam ad effectum intentionalem sufficit vnio intentionalis, qualis est Visio Beata, per quam Essentia Diuina Intellectui Beato vnitur intentionaliter.

82 Secundum fundamentum nostræ resolutionis constat ex dictis *tract.* 2 *n.* 360. vbi ostendimus Deum non posse venire in compositionem cum creaturâ per modum formæ, aut per modum subiecti; aliàs posset mutari, quod est contra Attributum Immutabilitatis Diuinæ. Et hinc est quòd solùm potest venire in compositionem per modum termini: vnde (cùm sola Subsistentia Diuina habeat rationē termini, Immensitas, Æternitas, &c. non ita; non enim sunt termini, sed formæ) benè sequitur solam Subsistentiam Diuinam posse præstare suum effectum formalem in naturâ creatâ.

83 Obijcies primò. Sanctitas Diuina est forma: & tamen præstat suum effectum formalem in humanitate Christi Domini. Huic argumento satisf. cimus *tr.* 2 *n.* 369. vbi diximus humanitatem Christi Domini multipliciter denominari Sanctam, primò, à gratiâ accidentali: secundò, à gratiâ substantiali, hoc est, ab vnione hypostaticâ: tertiò, à Subsistentiâ Diuinâ; nam Sanctitas est illa, quæ reddit Deo gratum, & se ipsâ expellit peccatū. Sanctitas Diuina absoluta, quæ est Attributum Diuinum, non præstat suum effectum formalem in Naturâ humanâ, sicut in illâ suum non præstat Immensitas Diuina, Æternitas Diuina, Infinitas, & cæteræ perfectiones, & Attributa Diuina. Vide quæ diximus loco cit.

84 Obijcies secundò. Species impressa est forma: & tamen Essentia Diuina præstat huiusmodi effectum formalem in Intellectu cuiuslibet Beati. Huic etiam argumento satisfecimus loco cit. *tr.* 2. *n.* 368. Addi potest ad effec-

effectum formalem effectûs intentionalis sufficere informationem per vnionem intentionalē, qualis est Visio Beata, vt patet ex dictis.

85 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit nullam apparere repugnantiam in eo quòd creatura immensitetur per Immensitatem Diuinam) respondeo repugnantiam in eo esse, quód nulla perfectio Diuina, quæ sit forma, possit informare Naturam creatam: quia repugnat Deo intrinsecè informare; alioquì posset subire aliquam mutationem.

86 Ad secundum de Subsistentiâ Diuinâ, patet solutio ex dictis, quia Subsistentia Diuina solùm in Naturâ humanâ exercet puram rationem termini. Dices, Etiam Vbi habere rationem termini; circunscribit enim Naturam creatam, & eam loco definit: Immensitas ergo Diuina poterit supplere hanc rationem termini in Naturâ creatâ. Respondeo; quidquid in primis sit dè Vbi creato propter suam imperfectionem, certè Vbi, seu Immensitatem Diuinam non habere rationem termini, cùm Deum nullo limite definiat, aut circunscribat. Adde, quòd neque Vbi creatû habeat propriam rationem termini, sed formæ. Et ratio est, quia terminus intrinsecus, de hoc enim sermo est, semper facit vnum per se cum re terminatâ, quam constituit in suo vltimo esse completo: at verò Vbi creatum non facit vnum per se cum naturâ, cuius est Vbi.

SECTIO III.

Vtrùm eadem res possit habere simul plura Vbi?

87 QVÆSTIO potest procedere aut naturaliter, aut diuinitùs. Item aut in eodem, aut in diuersis locis.

Prima difficultas: Vtrùm eadem res possit vbicari simul pluribus præsentijs naturaliter? Affirmant Heruæus, Mayron. Marsil. Caietan. Bañes, Gabriel, Scot. & alij apud P. Franciscum Amicum *tom. 2. de Angelis disp. 5. num. 81.* quâtenus dicunt Angelum posse naturaliter esse in pluribus locis. Suaderi potest primó, quia relationes, & alia accidentia, quæ dicunt ordinem ad extrinsecum, possunt multiplicari in eodem subiecto: Vbicationes veró dicunt ordinem ad extrinsecum: Secundó, idem corpus potest simul habere plures motus locales: omnis autem huiusmodi motus est acquisitio sui Vbi. Maior pluribus ostendi potest. Primò, exemplo globi, qui simul circunfertur, & rectó trahitur; tunc enim iste globus patitur duos motus, alterum rectum, alterum circularem. Secundò, exemplo Planetarum, qui in communi sententiâ simul ferûtur ab Oriente in Occidentem motu rapto Cæli stellati, & motu proprio ab Occidente in Orientem. Tertió, exemplo illius, qui vehitur in cymbâ, & pergit à prorâ in puppim; hic enim simul habet duos motus, alterum per se, quo tendit à prorâ in puppim; alterum per accidens ratione cymbæ, in quâ vehitur. Quartò, exemplo formicæ, quæ rotæ adhærescens simul fertur motu rotæ in vnam partem, & motu proprio in aliam. Quintò, exemplo Animæ Rationalis, quia tota est in manu, & tota in pede, potestque in manu moueri sursum, & in pede deorsum.

Heruæus, Mayron. Marsil. Caiet. Bañes, Gabriel, Scot.

§. I.

Probabilius est eandem rem naturaliter non posse habere simul plura Vbi in eodem, vel diuersis locis.

88 NIhilominus probabilior est contraria resolutio asserentium eandem entitatem non posse naturaliter habere simul plura Vbi in eodem, vel in diuersis locis. Ita D. Thom. Ægid. Richard. Argentin. D. Bonauent. Capreol. Bassol. Goffred. Ferrar. Zumel, Bacconius, Gregor. & alij quos citat, & sequitur P. Franciscus Amicus cit. *tom. 2. de Angel. disp. 5. num. 82.* P. Soar. *de Sacram. disp. 48. sect. 3.* P. Hurtad. *de Cælo disp. 2. n. 5. 20.* Cardinalis Lugo *de Eucharist. disp. 5. sect. 1. num. 7.* P. Molin. *1. p. q. 52. art. 2.* P. Vasq. ibidem *disp. 190. cap. 3.* P. Arrub. *disp. 57. cap. 3.* P. Granad. *disp. 3. sect. 3.* P. Arriaga *in Phys. disp. 12. num. 18.* P. Martinon *disp 42. de Angelis num. 44.* Resolutio habet duas partes. Prima est, non posse eandem entitatem naturaliter habere plura Vbi in eodem loco. Secunda, non posse illa naturaliter habere in diuersis.

D. Thom. Ægid. Richard. Argentin. D. Bonauẽt. Capreol. Bassol. Goffred. Ferrar. Zumel Baccon. Gregor. P. Amicus P. Soar. P. Hurt. P. Lugo P. Molin. P. Vasq. P. Arrubal P. Granad. P. Arriaga P. Martinon

89 Prima ostenditur, quia natura abhorret superflua: at verò in vno spatio sufficit vnum Vbi: plura sunt superflua. Et confirmatur, quia vna Natura creata non subsistit pluribus subsistentijs: vna Quantitas non figuratur pluribus figuris: vnum accidens non inhæret pluribus inhærentijs: vnus terminus non producitur pluribus actionibus totalibus: vnus lapis non redditur albus pluribus albedinibus: vnus pater non respicit

eandem

eundem filium pluribus paternitatibus: & sic de cæteris, in quibus non visitur maior superfluitas, quàm in eo, quòd eadem entitas sit in eodem spatio pluribus præsentijs.

90 Secunda pars probatur, quia non minùs repugnat eandem Formam esse naturaliter in pluribus Materijs; idem accidens in pluribus subiectis; eandem Naturam finitam, & limitatam in pluribus suppositis, quàm eandem entitatem in pluribus locis: at veró illa naturaliter repugnant. Et confirmatur, quia eadem natura non potest operari virtute non continuatâ, hoc est, in remotum, non operando in propinquum: ergo neque poterit esse in loco non continuato, hoc est, in remoto non existendo in propinquo; eadem enim vtriusque videtur ratio.

91 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quâtenus dicit accidentia, quæ dicunt ordinem ad extrinsecum, vt relationes &c. posse multiplicari in eodem subiecto) respondeo distinguendo Antecedens: Accidentia, quę dicunt ordinem ad extrinsecum, possunt multiplicari in eodem subiecto, si in illo præstent effectum formalem aliquo modo diuersum, concedo: & hoc modo se habent relationes. v.g. Paternitates, quę cùm referant eundem patrem ad diuersos filios, quælibet ad suum, exercent suum effectum formalem cum aliquâ diuersitate; ac proinde nulla in illis Visitur superfluitas, vt constat *tract. 5. de Relatione n. 143.* Aliter dicendum de accidentibus, quæ, licèt dicant ordinem ad extrinsecum, præstant nihilominùs eundem omninò effectum formalem: & hoc modo se habent inhærentiæ, actiones, plures paternitates respectu eiusdem filij, & plura Vbi respectu eiusdem loci, seu spatij, quę proinde multiplicari non possunt absque maximâ superfluitate.

92 Ad secundum (quâtenus dicit idem corpus posse simul habere plures motus locales) id omninó negandum est. Neque exempla in contrarium adducta rem conficiunt. Nō primum globi, qui simul circumfertur, & recto trahitur, quia globus in eo euentu mouetur vnico tantùm motu, qui dicitur spiralis, & est ille qui participat ex circulari, & recto: ad sensum autem apparent duo motus, quia in tali corpore dantur duo impulsus variè modificantes eundem motum: effectus verò non datur, vt patet; neque circularis, quia globus sic motus non regreditur ab vno puncto ad eundem punctum.

93 Non secundum Planetarum, qui in communi sententiâ dicuntur circumferri simul motu rapto primi Mobilis ab Oriente in Occidentem: & simul motu proprio ab Occidente in Orientem. Non, inquam, hoc contrarium conuincit, nam ibi non interueniunt duo motus distincti vt diximus *tr. de Cælo n. 198.* sed vnicus ab Oriente in Occidentem, vt ibidem ostendimus *n. 201.*

94 Non tertium illius, qui vehitur in cymbâ, nam ille, qui transit de prorâ in puppim, tripliciter considerari potest. Primó, si impulsus, quo ipse fertur á prorâ in puppim omninò æqualis sit impulsui, quo portatur á cymbâ; & tunc talis homo non mouetur localiter, cùm vnus impulsus sit impedimento alij; actio enim non est nisi á vincente. Neque ille homo re ipsâ ambulat, cùm semper respōdeat eidem spatio imaginario. Neque obstat, quòd attollat, & iterum affigat pedes, ambulanti similis: non enim idcircò mouetur, & mutat locum, ad eum modum, quo non mouetur, nec mutat locum homo ille, qui sedens, vel stans in eodem loco rotam pedibus circumagit. Neque dicas: Talis homo respondet diuersis partibus cymbæ: ergo mutat locum. Non, inquā, hoc dicas, quia semper respondet eidem superficiei immobili sub eâdem distantiâ á pūctis fixis prout plenè declarauimus *in Phys. tr. 5. n. 18.* Secundò, si impulsus cymbæ vehementior sit, quàm impulsus hominis; & tunc mouebitur loco vnico tantummodò ratione cymbæ, ille tamen aliquando retardabitur ab impulsu proprio, quo homo nititur tendere in partem contrariam. Tertiò, si impulsus hominis sit maior impulsu cymbæ; & tunc homo mouebitur ratione sui impulsûs, qui tamen retardabitur ab impulsu contrario, qui ipsi imprimitur á cymbâ in oppositum inclinante.

95 Non quartum formicæ, quę rotæ adhærescens videtur simul ferri motu rotæ in vnam partem, & motu proprio in aliam. Nā talis formica solùm mouetur motu rotę aliquantulum tamen modificato, & retardato à proprio impulsu. Dices: In hoc, & in alijs euentibus multiplicantur impulsus: ergo & motus. Respondeo negando consequentiam. Nā impulsus bene possunt multiplicari, quin multiplicentur motus, seu actiones locales. Quod ostēdi potest primò, quando impulsus contrarij sunt æquales; tunc enim nullus sequitur motus, seu actio localis, sed mutuó ipsi impulsus impediuntur ne exeant in operationem. Secundó, quando impulsus non est sufficiens ad mouendum, vt videre est in impulsu, quo quis intendit mouere rupem; tunc enim ille impulsus impeditur, ne similiter exeat in operationem. Tertió, quando vnus lapis tendit deorsum simul ex vi suæ grauitatis, & ex vi impulsûs extrinseci ipsum deorsum

sum impellentis, in quo euentu dantur quidem duo impulsus, & vnus motus celerior tamen, quàm si vnicus foret impulsus.

96 Non quintum, de Anima Rationali, quæ potest simul in manu sursum moueri, & in pede deorsum; nam hi non sunt duo motus totales, sed partiales, integrantes vnum totalem mixtum ex vnâ parte tendente sursum, & aliâ deorsum, prout benè notat P. Arriaga *in Phys. d. 12. num. 18.*

P. Arriaga

§. 2.

Vtrùm eadem res possit diuinitùs habere simul plura Vbi eiusdem rationis in eodem loco?

97 Secunda difficultas: Vtrùm eadem res possit diuinitùs habere simul plura Vbi? Et quæri potest primò, Vtrùm possit habere simul plura Vbi eiusdem rationis in eodē loco? Videtur non posse primò, quia non potest habere plures figuras. Secundò, quia repugnat dari simul in eâdem re duos motus locales. Tertiò, quia repugnant in eodem subiecto plures relationes, v. g. plures paternitates respectu eiusdem filij.

98 Nihilominus dicendum eandem entitatem posse diuinitùs simul habere plura Vbi eiusdem rationis in eodem loco. Ita Cardinalis Lugo *de Euchariſt. d. 5. sect. 1. n. 21.* Probatur, quia in eo nulla visitur manifesta contradictio. Et confirmatur, quia eadem Natura creata potest diuinitùs subsistere pluribus subsistentijs: idem accidens potest diuinitùs inhærere pluribus inhærentijs: idem terminus potest diuinitùs produci á pluribus causis, & actionibus totalibus: idem lapis potest diuinitùs informari pluribus albedinibus: eadem Materia pluribus Formis, & sic de cæteris: in quibus non visitur minor repugnātia, quám in eo, quòd eadem entitas vbicetur in eodem loco pluribus præsentijs. Confirmatur secundò, quia tota repugnantia, quæ hìc assignari potest, nihil aliud est, quàm quædā superfluitas: hæc autem respectu Diuinæ Omnipotentiæ nullius est momenti.

P. Lugo

99 Ad primum de figuris, respondeo quæstionem posse procedere aut de figurâ situali, quæ est idem cum Situ; & hæc potest multiplicari ad multiplicationem ipsius Vbi, á quo Situs, & eius differentia, nimirum, talis, & talis figura non distinguitur. Aut de figurâ organicâ; & hęc, cùm distinguatur áQuantitate ex naturâ rei, vt *tract. 4. n. 138.* ostendimus, poterit in eâdem diuinitùs multiplicari.

100 Ad secundum de pluribus motibus, qui dicuntur repugnare in eâdem re: responderi potest primò duos motus locales solùm repugnare naturaliter in eâdem re, non diuinitùs. Responderi potest secundò, Vbi posse produci non solùm per motum, sed etiam per actionem instantaneam localem: imó sic producitur quoties eius entitas in instanti producitur.

101 Ad tertium de pluribus relationibus, respondeo relationes posse diuinitùs multiplicari in eodem subiecto respectu eiusdem termini, v. g. paternitates, in eodem parente respectu eiusdē filij; procedimus enim in opinione asserentiū relationes esse modos distinctos ex naturâ rei à fundamentis, vt constat ex *tract. 5. de Relatione n. 44.* Quòd si procedatur in cōtrariâ sententiâ asserentiū relationes nō distingui ex naturâ rei á fundamentis, tunc non poterunt multiplicari defectu distinctionis, poterunt tamē Vbi multiplicari; quia distinguūtur á suis realitatibus ex naturâ rei.

§. 3.

Vtrùm eadem res possit simul habere diuinitùs plura Vbi diuersæ rationis in eodem loco?

102 Quæri potest secundò, Vtrùm eadem entitas possit diuinitùs habere simul plura Vbi diuersæ rationis in eodem loco, nimirum Vbi Definitiuum, & Circunscriptiuum? Videtur id fieri non posse. Primò, quia idem corpus non potest simul habere plures figuras diuersæ rationis, nimirū quadrangularē simul, & circularē. Secundò, implicat eandē rē in eodem loco simul esse diuisibiliter, & indiuisibiliter. Tertiò, quia repugnat ab eodē agente in eundem terminum multiplicari actiones speciē diuersas: ergo repugnabit dari in eâdem entitate respectu eiusdem spatij Vbi specie diuersa.

103 Nihilominus dicendum id fieri posse diuinitùs. Et probatur, quia nulla in eo visitur manifesta implicatio. Et confirmatur primò, quia idem accidens potest simul existere per se, & inhærere: eadem Natura simul subsistere propriâ subsistentiâ, & alienâ, vt probauimus *tract. 2. num. 435.* hæc autem non minùs repugnant. Confirmatur secundò, quia non repugnat ex parte subiecti; nam idem subiectum potest simul habere plura Vbi diuersæ rationis, vt patet in corpore Christi Domini, quod est in Cęlo, & in Eucharistiâ. Nō itē repugnat ex parte loci, quia

in eodem loco, in quo hostia est Circunscriptiuè, est corpus Christi Domini non Circunscriptiuè, sed sacramentaliter.

104 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ, respondetur quæstionem posse procedere aut de figurâ situali: aut de figurâ organicâ. Figura situalis non potest esse diuersæ rationis in ordine ad idem spatium, potest tamen Vbi esse diuersum. Maior ratio est, quia duæ figuræ specie diuersæ, v. g. altera rotunda, & altera quadrata non possunt correspondere eidem omnino spatio, & illi adæquari: at verò Vbi diuersa, nimirū Definitiuū, & Circunscriptiuū possunt correspondere eidem omnino spatio, & illud adæquare, vt patet in Vbi Circunscriptiuo, quod habet hostia consecrata, & in Vbi Eucharistico, quod in tali hostiâ habet corpus Christi Domini; vtrūque enim eidē omnino spatio correspōdet. Figura organica benè potest in eodē corpore diuinitùs esse diuersa, si idem corpus in eodem loco diuinitùs reproducatur cum diuerso ordine partium. Neque obstat, quòd situalis non possit esse diuersa; nam situalis, ratione Vbicationis, cum quâ est idem, est per ordinem ad locum, seu spatium, quod non potest omnino adæquari à figuris diuersis: figura verò organica non est per ordinem ad locum, sed ad totum.

105 Ad secundum, respondeo nullam videri implicationem in eo, quòd eadem res simul per vnum modum positiuum sit diuisibiliter in loco, & per alium modum positiuum indiuisibiliter; hæc enim duo solùm pugnant cōtrariè: pugna verò contraria potest vinci diuinitùs. Et explicatur, quia non magis repugnat esse eandem rem simul diuisibiliter, & indiuisibiliter per modos positiuos diuersos, quā idē accidens simul existere per se, & inhærere; & eandem Naturam simul subsistere Subsistentiâ propriâ, & alienâ: hæc autem non repugnant in ordine ad Diuinam Omnipotentiam. Instabis: Eadem Quantitas non potest esse penetratiuè, & non penetratiuè in eodem loco: ergo neque simul diuisibiliter, & indiuisibiliter. Respondeo negando Antecedens, si de diuersis modis positiuis sermo sit, ita vt Quātitas per vnū Vbi ponatur penetratiuè, & per aliud Vbi distinctum non penetratiuè.

106 Ad tertium, quidquid sit de actionibus respectu eiusdem omnino principij, & termini. Dico Vbi respectu eiusdē spatij posse esse diuersa, vt patet in Vbi, quod corpus Christi Domini, & quod hostia consecrata habet respectu eiusdem spatij. Diuersa ratio est, quia idē spatiū potest respici sub diuersâ formalitate, nimirum Definitiuè, & Circunscriptiuè.

§. 4.

Vtrùm eadem res possit diuinitùs habere plura Vbi simul in diuersis locis?

107 DE Fide est posse idem corpus existere simul in diuersis locis, vt patet in corpore Christi Domini, quod simul existit in Cælo Circunscriptiuè, & in terrâ in diuersis locis, vbi existit hostia consecrata.

108 Quæstio solùm est, & hæc est tertia difficultas: Vtrùm idem posset simul existere Circunscriptiuè in diuersis locis, ita vt in vno habeat vnum Vbi Circunscriptiuum, & simul aliud Vbi Circunscriptiuum in alio? Partem negatiuam tenet D. Thom. 3. *p. q. 75. art. 1.* Hēric. Durād. Ægid. Heruæ. Capreol. Palud. Ferrara, D. Bonau. Gotfred. Scotus, Cathus. quos citat, & sequitur P. Vasquez *de Eucharistia d. 189. c. 6.* Subscribunt Cursus Thomist. *in Physs. q. 16. de Loco art. 5.* P. Rub. *in Physs. tract. de Loco q. 7. §. Et vna,* Lorca in manu script. *de Eucharist.* citatus à Cabero *l. Physic. 4. d. 2. dub. 5.* Et probatur, quia eadem entitas non potest simul correspondere diuersis temporibus: ergo neque diuersis locis. Secūdò, quia in cōtrariâ sententiâ potest esse eadē entitas in non tot, quin pluribus locis, & consequenter vbique: hoc tamen videtur proprium solius Dei. Tertiò, quia eadem entitas non potest habere simul plures extensiones per ordinem ad totum: ergo neque plures per ordinem ad locum. Quartò, quia esse Circunscriptiuè in loco est ita teneri, & circunscribi in illo, vt extra ipsum non sit. Quintò, quia non magis repugnat vnam rem non esse diuisam ab aliâ, quàm esse diuisam à se; atqui non potest non esse diuersa, seu diuisa ab aliâ: ergo non potest esse diuisa à se: esset autem diuisa à se, si in diuersis locis constitueretur. Sextò argumentatur P. Vasquez hoc modo, quia si idem lapis poneretur Circunscriptiuè in duobus locis, vtrobique grauitaret in centrum, & si relinqueretur, vtrobique tenderet in illud: hoc autem dici non potest, quia iam idem corpus haberet virtutem naturalem ad producenda duo Vbi simul.

D. Thom. Henric. Durand. Ægidius Heruæus Capreol. Palud. Ferrar. D. Bona. Gotfred. Scotus Cathus. P. Vasq. Cursus Thomist. P. Rub. Lorca

109 Nihilominus dicendum idem corpus posse diuinitùs constitui in diuersis locis per diuersa Vbi Circunscriptiua. Ita Hugo Victor. Scot. Richard. Ocham. Marsil. Maior, Gabriel, Alexander de Ales, Aliacens. Adam. Aureol. Palatius. Ruardus, Alanus, & alij, quos citant, & sequuntur Patres Conimbr. 4. Physic. c. 5.

Hugo Vict. Scotus Richard. Ocham Marsilius Maior Gabriel Alens. Aliacen. Adam. Aureol. Palatius Ruardus Alanus Patres Conimbr.

P. Soar. P. Bellar. P. Valent. P. Petrus Hurtado P. Fons. P. Franc. Amicus P. Lugo P. Tellez P. Ægid. P. Arriaga P. Ouiedo P. Gaspar Hurtado P. Barth. Amicus P. Rub. P. Turria. P. Connin. P. Trinus P. Walt. Baranzã. Auersa P. Corne. P. S. Cruz P. Lorinus P. Hemel. Claudius Sainetes Alanus P. Cõpto.

c. q. 69. 5. 4. a. P. Soar. de Euchar. d. 48. f. 4. §. Dicunt, P. Bellarm. l. 3. de Euchar. c. 3. & 4. P. Valent. tom. 4. disp. 6. q. 3. de l. rasitate Christi in Eucharistia puncto 5. §. 26. P. Hurtad. in Physica disp. 13. n. 38. P. Fonseca in Metaphys. cap. 4. q. 4. sect. 5. §. 1. ad finem; P. Franciscus Amicus to. 2. de angel. d. 6. Cardinalis Lugo de Euchariſt. disp. 5. sect. 1. num. 12. Quibus accedunt P. Tellez disp. 32. sect. 4. num. 5. P. Ægid. de Sannum. q. 75. art. 1. P. Arriag. in Phys. disp. 11. num. 131. P. Ouiedo in Physic. controuers. 15. punct. 9. P. Gaspar Hurtad. disp. 5. de Eucharistia difficult. 12. P. Bartholom. Amicus in Physic. tract. 20. q. 7. dub. 1. a. 3. num. 19. P. Rubius lib. 4. Phys. q. 9. cum P. Turriano, & alijs pluribus. P. Coninck de Eucharistia q. 75. a. 4. dub. 3. Bonacina ibidem d. 4. q. 3. puncto 5. P. Trinus tom. 3. controuers. 21. P. Ioan. Walter. de triplici cœna cap. 35. vbi refert plura exempla, ac miracula eiusmodi, Auersa tom. 1. q. 27. sect. 5. Baranzan. d. 8. q. 5. dub. 7. P. Cornelius à Lapide in acta Apostol. c. 9. vers. 5. P. Sancta Cruz in Phys. num. 737. cũ P. Lorino, P. Hemelman, Claudius Sainetes in repetit. 4. de Euchariſt. cap. 7. & alijs. Accedunt Alanus lib. 1. de Eucharist. s. 1. num. 12. P. Compton. cit. disp. 35. s. 3. n. 3. & alijs.

110 Probatur, quia nulla in eo visitur manifesta cõtradictio, vt ex solutione eorum, quæ pro parte contrariâ objiciuntur, fiet manifestum. Et confirmatur primò, quia corpus existens in vno loco Circunscriptiuè non ita limitatur ad illum, vt non posit simul esse extra illum, vt patet in corpore Christi Domini, quod licèt existat Circunscriptiuè in Cælo, existit simul extra Cælum in hostiâ consecratâ: si ergo non obstante Vbi Circunscriptiuo in vno loco potest esse extra illum in alio loco, cur non poterit in illo esse Circunscriptiuè? Secundò, quia vnum corpus potest priuari à Deo omni Vbi Circunscriptiuo: ergo potest habere simul plura Vbi Circunscriptiua. Et ratio est, quia vt optimè notat Cardinalis Lugo cit. num. 3. plus est priuari rem proprietate suâ, quàm hanc in eâ multiplicari, v. g. plus est priuari Animam Intellectu, quàm habere simul duos Intellectus. Tertiò, quia non minùs repugnat duo corpora poni in eodem loco Circunscriptiuè, quàm idem corpus Circunscriptiuè poni in duobus locis; sed illud primum diuinitùs non repugnat, vt constat ex tract. 4. de Quantitate n. 147. ergo &c.

(*)

§. 5.

Argumenta soluta.

111 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ de eâdem entitate, quæ non potest simul correspondere diuersis temporibus: ergo neque diuersis locis; respondeo esse longè diuersam rationem de eâdem entitate in ordine ad diuersa tempora imaginaria, & de eâdem in ordine ad diuersa loca, & spatia similiter imaginaria. Et ratio est, quia cùm tempus imaginarium sit successiuum, non dantur plura simul; ac proinde in illis nequit eadem entitas correspondere: at verò spatia sunt permanentia, vnde dantur plura simul, & per consequens illis potest eadem entitas correspondere. Adde, quòd si argumentum valeret, etiam probaret corpus Christi Domini non posse correspondere pluribus hostijs consecratis, sicut non potest correspondere pluribus temporibus: quod tamen est hæreticum.

112 Ad secundum (quâtenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ posse vnum corpus poni vbique) respondeo si argumentum valeret, etiam probare corpus Christi Domini non posse poni simul extra Cælum in pluribus hostijs consecratis. Deinde, dico solùm esse proprium Dei esse vbique per suã Immensitatem infinitam, & indiuisibilem: illud corpus solùm haberet plura Vbi actu finita.

113 Ad tertium (quâtenus dicit idem corpus non posse habere simul plures extensiones per ordinem ad totum: ergo neque plures extensiones per ordinem ad locum) respondeo quæstionẽ posse procedere; aut de extensione aptitudinali per ordinem ad totũ, aut de extensione actuali. Extensio aptitudinalis est de essentiâ, & ratione omnis entitatis corporeæ; vnde clarũ est non posse etiam diuinitùs mutari; nam rerũ essentiæ non sunt mutabiles. Extẽsio actualis potest in eodem loco reproduci cum diuerso ordine partiũ; ac proinde fieri diuersa pro diuersitate ordinum ipsarum partium inter se; consistit enim extensio ad totum in hoc ordine.

114 Ad quartum (quâtenus asserit esse Circunscriptiuè in hoc loco esse ita teneri in illo, vt extra illum non sit) respondeo, esse teneri in illo ita, vt extra illum non sit ex vi talis Vbi: hoc tamen non tollere quominùs res posit esse in alio loco ex vi alterius Vbi. Sin minùs corpus Christi Domini, quod habet in Cælo Vbi Circunscriptiuum, non posset esse extra Cælum per aliud Vbi in

in Eucharistiâ. Respondent Aduersarij non posse esse Circunscriptiuè in Eucharistiâ. Sed contrà, quia iam de ratione Vbi Circunscriptiui non est, quòd corpus non sit extra illum locum ex vi alterius Vbi. Deinde quæro, Cur illud aliud Vbi non possit esse Circunscriptiuum, aut quæ implicatio in eo reperiatur?

115 Ad quintum (quatenus dicit vnam rem non posse esse non diuisam ab aliâ : ergo neque esse diuisa à se) respondeo bene posse vnam rem esse indiuisam ab aliâ quóad locũ, dummodò sit diuisa ab illâ quòad essentiam. Item posse esse diuisam à se quòad locũ, dummodó non sit diuisa à se quòad essentiam. Quod possit esse diuisa à se quóad locum, patet in corpore Christi Domini, quod simul est in Cælo, & in Eucharistiâ, & simul in hâc, & in illâ hostiâ consecratâ.

116 Ad sextum (quatenus asserit sequi, posse idem corpus graue diuinitùs constitutum in diuersis locis simul descendendo acquirere diuersa Vbi) respondent nonnulli primó cum P. Hurtad. cit. §. 56. lapidem constitutum in duobus locis in neutro grauitare. Responsio satis difficilis. Respondent alij secundó cum Cardinali Lugo cit. *num.* 30. Deum ex vi prioris miraculi teneri concurrere cum tali lapide ad vtrunque Vbi. Responderi potest tertiò, & melius cum P. Arriag. *in Phys. disp.* 14. *num.* 129. talem lapidem supposito miraculo, quo constituitur in diuersis locis, posse naturaliter absque nouo miraculo moueri vtrobique. Et ratio est, quia tales motus non pugnant defectu capacitatis subiecti, vt inferiùs explicabimus, sed formaliter se ipsis: quæ verò ita se habent, non pugnant in diuersis locis. Et sanè hæc est sententia P. Fonsec. 5. *Metaph. cap.* 4. *sect.* 5. §. *Sed facetum est*, vbi dicit posse eũdem hominem in diuersis locis constitutum se offendere in viâ, & si noctu non agnoscat, & hostem putet, posse secum digladiare.

P. Hurt. P. Lugo P. Arriaga

SECTIO IV.

Per quam actionem res in diuersis locis constituatur?

117 QVÆ sint actiones, de quibus potest procedere præsens quæstio. Prima dicitur reproductiua; & est illa, quæ terminatur ad solam entitatẽ rei: secunda adductiua, nimirũ illa, quæ terminatur ad solũ Vbi. Dicitur adductiua, quia nõ facit, sed solùm adducit rem. Nonnulli dicunt rem posse constitui in diuersis locis per solam actionem reproductiuam. Alij contendunt posse constitui per solam actionem adductiuam. Aliqui non posse constitui nisi per vtramque simul. Et hoc in re vnum est certum, posse nimirum rem constitui in diuersis locis per actionem simul reproductiuam, & adductiuam. Vtrùm verò vtraque necessaria sit; an potiùs sufficiat sola adductiua, vel sola reproductiua? duabus sequentibus difficultatibus examinandum est.

§. I.

Vtrùm res possit constitui in diuersis locis per solam actionem adductiuam?

118 PRima difficultas: Vtrùm res possit constitui in diuersis locis per solam actionem adductiuam? Negant nonnulli Recentiores. Eorum fundamentum est, quia res non potest sortiri Vbi in aliquo loco, quin priùs prioritate naturæ in eo præsupponatur existens; atqui in eo priori nõ intelligitur existens, in diuerso loco per actionẽ adductiuã; siquidem hæc adhuc nõ datur: ergo per actionem reproductiuã. Et cõfirmatur, quia in eo priori altera earũ est necessaria; nõ enim potest res poni in nouo loco sine nouâ aliquâ actione; atqui in eo priori non datur actio adductiua: ergo requiritur reproductiua.

119 Nihilominus vera est cõtraria resolutio asserẽtium rem posse poni in diuersis locis per solam actionem adductiuã. Ita P. Soar. *in Met. d.* 26. *s.* 4. *n.* 12. & *de Sacramentis d.* 49. *s.* 1. §. *Dico quartò*, P. Bellarmin. *l.* 3. *de Euchar. cap.* 18. P. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 182. *c.* 3. & 4. Cardinalis Lugo *de Euchar. d.* 5. *sect.* 2. *n.* 49. P. Gasp. Hurt. *de Eucharist. disp.* 4. *sect.* 11. §. *Vltimó*, P. Arriag. *in Phys. disp.* 14. *n.* 132. P. Sancta Cruz *in Phys. n.* 744. Et probatur, quia sicut eadem numero res potest poni in diuersis locis, ita etiam potest poni eius actio productiua, si Deus illi conferat nouum Vbi in alio loco: quo in euentu res fiet effectiuè præsens in tali loco per suam actionem productiuam in illo; formaliter veró per nouum Vbi, quod in tali loco consequenter ad positionem eius actionis resultabit ab ipsâ re: ad quid ergo requiritur noua actio reproductiua, cùm eadẽ poni possit in diuersis locis per solum aduentum noui Vbi. Et confirmatur primò, quia eadem actio productiua, naturaliter loquendo, potest poni successiuè in diuersis locis per solum aduentum noui Vbi, vt patet in Petro deambulante, & se succes-

P. Soar. P. Bellar. P. Vasq. P. Lugo P. Gaspar Hurt. P. Arriaga P. S. Cruz

successiuè collocante in diuersis locis per solam actionem adductiuam: ergo similiter poterit diuinitùs collocari simul. Cōfirmatur secundò, quia Anima Rationalis correspōdet diuersis partibus Materiæ, & Angelus quādo se dilatat diuersis partibus loci, quin reproducātur: ergo corpus poterit poni in diuersis locis, quin reproducatur.

120 Ad fundamentum opinionis contrariæ, respondetur ad hoc, vt res intelligatur constitui diuerso loco, requiri quidem, quòd priùs existat in illo, quàm producat suum Vbi: dico tamen posse existere in illo per suam actionē productiuam diuinitùs collocatam in tali loco per nouum Vbi ipsius actionis in illo. Quo in euentu, vt diximus, res intelligitur effectiuè præsens per suam actionem, non veró formaliter; formaliter enim non intelligitur præsens nisi per suum Vbi, quod acquirit in instanti naturæ subsequenti.

121 Quæres, Quo pacto actio productiua acquirat Vbi diuersum in diuerso loco? Respōdeo illud accipere per productionem diuersi Vbi. Hęc autē productio potest fieri aut à solo Deo applicante suā Omnipotentiam ad productionē illius Vbi diuersi; aut potest emanare ab ipsā actione productiuā applicatā per Volūtatem, & Potentiam Dei ad diuersum locum; quo in euentu talis actio productiua priùs existet effectiuè per prædictam applicationem in diuerso loco, deinde formaliter per Vbi.

§. 2.

Vtrùm res possit constitui in diuersis locis per solam actionem reproductiuam?

122 SEcunda difficultas: Vtrùm res posit constitui in diuersis locis per solam nouam actionem reproductiuam? Negant P. Arriga cit. Cardinalis Lugo proximé, & communiter Recentiores. Eorum fundamentum est, quia res non potest poni in vno loco per solam actionem productiuam: ergo neque in diuerso per solam reproductiuam in illo. Et declaratur, quia res non potest poni in vno loco, nisi per vnū Vbi: ergo nō potest poni in diuersis locis, nisi per diuersa Vbi, seu per diuersas actiones ad illa. Antecedens ostenditur, quia effectus formalis non potest præstari nisi á suā propriā formā: at veró esse in loco est effectus formalis Vbi.

P. Arriga
P. Lugo

123 Nihilominus non videtur improbabile posse rem constitui in diuersis locis per solam actionem illius productiuam, & reproductiuam. Ita P. SāctaCruz in Phys. n. 744. Probatur, quia Deus de potentiā absolutā potest conseruare rem in vno loco fundamentaliter per solam actionem productiuam absque omni Vbi formali, vt constat ex dictis n. 64. ergo poterit conseruare eandem rem in pluribus locis fundamentaliter per plures actiones reproductiuas absque omni Vbi, & actionibus ad illud. Quo in euentu dicetur res esse in pluribus locis fundamentaliter, non formaliter: erit, inquam, fundamentaliter per suas actiones applicatas ad diuersa loca, & effectiuè constitutiuas ipsius rei in illis. Vide quæ diximus loco citato n. 64.

P. S. Cruz

124 Ad fundamentum opinionis contrariæ patet responsio ex dictis. Dicendum enim est rem posse poni in loco effectiuè, fundamētaliter per solam actionem productiuam, non formaliter; formaliter enim solùm constituitur per Vbi. Itaque Deus potest conseruare rem in loco absque omni Vbi, & correspondētiā formali; ad eum modum, quo potest cōseruare vnum album correspondens alteri absque omni similitudine formali: quo in euentu prædictū albū maneret simile fundamentaliter, nō formaliter; sic ergo talis res denudata omni Vbi manebit in loco fundamentaliter, nō formaliter. Ad confirmationem dicendū est non quodlibet *esse in loco* esse effectū Vbi, sed solùm *esse in loco formaliter*; ad eū modū quo, non quodlibet *esse simile* est effectus relationis similitudinis, sed solùm *esse simile formaliter*.

SECTIO V.

Quæ prædicata rem in diuersis locis comitentur?

125 SEPAREMVS certa ab incertis. Certū in primis est omnia prędicata essētialia sequi rem in omnibus locis constitutam. Et ratio est manifesta, quia nulla res potest existere absque suis prædicatis essentialibus: ergo hæc illam in omnibus locis debēt comitari. Certum est secundò, aliqua accidentia, quæ essentialiter dependent á loco, qualia sunt hoc Vbi, eius productio, eius relationes; & siquæ sunt alia, quæ cum ipso Vbi identificentur, non posse etiam diuinitùs sequi rem in alio loco. Et ratio est clara, quia hæc omnia dependent essentialiter ab hoc loco; ac proinde nequeunt in alio collocari.

§. 1.

Vtrùm proprietates sequantur Naturam in diuersis locis constitutam?

126 PRima difficultas: Vtrùm prædicata necessaria sequantur rem in diuersis locis? Quod idem est, ac quærere, dato quòd Petrus existens Conimbricæ constituatur Romæ, Vtrùm ex vi talis constitutionis ipsum sequatur Romæ eius Intellectus, Voluntas, & cætera prædicata necessaria? Pro parte negatiuâ facit, quòd Petrus constitutus Romæ neque potest eundem Intellectum producere, neque diuersum. Non eundem, quia iam viribus naturæ daretur reproductio. Non diuersum, quia virtus principij non augetur ex loci diuersitate: defectu verò virtutis nequit Petrus in eodem loco producere plures Intellectus.

127 Nihilominus dicendum prædicata necessaria, & proprietates de lege ordinariâ sequi rem in diuersis locis constitutam, idque siue res constituatur in diuersis locis per actionem adductiuam, siue per actionem reproductiuam. Ita P. Soar. *de Sacramentis d.* 48 *sect.* 5. *§. Dico secundò*, Cardinalis Lugo *de Euchar. d.* 5. *sect.* 2. *n.* 37. P. Arriag. *in Phys. d.* 14. *num.* 146. P. Tellez *d.* 32. *s.* 4. *n.* 12. Prima pars de actione adductiuâ probatur facilè, quia illa actio adductiua habet virtutem actionis ordinariæ, quâ successiuè mouemur de loco in locum; sed hæc ordinaria defert secum omnia prædicata non solùm essentialia, sed etiam necessaria: ergo idem dicendum de illâ extraordinariâ, & miraculosâ. Secunda pars de actione reproductiuâ etiam est euidens; quia de lege ordinariâ non solùm prædicata essentialia, sed etiã necessaria requiruntur ad conseruationem rei: ergo supposito quòd Deus conseruet rem in loco diuerso, stando legibus naturæ, tenetur consequenter conseruare eius proprietates. Dixi *de lege ordinaria & stando legibus naturæ*, quia absolutè poterat Deus reproducere Petrum Romæ, quin ibi reproducat eius proprietates; neque enim hæ sunt logicè necessariæ quòad existentiam, sed solùm quòad conuenientiam.

P. Soar. P. Lugo P. Arriaga P. Tellez.

128 Tota dubitatio est, Vtrùm rem in diuerso loco constitutam sequantur eædem numero proprietates, v. g. idem numero Intellectus, eadem numero Voluntas? Sequi diuersas numero proprietates contendunt Recentiores. Primò, quia aliàs dabitur reproductio: reproductio autem eiusdem proprietatis est minùs connaturalis, & magis miraculosa, quàm productio alterius numero diuersæ. Secundò, quia Natura spoliata in vno loco suâ proprietate, naturaliter loquendo non recuperat eandem numero, sed aliam diuersam: recuperare eandem numero, foret magnum miraculum: ergo etiam reproducta in diuerso loco non postularet reproductionem eiusdem numero proprietatis; reproductio eiusdem esset nouũ miraculum: solùm postularet aliam productionem diuersæ proprietatis. Tertiò, quia eadem numero potentia motiua constituta in diuerso loco, connaturaliter attollit diuersum pondus: ergo etiam eadem Natura in diuerso loco postulabit diuersam proprietatem.

129 His non obstantibus probabilius est, quòd Naturam constitutam in diuersis locis sequantur eædem numero proprietates. Et in primis si Natura constituatur in diuersis locis per solam actionem adductiuam, videtur manifestum: quia actio adductiua, quâ Petrus se constituit successiuè in diuersis locis, secum defert easdem numero proprietates, nimirum eundem Intellectum, eandem Voluntatẽ, &c. Si per actionem reproductiuam, etiam probatur, in opinione Aduersariorũ, qui dicunt corpus Christi Domini poni in Eucharistiâ per actionem reproductiuam: & tamen naturali connexione defert secum eandem numero Animam: & hæc eundem numero Intellectum, eandem numero Voluntatem, & cæteras proprietates. Et hoc constat ex Concilio Tridẽt. *sess.* 13. *cap.* 3. *de excellentia Sanctissimæ Eucharistiæ*, ibi: *Vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis surrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur.* Et ponderandum est illud *vi naturalis illius connexionis*, quasi in illâ reproductione (quam ibi, vt dixi, admittunt Aduersarij) eadem Anima naturaliter cõnectatur cum eodem numero Intellectu: & ad alium numero diuersum requiratur nouum miraculum. Concil. Trident.

130 Sanè hoc fundamentum debet esse Aduersarijs maioris ponderis, quàm quæ afferunt pro parte contrariâ. Ad primum (quatenus dicit reproductionem eiusdem proprietatis esse magis miraculosam, quàm productionem nouæ proprietatis) respondeo id solùm esse verum, quando Natura non reproducitur: non tamen quando reproducitur; tunc enim sicut ipsa reproducitur, ita debent reproduci eius proprietates, quia hæ naturali connexione copulantur cum ipsâ Naturâ: vnde sicut quando Natura ponitur in diuerso loco per actionem adductiuam, etiam proprietates debent poni in illo per actionem adductiuam: ita quãdo ponitur per actionem reproductiuam, eius proprietates debent similiter poni per actionem reproductiuam.

Ad

131 Ad secundum (quatenus dicit Naturam in vno loco spoliatam suâ proprietate non recuperare eandem numero, sed aliam diuersam) respondeo id esse, quia ipsa non reproducitur: vnde neque postulat reproductionem eiusdem proprietatis: at verò in nostro casu loquimur de Naturâ reproductâ, & hanc dicimus exigere reproductionem suarum proprietatum.

132 Ad tertium de potentiâ motiuâ, quæ in diuerso loco constituta connaturaliter attollit diuersum pondus: respondeo in primis pondus non esse proprietatem. Deinde assero eleuationem in diuerso loco, cùm dicat respectû ad diuersum locum, non posse non esse diuersam. Hæc non militant in Intellectu, vel Voluntate, &c.

§. 2.

Vtrùm accidentia sequantur rem in diuersis locis?

133 Secunda difficultas: Vtrùm accidentia sequantur rem in diuersis locis? Et quæstio potest procedere, aut de accidentibus, quæ sunt in re, quãdo ipsa in alium locum diuersum adsportatur, qualia sunt natiua albedo vel nigredo: aut de accidentibus, quæ post cõstitutionem rei in diuersis locis in illâ resultãt. Et quæritur, Vtrùm quæ in illâ in vno loco resultant, necessariò ponenda sint in alio? De accidentibus primi generis in præsenti; de accidentibus secundi generis dicemus in sequentibus difficultatibus.

134 Quod igitur attinet ad priora accidentia. P. Arriaga *in Phys. d. 14. n. 147.* & cum illo communiter Recentiores existimant huiusmodi accidentia non sequi rem in diuersis locis. Primò, quia idcircò proprietates illam sequuntur, quia sunt necessariæ ad eius conseruationem: at verò accidentia contingentia non ita se habent. Secundò, quia Materia pedis, quæ est quoddam veluti accidens respectu Animæ Rationalis, non sequitur ipsam Animam existentem in capite: ergo neque existentem in alio loco diuerso. Tertiò, quia huiusmodi accidentia neque in primo loco sunt necessaria: ergo neque in secundo. Quartò, quia si huiusmodi accidentia non sunt necessaria, nouum erit miraculum illa in diuersis locis constituere. Quintò, quia si Deus ponat solam guttulam aquæ de loco Oceani simul in alio loco, v.g. in conchâ, talis guttula non deferet secum vnionem, quam habet remanẽs in Oceano: ergo neque reliqua accidentia. Sextò, quia si lapis post acceptum impulsum in hâc aulâ ponatur simul in aliâ distanti, non deferet secum talem impulsum: ergo neque reliqua accidentia. Septimò, quia si Deus reproducat Petrum mortuum nullâ necessitate reproducet ipsius accidentia: ergo etiam nullâ necessitate illa constituet in diuersis locis.

P. Arriaga

135 His non obstantibus, probabiliùs dicendum existimo accidentia, quæ sunt in vno loco naturali cõnexione sequi rem in alio. Ita P. Soar. cit. *de Eucharistia d. 48. s. 5.* Cardinalis Lugo cit. *de Eucharistia d. 5. s. 2. n. 37.* Patres Conimbr. *4. Phys. cap. 5. q. 5. a. 2. §. Secundum*, P. Tellez *d. 32. s. 4. n. 22.* P. Vasq. 3. *p. d. 189. c. 4.* Scot. *in 4. d. 10. q. 4.* Faber ibidem *d. 37. c. 4.* P. Compton. cit. *n. 7.* Probatur ex Concilio Tridenr. proximè cit. *sess. 13. cap. 3.* vbi dicit, quòd corpus Christi Domini in Eucharistiâ sequuntur aliæ partes Christi eâ naturali connexione, quâ inter se in Cælo copulantur, ibi: *Vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis surrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur.* Itaque corpus Christi in Eucharistiâ comitantur omnia accidentia, quæ in illo in Cælo inhærent: idque absque nouo miraculo, sed eâ naturali cõnexione, quâ illi in Cęlo inhærent: ergo accidentia, quæ in vno loco sunt, sequuntur rem in alio naturali connexione.

P. Soar. P. Lugo Patres Conimbr. P. Tellez. P. Vasq. Scotus Faber P. Cõpto. Concilium Trident.

136 Et quidem, si constitutio rei in alio loco fiat per actionem adductiuam, debent accidẽtia illam sequi naturali quâdam, ac physicâ necessitate. Et probatur exemplo actionis adductiuæ, quâ res successiuè mouetur de loco in locum; illâ enim nobiscum portamus omnia huiusmodi accidentia, nimirum albedinem, frigus &c. De quo intelligendus Aristoteles 6. *Physic. text. 86.* ibi: *Motu nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis.*

Aristot.

137 Si autem fiat per actionem reproductiuam, tunc verum quidem est nullam intercedere reproducendorum accidentium necessitatem; siquidẽ res potest conseruari sine illis: at negari non potest intercedere congruentiam; congruit enim, supposito quòd Petrus existens Conimbricæ reproducitur Vlyssipone, quód ibi reproducatur cum suâ natiuâ albedine, cum suâ cicatrice, cum suo caluitio, canitie, &c. Et ratio est, quia subiectum est omninò idem: exigit ergo bona sua, & suam veluti supellectilem. Dices, obstare eorum accidentium reproductionem, quæ non potest non esse miraculosa. Respondeo, esse connaturalem reproductioni sui subiecti. Est quidem absolutè supernaturalis: at connaturalis reproductioni sui subiecti. Explicatur exemplo reproductionis proprietatum, quæ similiter absolutè est supernaturalis; at connaturalis

reproductioni suæ Naturæ. Et totum hoc cõfirmatur exemplo proprietatum, & accidentium, quæ supposito priori miraculo Eucharistico sequuntur corpus Christi Domini naturali connexione, vt patet ex dictis.

§. 3.

Argumenta soluta.

138 Neque obstant argumenta opinionis contrariæ. Ad primum (quâtenus dicit idcircò proprietates sequi rẽ in diuerso loco, quia sunt necessariæ ad eius conseruationem: quo pacto non se habent accidentia contingentia) respondeo, accidentia sequi rem ex alio titulo, quia nimirum aut res constituitur in diuersis locis per solam actionem adductiuam; & actio adductiua non tollit, quóminus nobiscum huiusmodi accidentia deferamus: aut res ponitur in diuerso loco per actionem reproductiuam; & huic connaturalis est reproductio suorum accidentium, quia res secum deferri iubet suam supellectilem: & id probatur exemplo accidentium corporis Christi Domini in Eucharistiâ, vt liquet ex dictis.

139 Ad secundum (quâtenus dicit Materiam pedis non sequi Animam Rationalem existentem in capite) respondeo cum Cardinali Lugo cit. *num.* 48. accidentia solùm sequi rem existentem in pluribus locis adæquatis, non veró existentem in pluribus locis inadæquatis. Diuersa ratio est, quia res vbi adęquatè existit, debet secum habere omnia bona sua, & quasi supellectilem; debet enim ibi ita existere, acsi nusquam alibi existat. At verò si inadæquatè existit, non debet ea omnia habere in quolibet loco partiali; quia pręsentia partialis supponit rem alibi partialiter existere, vbi habeat cætera, quæ in hoc loco partiali nõ habet. P. Lugo

140 Ad tertium (quâtenus asserit huiusmodi accidentia neque in primo loco esse necessaria: ergo neque in secundo) respondeo, supposito quòd fiat in primo, necessaria esse in secundo, non quidem ad cõseruationem rei: sed quia actio adductiua non destruit intrinsecam accidentium inhærentiam. Quód si negotium fiat per actionem reproductiuam, iam dixi rem habere ius in supellectilem, ac bona sua.

141 Ad quartum (quâtenus dicit, si hæc accidentia non sunt necessaria, nouum esse miraculum illa in diuersis locis constituere) respondeo hæc accidentia esse necessaria, non quidem ad conseruationem subiecti, sed quia, si res constituitur in diuersis locis per solam actionem adductiuam, necessariò nostra accidentia nobiscum portamus; sunt enim nobis alligata vinculo inhærentiæ: sin autem res constituitur per actionem reproductiuam, insitum rei á naturâ ius est ad supellectilem, ac bona sua.

142 Ad quintum (quâtenus asserit guttulam Oceani miraculosè simul constitutam in conchâ non secum deferre totum Oceanum, nec partem Cæli stellati totam eius sphæram) respondeo, per se connaturaliùs fore, si suo Toto esset vnita, & secum deferret suam vnionem ad suum Totum. Dixi *per se*, quia per accidens, maius miraculum esset contineri totum Oceanum in conchâ; siquidem in illâ non capitur.

143 Ad sextum (quâtenus dicit, si lapis post acceptum impulsum in hâc aulâ ponatur simul in aliâ distanti, non secum portaturum talem impulsum) respondeo id esse, quia impulsus est ad determinatum locum: vnde contra eius naturam est, quód moueat corpus ad alium locum. Quæ ratio est specialis impulsui, & non militat in alijs accidentibus, vt est manifestum.

144 Ad septimum (quâtenus asserit, si Deus reproducat Petrum mortuum, nullâ necessitate reproducere eius accidentia) respondeo, si illum reproducat prout sic mortuum, congruere illum reproducere cum suis accidentibus, quæ spectant ad mortuum. Sin autem illum reproducat viuum, tunc illum debere reproducere cum nouis accidentibus, quæ spectent ad vitam. Verùm ex hoc nihil infertur contra nostram doctrinam.

§. 4.

Vtrùm alteratio, quæ fit in vno loco, debeat sequi eandem rem in alio?

145 Tertia difficultas: Vtrùm mutatio, quæ fit in vno loco, debeat sequi eandem rem in alio? Mutatio quadruplex est: altera ad Qualitatẽ; & dicitur *alteratio*: secunda ad Quantitatem; & dicitur *accretio*: tertia ad Substantiam; & dicitur *generatio*: quarta ad Vbi; & dicitur *latio*, seu *adductio*. De hâc quartâ non est quæstio; iam enim suprà *n.* 125. diximus illam neque diuinitùs posse constitui in diuerso loco; cùm pendeat essentialiter ab hoc loco, cuius est præsentia formalis. Vnde colliges eandem rem posse in vno loco quiescere, & alio moueri: & ita de facto contingit in corpore Christi Domini, quod in Cælo quiescit, & in Eucharistiâ manibus Sacerdotis

cerdotis

sacerdotis mouetur de loco in locum. Quæstio solùm procedit de tribus prioribus mutationibus. Et vt clarius discutiatur,

146 Quæri potest primò, Vtrùm alteratio, quæ fit in vno loco, v. g. frigefactio, vel calefactio, debeat sequi eandem rem in alio? Affirmant Gabr. in 4. dist. 10. q. 1. a. 2. & lect. 46. supra Canonem, Marsil. ibidem. Sotus 4. Physicor. q. 2. a. 3. Patres Conimbr. ibidem c. 5. q. 4. a. 2. P. Bellarmin. l. 3. de Eucharist. c. 4. Cardinalis Lugo de Euchar. d. 5. sect. 2. n. 32. P. Petrus Hurt. in Phys. d. 14. s. 5. Caramuel cit. d. 6. a. 9. Sit ergo regula, P. Ouied. controuers. 15. Phys. punct. 10. n. 19. Probatur primò, quia alioqui eadem res posset recipere contraria in gradibus intensis, v. g. in vno loco calefieri ad summum, in alio frigefieri similiter ad summum; hoc autem non videtur admittendum; quia non apparet quomodò capacitas subiecti amplietur in diuersis locis. Secundò, quia idem puer, cuius vires solùm sufficiunt ferre pondus vnius libræ, posset in viginti locis constitutus ferre simul viginti libras, quamlibet in suo loco: hoc autem non videtur admittendum; quia virtus pueri similiter non ampliatur pro multiplicatione locorum.

Gabriel Marsil. Sotus Patres Conimbr. P. Bellar. P. Lugo P. Petrus Hurtad. Caramuel P. Ouiedo

147 Nihilominus probabilior videtur contraria resolutio asserentium huiusmodi alterationes, quæ in vno loco exercentur, non sequi naturaliter eandem rem in alio. Ita P. Soar. de Euchar. d. 48. sect. 6. P. Tellez d. 32. s. 4. n. 14. P. Arriaga in Phys. d. 14. s. 10. P. Becan. de Sacrament. cap. 17. q. 16. n. 3. P. Compton. in Phys. d. 35. s. 7. n. 8. citans Hug. Victor. Alens. Maior, Palat. Ledesm. & Richard. Et probatur primò, quia ignis, qui hic calefacit Petrum existentem Conimbricæ, non potest illum calefacere existentem Vlysipone; non enim potest agere extra sphæram suæ actiuitatis. Secundò, quia idem lapis, qui Romæ dealbatur, potest simul Conimbricæ, si atramento respergatur, nigrefieri. Et ratio est, quia albedo, & nigredo mutuò expelluntur formaliter se ipsis: quæ verò ita se habent, nequeunt se expellere in loco adeò distanti. Tertiò, quia idem lapis potest Romæ, si approximetur igni, calefieri; & simul Conimbricæ, si inuoluatur niue, frigefieri. Et ratio est, quia efficiens, prætérquam quòd, vt dixi, non possit operari extra suam sphæram, non potest naturaliter agere in remoto, quin agat in propinquo; si autem ignis existens Romæ expelleret frigus Conimbricæ, ageret in remoto non agendo in propinquo.

P. Soar. P. Tellez. P. Arriaga P. Becan. P. Compt.

148 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ posse eandem rem in diuersis locis recipere qualitates contrarias in gradibus intensis) respondeo; posse recipere prædicta contraria, si ea sint de genere illorum, quæ solùm pugnant per ordinem ad subiectum, qualia sunt albedo, & nigredo, calor, & frigus, &c. Tum quia, vt aliqui dicunt, virtus subiecti constituti in diuersis locis ampliatur, si non intensiuè, saltem extensiuè: tum quia re ipsâ huiusmodi contraria non pugnant defectu capacitatis subiecti, quia hoc illorum capax est; neque enim Quantitas respicit magis, aut minùs albedinem, quàm nigredinem: ad eum modū, quo etiam Materia prima de se est capax omnium Formarum, quas omnes respicit æquè primò, & solùm per dispositiones determinatur potiùs ad hanc, quàm ad illam. Huiusmodi autem contraria solùm pugnant in ordine ad idem subiectum; aut formaliter se ipsis, quo pacto se habent albedo, & nigredo: aut effectiuè se mutuis actionibus interimendo: quæ verò ita se habent, pugnant solùm in eodem loco, non in diuersis, vt patet ex dictis. Dixi, si contraria sint *de genere eorum, quæ solùm pugnant per ordinem ad subiectum*, quia si sermo sit de illis, quæ pugnant per ordinem ad obiectum, qualia sunt scientia, & error, est maius dubium, cui paulò inferiùs satisfaciemus.

149 Ad secundum (quatenus dicit sequi ex nostrâ sententiâ quòd idē puer, qui in vno loco solùm potest leuare pondus vnius libræ, possit simul constitutus in viginti locis simul leuare viginti libras) respondeo, causam constitutam in diuersis locis posse in illis edere plures effectus eiusdem rationis, v. g. puerum capacem attollendi pondus vnius libræ posse in quolibet loco attollere diuersum eiusdem rationis. Et ratio est, quia iste puer existens simul in diuersis locis æquipollet sibi existenti successiuè in eodem; atqui successiuè existens in eodem potest attollere plures libras successiuè: ergo existens simul in pluribus potest attollere plures simul. Et ratio est, quia eius virtus ampliatur extensiuè, ad eum modum, quo ampliatur, quando existit successiuè. Adde, quòd non est maior ratio, cur possit in vno loco attollere suam libram, & illam non possit attollere in alijs: ergo potest attollere plures simul.

150 Dices: Puer in hoc loco non potest attollere nisi hanc vnam libram; per Vbicationes autem in diuersis locis non augentur eius vires: ergo quantumuis in illis constituatur, nō poterit attollere nisi hanc vnam libram. Respondeo per Vbicationes in diuersis locis non augeri vires intensiuè, augeri tamen extensiuè. Pone, quòd hic puer Conimbricæ attollet hanc libram A, deinde, quòd simul cōstituatur Vlysi-

Vlyssipone; quæro, An etiam Vlyssipone possit attollere eandem libram A? Non dices non posse, cùm etiam ibi sint eędem vires, ac proinde poterunt ibi, quod possunt hîc. Si dicas posse attollere eandem libram A: quæro, An si hæc ab eius manibus auferatur, & loco illius ponatur libra B, possit è illam sustinere? Si dicas, posse: ergo Conimbricæ sustinet libram A, & Vlyssipone libram B, & Eboræ libram C, & Bracharę libram D; ac proinde sustinet in quatuor locis quatuor libras, cùm in vno solùm possit sustinerę vnam: quod erat intentum. Si dicas, in secundo loco ablatâ librâ A, non posse eius loco sustinere libram B, cur, quæso, loco libræ A, quæ illi ablata est, non poterit sustinere libram B? suppono enim hanç non magis grauitare, quàm illam: si potest illam, cur non potest hanc? An hæc mera differentia indiuiduans diuersæ magis ponderat, quàm illa? ego suppono, quòd non.

151 Et vrgeo, quia vires, quæ hîc Conimbricæ sunt eædem, extenduntur ad Vlyssiponem: cùm ergo sint eædem, poterunt Vlyssipone, quod hîc Conimbricæ possunt; at hîç Conimbricæ loco libræ A, poterunt sustinere libram B; ergo etiam id poterunt Vlyssipone. Explicatur exemplo eiusdem pueri deambulantis, & mouentis se motu successiuo de loco in locum, ferendo præ manibus eandem libram; nam, si dum mouetur, varietur libra, & loco vnius ponatur alia solo numero diuersa, negari non potest quòd in duobus locis successiuè sustineat duas libras; & id ex eo, quòd eædem vires extendantur successiuè ad duos locos: si ergo non successiuè, sed simul extendantur, poterunt eas duas libras simul sustinere, dato quòd varientur.

§. 5.

Vtrùm accretio, quæ fit in vno loco, sequatur rem in alio? Et quid de generatione, & corruptione?

P. Soar.
P. Becan.
P. S. Cruz.

152 QVæri potest secundò, Vtrùm accretio, quæ fit in vno loco, sequatur rem in alio? Respondeo negatiuè cum P. Soar. *de Euchar. d. 48. s. 6. §. Secundò.* P. Becan. cit. *§. Tertia conclusio.* P. Sancta Cruz *in Phys. num. 748. vers. Infertur secundò.* Probatur facilè, quia ignis existens Conimbricæ, si illi approximetur pabulum, nimirum stupa, vel lignum, procul dubio illud comburet, & conuertet in se; existens verò Vlyssipone, defectu approximationis pabuli illud non comburet, nec conuertet in se; ergo accrescet Conimbricæ, non verò Vlyssipone. Et confirmatur, quia alimentum non conuertitur, nisi vbi est præsens. Ex dictis colliges, posse corpus in vno loco augeri, & in alio minui: in vno pinguescere, & in alio fieri macilentum: in vno pati famem, & sitim: in alio epulis opiparè, & frigidâ recreari.

P. Lugo
Patres Conimbr.
P. Rub.
P. Arriaga
P. S. Cruz.

153 Quæri potest tertiò, Vtrùm generatio, vel corruptio, quæ fit in vno loco, debeat sequi rem in alio? Affirmant Cardinalis Lugo cit. n. 51. Patres Conimbr. *in Phys. c. 9. q. 5. a. 2. §. Secundum;* P. Rubius *in Phys. tract. de Loco q. 7.* P. Arriaga ibidem *disp. 14. n. 156.* P. Sancta Cruz *in Phys. n. 750.* Probatur primò, quia si generatio, quæ fit in vno loco, non sequeretur eandem Materiam in alio, certè eadem Materia constituta in diuersis locis posset informari pluribus Formis substantialibus diuersis. Secundò, quia idem homo posset in vno loco mori, & in alio viuere. Tertiò, & efficaciter, posset Christus Dominus seruatâ Eucharistiâ post Cœnam simul in Cruce mori, & perseuerare viuus in Eucharistiâ.

P. Soar.
P. Petrus Hurt.
P. Becan.
P. Gaspar Hurtado.
P. Tellez.

154 Nihilominus dicendum generationes, & corruptiones, quæ fiunt in vno loco, nõ sequi rem in alio. Ita P. Soar. cit. *§. Tertiò.* P. Hurtad. *in Physica d. 14. §. 53.* P. Becan. cit. *§. Quarta conclus.* P. Gasp. Hurt. *de Euchar. disp. 5. diff. 13. §. vlt.* P. Tellez cit. *n. 14.* Et probatur, quia si eadem stupa Conimbricæ demergatur aquâ, & simul Vlyssipone approximetur igni, procul dubio cremabitur Vlyssipone, non verò Conimbricæ. Et confirmatur, quia aqua existens Conimbricæ, cùm sit in loco adeò distanti, non potest Vlyssipone ignem restinguere; sin minùs, vt supra notaui, ageret in remoto, non agendo in propinquo: similiter ignis existens in loco adeò distanti non potest Conimbricæ expellere frigus, & aquam superare.

155 Ad primũ de Materiâ in diuersis locis cõstitutâ; respõdeo bene posse eandẽ Materiã in duobus locis duabus Formis informari. Et ratio est, quia Materia est illarũ capax, imò omnium, cùm omnes respiciat æquè primò. Formæ sunt, quæ repugnant esse in eâdem Materiâ ratione dispositionum; quæ, cùm sint contrariæ formaliter, aut effectiuè, se se mutuò interimunt: quæ verò ita se habent non possunt se interimere à locis adeò distantibus. Hæc pleniùs prosecuti fuimus *in Phys. tract. 1. n. 329.*

156 Ad secundum (quatenus dicit sequi posse vnum hominem in vno loco viuere, & in alio mori) concedo cum P. Soar. Patribus Conimbricensib. P. Hurtad. & P. Tellez cit. posse eundem hominem in vno loco mori, & in alio viuere. Ad tertium de Eucharistiâ dicunt prædicti Doctores apud P. Tellez cit. n. 14.

n. 14. Si post cœnam Dominicam asseruaretur panis consecratus in triduo mortis Christi D. ipsum in Eucharistiâ perseueraturum viuum, quia mors illata in vno loco non debebat sequi Christum in alio viuum. Secùs contingeret, si post mortem Christi Domini in illo triduo consecraretur panis; tunc enim ex vi consecrationis solùm poneretur Corpus Christi, vt erat: erat autem mortuum.

§. 6.

Vtrùm actus cognoscendi, & appetendi, qui fiunt in vno loco, fiant etiam in alio?

157 Quarta difficultas: Vtrùm actus cognoscendi, & appetendi, qui fiunt in vno loco, fiant etiam in alio? Affirmant absolutè Cardinalis Lugo *de Eucharistia d.* 5. *sect.* 3. *n.* 76. P. Ouiedo *in Phys. controuers.* 15. *puncto* 10. *n.* 21. cũ alijs. P. Soar. *de Euchanst. d.* 48. *s.* 6. §. *Quarto loco.* Item P. Becan. *de Sacram. c.* 17. Et communiter Recentiores loquuntur cum distinctione, & dicunt actus cognoscendi, qui fiunt in vno loco, non necessarió fieri in alio: actus veró appetendi maximè. Assignant diuersam rationem, quia potentia cognoscens non est principium completum, sed completur per species extrinsecùs prouenientes ab obiectis: potest veró in vno loco habere species, & illas in alio non habere. At verò potentia appetens est principium completum: non potest ergo naturaliter loquendo aliquid appetere in vno loco, quin illud consequenter appetat in alio per naturalem sympathiam. P. Lugo P. Ouiedo P. Soar. P. Becan.

158 Nihilominus absolutè dicendum videtur neque actus cognoscendi, neque actus appetendi, qui in vno loco fiunt necessariò fieri in alio. Ita P. Sancta Cruz *in Phys. n.* 748. P. Compton. cit. *s.* 6. *n.* 1. Prima pars de actibus cognoscendi videtur clara. Nam potentia cognoscens non est completa respectu suorum actuum, sed completur per species: potest verò habere species in vno loco, & illas non habere in alio; hæ enim si sint species sensuum externorũ, dependent physicè á præsentiâ obiecti, quod datur in vno loco, & non in alio. Secunda pars de actibus appetendi, probari potest sic. Primò, quia potest quis vigilare Conimbricæ, Vlyssipone verò dormire: ergo poterit appetere Conimbricæ, Vlyssipone autem, vbi dormit, non appetere. Secundò, quia Voluntas est libera: ergo potest velle elicere suum actũ Conimbricæ, & nolle illũ elicere Vlyssipone. Tertió, quia potest Conimbricæ appetere frigidam, si ibi vigeat æstus: & Vlyssipone illam non appetere, si ibi æstus non vigeat. P. S. Cruz P. Compt.

159 Obijcies primò. Si idem Intellectus non habeat vtrobique eundem actum, poterit in vno loco habere Scientiam, & in alio Errorem eius obiecti, vel Opinionem extrinsecè formidolosam; hoc autem non videtur dicendum: ergò neque illud, ex quo sequitur. Plures cum P. Soar. cit. §. *Atque hinc* (quibus accedunt Patres Conimbric. *in Logic. q.* 2. *de Scientia, & Opinione a.* 3. §. *Ad tertium*, & §. *Iure tamen*, Cardinalis Lugo cit. *s.* 2. *n.* 53. P. Arriag. *in disp.* 14. *n.* 135. P. Becan. *de Sacrament. cap.* 17. *q.* 16. *n.* 7. P. Hurt. *in Phys. disp.* 14. *n.* 50.) nolunt admittere posse eundem Intellectum, etiam in diuersis locis constitutum habere Scientiã, & Errorem, vel Opinionem extrinsecè formidolosam de eodem obiecto. P. Soar. Patres Conimbri. P. Lugo P. Arriga. P. Becan. P. Hurt.

160 Sed probabiliùs videtur id non repugnare. Ita P. Comptonus citatus. Primò, quia repugnantia contradictoria nullius est momenti in diuersis locis. Et ipsi Aduersarij meritò admittunt posse eundem Intellectũ in vno loco scire, & in alio nescire. Deindè ibi etiam pugna contraria esse nõ potest; quia quæ pugnant contrarié, siue pugnent formaliter se ipsis, siue effectiuè, non digladiantur inter se in locis adeó distantibus. Secundò, quia non obstat sympathia; nam cum hâc stare potest *scire*, & *nescire*: ergo etiam *scire*, & *opinari*. Tertiò, quia si oculus Conimbricæ habeat speciem Petri nigri, poterit illum videre nigrum; & si Vlyssipone habeat speciem eiusdem Petri albi, poterit illum videre album: itaque potest in vno loco videre Petrum nigrum, & simul in alio loco illum videre album: ergo etiam poterit in vno loco illum iudicare nigrum, & quidem verè; & in alio illum iudicare album, & in hoc errare. Quartò, quia sicut in diuersis locis potest habere diuersas species oppositas, ita potest habere diuersa media. Et sanè ita docent plures Recentiores, quibus subscribit P. Tellez cit. *d.* 32. *n.* 15. P. Compt. P. Tellez

161 Dices: Idem Intellectus in eodem loco non potest simul habere Scientiam, & Opinionem de eodem obiecto: ergo neque in diuersis locis; nam in diuersis non augetur eius virtus, & capacitas. Respondeo in primis virtutem, & capacitatem Intellectûs in diuersis locis non augeri quidem intensiuè: augeri tamen extensiuè. Id communiter explicant exemplo oculi, dato quòd eius visionis sphæra sit quatuordecim leucarum; nam hic Conimbricę constitutus videbit spatium quatuordecim leucarum; & simul constitutus Vlyssipone videbit alias quatuordecim leucas diuer-

diuersas. Deinde, quidquid sit de hâc ampliori capacitate, est maior ratio, cur Scientia, & Opinio pugnēt in eodē loco, nō autē in diuersis. Nā in diuersis neque pugna cōtradictoria est alicuius momenti, vt dixi; neque vlla est pugna contraria; nam ea, quæ pugnant contrariè, nō sese interimunt in locis adeó distantibus. Neque obstat identitas subiecti; nam cum hoc stat quód vnum contrarium non sit in eodem loco cum alio, sed ab illo distet plures leucas: in tantâ autem distantiâ, cúm eorum actiuitatis gladij sint adeò curti, vnum non potest digladiare cum alio.

162 Instabis: Demus Gigantem tam vastæ molis, ac magnitudinis, vt eius phantasia existat Vlyssipone, appetitus verò Conimbricæ (apagè cū isto Monstro!) sanè appeteret Conimbricæ, quidquid Phantasia proponeret Vlyssipone, non obstāte locorū distātiâ, propter potentiarum sympathiam: ergo á fortiori propter hanc non poterit idem Intellectus simul constitutus Conimbricæ scire, & Vlyssipone dubitare, aut errare. Respondeo, hunc tuum Gigantem appetiturum Conimbricæ quidquid ei proponeret phantasia existens Vlyssipone; tum quia medio continuato excitaretur à phantasiâ: tum quia Conimbricæ non illi proponeretur contrarium. At verò idem Intellectus existens in diuersis locis potest habere species repræsentantes contraria: item possunt illi obijci Media opposita: nec vnum in vno loco destruet aliud, quod non potest interimere existens extra suam sphæram in loco adeó distanti, &, quod difficilius est, discontinuato.

163 Obijcies secundó. Si neque idem Intellectus, neque eadem Voluntas vtrobique eliciat eundem actum, poterit Conimbricæ elicere peccatum, & Vlyssipone actum meritorium: hoc autem non videtur admittendū; tum quia talis homo simul esset in Gratiâ, & in peccato, & si moreretur, simul esset in Cælo, & in Inferno; simul in odio, & amore Dei; simul esset gratus, & inuisus ipsi Deo. Nonnulli Recentiores admittunt omnes has sequelas, & dicunt illas quidem esse mirabiles, non tamen absurdas, sequiqué ex vi prioris miraculi.

164 Dicendum tamen nobis probabiliùs videtur talem hominem posse quidem in vno loco peccare, & in alio non peccare, non tamē posse in vno peccare, & in alio elicere actum meritorium, aut esse in Gratiâ: sed si in vno loco peccet, necessariò necessitate physicâ in alio amissurum esse Gratiam, & contracturum maculam. Ratio est, quia Gratia non est per ordinem ad locum, sed ad personam benè, vel malè operantem: vt autem persona simpliciter, & absolutè censeatur mala, seu malè operans, satis est, quód in aliquo loco eliciat actum malum; bonum enim non nisi ex integrâ causâ. Et confirmatur, quia si in vno, eodemque loco, aut in diuersis successiuè, eadem Voluntas eliciat duos actus, alterum virtutis, peccaminosum alterum, nihil merebitur per actum virtutis, sed simpliciter amittet Gratiā Dei. Dixi, talem Voluntatem, si in vno loco peccet, *necessariò necessitate physica in alio amissuram esse Gratiam*, quia de potentiâ Dei absolutâ videtur posse in vno loco peccare, & amittere Gratiam, In alio verò eam retinere. Nam probabilius est peccatum de potentiâ absolutâ posse compati in eodem loco, & subiecto cū Gratiâ, vt cum Scot. Gabr. Medinâ, & alijs docent P. Soar. *l. 7. de Gratia c. 9.* & 20. P. Bellarmin. *l. 2. de Iustificatione cap. vlt.* P. Ægid. *d. 21. dubio 8.* P. Arriag. *in 1. 2. tr. de Gratia.*

Scotus. Gabriel. Medina. P. Soar. P. Bellar. P. Conim. P. Arriaga.

165 Quid tamen dicendum si talis homo in vno loco moriatur, & in alio superstes viuat? detruderetur nè in Infernum? Ratio dubitandi pro parte affirmatiuâ est, quia moritur in peccato mortali. Pro parte negatiuâ facit, quód ille homo quādiu viuet, potest pœnitere. Respondeo ad prouidentiam, & misericordiam Dei spectare talem hominem ad tēpus cruciari sub cōditione, quòd si moriatur in Gratiâ restituatur Gloriæ, & Beatitudini. Neque obstat, quód Concilium Trident. definiat, Omnem Animam, quæ ex hâc vitâ discedit in peccato mortali, damnari æternis cruciatibus, in quibus nulla est redemptio. Non, inquam, id obstat, quia Concilium solùm loquitur de ijs, qui totaliter moriuntur: nostra verò quęstio procedit de illo, qui in vno loco moreretur, & in alio viueret, essetque Viator.

Concil. Trident.

SECTIO VI.

De diuisione Vbi in suas species.

166 VBI diuiditur in *Definitiuum*, & *Circumscriptiuum*. Definitiuum in *Spirituale*, & *Corporeum*. Videndum primò, Vtrùm diuisio sit adæquata? Secundò, Vtrùm fiat in Species infimas? Tertió, Vnde desumatur ipsorum Vbi specificatio? Quartó, Quid veniat nomine *Spatij imaginarij*, per quod Vbi specificatur?

Vtrum

§. 1.

Vtrùm diuisio Vbi in Definitiuum, & Circumscriptiuum sit adæquata?

167 PRima difficultas: Vtrùm diuisio sit adæquata? Dari aliud tertium membrū, quod neque sit Vbi Circūscriptiuum, neque Definitiuum, sed medium inter vtrunque, quod dicitur *Sacramentale*, & est illud, quod habet corpus Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ, existimant D. Tho. Alens. Ægid. & Sot. quos citat, & sequitur P. Soar. *de Euchar. d. 48. s. 3. §. Vltimò ex dictis.* Probatur, quia Vbi Definitiuū est illud, quo res ita indiuisibiliter definitur in loco, vt ex vi talis Vbi nequeat correspondere spatio ampliori: at verò corpus Christi Domini in Eucharistiā ex vi præsentiæ Sacramentalis potest maius, ac maius spatium hostiæ, si hæc per rarefactionem fiat maior, occupare.

D. Thom. Alensis Ægid. Sotus P. Soar.

168 Sed probabiliùs dicendum videtur diuisionem esse adæquatam. Ita Gabriel, & Palud. apud P. Soar. Quibus accedunt Cardinalis Lugo *de Euchar. d. 5. s. 7. n. 183.* P. Arriag. *in Phys. d. 14. n. 103.* Idem sentire videtur P. Compton. *in Phys. disp. 34. sect. 5. n. 2.* Probatur, quia aut Vbi ponit rem totam in quâlibet parte loci: aut non. Si primum, est Definitiuum; si secundum, est Circumscriptiuum. Ex quo patet Vbi Eucharisticum esse Definitiuum, quia ponit totum corpus Christi Domini in quâlibet parte hostiæ consecratæ.

Gabriel Paludan. P. Lugo P. Arriaga P. Compto.

169 Ad fundamentum opinionis cōtrariæ respondetur primò, negando eandem numero præsentiam Christi Domini existentis in Sacrā Eucharistiā posse extendi ad extensionem hostiæ consecratæ. Si hæc extenderetur, periret illa numero præsentia, & produceretur alia correspondens spatio ampliori, ad eum modū, quo si Angelus constitutus in loco vnius palmi vellet se extendere, & occupare totum spatium suę sphæræ, amitteret prius suum Vbi, & acquireret nouum. Quando dicitur Vbi Eucharisticum posse acquirere maius, ac maius spatiū, sensus est: Corpus Christi Domini in Sacrā Eucharistiā non habere certam, ac limitatam sphæram, ac habet in Cælo, sed posse correspondere sphæræ ampliori, ac ampliori hostiæ consecratæ.

170 Respondeo secundò, dato quòd eadē numero præsentia posset extendi in maius, ac maius spatium in infinitum, adhuc tale Vbi fore Definitiuum, quia constituit totam rem in quālibet parte spatij, in quo consistit propria ratio Vbi Definitiui.

§. 2.

Vtrùm Vbi Definitiuum, & Circumscriptiuum sint species infimæ: an subalternæ?

171 SEcunda difficultas: Vtrùm prædicta Vbi sint species infimæ: an subalternæ? Quod attinet ad Vbi Definitiuū, non est dubium esse subalternum; diuiditur enim in spirituale, & corporeum. Spirituale est illud, quod datur in Angelo, & in Animā Rationali: corporeum illud, quod datur in corpore existente definitiuè.

172 De Vbi Circunscriptiuo solet esse controuersia. Nam P. Soar. *in Met. d. 51. s. 6.* & Patres Conimbr. *in Logica ad Prædicamentum Vbi*, existimant illud esse speciem infimam. Eorum fundamentum est, quia omnia Vbi Circunscriptiua habent eundem effectum formalem constituendi rem totam in toto, & partem in quālibet parte spatij.

P. Soar. Patres Conimbr.

173 Sed probabiliùs dicendum videtur etiam Vbi Circunscriptiuum esse speciem subalternam. Probatur, quia datur Vbi Circunscriptiuum naturale, vt patet: deinde Vbi Circunscriptiuū supernaturale, nimirum illud, quod habet vnio hypostatica corporis Christi ad Verbū Diuinum; & illud, quod habet actio creatiua accidentium Sacræ Eucharistiæ: at verò Vbi naturale, & supernaturale distinguūtur specie. Secundò, quia Vbi Quantitatis postulat naturā suā excludere aliud corpus ab eodem loco; Vbi verò aliarum rerum corporearum id non postulat: ergo distinguuntur specie. Ex quo patet Vbi Circunscriptiua habere diuersos effectus specificos.

§. 3.

De specificatione ipsorum Vbi.

174 TErtia difficultas: Per quid Vbi specificentur, & essentialiter distinguantur? Nonnulli existimant specificari per solos diuersos modos constituendi rem in loco: vnde licèt, inquiunt, Vbi Circunscriptiuum Quantitatis distinguatur specie ab Vbi Circunscriptiuo aliorum entium materialium (siquidem Vbi Quantitatis ponit rem in loco impenetrabiliter, Vbi verò Circunscriptiuum aliorum entium, minimè) tamen omnia Vbi Quantitatis sunt eiusdem speciei inter se; similiter omnia Vbi Circūscriptiua aliorū entiū materialium sunt inter se eiusdem speciei; omnia Vbi Definitiua spiritualia sunt eiusdem

 speciei

ſpeciei: Vbi Definitiua corporea ſimiliter eiuſdem ſpeciei.

175 Sed probabiliùs dicendum exiſtimo eſſentiam Vbi deſumi à ſubiecto ſimul, & ab ſpatio, cui correſpondet. Ita P. Arriaga *in Phyſ. d.* 14. *n.* 105. P. S. Cruz *in Phyſ. n.* 755. Probatur, quia Vbi vtrũque reſpicit eſſentialiter. Et cõfirmatur primò, quia relatio ſpecificatur ab vtroque extremo: actio ſimiliter, & vnio ab vtroque; ergo &c. Secundò, quia Vbi Definitiuum rei ſpiritualis, & rei corporeæ; ſimiliter rei naturalis, & ſupernaturalis diſtinguuntur ſpecie; nõ per ſpatiũ, quia, vt ſuppono, eſt idẽ: ergo per ſubiectũ; & quod inde ſequitur, Vbi nõ ſolùm ſpecificatur per ſpatium, ſed etiã per ſubiectũ. Ex dictis colliges Vbi diſtingui ſpecie pro diuerſitate rerũ, in quibus reperiuntur: vnde Vbi Definitiuum Animæ Rationalis eſt eſſentialiter diuerſum ab Vbi Angelico: & Vbi Angelorũ inter ſe ſimiliter eſſentialiter diuerſa pro diuerſitate ipſorum Angelorum: item Vbi Circũſcriptiuum ſubſtantiæ corporeæ eſt eſſentialiter diuerſum ab Vbi Circumſcriptiuo qualitatis corporeæ, aut alterius accidentis: & hæc ſimiliter inter ſe diuerſa pro diuerſitate ipſorum ſubiectorum.

P. Arriaga
P. S. Cruz.

176 Vtrùm verò Vbi Circũſcriptiua Quãtitatis (& idẽ dicendum de Definitiuis rerum ſpiritualiũ, quæ ſunt eiuſdẽ ſpeciei) diſtinguãtur ſpecie inter ſe pro diuerſitate ſpatij, ſeu ſphæræ, cui correſpondent? v. g. Vbi Quantitatis cubitalis ab Vbi Quantitatis palmaris, quia primũ habet pro ſphærâ ſpatium vnius cubiti: ſecundũ habet pro ſphærâ ſpatiũ vnius palmi: item Vbi Quantitatis rotundæ, ab Vbi Quãtitatis quadratæ? Reſpõdendũ videtur affirmatiuè, quia conceptus horũ locorũ diſtinguuntur ſpecie pro eorũ diuerſitate: ſimiliter dicendũ de actibus voluntatis, qui habent pro obiecto huiuſmodi ſpatia: Vbi verò non minùs eſſentialiter illa reſpiciunt, quàm prædicti actus. Et certè ita expreſsè docet loquendo de Vbi circuli, & de Vbi quadrati P. Sancta Cruz *in Phyſ. n.* 756.

P. S. Cruz.

§. 4.

Quid ſit Spatium imaginarium, in ordine ad quod explicatur eſſentia Vbi?

177 QVarta difficultas: Quid veniat nomine *Spatij imaginarij*, per quod Vbi ſpecificatur ex parte termini? In hâc re plures inuenio ſententias. Prima, quæ quidem cõmunis eſt, nomine *Spatij imaginarij* intelligit non verum ſpatium, aut verum corpus, ſed negationem veri ſpatij, & veri corporis, quam ipſum ſpatium, ſeu verum corpus poteſt occupare. Itaque in hâc opinione Spatium imaginarium eſt illa negatio, ſeu entis vacuitas, quam ipſum ens poteſt occupare. Ita P. Faſol. *tom.* 1. *in* 1. *p. q.* 8. *a.* 1. *num.* 20. P. Connink *de Euch. riſtia q.* 75. *num.* 7. cum Philopono, & Simplicio, P. Tolet. 4. *Phyſ. q.* 3. P. Pereira *in Philoſ. lib.* 11. *c.* 5. P. Præpoſit. *q.* 8. *art.* 1. *dub.* 3. P. Hemelman *in ſuo Curſu tract.* 10. *dub.* 6. *cap.* 2. Diſplicet hæc ſententia, quia negatio non manet ſimul cum ente negato; at ſpatium non tollitur per corpus locatum: non ergo conſiſtit in negatione illius.

P. Faſol.
P. Cõninc.
Philoponus
Simplicius
P. Tolet.
P. Pereira
P. Prapoſ.
P. Hemel.

178 Secunda ſententia traditur à P. Comptono *in Phyſ. diſp.* 33. *ſect.* 2. *num.* 1. vbi aſſerit Spatium imaginarium conſiſtere in *negatione non tollibili Vbicationis realis*. Quod ſic explicat: dicit enim in hoc loco, v. g. Conimbricenſi, non poſſe eſſe Vbicationem Romanam, aut Vbicationem Vlyſiponenſem; ac proinde harum Vbicationum negationes ab hoc loco non eſſe tollibiles, & his quaſi partibus integrantibus coaleſcere Spatium imaginarium, in illiſque conſiſtere. Sed longè petitum, quia licèt in hoc Spatio Conimbricenſi eſſent omnes Vbicationes, & conſequentèr ab illo omnes earum negationes eſſent tollibiles, adhuc intelligeretur eſſe Spatium. Itaque dato quòd Vbicationes non eſſent eſſentialiter affixæ, ſed variabiles, vt plures exiſtimant, prout conſtat ex dictis *num.* 58. adhuc intelligitur Spatium imaginarium: cùm tamen in eâ ſententiâ omnis negatio Vbicationis realis ſit tollibilis. Accedit, quòd ſicut Vbicatio, ita eius negatio cenſetur aduenire Spatio: ergo illud non cõſtituit, ſed ſupponit. Prætereà (& hoc eſt valdè efficax) non tam Vbicatio cenſeretur eſſe in Spatio, quàm Spatium in Vbicatione, quia in eâ ſunt negationes non tollibiles aliarum Vbicationum. Vltimò, quia Vbicatio ſpecificatur per Spatiũ, cui correſpondet, & quod reſpicit tranſcendentaliter: entitas autẽ poſitiua, qualis eſt Vbicatio, nequit ſpecificari per aliquid negatiuũ, hoc eſt, per nihil. Neque dicas conceptum negationis per illam ſpecificari; nam conceptus nõ attingit negationẽ per proprias ſpecies, ſed per alienas entis poſitiui: vnde per illud ſpecificatur. Vide quæ diximus *tr.* 4. *de Anim. à n.* 163.

P. Compt.

179 Tertia ſentẽtia intẽdit Spatiũ imaginariũ, cui vna Vbicatio correſpõdet, eſſe aliam Vbicationẽ poſſibilẽ. Hãc tenet Cardin. Lugo *de Euchar. d.* 5. *ſ.* 6. Etiam nõ arridet, quia iſtæ Vbicationes poſſibiles explicantur in ordine ad Spatiũ: ergo illud nõ ſunt ipſæ Vbicationes. Et cõfirmatur, quia, vt ſuprà oſtẽdimus, eadẽ res poteſt eſſe in eodẽ Spatio per plures Vbicationes: ergo ipſæ Vbicationes diſtinguuntur ab Spatio.

P. Lugo

Quarta

180 Quarta sententia docet Spatiũ imaginarium esse ens rationis fictum ad similitudinem distantiæ seu spatij realis. Ita P. Arriaga in Phys. d. 14. num. 63. P. Ouiedo in Phys. controuers. 15. puncto 2. citans P. Vasq. P. Moncæũ. & alios. Reijciuntur, quia res locata occupat Spatium independenter ab intellectu, & antecedenter ad omnem eius operationem, & nullo de eo cogitante, vt est manifestum.

P. Arriag. P. Ouiedo P. Vasq. P. Mõca.

Quinta sententia existimat Spatium imaginarium esse ipsam Immensitatem Diuinam. Ita P. Lessius lib. 2. de Diuinis Perfectionibus cap. 2. Caramuel in sua Philosophia lib. 8. n. 404 1. Refelluntur, quia si per impossibile Deus non esset præsens alicui loco, v.g. huic aulæ, adhuc in eâ intelligeretur intercapedo, seu spatiũ. Præterea, quia Theologi quærũt de Deo, An sit in Spatio imaginario? supponendo illud esse aliquid distinctum ab ipso Deo, vt liquet ex dictis in Phys. 11. 5. n. 47. Et D. August. & Sancti Patres ibi relati n. 48. dicunt Immensitatẽ Diuinã occupare omne Spatiũ; ergo sentiunt ab illo distingui. Et sanè nos inquirimus, Quid sit Spatium, quod occupat, seu quasi occupat ipsa Immensitas Diuina.

P. Lessius Caramuel

181 Quare melius dicendum existimo Spatium imaginarium, quod Vbicatio essentialiter respicit ex parte termini, esse spatium reale positiuum sub tali distantiâ ad pũcta fixa, à tali præsentiâ occupabile. Dicitur *imaginarium*, quia illud imaginamur quasi actu existens sub certâ distantiâ ad puncta fixa. Itaque hoc Spatium est *positiuum reale*, quia possibilia secundũm suum esse obiectiuum sunt ens reale positiuum. Est *imaginarium*, quia illud imaginamur quasi actu existens sub certâ distantiâ, à punctis fixis similiter non repugnantibus. Ita P. Hurtad. in Phys. disput. 14. sect. 2. P. Granado 1. p. de Attributo tract. 3. d. 3. P. Sancta Cruz in Phys. num. 773. cum P. Tannero, & alijs. Et probatur, quia Tempus imaginarium, quod respicitur à Duratione, similiter est quid positiuum reale, nimirum Mobile possibile, quod imaginamur actu circumuolui per modum mensuræ motûs: ergo etiam Spatium imaginarium est Spatium possibile, quod imaginamur occupabile per modum capacitatis receptiuæ.

P. Hurt. P. Grana. P. S. Cruz P. Tanne.

Obijcies. Spatium imaginarium debet esse quid actu, cùm res in illo actu existant; ergo non est entitas possibilis. Respondeo Spatium imaginarium esse quid actu imaginario: non quid actu physico, hoc est, est quidem ens reale; non tamen existit actu realiter, sed illud existere imaginamur. Itaque in eo distinguitur Spatium reale, & imaginarium, Primò, quòd reale actu realiter existit: at imaginarium solùm actu existit imaginariè. Secundò, quia reale non est fictum; imaginarium verò maximè, nimirum in ordine ad puncta fixa.

SECTIO VII.

De Vbi Definitiuo rei corporeæ.

182 De Vbi Circumscriptiuo ad hoc in locis interserimus non pauca, ex quibus sufficienter intelligitur eius natura, & essentia. De Vbi Definitiuo supersunt aliquæ difficultates. In hâc sectione de illis, quæ spectant ad Vbi Definitiuum rei corporeæ: in sequenti de illis, quæ spectant ad Vbi rei spiritualis, dicendum est.

§. I.

Vtrùm omne Vbi Definitiuum rei corporeæ sit supernaturale?

183 PRima difficultas: Vtrùm omne Vbi Definitiuum rei corporeæ sit supernaturale? Negant P. Soar. in Met. d. 5. 1. s. 6. Patres Conimbr. in Logica in Prædicamento Vbi q. 2. art. 2. Probatur primò, quia Substantia corporea denudata omni Quantitate connaturaliter postulat Vbi Definitiuum. Secundò, quia puncta habent Vbi Definitiuum sibi connaturale. Tertiò, quia Formæ materiales, cùm sint indiuisibiles, etiam postulant Vbi Definitiuum.

P. Soar. Patres Conimbr.

184 Sed probabiliùs dicendum videtur, omne Vbi Definitiuum rei corporeæ esse supernaturale. Probatur, quia si aliqua forent naturalia, talia essent illa, quæ assignantur: sed illa naturalia non sunt. Et hoc ostenditur, quia in primis Vbi Substantiæ corporeæ, si diuinitùs omni Quantitate spoliaretur, esset Circumscriptiuum, & non Definitiuum: in 6. Definitiuum esse non posset, nisi per miraculum. Et hoc ostenditur, tum quia adhuc talis Substantia maneret tota in toto loco, & quælibet eius pars in quâlibet parte illius, vt cum ipso P. Soar. & Patribus Conimbric. ostendimus tract. 3. de Quantitate à n. 22. tum quia talis Substantia non postulat Vbi Definitiuum; solùm enim postulat statum conuenientem suo modo operandi, qui est Circumscriptiuus: ergo &c.

185 Quod attinet ad Vbi pũcti corporei in

nostrâ doctrinâ, & modo philosophandi non habet locum; nos enim non admittimus talia puncta, & Indiuisibilia physica, sed realiter distincta, sed solùm imaginaria, & Mathematica, vt constat ex dictis in Phys. tract. 2. n. 147. Quód si admittantur Indiuisibilia realiter distincta, adhuc dicendum est punctum habere Vbi Circumscriptiuum; licèt enim non habeat partes, quas ipsum Vbi constituat in diuersis partibus spatij, satis est quòd ipsa Vbicatio puncti integret Vbicationem Circumscriptiuam: sicut ad hoc vt ipsum punctum sit corporeum, satis est quòd spectet ad integritatem corporis: & ad hoc vt Modus Eucharisticus sit accidens, satis est quòd spectet ad integritatẽ accidentis, faciendo cum illo vnum per se. Et sanè ita docet P. Soar. cit. num. 3. Illud vltimum Formæ materialis etiam in nostrâ doctrinâ non habet locum, quia tract. 1. de Anima n. 133. ostendimus omnes Formas materiales esse sectiles, ac diuisibiles, ac proinde habent Vbi Circumscriptiua.

P. Soar.

§. 2.

De Vbi Definitiuo corporis Christi Domini existentis in Sacrâ Eucharistiâ.

186 Secunda difficultas, de Vbi Definitiuo corporis Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ. Et in primis ex proximé dictis cõstat esse supernaturale, quod licét sit contra P. Arriag. de Anima d. 1. n. 112. & P. Ouied. in Phys. controuers. 15. puncto 6. n. 4. traditur tamen á P. Soar. de Sacram. disp. 48. sect. 1. §. Deinde. Et probatur, quia tale Vbi est supra omne debitum, & exigentiam Naturæ. Nam in primis est supra omne debitum, & exigentiam entis spiritualis, cùm ipsum sit corporeum: deinde est supra omne debitum, & exigentiam entis corporei, cùm á nullo exigatur, nec vlli debeatur.

P. Arriaga
P. Ouiedo
P. Soar.

187 Dices cum P. Arriagâ: Quando duo corpora penetrantur, vtraque Vbicatio est in entitate naturalis: ergo etiam quando duæ, vel omnes partes corporis Christi Domini sunt in eodẽ loco, talis Vbicatio erit naturalis in entitate. Respõdeo negando Cõsequentiã. Diuersa ratio est, quia quando duo corpora penetrãtur, neutra Vbicatio est supra debitũ sui corporis, sed quęlibet illi debetur; miraculũ solùm est in eo, quód Deus ambas simul coniungat: at verò Vbi Eucharisticum cuiuslibet partis corporis Christi est cuilibet parti indebitũ, cùm quælibet sit diuisibilis, & constituatur indiuisibiliter. Argumentum solùm habet vim apud Zenonistas, qui componunt corpus solis Indiuisibilibus.

188 Quæres, Quodnam sit principiũ effectiuũ Vbi Eucharistici? Non est dubium posse Deũ se solo illud producere: imò posse assumere quodlibet instrumentũ ad eius productionem; cùm in eo nulla inuoluatur cõtradictio. Quæstio nõ procedit de illo, quod potest esse, sed de illo, quod de facto est. Et possumus loqui, aut de productione primi Vbi, quod corpus Christi Dñi acquirit, quando primò ex vi Consecrationis ponitur in Sacramento: aut de productione aliorum Vbi, quæ posteà corpus Christi Domini acquirit, quoties huc illuc manibus Sacerdotis circũfertur. In opinione asserentiũ Sacramẽta nõ producere Gratiã physicè, sed tãtùm moraliter, dicendũ est omnia huiusmodi Vbi produci á solo Deo.

189 Verùm, quia in Phys. tract. 2. num. 598. resoluimus cum probabiliori Sacramẽta producere gratiã physicè: Dico primó, Primum Vbi corporis Christi Domini existentis in Sacramento Eucharistiæ producitur á verbis Consecrationis, vt à causâ instrumentali, á Deo autem, vt á causâ principali. Ita P. Soar. de Eucharistia d. 61. sect. 1. §. Dico tertiò. Et probatur, quia verba Consecrationis verè efficiunt totum id, quod significant: at verò significant realem præsentiam Christi Domini. Et confirmatur, quia, vt loco citato adnotauimus, efficiunt Gratiam, quam significant: ergo etiam præsentiam, quam significant. Dixi á verbis Consecrationis, vt à causa instrumentali, & á Deo, vt á causa principali, quia, cùm Vbi Eucharisticum sit in suâ entitate supernaturale, clarum est nullam esse causam creatam, quæ possit esse illius efficiens principale.

P. Soar.

190 Dico secundó. Reliqua Vbi corporis Christi Domini, quæ post primum in Sacrâ Eucharistiâ producuntur, fiunt ab ipsis speciebus Sacramentalibus. Ita P. Soar. citat. disp. 47. sect. 3. §. Primum ita declaro, & §. Secundò ergo, Cardinalis Lugo de Eucharist. disp. 6. n. 30. ad finem, & num. 32. Probatur, quia non apparet aliud efficiens commodius: nam motus Sacerdotis deportantis ipsam hostiam, cùm sit naturalis, non potest producere terminum supernaturalem, quale est illud Vbi Definitiuum. Et confirmatur primò, quia corruptis speciebus amittit corpus Christi præsentiam Sacramentalem: ergo signum est illam ab ipsis conseruari: si autem species illam conseruant, illam producent.

P. Soar.
P. Lugo

191 Quæri potest secundò, Vtrùm, quando hostia circa eosdem polos circumrotatur, acquirat corpus Christi nouum Vbi? Videtur nouum acquirere, quia ipsa hostia acquirit nouum secundùm diuersas partes: sicut

Cælum,

Cœlum, quando circumrotatur, similiter nouum acquirit secundùm diuersas partes: ergo idem dicendum de corpore Christi Domini, quod videtur cum ipsâ hostiâ circumrotari.

192 Nihilominus dicendum corpus Christi Domini in eo euentu non acquirere nouum Vbi. Et probatur, quia nullum corpus mutat præsentiam, quandiu eidem prorsus spatio correspondet: at circumrotatâ hostiâ penes eosdem polos corpus Christi correspondet eidem omninò spatio. Probo hanc Minorem, quia circumrotetur, vel non circumrotetur hostia, certè corpus Christi totum est in toto spatio hostiæ, & totum in quâlibet eius parte: ergo correspondet eidem omninò spatio. Confirmatur, quia circumrotetur, vel non circumrotetur hostia, nulla assignabitur eius pars, in quâ non sit totum corpus Christi: ergo neque secundùm se totum, neque secundùm aliquam eius partem mutat præsentiam, seu Vbi. Ex quo manifesta fit responsio ad exemplum ipsius hostiæ, & Cæli, quando circumrotatur: nam hostia, & Cælum non existunt per Vbi Definitiuum, & indiuisibiliter, sed per Vbi Circumscriptiuum; vnde quando circumrotatur, eorum partes mutant præsentiam; nam pars, quæ erat in Oriente, relinquit Orientem, & vergit in Occidentem: & similiter dicendum de alijs. Vide quæ diximus *in Phys. tract. 5. n. 21.*

SECTIO VIII.

De Ubi Definitiuo rei spiritualis.

193 RES spiritualis potest esse aut in loco indiuisibili; & tunc clarũ est eius Vbi nullas habere partes, cùm neque ratione subiecti, neque ratione spatij illas vendicet: aut potest esse in loco diuisibili, quo pacto se habet Angelus, quando per totam suã sphæram spatiatur, v. g. per totam hanc aulam, & totus est in totâ, totus in quâlibet eius parte: item Anima Rationalis, quæ toti corpori correspondet, & tota est in toto corpore, tota in quâlibet eius parte.

§. I.

Vtrùm Vbi Definitiuum Angeli, vel Animæ Rationalis habeat partes formales?

194 PRima difficultas: Vtrùm Vbi rei spiritualis correspõdẽtis spatio diuisibili habeat partes formales, hoc est, formaliter sectiles, ac diuisibiles: an potiùs solùm virtuales per correspondentiam ad partes formales spatij? Habere partes formales opinatur P. Soar. *in Met. d. 30. s. 7. n. 49. & d. 51. s. 4. n. 36. & tom. de Sacrament. d. 48. s. 1. & lib. 4. de Angelis c. 17.* P. Bubalus *tom. 1. de Angelis q. 52. a. 1. quæsito 2. diff. vltima*, P. Molin. *1. p. q. 52. a. 1. d. vnica memb. 1.* P. Arrub. *tom. 2. in 1. p. d. 155. c. 1. n. 2.* P. Theoph. Raynau. *in sua Theol. naturali dist. 4. q. 3. a. 1. num. 20.* P. Arriaga *de Anima disp. 1. à num. 90.* P. Franciscus Amicus *de Angelis disp. 5. sect. 3. à num. 37.* P. Tanner. *disp. 5. q. 4. dub. 2. assert. 5.* P. Barth. Amic. *in Phys. tract. 20. q. 5. dub. 3. n. 7.* P. Tellez *disp. 64. sect. 4. à n. 2.* Quibus accedit Caspensis *tract. de Angelis d. 4. num. 16.* cum P. Torres, & alijs. P. Sancta Cruz *in Phys. n. 753.* P. Compton. *in Phys. d. 13. s. 5. n. 9.*

P. Soar. P. Bubal. P. Molina P. Arrub. P. Raynau. P. Arriaga P. Franc. Amicus P. Tanner. P. Barth. Amicus P. Tellez. Caspens. P. Torres P. S. Cruz P. Compton.

195 Probatur primò, quia ita se habet Vbi spirituale ad spatiũ diuisibile, ac vnio Animæ Rationalis ad Materiam: hæc autem est sectilis, ac diuisibilis. Secundò, quia si Angelus existens in toto spatio suæ sphæræ, v. g. in totâ hâc aulâ contrahat sese ad partem illius tantùm, v. g. ad dimidium, non amittet totum Vbi, sed illius dimidium tantùm: ergo ejus Vbi est sectile, ac diuisibile. Hoc argumentum alio modo, & forsan efficaciori, accommodari potest sic: Demus enim, quòd Angelus habens pro sphærâ totã hanc aulã, existat solùm in eius dimidio, & deinde sese extẽdat ad totã sphærã, proculdubio retentâ priori Vbicatione correspondente dimidietati aulæ acquiret aliquam nouam Vbicationem diuersam, non totalem, quia idem Angelus non potest habere duo Vbi totalia, vt suprà ostendimus: ergo partialem; ac proinde tale Vbi habebit partes sectiles formales. Rursũ explicari, & argumẽtari potest in Animâ Rationali. Nam hæc quando per nutritionẽ acquirit nouam partem Materiæ, in priori naturæ, quo antecedit vnionem cũ illâ, habet suum Vbi in Materiâ, in quâ erat: deinde in posteriori naturæ acquirit nouũ Vbi in nouâ parte Materiæ; hoc nouum Vbi non est totale; alioquin Anima in eodem instanti reali haberet duo Vbi totalia: ergo est partiale constituens cum antiquo vnum totale.

196 Tertiò probatur, quia Vbi quod cõstituit Angelum in hâc parte loci *A*, non constituit illũ in illâ aliâ parte loci *B*: ergo huiusmodi Vbi habet partes. Et confirmatur, quia non repugnat Vbicatio diuisibilis subiectiuè, indiuisibilis verò terminatiuè, vt patet in Vbi Eucharistico: ergo non repugnabit Vbicatio indiuisibilis subiectiuè, & diuisibilis terminatiuè,

& talis erit Vbicatio Angelica correspondens spatio diuisibili.

197 Quartò, quia non repugnat rem spiritualem habere partes extensionis. Et hoc ostenditur, quia quando Angelus mouetur motu continuo, talis motus est spiritualis; & tamen habet partes successiuas: ergo idem dicendum de eius termino, nimirum de Vbicatione. Præterea, quia res spiritualis potest habere partes intensionis, vt patet in actibus, & habitibus spiritualibus, qui gradualiter intenduntur: ergo etiam poterit habere partes extensionis.

198 Quintò, quia si ponamus Angelum intra suam sphæram existere simul in quatuor eius angulis discretis, id præstabit per quatuor Vbi totalia realiter distincta: ergo existens in illis continuè id præstabit per quatuor partes eius Vbi totalis realiter distinctas. Et confirmatur, quia magis repugnant in eodem Angelo quatuor Vbi totalia realiter distincta, quàm quatuor partes eiusdem Vbi totalis realiter distinctæ.

Sextò, quia si Vbicatio Angelica correspõdens toti huic aulæ esset indiuisibilis, sanè tota esset in hoc angulo, & ibi esset sine suâ essentiâ. Quod sic probo, quia eius essentia est figere Angelum in totâ aulâ: at ibi solùm illũ figeret in angulo, & non in totâ aulâ: at veró res non potest existere sine suâ essentiâ.

§. 2.

Præfertur sententia asserens Vbi Angeli, & Animæ Rationalis non habere partes formales.

199 HIs non obstantibus, probabilior videtur contraria resolutio asserentium Vbi spirituale correspondens spatio diuisibili non habere partes formales; sed solùm virtuales. Ita P. Vasq. 1. *p. d.* 188. *à n.* 30. vbi Auctores contrariæ opinionis appellat nimis materiales, P. Granad. *tom.* 3. *in* 1. *p. tract.* 9. *d.* 3. *n.* 18. Patres Conimbric. *in Prædicamento Vbi q.* 2. *a.* 1. in fine, P. Hurt. *de Anima d.* 2. *§* 3. P. Albertin. *tom.* 2. *corollario* 5. *ex Prædicamento Quantitatis dubitat.* 5. *n.* 4. P. Gil. *l.* 2. *tract.* 9. *cap.* 17. *n.* 3. Cardinalis Lugo *de Eucharist. d.* 5. *sect.* 3. *n.* 75. P. Præpositus 1. *p. q.* 52. *a.* 1. *dub.* 2. *n.* 13. *§. In hac re*, P. Mæratius *tom.* 1. *tract. de Angelis d.* 15. *sect.* 1. *§. Secunda est.*

P. Vasq. P. Granad. Patres Conimbr. P. Hurt. P. Albertin. P. Gil. P. Lugo P. Præpos. P. Mærat.

200 Probatur primó, quia de ratione, & conceptu primario rei spiritualis est non habere partes integrantes, ac extensiuas, vt latè ostendimus *tract.* 1. *de Anima à n.* 96. vbi id conuicimus, tum ex communi sententiâ Theologorum, qui ex eo, quòd Deus sit substantia completa spiritualis, inferunt esse simplicem non solùm simplicitate physicâ, sed etiam integrali. Tum ex communi sententiâ Philosophorum, qui ex eo, quód Angelus, & Anima Rationalis sint spirituales, inferunt Angelum, & Animam Rationalem esse similiter simplices, simplicitate integrali. Quod ex professo prosecuti fuimus loco cit.

201 Probatur secundò, quia idcircò prædictum Vbi esset formaliter diuisibile, quia correspondens esset essentialiter spatio diuisibili: at veró hæc ratio nulla est. Nam etiam conceptus rei corporeæ correspondet essentialiter obiecto diuisibili: & tamen est indiuisibilis. Neque dicas conceptum non esse Modum: Vbi veró maximè. Non, inquam, hoc dicas. Primó, quia etiam actio, quâ crearetur Angelus, aut produceretur Gratia ab aliquo instrumento corporeo ad id muneris eleuato, v. g. ab aquâ Baptismali, correspondet essentialiter Principio extenso, ac diuisibili, & est Modus: cũ tamẽ sit indiuisibilis, vt ipsimet Aduersarij fatẽtur. Secũdó, quia actio, quâ de facto Phãtasma corporeũ producit speciem intelligibilem, est modus essentialiter correspondens ipsi principio extenso: & tamen est indiuisibilis. Tertiò, quia relatio, quam habet Angelus ad suum Planetam quem mouet (in opinione, quam sequimur asserentium relationes esse aliquid ex naturâ rei distinctum á fundamento, & termino) est modus essentialiter correspendens termino extenso; & tamen est indiuisibilis; ergo &c.

202 Tertió probatur, quia Modus sequitur diuisibilitatẽ, vel indiuisibilitatẽ rei, cuius est modus, vt discurrẽti per omnes facilè cõstabit. Et ratio est, quia si Modus extensus esset in naturâ simplici, potiùs esset intensus, quàm extẽsus; nã extẽsio cõsistit in pluritate partiũ correspondentium eidem indiuisibili subiecti. Et confirmatur, quia Vbi Definitiuum rei corporeæ, nimirum illud, quod de facto habet corpus Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ, licèt respondeat spatio indiuisibili, tamen in se est extensum ratione subiecti, cum quo identificatur: ergo licèt Vbi rei spiritualis correspondeat spatio extenso, tamen in se erit indiuisibile ratione subiecti, cũ quo identificatur.

203 Quartò probatur, quia si Vbi Definitiuum rei spiritualis habet partes, non erit totum in quâlibet parte spatij. Hoc autem est contra rationem Vbi Definitiui, quod, cùm sit formaliter tale, debet habere in se effectũ, quem præstat; atqui præstat rem totam in toto, & totam in quâlibet parte spatij: ergo ipsum debet esse totum in toto, & totum in

quâlibet

quâlibet parte eiusdem spatij. Et confirmatur, quia Vbi rei debet esse Vbi sui, ad eum modum, quo actio rei est actio sui; dependentia rei dependentia sui; subsistentia rei subsistentia sui: ergo etiam Vbi Definitiuum rei debet esse Vbi Definitiuum sui, hoc est, debet constituere se totum in toto spatio, & totum in quâlibet parte spatij. Et declaratur, quia si prædictum Vbi Definitiuum existeret Circumscriptiuè, aut id haberet formaliter se ipso: aut per aliud Vbi Circumscriptiuum sibi adueniens. Non formaliter se ipso, quia ipsum est Vbi Definitiuum. Non per aliud, quia chimæricum est vnum Vbi naturaliter vbicari per aliud, maximè vnum Vbi Definitiuum per aliud Circumscriptiuum.

§. 3.

Duo priora argumenta soluta.

204 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum (quâtenus dicit, ita se habere Vbi spirituale ad spatium diuisibile, ac vnio Animæ Rationalis ad corpus diuisibile: hanc autem esse formaliter diuisibilem) respondeo, huiusmodi vnionem esse indiuisibilem, vt ostendi *in Phys. tract. 1. n. 413.* Et confirmatur, quia si vnio Animæ Rationalis haberet partes, idem dicendum foret de eius Vbi, & quod inde sequitur; vnio per illud corresponderet vnita tota toti Materiæ, & qualibet eius pars parti Materiæ; ac proinde haberet Vbi Circumscriptiuum: quod tamen rei spirituali non solùm de facto, sed etiam de possibili nemo concedit.

205 Ad secundum (quâtenus dicit, si Angelus existens in totâ sphærâ contraheret se ad dimidium, non amissurum totam Vbicationē, sed partem: vnde sequitur eius Vbicationem habere partes) respondent nonnulli Recentiores in illo euentu, quo Angelus existens in totâ hâc aulâ contraheret sese ad dimidium illius, amittere totum Vbi, non totaliter: totum, inquiunt, quia totum essentialiter correspondebat illi dimidietati aulæ, quam reliquit: non totaliter, quia totum correspondebat non solùm illi dimidietati, quam reliquit, sed etiam alteri dimidietati, cui adhuc correspondet. Itaque illud Vbi, quemadmodum & ipse Angelus, est non toties quin pluries, seu, vt aiunt, infinities syncategorematicè quasi replicatū in illo spatio; totum enim correspondet toti aulæ, & totum cuilibet eius parti: partes autem sunt categorematicè infinitæ: quando igitur Vbi desinit correspondere alicui parti, totum quidem amittitur circa illam, non tamē totaliter amittitur, quia adhuc correspondet alijs partibus.

206 Declarari solet hæc doctrina primò exemplo Vbi Definitiui corporis Christi Domini existentis in hostiâ consecratâ, in quâ est quodammodò infinities replicatum, & ita correspondet toti Hostiæ, vt possit desinere correspondere alicui eius parti: in quo euentu amittitur quidem totum Vbi circa illam: non tamen totaliter; quia adhuc perseuerat correspondens alijs partibus. Secundò declarari solet exemplo Animæ Rationalis, quæ quidem est veluti infinities replicata in corpore, cuius singulis partibus correspondet, & amissâ aliquâ parte corporis, v. g. præciso brachio desinit tota Anima esse in illo, non tamen desinit totaliter esse in corpore, quia adhuc tota correspondet alijs partibus. Quæ dicta sunt de Vbi, dicunt similiter de vnione Animæ Rationalis: amitti, scilicet, totam ad amissionem cuiuslibet partis Materiæ, non tamen totaliter; quia adhuc tota correspondet alijs partibus Materiæ.

207 Verùm hæc solutio, & modus dicendi, licèt tradatur á doctissimis Recentioribus, meo iudicio sustineri non potest; habet enim hanc manifestam instantiam ad hominem cōtra illos. Nam conceptus rei corporeæ amittitur totus, & totaliter variatâ quâlibet parte eius obiecti. Et ratio est, quia totus dependet essentialiter á toto obiecto, & totus á quâlibet eius parte: ergo idem dicendum de Vbi, & vnione Animæ Rationalis variatâ quâlibet parte eius termini. De Animâ est diuersa ratio, quia non dependet essentialiter à corpore. Dixi *ad hominem contra illos*, quia sicut in Vbi, ita multò minùs in conceptu admittunt partes formales diuisibiles.

208 Quare aliter respondendum censeo ad argumentum; dicendumque in eo euentu, quo Angelus existens in totâ hâc aulâ contraheret sese ad dimidium illius, amittere totum Vbi, & aliud acquirere de nouo: ad eum modum, quo variatâ quâlibet parte obiecti, non potest manere aliqua pars intellectionis, sed tota corrumpitur. Et idē dicendum de vnione Animæ Rationalis ad corpus iuxta ea, quæ *in Phys. tract. 1. n. 408.* adnotauimus.

209 Dices: Angelus retinet correspondentiam ad hoc aulæ dimidium, & solùm perdit correspondentiam ad aliud dimidium: ergo retinet dimidium suæ Vbicationis, & amittit aliud dimidium. Respondeo non retinere eandem correspondentiam; habebat enim totam, non totalem ad hoc dimidium: modò verò ad illud habet totam, & totalem. Et confirmatur, quia si Angelus relicto reliquo sphæræ

se contrahat ad illius punctum, acquiret nouum Vbi; anteá enim erat in spatio diuisibili, & modò est in indiuisibili: ergo idem dicendum quando relictâ sphærâ se contrahat ad dimidium.

210 Quód si argumentum alio illo modo accommodetur, procedatque de Angelo existente in solâ dimidietate sphæræ, qui se extendit ad totam, quo in euentu retentâ priori Vbicatione videtur acquirere aliam de nouo partialem: respondebitur similiter Angelum in eo euentu non retinere priorem Vbicationem; hæc enim erat tota, & totalis ad illam dimidietatem: & modo, licèt ad illam sit tota, non est totalis. Cùm ergo Angelus se extendet ad totam sphæram, amittet primam Vbicationem, & acquiret secundam correspondentem totam toti sphæræ, & totam cuilibet eius parti. Eodem modo respondendum est ad Vbicationem Animæ Rationalis, cùm se in instanti extendit ad nouam partem Materiæ aduenientis; tunc enim in priori naturæ amittit antiquam Vbicationem, & in posteriori acquirit nouam, iuxta ea, quæ pleniùs diximus *in Phys. tract.* 1. *n.* 410.

§. 4.

Tertium argumentum solutum.

211 AD tertium (quàtenus dicit Vbi, quod constituit Angelum in hâc parte loci *A*, non constituere illum in illâ aliâ parte loci *B*, vnde infert tale Vbi habere partes) respondeo, tale Vbi constituere Angelum totum in toto, & totum in quâlibet parte spatij, cum hâc differentiâ: Quód in quâlibet parte constituit quidem totum Angelũ, non tamen totaliter: at verò in toto spatio illum constituit totum, & totaliter. Declaratur hæc doctrina exemplo conceptûs rei corporeæ, qui quidem totus dependet á toto obiecto, & totus á quâlibet eius parte: à toto dependet totus, & totaliter: á parte dependet quidem totus, sed non totaliter; quia etiã dependet ab alijs partibus. Idem similiter suprà asserui de relatione Angeli ad suam sphæram, quam mouet; tota enim relatio respondet suæ sphæræ, & tota cuilibet eius parti: idem igitur dicendum de Vbi: idem de vnione Animæ Rationalis ad Materiam.

212 Instantia de Vbicatione Sacramentali (quæ est subiectiuè diuisibilis, indiuisibilis veró terminatiuè: vnde colligitur posse Vbicationem Angelicam esse indiuisibilem subiectiuè, diuisibilem verò terminatiuè) nullius est momenti: aut enim vult talem Vbicationem Angelicam esse diuisibilem terminatiué, hoc est, habere terminum diuisibilem, quem tamen respicit indiuisibiliter, hoc est, tota totum, & tota quamlibet eius partem. Et sic verum habet: nam Vbicatio Angelica correspondens spatio diuisibili habet terminum diuisibilem, nempe spatium, quod tamen respicit indiuisibiliter, hoc est, tota totum, & tota quamlibet partem spatij; ad eum modũ, quo relatio Angelica ad suum Planetam, cuius est Motor, tota respicit totum Planetam, & tota quamlibet eius partem. Si tamen velis huiusmodi Vbicationem habere terminum diuisibilem, cui diuisibiliter correspondeat, hoc est, tota toto, & quælibet pars cuilibet parti, tunc est falsa; quia cùm talis Vbicatio sit in se, & entitatiuè indiuisibilis, non potest partim respondere vni parti spatij, & partim alij parti. At in Vbi Eucharistico est diuersa ratio, quia benè potest res diuisibilis correspondere indiuisibiliter, hoc est, tota toto, & tota cuilibet parti spatij, vt patet in corpore Christi Domini in Eucharistiâ: at res indiuisibilis, cùm careat partibus, non potest partim respondere vni parti, & partim alij parti.

§. 5.

Soluuntur tria posteriora argumenta.

213 AD quartum (quàtenus dicit non repugnare rem spiritualem habere partes extensionis) respondeo repugnare. Neque contrarium suadet illud, quod adducitur de motu successiuo, quo Angelus continuè mouetur. Quod vt intelligatur, aduerte, quæstionem posse procedere, aut de Angelo constituto in loco indiuisibili: & tunc dicunt plures non posse cõtinuè moueri. Et ratio est, quia indiuisibile additum indiuisibili non facit continuum. Et ita intelligo D. Thom. *in* 1. *dist.* 37. *q.* 4. *a.* 3. quàtenus absolutè dicit Angelum non posse continuè moueri; & Aristotelem apud P. Soar. *lib.* 4. *de Angelis c.* 20. *n.* 1. in fine, vbi dicit punctum non posse continuè moueri. Sed de hoc nos plenè *in Physic. tr.* 6. *à n.* 23. vbi disputaui: An Indiuisibile posit continuè moueri? Potest secundò procedere de Angelo constituto in loco, seu spatio diuisibili: & tunc dico cum eodem D. Thom. Caiet. Capreol, Ferrar. Scot. Gabr. Maiore, Gregor. Marsil, quos citat, & sequitur P. Soar. vbi proximè, *n.* 7. posse quidem Angelum continuè moueri; sed tunc nonnulli Recentiores respondent illo motu continuo acquiri plura Vbi totalia, quæ solũ possunt dici vnum continuum ratione spatij, cui correl-

D. Thom. *Aristot.* *P. Soar.* *D. Thom.* *Caiet.* *Capreol.* *Ferrar.* *Scotus* *Gabriel.* *Maior.* *Gregor.* *Marsil.*

correſpondent, aut ratione temporis, quo cõtinuantur.

214 Et hoc declarari ſolet ſic, quia motus tripliciter dici poteſt continuus: primò, ratione ſpatij, quod per motum continuè occupatur: ſecundò ratione temporis, quo ipſe motus continuatur: tertiò ratione termini, cuius partes continuantur, vt contingit, quando calor per motum paulatim acquiritur. Quando Angelus continuè mouetur, eius motus ſolùm eſt vnus, & continuus ratione ſpatij, cui correſpondet, & ratione temporis, quo continuatur: ratione termini eſt multiplex. Eſt, inquam, vnus, & continuus ratione ſpatij, & temporis, quia tum partes ſpatij, tum partes temporis vniuntur, & conſtituunt vnum ſpatium, & tempus totale. Non eſt vnus continuus ratione termini, nimirum Vbi, quia Vbi producta non ſunt partialia, ſed totalia. Et hoc oſtenditur; quia primum Vbi ita conſtituebat Angelum in hoc loco, vt illum non cõſtitueret in ſequenti: ſecundum verò Vbi ita conſtituit Angelum in ſequenti, vt illum non conſtituat in antecedente: ergo huiuſmodi Vbi ſunt totaliter diuerſa. Confirmatur exemplo conceptûs, nam conceptus prioris partis ſpatij eſt totaliter diuerſus à cõceptu partis ſequentis: ergo idem dicendum de primo, & ſecundo Vbi, cùm hæc non minùs reſpiciant ſpatia, quàm conceptus. Et hæc doctrina (inquiunt optimi Recentiores) non ſolùm eſt vera in motu locali ſpirituali, ſed etiam in motu locali corporeo, quo v.g. vnus lapis moueretur; acquiruntur enim per talem motum plura Vbi totalia in infinitum pro pluralitate partium ſpatij, quæ poſſunt diſtingui in infinitum; nec motus poteſt dici vnus continuus formaliter, & intrinſecè ratione termini, ſed ſolùm extrinſecè ratione ſpatij. Hactenus grauiſsimi Recentiores. Verùm minùs benè quantùm ad Vbicationem ſucceſsiuam materialem; poteſt enim hæc conſtare Vbicationibus ſucceſsiuis partialibus.

215 Reſponderi poteſt ſecundò, motum Angelicum (& idem dicendum de eius Vbi ſucceſsiuo) non eſſe ſucceſsiuum formaliter, ſed ſolùm virtualiter. Et probatur, quia eius Vbi permanens correſpondens ſpatio diuiſibili ſolùm virtualiter eſt extenſum extenſione permanente: ergo eius Vbi ſucceſsiuum ſolùm erit virtualiter extenſum extenſione ſucceſsiuâ ratione ſphæræ ſucceſsiuæ, cui, quaſi replicatum correſpondet. Dices: Vbi permanens amiſſâ aliquâ parte ſpatij deperditur: ergo etiam Vbi ſucceſsiuum amiſſâ aliquâ parte ſpatij, quæ continuè amittitur, continuè deperdetur. Reſpondeo negando Conſequentiam, quia in eo diſtinguitur Vbi permanens ab Vbi ſucceſsiuo, quòd Vbi permanens dicat eſſentialem dependentiam ab ſpatio permanente, permanentia autem Vbicationis deſtruitur per amiſsionem cuiuslibet partis: at verò Vbi ſucceſsiuum ſolùm dicit eſſentialem dependentiam ab ſpatio ſucceſsiuo: ſucceſsio autem ſpatij ſtare poteſt, & debet cum continuâ amiſsione partium ipſius ſpatij.

216 Ad aliam partem argumenti (quàtenus dicit non repugnare rem ſpiritualem habere partes intenſionis: ergo neque partes extenſionis) reſpondeo eſſe diuerſam rationem, nam partes intenſionis ſunt per ordinem ad idem indiuiſibile ſubiecti, ad quod ordinantur: partes extenſionis ſunt per ordinem ad diuerſas partes ſubiecti, ſeu per ordinem ad ſubiectum extenſum, ad quod accidens ſpirituale non ordinatur. De hoc pleniùs *tract. 1. de Anim. n. 99.*

217 Ad quintum (quàtenus dicit Angelum exiſtentem in quatuor angulis diſcretis ſuæ ſphæræ exiſtere per quatuor Vbi totalia realiter diſtincta: ergo, ſi in illis exiſtat continuatè, exiſtere per quatuor Vbi partialia realiter diſtincta) concedo Angelum exiſtentem in quatuor angulis diſcretis habere quatuor Vbi totalia formaliter diſtincta: & nego poſſe habere quatuor partialia, quando exiſtit in illis angulis continuis. Diuerſa ratio eſt, quia plura Vbi non repugnant in eodem ſubiecto ſaltem diuiniitùs: repugnant verò plures partes extenſiuæ, tum quia repugnant enti ſpirituali: tum quia requirunt extenſionem ex parte ipſius ſubiecti, qualem non habet Angelus, aut Anima Rationalis. De quo nos latè *tract. 1. de Anima à n. 89.*

Ad ſextum (quàtenus aſſerit rem non poſſe eſſe ſine ſuâ eſſentiâ: ſi autem Vbicatio correſpõdens toti aulæ exiſteret tota in vno eius angulo, ibi fore ſine ſuâ eſſentiâ, quia eius eſſentia eſt figere Angelum in totâ aulâ) reſpõdeo, eius eſſentiam eſſe figere Angelum totum in illo angulo, & totum in totâ aulâ: & ſic ſe habere, quia ita figit totum Angelum in angulo, vt totum etiam figat in totâ aulâ. Explicatur euidenti exemplo Immenſitatis Diuinę, quæ eſt in hoc angulo, & cuius eſſentia eſt ita quaſi figere Deum in hoc angulo, vt totum etiam figat vbique. Itaque ſicut Immenſitas, quæ eſt in hoc angulo, ita eſſentialiter figit Deum in illo, vt etiam totum eſſentialiter figat vbique; ſic Vbicatio Angelica, quæ eſt in hoc angulo, ita eſſentialiter figit Angelum in illo, vt etiam totum eſſentialiter figat in totâ aulâ. Philoſophandum eſt, quoad hoc, de Vbicatione Angelicâ, quæ eſt in hoc angulo reſpectu

respectu huius aulę, ac de Immēsitate, quæ est in hoc angulo, respectu omnis spatij infiniti.

§. 6.

Vtrùm Angelus, & Anima Rationalis sint formaliter in loco per Vbi Definitiuum: an potiùs per suam virtutem, operationem, vel vnionem ad corpus?

218 SEcunda difficultas: Vtrùm res spiritualis, v. g. Angelus, constituatur formaliter in loco per Vbi Definitiuum: an potiùs per aliam formam ab ipso Vbi distinctam? Disputo hanc quæstionē, quia Thomistæ cum D. Thomâ 1. *p. q.* 52. *a.* 1. docent Angelos constitui in loco formaliter, non per Vbi, sed per formam distinctam ab ipso Vbi. Ita Caiet. Bañes, Ripa, Zumel, Ferrar. Capreol. Gotfred. Argentin. Viguer. Albert. M. Heruæus, Georgius Bustius, Picus Mirandulan. Paulus Cortez, & alij, quos ex nostris citant, & sequuntur P. Albertin. *tom.* 2. *corollario* 5. *ex Prædicamento Quantitatis dub.* 5. *conclusione* 6. P. Vasq. 1. *p. d.* 188. *c. vltimo*. Quòd si queras ab his Auctoribus, Quidnam sit hoc, per quod Angeli formaliter constituuntur in loco? Respondent diuersis modis. Alij enim cum D. Thom. Bañes, Capreol. & Caiet. dicunt Angelum constitui formaliter in loco per suam virtutem, seu potentiam, quâ se applicant ad operandum circa aliquod corpus. Alij cum Ferrar. dicunt constitui in loco per actionem transeuntem, quâ in aliquod corpus operantur. Alij cum Zumel, & Ripâ dicunt constitui per aliquam operationem. P. Vasq. respondet constitui per vnionem ad corpus.

D. Thom. Caiet. Bañes Ripa Zumel Ferrar. Capreol. Gotfred. Argentin. Viguer. Albert. M. Heruæus Bustius Picus Mirand. Cortez P. Albertin. P. Vasq.

219 Eorum omnium fundamentum (quatenus conueniunt in eo, quòd Angelus non cōstituatur formaliter in loco per suum Vbi) habet sic: Quia, vt res aliqua constituatur in loco, debet illum tangere: iste autem contactus non potest intelligi fieri inter Angelum, & locum mediante Vbi spirituali, quod sicut non potest tangere rem corpoream, ita non potest esse formalis ratio eius contactûs; debet enim fieri talis contactus, aut per operationem, aut saltem per applicationem virtutis, & operationis ad locum, aut per vnionem ad illum. Et confirmatur primò, quia Deus ex eo, quòd sit spiritualis, non potest intelligi esse in loco, v. g. in hoc Mundo, nisi per operationem in illum. Secundò, quia Angelus per suum Vbi intrinsecum solùm potest poni quasi penetratiuè in eodem spatio cum corpore: hoc autem non sufficit, vt sit in illo tanquam in loco; nam si duo corpora existerent penetratiuè in eodē spatio, neutrum esset locus alterius: ad hoc ergo vt res spiritualis sit in loco, præter Vbi requiritur operatio, vel aliud quid simile circa illum.

220 Nihilominus vera est contraria resolutio asserentium Angelos constitui formaliter in loco per suum Vbi Definitiuum. Ita Richard. Pezant. Alexand. de Ales, Henric. Daniel Malonius, Hugo de Sancto Victore, & alij, quos citat, & sequitur P. Soar. *l.* 4. *de Angelis c.* 7. vbi re meliùs cōsideratâ retractat opinionem Thomistarum, quam antea secutus fuerat *in Met. d.* 57. *s.* 4. *n.* 20. & 25. Eandem sententiam tenent Patres Conimbr. P. Arrub. P. Rub. P. Hurt. Cardinalis Lugo, P. Tanner. & alij suprà cit. quibus accedunt P. Arriaga *in Phys. disp.* 14. *n.* 86. P. Martinon *d.* 42. *de Angelis n.* 49. P. Tellez *d.* 64. *n.* 12.

Richard. Pezant. Alensis Henric. Daniel Malon. Hugo Victor. P. Soar. Patres Conimbr. P. Arrub. P. Rub. P. Hurt. P. Lugo P. Tanner. P. Arriaga P. Martin. P. Tellez.

221 Dupliciter suaderi potest hæc sententia. Primò euertendo opinionem, & modum dicendi Thomistarum. Et hoc fieri potest duplici ratione. Primâ: quia Angeli propriè sunt in Cælo, & Dæmones in Inferno, vt constat ex dictis *n.* 48. & tamen neque Angeli in Empyreo circa ipsum Empyreum, neque Dæmones in Inferno circa ipsum Infernum aliquid operantur, aut ad id operādum applicantur. Respondent Ferrar. & Caiet. aliquid operari per aliquam qualitatem nobis occultam. Verùm liberè confugiunt ad huiusmodi qualitatem occultam: imò nec sufficienter in illâ se abscondunt; cùm ipsi, & alij Thomistæ defendant Angelos non posse alterare corpora producendo in illis qualitates aliquas præter impulsum, quem tamen ipsos non producere in Cælo Empyreo, aut in Inferno, est manifestum. Secundâ: quia prædicti Auctores dicunt in Angelis non dari aliud Vbi, præter prædictam potētiam, virtutem, operationem, vel vnionem: quod tamen falsum esse ostendimus suprà *n.* 51. specialem impugnationem contra modum dicendi Angelos esse in loco per vnionem contra P. Vasquez, confecimus, & posuimus eodem *n.* 52. ibi videri potest.

222 Secundò suaderi potest nostra resolutio eam probando directè sic: Quia ad hoc, vt Angelus formaliter sit in loco, satis est quòd illi fiat intimè præsens: sed illi fit intimè præsens per suum Vbi intrinsecum. Et hoc ostendo, quia posito Vbi intrinseco, & præcisâ omni aliâ formâ, vel operatione ab ipso Vbi distinctâ sufficienter intelligitur Angelus esse intimè præsens, aut huic aulæ, aut huic aëri, si ibi sit. Præterea, quia ad hoc, vt Angelus sit in loco, non est necessarius proprius contactus Angeli cum tali loco, sed satis est quòd Angelus constituatur in tali loco, vel spatio: at verò

verò vt constituatur, satis est Vbi.

223 Neque fundamentum opinionis contrariæ oppositum suadet. Dicendum enim est ad hoc vt Angelus sit in loco, non requiri proprium contactum, sed solùm analogicum, qui consistit in eo, quòd Angelus contineatur aliquâ superficie; locus enim definitur *Superficies corporis continẽtis, immobilis*. Dices: Res est in loco per id, quo illum tangit: at verò Angelus non tangit locum per Vbi. Respondeo negando Maiorem; res enim non est in loco per id, quo illum tangit, sed per id, quo formaliter constituitur in illo: vnde ratio formalis essendi in loco est Vbi: contactus proprius, vel analogicus solùm est conditio, sine quâ non denominatur res esse in tali loco. Et hoc ostenditur exemplo duarum Quantitatum, quæ se tangunt per suas vltimas superficies: & tamẽ, vt ipsimet Aduersarij fatentur, non sunt in loco, nisi per sua Vbi.

224 Ad primum, respondeo Deum esse in hoc Mundo formaliter per suam Immensitatem: per suam autem operationem non nisi per accidens, quatenus Mundus indiget operatione Dei, quâ producatur, & conseruetur. Vnde si per impossibile Mundus illâ non indigeret, adhuc Deus in illo esset per suam Immensitatem. Ex quo planè colligitur Angelum non esse in loco per suam operationem, sed per suum Vbi, nam locus non indiget operatione Angeli.

225 Ad secundum, dico Angelum per suum Vbi non solùm poni quasi penetratiuè in eodem spatio cum alio corpore, sed etiam poni propriè in loco, ad quod satis est, quòd cõtineatur superficie ambiente immobili. Si duo corpora essent penetratiuè in eodem loco, vtrunque diceretur esse in eodem loco, quia vtrunque continetur eâdem superficie ambiente immobili.

§. 7.

Vtrùm Angelus possit se collocare in loco distanti sine transitu per medium?

226 TErtia difficultas; Vtrùm Angelus possit se constituere in loco remoto sine transitu per medium? Suprà *num.* 53. dixi non posse; sed quia id solùm dixi obiter in solutione cuiusdam argumenti, nec ibi posui fundamentum nostræ resolutionis, nec argumenta opposita dissolui, restat de eo hîc disputandum; videtur enim hic huius quæstionis proprius locus.

227 Thomistæ ergo communiter cum D. Thom. 1 *p.q* 53. *a.*2. & Caiet. ibidem Ferrar. 3. *contra Gentes cap.* 102. Capreol. *in* 2. *dist.*6.*q.*1. *a.* 1. *concl.*3. & ibi Hispalens. *q.*2. Carthusian. *in* 1. *d.* 34. *q* 4. Herueæ. ibi *q.*1. *a.*2. Et *tr. de motu Angeli q.* 1. 3. & 4. & Marsil. *in* 2. *q.*7. *a* 3. *conclus.* 1. opinantur Angelos pro libito se collocare in loco distanti, quin transeant per medium; esseque in hoc similes nostræ cogitationi, quæ potest pro libito se collocare Romæ, vel Matriti, quin transeat per medium; item similes corporibus Beatorum, quæ, vt ait Auctor libri de *Cognitione veræ vitæ* apud D. Aug. *tom.* 9. *cap.* 45. *lib. de cognit. veræ vitæ* possunt citò transferri ab Oriente in Occidentem, sicut cogitatio nostra, quæ certè id potest in instanti, & sine transitu per medium. Et in hac similitudine consistit primum fundamentum huius sententiæ. Secundò probatur, quia Angelus potest in instanti se collocare in totâ suâ sphærâ v.g. in hac aulâ absque vllâ successione, hoc est, quin priùs sit in medio, quàm in angulo remoto: itaque potest se collocare in angulo remoto, quin priùs sit in medio proximo: ergo quin simul, aut vllo modo sit in medio proximo. Tertiò, quia non est magis præsens loco proximo, in quo non est, quàm remoto, siquidem in neutro habet Vbicationem, sed potest in instanti se constituere in proximo: ergo etiam in remoto: & si id potest in instanti, ergo absque successione, seu transitu per medium.

228 His non obstantibus, probabilior videtur contraria resolutio negatiua, quam tenent Alens. 2. *p.q.* 33. *membro* 2. D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 37. 2. *p. dist. a.*2. *q.*2. & Albert. M. ibidem *a* 23. Richard. *a.* 3. *q.* 2 Ægid. *in* 2. *p. distinctionis a.* 2. Scot. *in* 2. *dist.* 2. *q.* 12. P. Soar. cit. *lib.* 4. *de Angelis cap.* 19. P. Arriaga *de Ang lis d.* 17. *n.* 16. P. Martinon *d.* 42. *de Angelis n.* 69. Et probatur primò, quia potentia actiua Angeli non potest operari in remoto, quin operetur in propinquo: ergo similiter eius potentia motiua non poterit se collocare in remoto, quin se collocet in propinquo; eadem enim videtur ratio de vnâ potentiâ, ac de aliâ. Secũdò, quia si semel Angelus absque transitu per medium possit se collocare in loco distanti, poterit se collocare in quocunque distanti: hoc autem videtur supra vires potentiæ finitæ. Sequela ostenditur, quia ex eo quòd cogitatio, possit terminari ad obiectum absque eo, quòd transeat per medium, potest terminari ad obiectum in quâcunque distantiâ: & idem dicendũ de relatione. Scio has rationes aliquo modo posse verbis deludi; ideò pluris illud facio, quòd contraria sententia absque necessitate tribuit Angelis modum se collocandi in loco distanti absque eo, quòd vllo modo sit, aut fuerit in medio, quod est valde inintelligibile: &

Hispalens.
Carthus.
Herueus
Marsil.
D. Aug.
Alens.
D. Bonau.
Albert. M.
Richard.
Ægid.
Scotus
P. Soar.
P. Arriaga
P. Mart.
D. Thom.
Caiet.
Ferrar.
Capreol.

& non est admittendus absque necessitate hic adeò diuersus modus se constituendi in loco.

229 Neque oppositum suadent fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum dictum ex similitudine cogitationis: respondeo aliud esse cogitationem pro libito se collocare Romæ, aliud cogitare de Româ: cogitatio non se collocat Romæ absque eo, quòd transeat per medium; sed solùm cogitat de Româ. Maior autem ratio cur possit cogitare de Româ, quin cogitet de medio: non autem ipsa, vel Angelus possit se collocare Romæ, quin transeat per medium, hæc est. Primò, quia motus cogitationis, cùm solùm sit intentionalis, non requirit sui præsentiam realem in termino; motus verò localis, cùm sit realis, requirit sui realem præsentiam in termino. Secundò, quia spatium intermedium non est medium motui cogitationis: vnde non est necesse, quòd hic fiat per illud: est autem medium motui locali; vnde necesse est, quòd hic fiat per illud. Quod autem dicitur de corporibus Beatorum, nempe posse se tam citò trāsferre ab Oriente in Occidentem, ac cogitatio potest, dictum videtur de *tam citò* morali: non de *tam citò* physico. Prætereà, ea vis est supernaturalis: nos autem loquimur de naturali.

230 Ad secundum (quâtenus dicit Angelum posse se collocare in totâ suâ sphærâ in instanti, absque successione, hoc est, quin priùs sit in medio huius aulæ, quàm in angulis extremis) respondeo ita esse; replicatur enim Angelus in totâ suâ sphærâ in instanti, sicut Anima Rationalis in toto corpore in instanti, quo illi infunditur; ac sicut lux in toto spatio: cum hoc discrimine, quòd vna portio lucis producit aliam, & hæc aliam, & sic de cæteris: Anima verò, & Angelus, cùm sint indiuisibiles, diffunduntur per reduplicationem in quâlibet parte spatij. Verùm ex hoc, quòd Angelus in instanti occupet totam sphæram, & sit simul in partibus medijs, ac extremis, non colligitur posse se collocare in distanti, quin sit in medio. Quod sic declaro, quia ex eo, quód Lux simul in instanti diffundatur in totâ sphærâ, non sequitur posse diffundi in remoto, quin sit in medio: ergo neque ex eo, quòd Angelus simul diffundatur in totâ sphærâ sequitur quòd possit diffundi in remoto, quin sit in medio. Similiter dicendum de Animâ, quæ non potest esse simul in capite, & in pede, quin sit in partibus intermedijs.

231 Ad tertium (quâtenus dicit Angelum posse in instanti se collocare in loco proximo: ergo etiam in loco remoto: & si id potest in instanti, posse absque successione, seu transitu per medium) respondeo negando posse in instanti se collocare in loco remoto. Diuersa ratio est, quia ex eo, quòd se in instanti collocet in loco immediato, non sequitur collocare se in remoto, quin sit, aut fuerit in medio: id autem sequitur ex eo, quòd in instanti se collocet in remoto non transeundo per medium: at verò sicut repugnat agere in remoto, quin agat in proximo, ita, vt dixi, repugnat collocare se in remoto, quin se collocet in proximo.

232 Dices: Non repugnat Angelum agere in remoto non agendo in proximo, vt patet in Angelo loquente, qui producit species in Angelo audiente distanti, quin eas producat in medio, vt diximus *in Logica tract. 6. num. 321.* Respondeo eas species produci à Deo, aut se solo, aut simul cum intellectu loquentis, quem eleuat, vt dixi loco cit. & clariùs *in Phys. tract. 2. num. 259. fine.*

§. 8.

Vtrùm Angelus, coarctādo latera suæ sphæræ, possit se extendere in longum, in quamuis distantiam?

233 QVinta difficultas: Vtrùm quilibet Angelus possit se extendere in distantiam quantumcunque longam in infinitum? Affirmant nonnulli Recentiores, qui dicunt Angelum nulli figuræ esse adstrictum, sed posse liberè in quâcunque se constituere. Et id probant exemplo Animæ Rationalis, quæ potest esse in quâlibet figurâ, vt visitur cùm quis complicat digitos sic, vel sic, & ex illis format hanc, vel illam figuram pro libito; semper enim in ijs sub tali figurâ est Anima Rationalis. Demus ergo quòd Angelus sit in quadrato, sanè quadratū coarctando latera magis, ac magis in infinitum potest sub ijsdem lineis secundùm eādem aream, & spatium extendi in longum magis, ac magis in infinitum. Et hoc est euidens, potest enim quadratum contrahi secundùm latitudinem magis, ac magis in infinitum: & quātùm contrahitur secundùm latitudinem, tantùm extenditur in longum: si ergo secundùm latitudinem potest contrahi magis, ac magis in infinitum, potest extendi in longum magis, ac magis in infinitum. Totum hoc demonstrat Euclides *propositione 35. lib. 1. Elementorum*, vbi probat quoduis quadratum coarctando latera magis, ac magis in infinitum posse extendi in longum magis, ac magis in infinitum. Poterit ergo Angelus constitutus in quadrato, v.g. in hâc aulâ, mutando figuram suæ sphæræ, & coarctando latera magis, ac magis in infinitū, Euclid.

protendi

protendi in longum magis, ac magis in infinitum. Hanc sententiam vidi non semel defendi publicè in hac Academia Conimbricensi iuxta terminos dictæ propositionis Euclidis. Illam defendit P. Christophorus Borrus *in suis Collectin Astronomiam 4. parte de noua Astronomia fol. mihi 244. vers. Primo pars.* P. Christ. Borrus

234 Tenenda tamen opposita cum Scoto *in 2. d. 2. q. 6.* cui subscribit P. Martinon *d. 42. de Angelis n. 41* Et probatur primò, quia alioquì Angelus manendo in Cælo posset terram petere, contra illud D. Damasceni *l. 2. de Fide c. 3.* ibi: *Nec enim in terra versantur, cùm in Cælo sunt: nec cùm à Deo in terram mittuntur, in Cælo remanent.* Et sanè videtur contra Scripturam, quæ multis in locis supponit Angelum non posse manere in vnâ parte Mundi, cùm aliam petit, vt constat ex Iob. 1. n. 7. Iudicum 13. n. 2. Isai. 6. n. 2. & sequentibus, Matth. 4. n. 11. Marc. 5. n. 15. Luc. 2. n. 25. prout ea loca exponunt D. Ambros. *l. 1. de Spiritu Sancto c. 10.* D. Greg. *l. 2. Moral. c. 2.* aliàs 3. & *hom. 34. in Euangel.* Beda in illud Luc. 1. *Respondens Angelus dixit ei.* D. Athanasius *epist. ad Serapionem Episcopum.* Scotus P. Martin. D. Dam. Iob. 1. Iud. 13. Isai. 6. Matt. 4. Marc. 5. Luc. 2. D. Amb. D. Greg. Beda D. Athan.

235 Secundò probatur, quia potentia Angeli motiua est finita, & limitata, & non potest extendere vim suam, nimirum impulsum in infinitum: ergo neque motum in infinitum. Dices, Hûc motum solùm fore infinitum syncategorematicè. Sed contrà, quia repugnat edere impulsum sic infinitû: ergo & motum. Præterea, quia talis motus, quantû est ex parte potentiæ Angeli, esset actu, & categorematicè infinitus, si aliunde talẽ esse actu, & categorematicè non repugnaret. Sic se habet infinitudo Omnipotentiæ; & hoc satis est, vt potentia sit infinita categorematicé.

236 Neque obstat fundamentum opinionis contrariæ (quâtenus dicit quoduis quadratum iuxta Euclidem loco cit. posse extendi in longum magis, ac magis in infinitum: ergo idem dicendum de sphærâ Angeli quadratâ, ac proinde etiam de Angelo iuxta illam.) Respondendum enim est, id quidem verû esse de quouis quadrato; ac proinde etiam de illo, quod occupat sphæra Angelica. Dico tamẽ Angelum non posse sequi illam sic in longum magis, ac magis protensam, sed habere certum limitem, ac terminum longitudinis, intra quẽ se potest extendere in longum, & non vltrà: sicut etiam habet Anima Rationalis intra, & extra corpus; quælibet enim potentia actiua habet præscriptum terminum suæ actiuitatis.

237 Dices: Quadratum potest extendi in longum magis, ac magis in infinitũ: ergo etiã Angelus, qui occupat tale quadratum. Respondeo esse diuersam rationem, quia quadratum, quod extenditur, solùm se habet passiuè: Angelus verò, qui sequens eius extensionem in longum extenderetur, haberet se actiuè, imò & vitaliter diffundendo se: repugnat autem potentia actiua vitalis infinita.

SECTIO IX.

De Situ.

238 Situs, vt in *Logica* tradidimus, nihil aliud est, quàm *Dispositio corporis resultans ex locali partium Vnione:* seu, vt clarius ibi explicatur, est *Modus intrinsecus, quo res certa quadam partium dispositione est in loco.*

§. I.

Vtrùm Situs sit aliquid ex naturâ rei distinctum ab Vbi?

239 PRima difficultas: Vtrùm Situs distinguatur ab Vbi ex naturâ rei? Pro parte affirmatiuâ, quam tenent nonnulli Recentiores, facit quòd Vbi potest separari à Situ. Et hoc ostenditur; quia si aliquod corpus constituatur in vacuo habebit Vbi, nõ tamen Situm; siquidem ibi nõ posset sedere; sessio enim non est, nisi per respectum ad sedem, quæ nulla in vacuo reperitur. Non posset similiter ibi stare, aut cubare, quia huiusmodi Situs solùm sunt, & differunt in ordine ad aliquod corpus, à quo sustentantur: at verò in vacuo nullum est corpus.

240 Nihilominus dicendum Situm nõ distingui ab Vbi distinctione ex naturâ rei, sed solâ distinctione virtuali. Ita P. Soar. *in Met. d. 52. s. 1. n. 7.* P. Fons. *5. Met. c. 7. q. 2. s. 4.* Patres Conimbr. *in Prædicamentis c. 9. q. 2. a. 1.* P. Tellez *d. 64. s. 4. n. 25.* P. Arriaga *in Met. d. 5. n. 42.* P. Ouiedo *in Met. controu. 11. n. 2.* P. Hurt. *in Phys. d. 14. n. 36.* P. Compt. *in Met. d. 10. s. 3. n. 2.* Prima pars, quòd scilicet non distinguatur ex naturâ rei, probatur. Primò, quia non est necessaria maior distinctio, quã virtualis. Secûdò, quia fit eâdem actione, quâ Vbi. Tertiò, quia Situs, & Vbi nõ possunt existere separata. Secunda pars, quòd scilicet distinguantur virtualiter, ostenditur. Primò quia Vbi solùm dicit positionem rei in loco, seu spatio: at verò *Situs* dicit dispositionem, hoc est, certũ modũ talis positionis: hæ vero duæ formalitates sunt distinctæ. Secũdò, quia Situs quodãmodo resultat ab Vbi, & illud supponit. Tertiò, quia Actio, & Passio distinguũtur virtualiter; similiter Duratio, & eius existentia: ergo etiam Situs. P. Soar. P. Fons. Patres Conimbr. P. Tellez P. Arriaga P. Ouiedo P. Hurt. P. Compt.

241 Ad fundamentum opinionis contra-

tiar, respondeo cum P. Soar. cit. n. 11, dari duplicem Situm: alterum extrinsecum, qui nihil aliud est, quàm locus extrinsecus, in quo res situata collocatur: quo pacto se habet area, in quâ domus fundatur: alterum intrinsecum, qui est ipsa intrinseca partium dispositio, quæ respondet Situi, seu loco extrinseco. His positis: dicendum est corpus, quod in vacuo constitueretur, non habiturum Situm extrinsecũ: habiturum tamen intrinsecum; ad eum modũ, quo similiter non haberet Vbi, seu locum extrinsecum, haberet tamen Vbi seu locum intrinsecum. Vtrùm veró tale corpus staret, cubaret, aut sederet? Respondeo, prædictum hominem stare, si recto corpore constituatur, ita vt pedes sustentent crura, & crura reliquum corpus: imò addit P. Soar. talem hominem nõ posse in vacuo aliter constitui, saltem naturaliter; posse tamen diuinitùs constitui in eo Situ corporis, quo in Mundo sedet, aut cubat. P. Soar.

242 Dices primò: Vbi reperitur sine Situ, vt patet in Angelis: ergo Vbi distinguitur à Situ plusquam virtualiter. Respondeo negando Consequentiam, quia licèt aliquando Vbi reperiatur sine Situ, hoc nõ facit quòd plus quam virtualiter distinguantur, quando in eâdem re inueniuntur. Et hoc patet exemplo Actionis, & Passionis, quæ solùm virtualiter distinguuntur: & tamen Actio aliquando reperitur sine Passione.

243 Dices secundò: Aliquando mutatur Vbi, non variato Situ, vt patet in eo, qui in cathedrâ vehitur: ergo &c. Respondeo cum P. Hurtado cit. §. 37. negando Antecedens. Ad probationem, respondeo illum, qui sedens cathedrâ, vel naui, vehitur, non retinere eundem Situm; sed alium numero diuersum acquirere; quia Situs est in ordine ad locum, & ibi acquiritur locus diuersus. Dicitur vulgò seruare eundem Situm in eodem sensu, quo dicitur seruare eundem locum, hoc est, eâdem cathedræ superficiem. Sed re verâ non seruat eandem immobilẽ ad puncta fixa, in quâ solâ, verè, & Philosophicè loquendo, consistit locus, prout ex professo ostẽdimus in Phys. tr. 5. n. 17.

§. 2.

Vtrùm Situs constituat peculiare Prædicamentum ab alijs distinctum?

244 **S**Ecunda difficultas: Vtrũ Situs constituat peculiare Prædicamẽtum ab alijs distinctum? Negant P. Fons. 5. *Met. c. 7. q. 2. f. 5.* fine, item P. Hurt. *in Phys. d. 14. §. 36.* P. Sancta Cruz *in Phys. n. 757.* & pleniùs *in Log. n. 964.* Ioannes Poncius d. 17 q. 8. à n. 73. Caramuel *lib. 8. d. 8. §. Caeterum situm esse.* Et probatur, P. Fons. P. Hurt. P. S. Cruz Poncius Caramuel

quia *Situm*, seu *situatum esse* nihil aliud est, quàm esse in loco, hoc, aut illo modo; sed esse in loco spectat ad Prædicamentum Vbi: ergo etiã esse hoc, aut illo modo. Et hoc ostenditur, quia ex eo, quód esse figuratũ spectet ad Prædicamentum Qualitatis, ad idem Prædicamẽtum spectat esse hoc, aut illo modo figuratũ. Cõfirmatur primò, quia Situs videtur esse differentia talis Vbi Circunscriptiui. Nam Vbi collocat absolutè rem in loco; Situs illam collocat taliter, vel taliter: differentia autem spectat ad idem Prædicamentum, quo eius gradus superior. Confirmatur secundò, quia Situs nihil aliud est, quám partes Vbi inter se ordinatæ, & dispositæ: partes verò spectant ad idẽ Prædicamentum, quo totum.

245 Nihilominus probabilior est contraria resolutio asserentium Situm cõstituere peculiare Prædicamentum ab Vbi. Ita Aristotel. *c. 9. de sex vltim. Prædicam.* Patres Conimbr. ibidem cum D. Thom. 1. 2. q. 49. a. 1. ad 3. Conrad. ibidem, Araũjo 5. *Met. q. 7. a. 3.* P. Tellez d. 64. n. 25. Cursus Complutensis *in Log. d. 16. q. 5.* cum Albert. M. *tr. de Situ c. 1.* Gilberto Soto, P. Compton. cit. n. 4. & alij communiter. Probatur vno verbo, quia Vbi, & Situs habent essentias, seu formalitates virtualiter diuersas, vt constat ex eorum definitionibus, & ex dictis pro resolutione prioris difficultatis. Et confirmatur primò, quia Situs nõ ponit rẽ in loco, sed resultat ex eius positione. Secũdó, quia Actio, & Passio constituunt diuersa Prædicamenta: ergo idem dicendum de Vbi, & Situ. Aristot. Patres Conimbr. D. Thom. Conrad. Araũjo P. Tellez Cursus Complut. Albert. M. Gilbertus Soto P. Comp.

246 Ad fundamentum P. Fons. respondeo, situari formaliter non esse collocari in loco, hoc, aut illo modo, sed esse quid resultans ex collocatione rei in loco, hoc, aut illo modo: vnde clarum est distingui ab Vbi; siquidem ab illo resultat.

247 Ad primam confirmationem, dicendum est Situm non esse differentiam Vbi, sed illud supponere in suo esse constitutum. Ad secundam, dico Situm formaliter non esse partes Vbi, sed quid ab illis distinctum, quod per nostros cõceptus intelligimus resultare ita, vel ità in spatio dispositis, ac constitutis.

248 Quæres, Quæ, & quot sint species Sitûs? Respondeo cum Patribus Conimb. *in Logica q. 2. de Vbi & Situ a. 2.* tot esse species Sitûs, quot species figurarum situalium. Hæc resolutio manifesta manet ex dictis, quia figuræ sunt differentiæ specificæ Sitûs: ergo tot cõstituunt species Sitûs, quot sunt ipsæ figuræ. Vnde Situs diuiditur in *rectum*, & *non rectum*. Non-rectus in non tot, quin plures species, & modos non-recti. Quod clarius est, quàm vt in eo immoremur. Patres Conimbr.

DIS-

DISPVTATIO II.

De Duratione, & Habitu.

PARTITA *in Sectiones duas, quarum prima de Prædicamento* Durationis: *secunda agit de Prædicamento* Vestis, *seu* Habitûs.

SECTIO I.

De Duratione.

249 DVRATIO alia est extrinseca, coincidens cum tempore prout hoc definitur *Numerus motus secundùm prius, & posterius*. De illo laté in *Phys. tr. 5. à n. 117.* Alia Duratio est intrinseca cuilibet rei duranti. Hæc definitur *Permansio rei in sua existentia*. De hâc hîc nobis agendum est.

§. I.

Vtrùm Duratio sit aliquid distinctum ex naturâ rei ab existenti. ?

250 PRima difficultas: Vtrùm Duratio sit aliquid ex naturâ rei distinctum ab existentiâ? Prima sententia affirmat esse quid distinctum ex naturâ rei. Eam tenent Richard. Mayronius. Argentin. D. Bonauent. Bañes, & alij, quos citant, & sequuntur Patres Conimbr. *4. Physic. c. 14. q. 2. a. 2.* Cardinalis Lugo *de Euchariſt. d. 5. sect. 5. n. 132.* P. Molin. *1 p. q. 3. a. 4. d. 2.* P. Rub. *in Physica tr. 1. de Tempore q. 4. n. 41.* P. Salas *tom. 1. tr. 7. d. 2. n. 122.* P. Arriag. *in Phys. d. 15. à n. 5.* Ægid. Lusit. Cursus Complutensis *in Logicâ d. 16. q. 4.* cum Gōzales, & alijs pluribus ex Scholâ Thomisticâ. Subscribunt Caramuel *l. 7. d. 1. a. 12. §. Prima*, P. Compton. *in Phys. d. 34. s. 3. n. 3.* & ex professo *d. 38. s. 1. n. 4.* Murcia *l. 4. Phys. d. 3. q. 4. §. Dico tertiò*. Eorum fundamentum est primò, quia eadem videtur ratio de Duratione, ac de Vbi: at verò Vbi est quid distinctum ex naturâ rei ab existentiâ.

Richard. Mayron. Argent. D. Bona. Bañes Patres Conimbr. P. Lugo P. Molin. P. Rub. P. Salas P. Arriaga Ægid. Lus. Cursus Complut. Gonzales Caramuel P. Cōpto. Murcia

251 Secundò, quia separabilitas est signum distinctionis ex naturâ rei: sed existentia potest separari à Duratione. Et hoc suaderi potest triplici ratione: prima, quia in priori instanti, quo res producitur, existit: non tamen durat; Duratio enim est *Permansio rei in sua existentia*, quod adhuc non intelligitur in primo instanti. Secunda, quia existentia Socratis iam non habet Durationem præteritam; non dum habet futuram, & amittet præsentem: & hoc persistente eâdem existentiâ. Tertia, quia hoc, quod est Petrum coëxistere huic tempori extrinseco, seu connotare illud, est aliquid separabile ab ipso Petro, & ab ipso tempore extrinseco, quia potuit esse vtrunque in rerum naturâ, quin inuicem coëxisterent, sicut de facto extiterunt in rerum naturâ Adamus, & dies hesterna; & tamen inuicem sibi non coëxtitêre: ergo hoc, quod est coëxistere, aliquid est ab vtroque distinctum.

252 Tertiò, quia Voluntas Dei creandi Petrum in hoc instanti habet pro obiecto aliquid distinctum ab ipsâ existentiâ Petri, & ab hoc instanti: ab ipsâ, inquam, existentiâ, quia hæc eadem esset, tametsi produceretur heri: & ab hoc instanti, quia hoc etiam foret idem, quamuis Petrus in illo non produceretur: ergo vtriusque simultas, quæ est obiectum Diuinæ Voluntatis, est aliquid distinctum ab existentiâ vtriusque: & non apparet aliud, in quo collocetur, nisi in Duratione. Explicatur exemplo Voluntatis Diuinæ, quâ Deus voluit creare Adamum in Paradiso; nam hæc simultas Adami in Paradiso est aliquid distinctum ab Adamo, & à Paradiso: ergo etiam simultas Petri in hoc instanti est aliquid distinctum à Petro, & ab hoc instanti, consistens in Duratione Petri in illo.

253 Quartò, quia Petrus existens hodie est indifferens vt existat crastinâ die: per quid ergo determinatur, vt existat crastinâ die? Certè non per suam existentiam, quia hæc ipsa est indifferens: non per crastinam diem; nam hæc potest esse, quin Petrus in illâ existat: ergo per aliquid distinctum ab vtroque, & consistens in Duratione; non enim apparet aliud.

254 Quintò, quia Duratio est succes-

fiua: non veró existentia, vt videre est in rebus permanentibus, quarum existentia existit tota simul: non verò earum Duratio. Sextò, quia magis, vel minùs durasse non potest intelligi sine pluribus, vel paucioribus Durationibus distinctis ab existentiâ; si enim est eadem indiuisibilis existentia, cur, quæso, magis hæc, quàm illa durat? Septimò, quia Duratio est Dei beneficium, & potest peti á Deo, & qui illam á Deo sibi petit, aliquid distinctum ex naturâ rei sibi petit. Octauó quia Duratio est mensura existentiæ: omnis autem mensura distinguitur á re mensuratâ ex naturâ rei; sin minùs idem foret mensura sui ipsius, quod nemo admittit. Hæc sententia est valde probabilis.

§. 2.

Præfertur resolutio negatiua.

255 His non obstantibus nulla est vrgens necessitas admittendi distinctam entitatem ab ipsâ existentiâ cōnotante tempus imaginarium. Itaque entitates non sunt admittendæ absque necessitate: & ad saluandam Durationem nulla est necessitas ponendi aliam entitatem distinctam ab ipsâ existentiâ rei durantis, prout dicit in obliquo tempus imaginarium. Et declaratur, quia positâ existentiâ Petri in hoc, & in sequenti instanti, præcisâ quâcunque aliâ entitate superadditâ, intelligitur Petrus durare in hoc, & sequenti instanti: ergo durat per suam existentiam dictam in recto; & hoc, atque sequens instans importatum in obliquo.

Scotus *Poncius* *Bassol.* *Ocham.* *Gabriel.* *Capreol.* *Soncin.* *P. Soar.* *P. Vasq.* *P. Pereira* *P. Gil.* *P. Oniedo* *P. Hurt.* *P. S. Cruz* *P. Smiglec.* *P. Hemel.* *P. Tiphan.* *P. Wad.* *Masius* *VeraCruz* *P. Molin.* *P. Valent.* *P. Fasol.* *P. Turria.* *P. Coninc.* *P. Tanne.*

256 Et ferè hæc est sententia Doctoris subtilis, eiusque ingeniosissimæ Scholæ apud Ioannem Poncium in suo *Cursu Philosophico disp. 17. de sex vltim. Prædicamentis num. 60.* cum Basol. Ochamo, Gabriele, Capreolo, Soncin. quibus subscribunt P. Soar. *in Met. disp. 50. sect. 1. num. 5.* P. Vasquez *1. part. disp. 31. cap. 6. & de Incarnat. disp. 72. cap. 2. vers. Quoad secundum.* P. Pereira *lib. 12. cap. 50. vers. Quarta propositio*, P. Gil *lib. 2. tract. 10. cap. 6. num. 3. & sequenti*, P. Ouied. *in Phys. controuers. 16. puncto 1. num. 16.* P. Hurtad. *in Met. disput. 17. s. 6.* P. Sancta Cruz *in Phys. num. 792.* cum P. Smiglecio, P. Hemelman. P. Tiphano, P. Wadinguo, Masio, Veracruce. Accedunt P. Molin. *quest. 3. disp. 2. art. 4.* P. Valent. *tom. 1. disp. 10 quest. 10. puncto 1.* P. Fasol. *quæst. 10. num. 16.* P. Turrian. *in selectis part. 1. disp. 11. dub. 3.* P. Coninck *de Charitat. disp. 22. dub. 11. num. 15.* P. Tannerus *tom. 1. disp. 12. quest. 5. dub. 2. num. 3.* P. Præpositus *quæst. 10. art. 6. num. 7.* P. Becan. *tom. 1. cap. 8. num. 4.* P. Mæratius *de Angelis disp. 46.* P. Tolet. *in Logic. de Prædicamentis cap. 10. sect. 2. de Quando.* P. Bartholam. Amicus *in Phys. tract. 22. quæst. 1. dub. 1.* P. Tellez *d. 65. s. 1. n. 2.*

P. Præpos. *P. Becan.* *P. Mærat.* *P. Tolet.* *P. Amic.* *P. Tellez.*

257 Hæc sententia, cùm fundetur in eo, quòd nulla sit necessitas admittendi maiorem distinctionem, nullo alio modo meliùs probari potest, quám soluendo necessitates, quas oppositæ partis Doctores inducere conantur.

§. 3.

Duo priora argumenta soluta.

258 Ad primum (quâtenus dicit eandem esse rationem de Duratione, ac de vbicatione: vbicationem verò secundùm id, quod dicit in recto, distingui ab existentiâ ex naturâ rei) respondeo esse valde diuersam rationem. Primò, quia Duratio non fit per aliquam actionem realem distinctam ab actione existentiæ, sed est eademmet existentia secundùm conceptum secundarium, & in ordine ad tempus extrinsecum, quod dicit in obliquo. Vbicatio verò fit per actionem realem distinctam ab actione existentiæ, nimirùm per motum localem: qui proinde habere debet terminum distinctum, vt constat ex dictis *num. 14.* Secundò, quia vbicatio fit per mutationem rei circa spatium fixum, ac immobile: hæc autem mutatio, cùm non fiat in spatio, sed in ipsâ re; debet in ipsâ habere aliquem terminum: at veró Duratio non fit per mutationem rei circa tempus extrinsecum, sed per mutationem, & fluxum temporis extrinseci circa ipsam rem; consideratur enim res durans ad tempus extrinsecum, sicut arbor secùs decursum, ac fluenta aquarum: itaque mutatio est ex parte termini, nimirum fluentium aquarum; non ex parte arboris, hoc est rei durantis.

259 Ad secundum, in quo asseritur separabilitatem esse signum distinctionis: respondeo, Durationem secundùm id, quod dicit in recto, non separari ab existentiâ; quidquid sit de Duratione sumptâ secundùm id, quod dicit in obliquo.

260 Neque obstat prima confirmatio (quâtenus asserit ex parte recti posse dari existentiam sine Duratione, vt patet in eo priori, quo res producitur; in eo enim existit, nō tamē durat: vnde apertè sequitur existentiā, & Durationem distingui ex naturâ rei) Non, inquā, hoc obstat, quia inde non sequitur existentiam,

ftam, & Durationem sumptam secundùm id, quod dicit in recto, distingui: sed solùm existentiam distingui á Duratione sumptâ secundùm id, quod dicit in obliquo, vt considetanti patebit.

261 Non obstat secunda confirmatio (quatenus ex eo, quòd Socrates iam non habeat Durationem præteritam; & non dum habeat futuram, & amissurus sit præsentem, probat existentiam distingui á Duratione) respondendum enim est similiter distingui ab illâ sumptâ secundùm id, quod dicit in obliquo, non verò sumptâ secundùm id, quod dicit in recto, vt est manifestum.

262 Non obstat tertia (quatenus dicit hoc, quod est Petrum coëxistere huic tempori extrinseco, esse aliquid separabile ab ipso Petro, & ab ipso tempore extrinseco; quia potuit esse vtrunque in rerum naturâ, quin inuicem coëxisterent, vt patet in Adamo, & in die hesternâ; nam ambo extitêre in rerum naturâ, quin coëxisterent.) Non inquam, hoc obstat, quia Duratio dicit duas existentias, nempè rei durantis dictam in recto, & temporis extrinseci dictam in obliquo, & non est ab his duabus separabilis. Neque verum est potuisse vtranque esse in rerum naturâ, quia inuicem coëxisterent. De Adamo, & die hesternâ nunquam fuit verum dicere *sunt in rerum natura*: Nam illud est in rerum naturâ, quod est extra causas; & nunquam fuit verum dicere Adamus, & dies hesterna sunt extra causas; nam quando de Adamo verum fuit dicere *est extra causas*, non dum erat dies hesterna: & quando id verum fuit dicere de die hesternâ, iam Adamus non erat extra causas. Itaque Duratio importat duas existentias, rei durantis, & temporis extrinseci: existentias, inquam, simpliciter, de quibus verum sit dicere *sunt extra causas*; nam si non sunt, sed fuere, aut erunt, simpliciter non existunt, sed extitêre, aut existent.

263 Instabis cum P. Arriagâ cit. *num.* 14. vbi contendit Durationem non consistere in prædictis duabus existentijs, sed in aliquo superaddito; nam per prædictas duas existentias solùm verum est dicere *quòd ambo existunt*, non veró *quòd simul existunt*: Duratio veró consistit in istâ simultate ipsis duabus existentijs superadditâ. Solùm, inquit, verum est dicere *quòd ambo existunt*, nō veró *quòd simul existunt*; nam per solam existentiam rei futuræ, & temporis futuri solùm verum est dicere, *quòd ambo existent*, non verò *quòd simul existent*; vt patet in Antichristo, & die crastinâ, per quorum existentias futuras solùm verum est dicere, *quòd ambo existent*, non veró *quòd simul existent*: ergo similiter per solam existentiam rei præsentis, & temporis præsentis solùm erit verum dicere, *quòd ambo existunt*, non verò *quòd simul existunt*: Duratio autem, vt dixi, consistit in istâ simultate existentijs superadditâ.

P. Arriaga

264 Respondeo, per prædictas existentias non solùm verum esse dicere, *quòd ambo existunt*, sed *quòd simul existunt*, neque aliud intelligi potest; quid enim est simul existere, nisi ambo existere? De existentijs de futuro est longe diuersa ratio, quia hæ non sunt simpliciter existentiæ; non enim sunt extra causas, sed erunt. Et hoc *erunt* habet maximam latitudinem; potest enim *erit* vnius esse extra causas, quando adhuc non sit *erit* alterius, vt patet in exemplo allato. Itaque Duratio non consistit in quibuslibet duabus existentijs, sed in duabus existentijs simpliciter, de quibus nimirùm verum sit dicere, *quòd ambo sint extra causas*: & hoc verum est dicere de existentijs præsentibus: non verò de existentijs crastinæ diei, & Antichristi futuri.

265 Præterea miror P. Arriagam esse adeò scrupulosum in collocandâ Duratione in duabus existentijs rei durantis, & temporis extrinseci, cùm collocet relationem in duabus existentijs extremi, & termini absoluti, vt constat ex ijs, quæ retulimus *tract.* 4. *de Relatione num.* 33. Nam sicut admittit relationem consistere in solis duabus existentijs extremi, & termini, v. g. relationem similitudinis in duobus albis, cur veretur admittere Durationem consistere in existentiâ rei durantis, & in existentiâ temporis extrinseci? Respondet loco citato *numer.* 9. se non ponere relationem nisi in duobus extremis, v. g. in duobus albis existentibus simultaneâ Duratione, & non per suas existentias, sed per hanc simultaneam Durationem esse simul; nos verò admittere esse simul per suas existentias, & non per superadditam Durationem.

266 Sed contrá, quia in eius opinione, cùm non admittat relationem distinctam ab extremis omninó, dicendum est relationem consistere in ipsis extremis existentibus, prout antecedunt Durationem; loquamur enim de duobus albis, prout iam intelliguntur existere, & non dum durare, certè iam intelliguntur similia, & cum omnibus requisitis, vt sint similia; iam enim existunt; & habent eosdem gradus albedinis: cur ergo non intelliguntur similia? & cur spectandum est, vt adueniat Duratio? Vides teneri P. Arriagam, vt cohærenter loquatur, ponere relationem in

duabus existentijs? ergo & Durationem; neque enim est vlla diuersa ratio.

267 Sed hinc insurges contra meam doctrinam, quia ego non pono relationem in duabus existentijs: ergo neque debeo ponere Durationem. Respondeo esse diuersam rationem, quia nulla est necessitas admittendi Durationem distinctam; entitates autem non sunt admittendæ absque necessitate: at datur maxima necessitas admittendi relationem distinctam, vt loco citato, adducto in medium exemplo Relationum Diuinarum, ex professo declarauimus.

§. 4.

Alia argumenta soluta.

268 AD tertium fundamentum opinionis contrariæ (quatenus dicit voluntatem creandi Petrum in hoc instanti habere pro obiecto existentiam Petri dictam in recto, & ipsum instans dictum in obliquo) respondeo, neque existentiam se sola, neque instans se solo esse Durationem: at dico Durationem esse vtrunque.

269 Neque obstat primò, quòd instans imaginarium non sit producibile; nam solùm id, quod dicitur in recto, debet esse producibile; non veró id quod dicitur in obliquo. Accedit, quòd instans imaginarium, non est nihil; nam sicut spatium imaginarium non est nihil, vt constat ex dictis *n.* 181. sic tempus imaginarium non est nihil, sed consistit in mobili, quod imaginatur rotari, ac circumagi penes polos fixos, per quod, & in ordine ad quod mensuratur res, quæ durat.

270 Secundò non obstat, quòd simultas rei in loco sit aliquid distinctum à re, & à loco, vnde inferunt simultatem rei in tempore esse aliquid distinctum á re, & á tempore: nam simultas rei in loco terminat actionem distinctam, nimirum motum localẽ, qui proinde habere debet terminum distinctum, videlicet, vbicationem: at simultas rei in tempore non terminat actionem distinctam, prout superiùs explicauimus.

271 Ad quartum (quatenus asserit Petrum existentem hodie, esse indifferentem vt existat cras, & non apparet per quid determinetur ad existendum cras, nisi per Durationem) respondeo determinari ad existendum cras per existentiam ipsius Petri, & existentiam diei crastinæ, de quibus verum sit dicere *ambæ existunt*, vt patet ex dictis.

272 Ad quintum (quatenus dicit Durationem esse successiuam: non veró existentiam) respondeo, id solùm probare, Durationem distingui ab existentiâ sumptam secundùm id, quod dicit in obliquo: non veró sumptam secundùm id, quod dicit in recto.

273 Ad sextum (quatenus asserit magis, vel minùs durasse non posse intelligi sine pluribus, vel paucioribus Durationibus) respondeo id verum esse: sed has Durationes assero dicere in recto existentiam, & in obliquo lõgius, vel breuius tempus extrinsecum, & per id optimè intelligi rem magis, vel minus durasse.

274 Ad septimum, in quo asseritur Durationem esse Dei beneficium, & qui illam petit, aliquid á se distinctum sibi petere; respondeo, petere aliquid distinctum secundùm id, quod Duratio dicit in obliquo: non secundum id, quod dicit in recto, hoc est, petit se correspondere tempori extrinseco, & illud importare in obliquo.

275 Ad octauum (quatenus dicit Durationem esse mensuram existentiæ) respondeo, id verum esse de Duratione secundũ id, quod dicit in obliquo, per quod mensuratur id, quod dicitur in recto, nimirum existentia rei durantis.

§. 5.

Vtrùm res duret in primo instanti suæ existentiæ?

276 SEcunda difficultas: Vtrùm res duret in primo instanti, quo producitur? Negant P. Soar. *in Met. d.* 50. *s.* 2. *n.* 9. P. Rub. 4. *Physic. tract.* 1. *de Tempore q.* 4. *num.* 46. P. Hurtad. *in Met. d.* 17. *§.* 7. P. Arriaga *in Phys. d.* 15. *n.* 1. P. Tellez *d.* 45. *s.* 1. *n.* 14. P. Martinon *d.* 6. *de Deo n.* 31. Et plures Recentiores. Primò, quia Duratio est *permansio rei in sua existentia*: permansio autem supponit vnum, & dicit aliud, nimirum supponit existentiam seu esse acceptum, & dicit aliquid supra illud; quod stare non potest in eodem instãti cum primo, quod supponit. Secundò, quia ita se habet conseruatio ad actionem, ac Duratio ad existentiam; atqui actio in primo instanti non conseruat, sed tantùm producit: ergo similiter existentia in primo instanti non est Duratio, sed existẽtia tantùm. *P. Soar. P. Rub. P. Hurt. P. Arriaga P. Tellez. P. Martin.*

277 Nihilominus probabiliùs dicendum existimo rem durare in primo instanti suæ existentiæ. Ita P. Gil. *l.* 2. *tr.* 10. *c.* 3. *num.* 3. Patres Conimbr. 4. *Physicor. c.* 14. *q.* 3. *a.* 1. & ita sentire videtur P. Compton. *in Phys. d.* 38. *s.* 1. *n.* 2. Et probatur, quia existentia, & Duratio est eademmet entitas rei cum hoc discrimine, quòd existentia dicit entitatem extra causas: Duratio verò dicit eandem entitatem in ordine *P. Gil. Patres Conimbr. P. Cõpt.*

dine ad tempus extrinsecum, quod importat in obliquo; atqui in eodem instanti reali potest considerari eadem entitas rei primò extra causas, deinde in ordine ad tempus extrinsecum instantaneum. Et hoc ostenditur à simili; quia in eodem instanti reali potest considerari eadē entitas actionis, & passionis priùs in ordine ad agens: posteriùs in ordine ad passum: ergo similiter existentia priùs in ordine ad causas, extra quas est, & deinde in ordine ad tempus in quo est.

278 Et confirmatur primò ex communi vsu loquendi Philosophorum, qui dicunt rē, quæ in aliquo instanti reali aliam antecedit, durare priùs illâ. Secundò, quia ita se habet instans ad tempus, ac punctum ad Quantitatē; sed punctum est de Prædicamento Quantitatis: ergo instans erit de Prædicamento Durationis. Tertiò, quia si quis roget, quando Incarnatio Verbi facta fuit? rectè respondebitur in instanti factam, quo Beata Virgo præbuit consensum suum; ea autem, quæ aptè respondentur ad interrogationē factam per quæstionem *Quando*, spectant ad Prædicamentum Durationis.

279 Neque illa, quæ pro parte contrariâ afferuntur, rem concludunt. Ad primum, concedo Durationem supponere existentiam: & dicere aliquid aliud supra illam, nimirum tēpus extrinsecum in obliquo. Verùm ad id sufficit, quòd existentia præsupponatur in aliquo priori, saltem rationis.

280 Ad secundum, respondeo in aliquibus ita se habere cōseruationem respectu actionis, ac Duratio respectu existentiæ: non tamen in omnibus. Deinde, concedo actionem in primo instanti non conseruare: dico tamen existentiam in primo instanti durare. Diuersa ratio est, quia conseruatio formaliter dicit retentionem existentiæ post primum instans; ac proinde stare, & intelligi non potest nisi post illud: at verò Duratio solùm dicit existentiam in ordine ad tempus imaginarium, quod intelligi potest in primo instanti, in quo res statim correspondet instanti imaginario.

§. 6.

Vtrùm omnis Duratio sit successiua?

281 Tertia difficultas: Vtrùm omnis Duratio creata sit successiua? Non est dubium Durationem rei successiuæ esse successiuam. Et ratio est clara, quia Duratio non distinguitur ab existentiâ; existentia autem rei successiuæ est successiua. Tota dubitatio est de Duratione rei permanentis. Et quæritur, Vtrùm sit successiua? Affirmant D. Bonauent. & alij plures, quos citant, & sequuntur P. Fasol. 1. p. q. 10. a. 1. n. 34. P. Fons. 5. Met. c. 13. q. 12. s. 3. P. Arriaga in Phys. d. 15. n. 70. Caramuel cit. d. 2. a. 1. Eorum fundamentum est, quia si daretur Duratio creata permanens, esset tota simul, omnemque differentiam temporis indiuisibiliter amplecteretur; hoc autem videtur proprium Æternitatis Dei.

D. Bonau. P. Fasol. P. Fons. P. Arriag. Caramuel.

282 Sententiam contrariam negatiuam tenent D. Thom. 1. p. q. 10. a. 4. P. Soar. in Met. d. 50. sect. 5. & 7. Patres Conimbr. 4. Physicor. c. 14. q. 3. a. 1. P. Molin. 1. p. q. 10. a. 3. d. 2. conclusione 2. P. Tellez d. 25. n. 9. citans Capreolum, Caiet. Durand. Alens. Ægid. Scot. Albertum M. & Ochamum, quibus accedit P. Martinon d. 6. de Deo num. 34. Eorum fundamentum est, quia Duratio nō distinguitur ab existentiâ: at verò existentia rei permanentis est permanens.

D. Thom. P. Soar. Patres Conimbr. P. Molin. P. Tellez. Capreol. Caiet. Durand. Alens. Ægid. Scotus. Albert. Mag. Ocham. P. Marti.

283 Nihilominus stando distinctione, quâ suprà vsi fuimus n. 258. dico primò. Duratio rei permanentis secundùm id, quod dicit in rectò, est permanens. Et in hoc sensu intelligo D. Thom. P. Soar. Patres Conimbric. & P. Molin. citatos. Ratio est clara, quia Duratio in rectò solùm dicit existentiam: existentia autem rei permanentis est permanens.

284 Dico secundò. Duratio rei permanentis secundùm id, quod dicit in obliquo, est successiua. Et in hoc sensu intelligo D. Bonauēt. P. Fasol. & P. Fons. vbi suprà. Hæc etiam resolutio est euidens, quia Duratio dicit in obliquo tempus imaginarium: hoc autem est fluxum, & successiuum.

285 Et ex hac nostrâ resolutione, præterquam quòd duæ illæ Doctorum sententiæ cōcilientur, optimè intelligitur in quo differant Durationes rei permanentis, & successiuæ. Nam Duratio rei permanentis dicit in rectò existentiam permanentem: Duratio rei successiuæ, existentiam successiuam. Quomodò autem Duratio creata differat à Diuinâ: & in quo cōsistat Æternitas? infrà commodiùs dicam, d. n. 290.

§. 7.

Vtrùm Duratio præterita possit diuinitùs redire?

286 Qvarta difficultas: Vtrùm Duratio præterita possit diuinitùs redire? Nō quæro, Vtrùm Duratio, quæ præterijt, possit non præterijsse? id enim, supposito quòd præterijt, impossibile est, & inuoluit manifestam implicationem. Solùm quæro, Vtrùm Duratio, quæ fe-

mel præterijt, possit iterum redire? ad eum modum, quo quodlibet aliud ens semel corruptum potest per Diuinam potentiam iterum redire.

287 Respondeo cum distinctione: primò, posse redire secundùm id, quod dicit in recto; dicit enim in recto existentiam, & non est dubium posse existentiam reproduci à Deo, ac proinde redire. Respondeo secundò, non posse redire secundùm id, quod dicit in obliquo; dicit enim in obliquo tempus imaginarium cū successione similiter imaginariâ immobili per ordinem ad puncta fixa, á quibus non potest auelli: auelleretur autem, si rediret. Respondeo tertió, absolutè non posse redire, quia Duratio formaliter integratur ab existentiâ, quæ dicitur in recto, & á tempore imaginario, quod importatur in obliquo; vnde non potest redire, nisi vtrunque redeat: at verò tempus imaginarium, quod præterijt, cū imaginetur, vt dixi, per ordinem ad puncta fixa, non potest redire.

288 Obijcies. Duratio non magis essentialiter dependet á tempore imaginario præterito, quàm conceptus, qui de eodem tempore formatus est: at verò talis conceptus præteritus potest diuinitùs redire: ergo idem dicendum de Duratione. Respondeo, Durationem depēdere á tempore imaginario diuerso modo, ac conceptus dependet; nam conceptus non illud includit; solùm est per ordinem ad illud, quod stare potest cum eo, quód non existat simul cum illo. At veró Duratio includit ipsum tempus, & formaliter integratur ex illo dicto in obliquo: tempus autem præteritum imaginarium, cùm fuerit in ordine ad illa puncta præterita fixa, non potest redire.

289 Et confirmatur nostra resolutio, quia si Duratio præterita posset redire, posset Petrus, qui hodie existit, durare per annos præteritos, & similiter per futuros; ac proinde in vno die durare per multa secula: quod est inintelligibile. Et sanè plùs viueret, qui vno anno viueret, quàm Petrus, qui multis seculis viueret illo die: prodigalissimus quidem seculorum heluo, qui vno die plura secula degluttiret. Dixi *per ordinem ad puncta præterita fixa*, quia Duratio est per ordinem ad tempus imaginarium, sicut locus per ordinem ad spatium imaginarium: locus autem est per ordinem ad certa pūcta fixa, ideò dicitur *superficies immobilis*. Vide quæ diximus *in Physic. tract. 5. n. 18.*

§. 8.

Quid sit Æternitas?

290 QVinta difficultas de Diuinâ Duratione, quæ dicitur Æternitas. De Fide est Deum esse Æternum. Ità habetur *Isai.* 40. *Ecclesiast.* 18. 2. *Machab.* 1. & passim in Scripturâ. Expressé definitur in Conc. Later. *Cap. Firmiter, de Sum. Trinit.* & in *Symbolo* D. Athanasij. Et sanè id patet ratione naturali. Tum, quia Deus est Immutabilis, iuxta illud Exod. 3. *Ego sum qui sum.* Et illud Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Et illud Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Nec non illud Iacobi 1. *Ego Dominus, & non mutor.* Et Numeror 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.* Itaque est Immutabilis: ergo caret suæ Durationis principio, & fine: ergo est Æternus. Tū, quia Deus est ens á se absolutè necessarium; aliàs si omnia entia essent cōtingentia, possent actu non esse; & si possent actu non esse, possent etiā esse possibilia: quia dato quòd actu nullum esset, nullum esse posset; neque á se, quia quod non est, non potest esse causa productiua sui; neque ab alio, siquidem nullum esset aliud. Si ergo Deus est ens necessarium, non potest non esse. Sed ad maiorem huius intelligentiam,

Isai. 40. *Eccles.* 18. 2. *Mach.* 1. *Cap. Firmiter* *Symbolum* *D. Athan.* *Exod.* 3. *Malach.* 3. *Psal.* 101. *Iacob.* 1. *Num.* 23.

291 Quæres primó, Quid sit Æternitas propriè dicta? Æternitas strictè sumpta est Duratio ex se incapax termini, includens in suâ intrinsecâ ratione necessitatem in essendo, & infinitatem in durando. Definitur à Boëtio *lib. 3. de cōsolatione prosa 6* hoc modo: *Interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.* Dicitur *Interminabilis*, hoc est, incapax principij, & finis, vtrunque excludens essentialiter. *Vita*, quia competit enti perfectissimo, qualis est vita substantialis. *Tota simul*, quia non est successiua habens partes, quæ fuerunt, aut erunt, & non sunt: sed totum eius esse, quod fuit, aut erit, est. Vnde non est præteritum, nec futurū, sed actu est. *Perfecta possessio*, hoc est, independens, inamissibilis, & absolutè necessaria: item, vt alij explicant, quia per illam vita, cui ipsa Æternitas competit, possidet non solùm gradum vitæ, sed similiter omnem perfectionem. *Boëtius.*

292 Quæres secundò, Quomodò Æternitas differat ab alijs Durationibus? Respondeo differre primó in eo, quòd aliæ Durationes dependeant ab alio: non ita Æternitas. Secundò, quia, vt ex inferiùs dicendis constabit, nulla alia Duratio est essentialiter inamissibilis, cū omnis creatura possit annihilari á Deo, sola Æternitas est essentialiter inamissibilis. Tertiò, quia nulla alia Duratio est possessio omnis perfectionis. Quartò, quia omnis alia stare potest cum aliquali successione sui subiecti, saltem quò ad cognitionem, volitionem, vbicationem, relationem, &c. Et hinc fit quinctum

tum discrimen, quia omnis alia Duratio admitrit in suo subiecto præteritum, & futurū, saltem quóad aliquam cognitionem, volitionem, vbicationem, relationem, &c. Sola Æternitas excludit á suo subiecto quóad omnē intrinsecam perfectionem omne præteritum, & futurum, quod præsens non sit. Sextum discrimen, quia Duratio creata dicit in obliquo tempus imaginarium succesiuum. Æternitas verò constituit Deum præsentem, quantùm est ex se omnibus temporum differentijs simul.

293 Objicies. Omnis Duratio necessariò vendicat prius, & posterius: sed Æternitas est Duratio: ergo constituit Deum præsentem succesiuè, & non omnibus temporis differentijs simul. Propter hoc argumentum Aureolus *in* 1. *dist.* 9 *q.* 2. *a.* 2. negat Æternitatem Diuinam esse Durationem: similiter loquitur Bañes 1. *p. q.* 10. *a.* 2. fine. Sed alij meliùs cū D. Thom. 1 *p. q.* 10. *a.* 1. Alens. 1. *p q.* 12. *membro* 2. Scoto, Richardo, Durando, quos citat, & sequitur P. Fasol. 1. *p. q.* 10. *a.* 1. *dub.* 1. *n.* 3. Quibus subscribunt P. Soar. *in Met. d.* 50. *s.* 3. *n.* 2. P. Granad. 1. *p to* 1. *d.* 5 *sect. vltima à n.* 19 P. Vasquez *to.* 1. *in* 1. *p. q.* 10. *a.* 1. *d.* 31. *n.* 9. P. Gil. 1. *p. lib.* 2. *tr.* 10. *c.* 2. *a n.* 6. P. Martinon *d.* 6. *de Deo n.* 31. P. Tellez *d.* 65. *s.* 2. *n.* 1. P. Cōpt. *in Phys. d.* 37. *s.* 1. *n.* 6. quatenus asserunt Æternitatem esse veram Durationem, & solùm tempus necessariò includere prius, & posterius: non verò Durationem; hæc enim solum dicit permanentiam in existentiā. Dici etiam potest Æternitatem includere prius, & posterius, non formale, sed virtuale, quatenus illis correspondet.

Aureol.
Bañes
D. Thom.
Alens.
Scotus
Richard.
Durand.
P. Fasol.
P. Soar.
P. Grana.
P. Vasq.
P. Gil.
P. Mart.
P. Tellez.
P. Cōpto.

294 Quæres tertiò, Vtrùm Æternitas consistat formaliter in positiuo: an in negatiuo? Consistere in negatiuo opinatur P. Soar. *in Met. d.* 50. *s.* 4. *à n.* 13. P. Valent. 1. *p. q.* 10. *puncto* 2. §. *Quoad secundum.* P. Tellez *d.* 65. *s.* 2. *n.* 12. P. Fasol. 1. *p. q.* 10. *a.* 2. *dub.* 2. *n.* 13. & 14. citans D. Thom. Alens. Albert. M. Ioannem Dunum, Ægid. Capreolum, Basso. Ocham. Gabriel. Caiet. Marsil. Ferrar. Ioannem de Neapoli, Syluestrem, Hispalensem, & alios. Idque primò, quia Æternitas significat carētiam terminorum; est enim *interminabilis vita, &c.* Secundò, quia qui concipit Diuinam existentiam cum omni fixa interminabilitate, concipit Æternitatem: ergo hæc supra existentiam solùm addit carentiam terminorum. Tertiò, quia *Simplicitas*, consistit in negatione partium: item *esse à se* consistit in carentiā dependentiæ ab alio.

P. Soar.
P. Valent.
P. Tellez.
P. Fas.
D. Thom.
Alens.
Albert. M.
Ioannes Dunus
Ægid.
Capreol.
Bassol.
Ocham.
Gabriel
Caiet.
Marsil.
Ferrar.
Ioannes de Neapol.
Syluest.
Hispal.

295 His non obstantibus, probabiliùs dicendum videtur consistere in positiuo. Ita P. Hurtad. *in Met. d.* [illegible] P. Granad. apponi- [illegible] mè *d.* 5. *s.* 7. *n.* 12. P. Arriag. *in Physic. d.* 15. *n.* 68. Et probatur, quia Æternitas explicatur per nomen positiuum, nempe per *possessionem*, cui est annexa carentia terminorum: Attributa autem, quæ explicantur nominibus positiuis, consistunt formaliter in aliquo positiuo, vt patet in Omnipotentiā, &c. Neque verum est simplicitatē consistere in carentiā partiū, sed in positiuo, cui talis carentia annexa est. Similiter dicendū de *ente à se*, consistit enim in positiuo, cui annexa est carentia dependentiæ ab alio. Et confirmatur ex P. Hurtado, quia esse Æternum dicit coëxistere, quantùm est ex se omnibus temporis differentijs simul.

P. Hurt.
P. Gran.
P. Arriaga

296 Neque obstant fundamenta opinionis contrariæ. Ad primum dico Æternitatem non consistere primariò in *interminabilitate*, sed in *possessione*, cui annexa est carentia terminorū. Ad secundum (quatenus dicit, qui concipit existentiam cum interminabilitate, concipere Æternitatem) respondeo non concipere Æternitatem, nisi concipiat permanentiam in existentiā, seu illius possessionem in ordine ad omnes tēporis differentias simul, quantùm est ex se. Ad tertium patet solutio ex dictis.

§. 9.

Vtrùm creatura potuerit esse ab æterno?

297 SExta difficultas: Vtrùm creatura aliqua potuerit esse ab æterno? De Fide est de facto non fuisse, vt constat ex dictis *tract. de Cælo n.* 263. quæstio solùm procedit de possibili: An scilicet Mundus, vel creatura aliqua potuerit esse ab æterno? Negant D. Bonauent. Albert. M. Henric. Richard. Marsilius, Guillelmus Parisiens. Philopon. & alij apud Patres Conimbr. infrà. Et hanc sententiam tenere videntur D. Damasc. D. Ambros. D. August. Hugo Victor. D. Athanas. D. Nazianzen. D. Basil. D. Cyrill. & alij apud eosdem Patres Conimbr. & apud P. Soar. quē statim subjicio, quatenus dicunt Id, quod á non esse ad esse traducitur, non posse suo principio coæternum esse. Accedunt Murcia *l.* 8. *Phys. d.* 1. P. Tanner. 1. *p. d.* 6. *de Creat. Mundi q.* 1. *dub.* 3. *n.* 11. P. Valent. 1. *p. d.* 3. *q.* 3. *puncto* 2. *s.* 3.

D. Bonau.
Albert. M.
Henric.
Richard.
Marsil.
Guillelmus Parisiens.
Philop.
D. Dam.
D. Ambro.
D. Aug.
Hugo Victor.
D. Athanas.
D. Naza.
D. Basil.
D. Cyrill.
Murcia
P. Tanner.
P. Valent.
Aristote.

298 Probatur primò, quia id, quod producitur á non esse, aliquando non est; quod autem ab æterno est, non potest aliquando non esse. Secundò, quia in sempiternis non differunt esse, & posse, vt docet Aristoteles 3. *Physicor.* *c.* 4. *tex.* 32. Vnde fit quòd, si aliquid ab æterno esse potuit, ab æterno fuit: atqui nihil fuit ab æterno, vt est de Fide: ergo nec es-

se potuit. Tertiò, quia non potest dari infinitum actu: si autem daretur Duratio ab æterno ea esset actu infinita.

299 Quartò, quia Deus liberè creat omnem creaturam: si autem ab æterno aliquam crearet, necessariò illam crearet. Et hoc ostenditur, tum quia illa creatura semper foret: nunquam ergo potuit non fuisse; nam ad præteritum reuocandum non datur potentia: id verò, quod non potuit non fuisse, necessariò fuit. Tum, quia Duratio, in quâ Deus potuit non creare, esset Æternitatis initium: Æternitas verò nullum habet initium.

300 Quintò, si Angelus potuit ab æterno creari, etiam potuit ab æterno annihilari; eadem enim videtur ratio de creatione, ac de annihilatione; sin minùs daretur instans, in quo creatura ita esset, vt non potuerit non esse. At verò ab æterno non intelligitur posse fieri annihilatio; sin minùs talis creatura ab æterno esset, & non esset: esset, quia fuit creata ab æterno: non esset, quia ab æterno fuit annihilata.

Simile argumentum potest confici hoc modo: quia si Deus ab æterno potest creare ignem, simul & stupam illi applicatam, aut ignis illam ab æterno cremaret: aut non. Primum non dices, quia talis stupa esset, & non esset ab æterno: esset, vt supponitur: non esset ab æterno, quia ab æterno esset combusta. Si dicas talem ignem ab æterno non crematurũ eam stupam, sed posteà in tempore: ergo admittis Æternitatem, in quâ ignis applicatus stupæ non potuit illam cremare. Deinde quæro, Quando posteà primò potest illam cremare? Sanè non assignabis instans, quo aliud non sit prius, in quo possit illam cremare.

301 Sextò, quia Æternitas à parte antè videtur propria solius Dei. Et hoc ostenditur, tum quia Sancti Patres suprà citati colligunt Verbum Diuinum esse Deum, quia est ab æterno: tum quia, quod est Æternum, est Immutabile: Immutabilitas autem est propria solius Dei. Septimò, quia talis creatura incepisset, & non incepisset: incepisset, quia crearetur per veram causalitatem: nõ incepisset, quia esset Æterna: Æternitas verò non incipit, sicut neque finitur.

§. 10.

Creatura permanens potuit durare ab æterno.

302 Nihilominus distinctione vtendum est: aut enim possumus loqui de re creatâ permanente, qualis est Angelus, lapis, &c. aut de re creatâ successiuâ, qualis est motus, &c. Dico primò. Creatura permanens potuit esse ab æterno. Ita D.Tho. 1. p. q. 46. a. 2. & *contra Gentes* c. 38. Aristotel. Durand. Argentin. Gregor. Ocham. Gabriel, Hispalens. Ægid. Herueus, Capreol. Ferrar. Caiet. Scot. & alij, quos citant, & sequuntur Patres Conimbr. 8. *Physic.* c. 2. q. 6. a. 2. P. Suar. *in Met.* d. 20. s. 6. à n. 4. P. Molin. 1. p. q. 46. a. 2. P. Vasq. 1. p. d. 107. c. 5. P. Ouiedo *in Phys. contrauers.* 19. *punct.* 1. P. Martinon *d.* 6. *de Deo* n. 33. P. Tellez d. 37. s. 2. num. 1. P. Præpositus 1. p. q. 46. *dub vnico*. P. Pereira *in Philosoph. lib.* 15. c. 1. P. Rub. 8. *Physic. cap.* 2. *tr. de Æternitate Mundi* q. 2. P. Bernal *in suis Illustrationib. de Vniuersa Philosoph.* d. 3. n. 6. P. Santacruz *in Phys.* n 912. cum Masio, & alijs pluribus. Accedit nouissimè Ioan. Poncius d. 50. q. 4. *Conclus.* 3. P. Comptonus *in Phys.* d. 9. s. 1. n. 3. P. Hurt. *in Met.* d. 17. s. 30. P. Tolet. 8. *Phys.* q. 2. P. Arriag. *in Phys.* d. 17. n. 15. P. Fasol. q. 2. a. 3. *dub.* 2. P. Amicus, & alij. Fundan enim est, quia nulla in eo visitur manifesta contradictio. Et hoc ostenditur, quia neque implicat ex parte Dei: neque ex parte ipsius rei, quæ producitur: neque ex parte talis productionis, quæ scilicet sit creatio. Non ex parte Dei, quia non minor est eius virtus ad creandum, quàm virtus Solis ad illuminandum; at verò si Sol ab æterno existeret, ab æterno illuminaret, vt docet D. August. 6. *de Trinit.* c. 1. ergo cùm Deus ab æterno existat, ab æterno potuit creare.

303 Non ex parte ipsius rei, quæ producitur: Nam de facto aliquid genitum est ab æterno, nimirum Verbum Diuinum: similiter aliquid productum, nimirum Spiritus Sanctus: ergo non implicat quòd aliquid ab æterno producatur. Non etiam ex parte talis productionis, quæ scilicet sit creatio: Nam si aliquid obstaret possibilitati creationis ab æterno, esset quia, cùm creatio sit productio rei ex nihilo, id, quod creatur, debet obtinere esse post non esse; quod stare non potest cum Duratione ab æterno. Verùm hæc ratio nulla est, quia particula, *ex nihilo*, posita in definitione creationis non sumitur positiuè, quasi notet ordinem terminj, quo res priùs prioritate Durantis consideretur, sed negatiuè, vt docet D. Anselm. *in Monologio* c. 8. Auicen. 6. *Met.* c. 2. prout scilicet idem valet ac nõ de aliquo, seu ex nullo præiacente subiecto.

§. 11.

Repugnat generationum series ab æterno.

304 Dico secundò. Generationum series

D.Thom. Aristot. Durand. Argent. Gregor. Ocham. Gabriel Hispal. Ægid. Herueus Capreol. Ferrar. Caiet. Scotus Patres Conimbr. P.Suar. P.Molin. P.Vasq. P.Ouiedo P.Martin. P.Tellez. P.Præposit. P.Pereira P.Rub. P.Hurt. P.Tolet. P.Arriaga P.Fasol. P.Amic. P.Bernal P.S.Cruz Masius Ioannes Ponci. P.Compt. D.Aug.

D.Ansel. Auicen.

D. Thom. Ferrar. Gregor. Ocham. Gabriel P. Pereira P. Fasol. Fr. Ioan. Poncius Complut. Durand. Sotus P. Soar. P. Rub. Patres Conimb. P. Hurt. P. Ouiedo P. Arriaga P. Martin. P. Tellez

ries (prout de facto in Mundo datur, & ab Aristotele conceditur) non potuit esse ab æterno. Hęc conclusio est contra D. Thom. cit. contra Ferrar. Gregor. Ocham Gabriel. & alios, quibus subscribũt P. Pereira cit. *cap.* 13. §. *Quarta propositio.* P. Fasol. cit. Fr. Ioannes Poncius cit. *Conclus* 4. & Cõplurenses. Traditur tamen á Durando, Soto, & alijs, quos citant, & sequuntur P. Soar. cit. *in Met. d.* 29. *s.* 1. *n.* 9. P. Rub. proximè *q.* 3. *n.* 27. Patres Conimbr. cit. *q.* 7. *a.* 2. P. Hurtad. vbi suprá P. Ouiedo proximè *puncto* 2. *n.* 2. P. Arriaga cit. *s.* 1. P. Martinon *d.* 33. *de creat.* *s.* 1. P. Tellez cit. *num.* 6.

305 Et probatur, quia si homines, vel leones continuatâ serie generarentur ab æterno, sanè hæc tota generationum collectio procederet ab aliquo Progenitore, qui esset immediatè productus á Deo ab æterno. Huius autem implicationem sic ostendo: nam in primis talis Progenitor generaret in tempore suum primogenitum; siquidem talis filius illum supponeret priùs duratione: quod autem est ab æterno nihil supponit priùs duratione; aliâs Æternitas haberet principium Durationis. Deinde, probo implicare talem Primogenitorẽ fuisse ab æterno, quia solùm pręcederet filium Duratione finitâ, v. g. spatio viginti annorum: si ergo filius, qui est in tempore, solùm distat á Primogenitore Duratione finitâ, quomodò talis Progenitor fuit ab æterno? nam quod est in tempore non distat ab æterno solâ Duratione finitâ, seu, quod idem est, tempus non distat ab Æternitate solo interuallo viginti annorum.

P. Fasol.

306 Dices cum P. Fasolo cit. *dub.* 2. fine, argumentum supponere falsum, nempe in totâ illâ collectione ac Generationum serie esse assignabilẽ aliquem primum Progenitorem, quo non sit alius prior. Sed contrà, quia tota illa collectio nõ solùm distributiuè, sed etiam collectiuè sumpta est essentialiter ens ab alio: debet ergo assignari ens, á quo tota sit per generationem: non potest autem esse immediatè á Deo per naturalem Generationem: ergo necessariò assignandus est aliquis Adamus, & primus Parens; á quo tota ipsa collectio procedat. Et in hoc militat argumentum præcedens.

§. 12.

Repugnat motus, & quoduis aliud ens successiuum ab æterno.

307 Dico tertiò. Non potuit ens successiuum esse ab æterno. Hæc resolutio etiam est contra D. Thom. Ferrar. Greg. Ocham. Gabriel. P. Pereir. & P. Fasol. suprá cit. quibus accedunt P. Ouiedo proximè *puncto* 3. P. Arriaga cit. *sect.* 2. P. Martinon cit. *num.* 4. *vers. Sed hæc.* Traditur tamen á Durando, & alijs, quos citant, & sequuntur P. Soar. Patres Conimbr. P. Rub. P. Tolet. & P. Valent. vbi proximè. Quibus accedunt P. Molin. cit. 1. *part. quæst.* 2. *art.* 3 P. Hurtad. cit. *sect.* 2. & 3. P. Tellez cit. *disp.* 37. *sect.* 2. *num.* 6. P. Tanner. suprà *disp.* 6. *de creat. Mundi quæst.* 1. *dub.* 3. P. Comptonus *in Phys. disp.* 39. *sect.* 4. *num.* 3. & 4.

D. Thom. Ferrar. Gregor. Ocham. Gabriel. P. Pereira P. Fasol. P. Ouiedo P. Arriaga P. Martin. Durand. P. Soar. Patres Conimb. P. Rub. P. Tolet. P. Mol. P. Hurt. P. Tellez. P. Tann. P. Compt.

308 Ego illi adhæreo, quia re verâ, quantis verbis deludatur, non soluitur argumentum, quod habet sic: Successio dicit *prius*, & *posterius* in Duratione: quæ autem sunt ab æterno, non admittunt prius, & posterius; si enim est ab æterno, quomodò habet aliud duratione prius, & quomodò ipsum est in duratione posterius? Si habet aliud antiquius, quomodò ipsum est Æternum? Respondent ea, quæ sunt ab æterno, solùm excludere *prius*, & *posterius* certum, & assignabile; non tamen incertum, & inassignabile. Potest itaque, inquiunt, successio esse æterna, si talis sit, vt nullas habeat partes assignabiles ità priores, & posteriores, quin ante illas habeat alias priores, & posteriores. Et declaratur, quia intelligitur motus, qui prædicto modo fit in æternum; ac proinde qui æternus sit æternitate *à parte post*: ergo etiam intelligetur motus, qui prædicto modo fit ab æterno; ac proinde æternus æternitate *à parte ante*.

309 Hæc, vt dixi, verbis deludunt, sed re ipsâ non soluunt argumentum: quia in hoc modo dicendi in primis nullum *prius, & posterius certum, & assignabile* est æternum, siquidem habet aliud prius: solùm dicunt esse æternum *prius, & posterius incertum, & inassignabile*, quod scilicet est ante omne aliud certum, & assignabile. Deinde ostendo neque hoc *prius*, & *posterius incertum*, & *inassignabile* esse æternum æternitate *à parte ante*, quia tale *inassignabile posterius* habet aliud Duratione prius, & antiquius, respectu cuius ipsum est posterius: si ergo habet aliud prius, & antiquius, quomodò ipsum est æternum?

310 Et confirmatur efficaciter, quia aut illud *posterius* est simul cum *priori*: aut non est simul, sed post illud. Si dicas esse simul: ergo non est posterius. Vides implicationem? Si dicas non esse simul, sed posterius: ergo non est Æternum; siquidem non est simul cum æterno. Sed neque *prius* est æternum, nam aut distat á *posteriori* distantiâ finitâ: æternum autem distat á non æterno distantiâ infinitâ; est enim

ætef-

æternum infinitum Duratione: at verò infinitum distat à finito distantiâ infinitâ. Aut distat distantiâ infinitâ: & tunc quomodò continuatur cum posteriori, si inter vtrũ, & aliud mediat Æternitas? Adde, quòd parum refert quòd ipsum sit Æternũ; nam successio nõ cõstat ex illo solo, sed formaliter includit *prius*, & *posterius*: satis ergo est quòd *posterius* nõ sit æternũ, ad hoc vt successio æterna esse non possit.

311 Quod allegatur de motu in æternum, non est satis ad colligendum motum ab æterno. Itaque possibilis est motus in æternum: non tamẽ motus ab æterno. Discriminis ratio est, quia motus ab æterno supponit extitisse aliquod *prius*, & *posterius* ab æterno, quod extitisse implicat, vt ostendi. Motus verò in æternum non supponit extitisse, aut extiturum aliquod *prius*, & *posterius* æternum; imò consistit in eo, quòd ita semper quasi tendat in illud, vt ad illud nunquam perueniat.

312 Obijcies primò. Potest ab æterno creari lapis in aëre suspensus: hic profectò ab æterno descenderet. Ecce motus ab æterno. Respondeo, talem lapidem non descensurum nisi in tempore; non enim descenderet nisi per *prius*, & *posterius*: quid ergo mirum si non descenderet, nisi cùm primùm intelligitur tale *prius*, & *posterius*, quod constituit tempus? Et confirmatur efficaciter, quia si descenderet, sanè vnâ horâ, vt suppono, perueniret ad terram, vel ad centrum: tunc quæro, Vtrùm peruenirit ab æterno: an in tempore? Non dices peruenisse ab æterno, siquidem peruenit vnâ horâ post inceptum descensum, quem tu dicis incepisse ab æterno. Si peruenit in tempore: ergo non incepit ab æterno: aliàs tempus, in quo peruenit, solùm distaret vnâ horâ ab æterno, in quo descendere incepit.

Dices: Ergo lapis totâ Æternitate staret suspensus, quin descenderet. Respondeo concedendo totum, deesset enim tempus in quo descenderet. Itaque talis lapis non poterat descendere nisi in tempore, & Æternitas non est tempus: lapis ergo non posset descendere in Æternitate, sed cùm primùm posteà adesset tempus. Fateor hoc esse captu difficile: sed ideò difficile, quia difficilè percipimus Æternitatem.

313 Obijcies secundò. Angelus, qui crearetur ab æterno, posset elicere vnam cognitionem post aliam; quo in euentu daretur in Æternitate cognitionum successio. Respondeo, talem Angelum non posse in Æternitate elicere vnam cognitionem post aliam, ita vt ambæ essent ab æterno: posset primam elicere ab æterno, imò quascunque vellet: non tamẽ posteriorẽ, nisi in tẽpore; repugnat enim esse posteriorẽ in duratione, & tamẽ ab æterno.

314 Obijcies tertiò. Talis Angelus, qui crearetur ab æterno, duraret ab æterno. Ecce duratio successiua ab æterno. Respondeo huius Angeli durationẽ integrari duabus quasi partibus, nimirũ Æternitate, & tempore. Æternitas durauit vsque ad tempus, & desijt in instanti temporis, quo illud incepit. Dices: Ergo Æternitas, quæ præterijt, habuit finẽ. Respõdeo eam Æternitatem solũ talem fuisse à *parte ante*; siquidem habuit finẽ, & habere potuit. An autem talis duratio potuerit dici cõtinua? Respondeo negatiuè cum P. Compton cit. *d. 39. s. 4. n. 6.* quia Æternitas, & tẽpus nõ sũt partes eiusdem rationis: deberet tamen dici continuata, quia inter Æternitatem, & tempus nihil mediaret. P. Comp.

§. 13.

Argumenta soluta.

315 SEd iam ad argumenta contendentium nec creaturam permanentem potuisse creari ab æterno proposita *n. 258.* Ad primum (quâtenus dicebat: Id, quod producitur à non esse, aliquando non fuisse: quod autẽ ab æterno est nõ posse aliquãdo non fuisse) respõdeo id, quod producitur à non esse, aliquando, hoc est, in aliquâ prioritate naturæ nõ esse, licèt semper, hoc est, in omni prioritate durationis existat.

316 Ad secundum (quâtenus dicit ex Aristotele in sempiternis non differre esse, & posse: vnde si nihil creatum fuit ab æterno, nec esse potuisse) respondeo, illum locum Aristotelis, *In sempiternis non differunt esse, & posse* significare hunc sensum: Ea, quæ existunt ab æterno, non prius prioritate temporis possunt existere, quã existant; siquidẽ existũt ab æterno.

317 Ad tertium (quâtenus asserit repugnare Infinitum actu: si autem daretur Duratio ab æterno, eam esse actu infinitam) respondeo, talem Durationem, neque secundùm id, quod diceret in recto, hoc est, secundùm existentiam rei durantis, fore infinitam; neque secũdùm id, quod diceret in obliquo; hoc enim esset imaginariũ, & non realiter existẽs.

318 Ad quartum (quâtenus dicit si Deus aliquam creaturam creasset ab æterno, necessariò illam creasse) dato quòd Deus ab æterno aliquid crearet, dico non necessariò, sed liberè illud creare; neque enim Æternitas rei productæ repugnat libertati producentis, vt patet in actu libero Diuino, cuius Æternitas stat cum libertate voluntatis Diuinæ. Ad primam confirmationẽ respõdeo id, quod semper fuit, nõ tollere libertatẽ sui principij, vt patet in eodẽ actu libero Diuino. Ad secũdam confirma-

firmationem dicendum est. dato quòd creatura foret ab æterno in omni Duratione potuisse Deum illam non creare, licèt in omni illam de facto creauerit.

319 Ad quintum (quâtenus dicit si Angelus potuit ab æterno creari, etiam potuisse ab æterno annihilari) nego potuisse ab æterno annihilari, quâtumuis ab æterno potuerit creari. Diuersa ratio est, quia creatio, vt diximus, non supponit non esse termini positiuè, sed tantùm negatiuè: at verò annihilatio supponit illius esse positiuè. Et huius ratio est, quia id, quod annihilatur, priùs fuit: id verò, quod creatur, satis est quòd non priùs fuerit: quod autem supponit aliud prius, repugnat esse ab æterno, cùm Æternitate nihil sit prius.

320 Instabis: Ergo cùm talis Angelus non potuerit annihilari ab æterno, sed solùm in tempore, sequitur quòd per totam Æternitatem antecedenter ad illud tempus non potuit annihilari; ac proinde admittitur possibilitas creaturæ existentis ab æterno, quam per totam Æternitatem *à parte antè* Deus non potest annihilare. Respondeo, nullum esse assignabile instans, in quo Deus non possit annihilare talem creaturam, & hoc sufficit, vt saluetur Omnipotentia Diuina. Nullum, inquam, est assignabile tale instans, quia nullum est assignabile, quo non sit aliud prius: in omni autem priori assignato, vel assignabili talis creatura potest annihilari.

321 Præterea ad illud, quod dicitur de igne, & stupâ, respondeo, talem ignem ab æterno non posse comburere eam stupam, cùm eius combustio necessarió supponat eius esse existens priùs tempore: quod autem est ab æterno nihil supponit prius. Quo autem instanti posteà talis ignis eam stupam combureret? Respondeo eam combusturum posteà cùm primum tempus incepit; non enim potest illam comburere ab æterno: ergo solùm posteà in primo instanti, quo prius tempus incepit. Simile quid dixi de descensu lapidis *n. 312.*

322 Ad sextum (quâtenus dicit Æternitatem esse propriam solius Dei) respondeo solam Æternitatem á se, necessarió, & independentem esse propriam solius Dei; aliter dicendum de Æternitate creatâ, & contingêti. Ad primam confirmationem deductam ex locis Sanctorum Patrum (quâtenus colligunt Verbum Diuinum esse Deum ex eo, quód sit æternum) respondeo cum P. Soar. cit. *n. 21.* Sanctos Patres loqui ex suppositione, quòd Fide constet nullam creaturam esse ab æterno: ex quo rectè colligunt, si Verbum Diuinum est ab æterno, creaturam non esse. Ad illud præterea, quod etiam nonnulli asserunt, nimirum, *id, quod à non esse ad esse traducitur, non posse suo principio coæternum esse*, dicendum est Sanctos Patres, aut solùm velle creaturam non posse esse tam æternam, ac est ipse Deus, hoc est, non posse esse necessariò æternam, quo pacto est ipse Deus: aut solùm loqui de ente successiuo. Ad secundam, respondeo cum eodem P. Soar. loco cit. illud solùm esse immutabile, quod necessariò est æternum: at verò creatura solùm contingenter esset æterna.

323 Ad septimum (quâtenus dicit talem creaturam incepisse, siquidem haberet principium sui esse per causalitatem: quod autem est ab æterno carere principio) respondeo solùm carere principio suæ Durationis, non sui esse: itaque aliud est habere principiũ sui esse: aliud suæ Durationis: solùm hoc secundum repugnat cum æterno.

§. 14.

Vtrùm possibilis sit creatura essentialiter æterna?

324 Septima difficultas: Vtrùm possibilis sit creatura aliqua permanens, essentialiter æterna? Affirmant nonnulli Recentiores, cum quibus consentire videtur P. Arriaga *in Phys. d. 15. n. 65.* Et certè consentit P. Martinon *d. 6. de Deo n. 34.* vbi talem fore contendit actum supernaturalem, quem Angelus ab æterno creatus eliceret, asserentem de se ipso se toti Æternitati Diuinę coëxistere adæquatè; sicut enim, inquit P. Martinon, actui supernaturali repugnat falsitas ab intrinseco, ita huiusmodi actui repugnaret ab intrinseco incipere, vel desinere. Et confirmatur primó, quia in hoc nulla visitur implicatio. Secundò, quia non videtur repugnare creatura essentialiter Immensa, hoc est, correspondens se ipsâ omni spatio imaginario possibili: ergo neque essentialiter æterna, hoc est, correspondens omni tempori imaginario. P. Arriaga. P. Martinon.

325 Ego tamen non audeo admittere talem creaturam essentialiter æternam; non enim posset annihilari á Deo, quod est contra dominium ipsius Dei. Vnde P. Soar. *lib. 1. de Angelis cap. 9. num. 5.* dicit de Fide esse omnem creaturam posse interire de potentiâ Dei absolutâ. Et id probat ex illo 1. ad Tim. 6. *Qui solus habet immortalitatem.* Et oppositum esse saltem temerarium docent P. Vasquez 1. p. d. 18. n. 7. P. Tanner. 1. p. d. 5. q. 1. n. 15. P. Ripalda *de Ente supernat. d. 59. n. 7.* P. Soar. 1. ad Tim. 6. P. Vasq. P. Tanner. P. Ripald.

326 Obijcies primó. Non est contra dominium Dei, quòd ipse aliquæ non possit producere: ergo neque quód aliquæ nõ possit destru-

destruere. Antecedens ostenditur, quia Deus non potest facere, quòd homo non sit animal rationale: item nequit producere hodie Durationem crastinam: neque potest producere Conimbricæ vbicationem Romanam. Itaque non est contra dominium Dei non posse producere, quæ produci repugnant: ergo neque non posse destruere, quæ destrui repugnant: at veró creatura essentialiter æterna repugnaret destrui. Respondeo esse specialem deformitatem in eo, quòd sit aliqua creatura durans per suam essentiam: hæc enim esset per suam essentiam independens á Deo quoad suum esse, & quoad suum conseruari. Quod non visitur in eo, quòd aliqua creatura nō possit produci: in eo autem, quòd non posit destrui, maximè.

327 Obijcies secundò. Non repugnat creatura indeputabilis á Deo ad significandum, vt constat ex dictis *in Log. tr. 6. n.* 303. vbi diximus talem fore reuelationem, quæ de se ipsâ diceret non fore deputandam á Deo ad significandum, hæc enim, cùm falsa esse non posset, esset omninó indeputabilis: ergo etiam non repugnat creatura inannihilabilis, nimirum reuelatio, quæ de se diceret non esse annihilandam. Respondeo esse, aut non esse deputabilem ad significandum non esse supra rationem creaturæ: at esse essentialiter immortalem esse supra rationem creaturæ, & proprium solius Dei.

328 Obijcies tertiò. Non repugnat creatura ineleuabilis; talis enim foret reuelatio, quæ de se diceret non fore eleuandam: ergo neque repugnat creatura inannihilabilis. Respondeo me non admittere creaturam ineleuabilem, puto enim de ratione creaturæ esse obedire Deo iuxta ea, quæ diximus in *Phys. tr. 2. n.* 616. Quòd si procedas in sententiâ P. Arriagæ, & aliorum, qui prouit loco cit. retulimus, opinantur non repugnare prædictam creaturam ineleuabilem, adhuc eâ admissâ nō debet admitti creatura essentialiter inannihilabilis, quia de ratione creaturæ est dependere á Deo in suo esse, & conseruari: non ita posse eleuari, multa enim de facto sunt, quæ ad plures effectus non possunt eleuari.

329 Obijcies quartò. Non repugnat creatura essentialiter durans per vnam horã: ergo neque essentialiter durans per totam Æternitatem; si enim non est contra dominium Dei quòd non possit annihilari vnâ horâ: neque erit contra eius dominium quód non possit annihilari per totam Æternitatem. Plures admittunt creaturam essentialiter durantem per vnam horam: adhuc tamen negari debet creatura essentialiter durans per totam Æternitatem, quia quæ essentialiter duraret per totam Æternitatem esset absolutè immortalis, quod est supra creaturam, & proprium solius Dei. Creatura essentialiter durans per vnam horam, absolutè esset mortalis: & solùm non posset destrui illâ horâ.

Alij renuunt admittere etiam creaturam essentialiter durantem vnâ horâ. Ita P. Compt. *in Phys. d.* 38. *s.* 3. *n.* 7. quia, inquit, talis creatura in quolibet instanti illius horæ esset sine suâ essentiâ, quia in quolibet instanti solùm illo duraret, & non totâ horâ: cùm de eius essentiâ esset durare totâ horâ. Verùm hæc ratio non concludit, quia essentia talis creaturæ non esset durare in quolibet instanti vnâ horâ, sed non destrui in aliquo instanti totâ illâ horâ. Vel dic eius essentiam esse durare indiuisibiliter illâ horâ, sicut indiuisibiliter illâ durat tota Æternitas Diuina: itaque sicut non repugnat quòd Æternitas Diuina tota indiuisibiliter duret in totâ horâ, & tota in quolibet instanti, etiā videtur nō repugnare aliqua Duratio annua, vel aliqua Duratio horaria, quæ tota duret in totâ horâ, & tota in quolibet eius instanti. Ex alio titulo non admitto creaturam essentialiter durantem vnâ horâ, quia scilicet est contra dominium Dei, quód aliqua creatura aliquo tempore, vel instāti per suam essentiam independeat á Deo in suo esse, & conseruari, vt patet ex suprá dictis. P. Compt.

Sed iam ad fundamēta opinionis contrariæ, quæ contendit non repugnare creaturam essentialiter æternam. Ad principale argumentum (quâtenus dicit non repugnare actum supernaturalem dicentem de se ipso non fore annihilandum) respondeo me non admittere huiusmodi reflexionem eiusdem actûs supra se ipsum, ex quâ resultet immortalitas essentialis, vt constat ex dictis *in Log. tr. 6. à n.* 156. agendo in simili de Visione Beatâ. Vide locum cit. Ad primam confirmationem (quâtenus dicit nullam apparere implicationem in creaturâ essentialiter æternâ) respondeo implicationē patere ex dictis, esset enim talis creatura independens à Deo quoad suum esse, & cōseruari, vtpote quę essētialiter immortalis, quod est contra dominium Dei. Ad secundam confirmationem (quâtenus dicit non repugnare creaturam essentialiter immensam) respondeo in primis talem creaturam repugnare, quia Immensitas per essentiam est Attributum, & Insigne proprium solius Dei. Deinde, quidquid sit de creaturâ essentialiter immensâ (quam plures admittunt) est longè diuersa ratio de creaturâ essentialiter æternâ: hęc enim esset essentialiter immortalis, per suam essentiam independens á Deo in suo esse, & conseruari,

serui, quod est contra dominium Dei: quæ incommoda non relucent in creaturâ essentialiter immensâ.

SECTIO II.

De Veste, seu Habitu.

330 HABITVS, seu Vestis, prout hoc loco illum accipimus, definitur, *Corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, adiacentia.*

[*Toletan. Gilbert. P. Rub. P. Arriaga Cursus Complut. Capreol. Soncin. Araujo Sanchez Gonzales*]

Prima difficultas: In quo consistat propria, & formalis ratio huius Prædicamenti? Nonnulli dicunt consistere in virtualitate quâdam distinctâ á corpore vestito, habente se ex parte illius, & resultante ex positione vestis circa ipsum. Ita Toletan. *in libello de sex vltimis Prædicamentis*, Gilbert. & alij, quos citant, & sequũtur P. Rubius *in Log. in Prædicamento Vestis n. 15.* P. Arriaga *in Met. d. 15. n. 45.* Cursus Complutensis *in Log. d. 16. de sex vltimis Prædicam. q. 1. & vltima*, Capreol. *in 2. dist. 2. q. 1. a. 3.* Soncin. *5. Met. q. 41.* Araujo ibidem *q. 7. a. 2.* Sanchez *lib. 6. Log. per totum*, Gonzales *1. p. q. 10. d. 22. ad 3.* Probatur primò ex Aristotele *5. Met. c. 20.* vbi dicit inter eum, qui vestem habet, & vestem, quæ habetur, medium esse Habitum, quibus verbis videtur significare Habitum non esse vestem, quæ extrinsecùs adiacet, sed aliquid inhærens in corpore vestito, habens se ex parte illius. Secundò, quia Duratio non est aliquid ex parte temporis extrinseci, sed aliquid inhærens rei duranti. Tertiò, quia vestis est quoddam artefactum: ergo Habitus non potest cõsistere in eius denominatione; est enim Prædicamentum Habitûs ens per se.

[*P. Soar. P. Fons. Patres Conimbr. P. Tellez P. Hurtad. D. Thom. Herueus Iauellus Soto Masius Auersa*]

331 Nihilominus dicendum rationem Habitûs consistere in ipsâ veste, prout extrinsecùs denominat rem vestitam. Ita P. Soar. *in Met. d. 53. sect. 5. n. 3.* & clariù *sect. 2. n. 5.* P. Fõs. *5. Met. c. 7. q. 2.* Patres Conimbr. *c. 9. de Prædicamentis q. 3. a. 2.* P. Tellez *d. 8. s. 2. n. 10.* P. Hurtad. *in Met. d. 18. n. 2.* Et sané hæc videtur sententia D. Thom. *Opusc. 48. tr. 6. c. 1. lib. 3. Physic. lect. 5. & lib. 5. Met. lect. 9.* Et ideó hanc sententiam sequuntur Herueus *quodlib. 1. q. 9.* Iauellus *5. Met. q. 23.* Soto *ad Cap. de sex vlt. Prædicam.* & Masius ibid. *q. 1.* Auersa cum alijs pluribus. Probatur primó, quia denominatio intrinseca ex parte rei vestitæ est superflua, cùm sufficiat denominatio extrinseca desumpta á veste. Secundò, quia positâ cognitione, non resultat aliqua forma absoluta intrinseca ex parte obiecti cogniti: ergo neque positâ veste resultabit aliqua forma intrinseca ex parte corporis vestiti. Dices: Cognitio extrinseca respectu obiecti nullum constituit Prædicamentum: ergo idem dicendum de denominatione extrinsecâ desumptâ á veste. Respondeo esse diuersam rationem, quia cognitio non actuat obiectum: denominatio vestis, maximé. De hoc pleniùs *in Log. tr. 5. n. 39.*

332 Neque fundamenta opinionis contrariæ rem concludunt. Ad primum, dicendũ est ex illo textu Aristotelis, solùm colligi rationem Habitûs cõsistere in aliquo intermedio inter ipsam vestem, & rem vestitam: quid autem sit hoc intermedium ipse non explicat: hoc nos dicimus consistere in aliquâ virtualitate habente se ex parte vestis, & illam quodãmodó corpori vniente.

333 Ad secundum, respondetur esse diuersam rationem de Duratione, ac de Veste; nam vestis, quà talis, nihil aliud facit, quàm vestire; vestire autem est denominatio rei vestientis; at veró Duratio facit rem durantem; durare veró, vt ipsum nomen sonat, est denominatio desumpta á re durante; ac proinde habet se ex parte illius.

334 Ad tertium, dico vestem posse sumi dupliciter: primó materialiter pro re, quæ vestit; & hæc plerumque est quoddam artefactum: secundò formaliter pro figurâ, quæ est forma indumenti, prout hoc quoddam artefactum est; & hæc est ens per se, vt ex inferiùs dicendis magis constabit: ex illâ ergo proprié desumitur denominatio constitutiua huius Prædicamenti. Respondent alij non omnia vestimenta esse artefacta, sed dari plura naturalia, ac simplicia, vt cortices, superficies aëris: arma animalium, vt dentes, vngues, cornua, á quibus illa denominantur armata. Instabis: Hæc sunt intrinseca: ergo denominatio Habitûs non est extrinseca. Respondeo, quando dicimus Habitum esse denominationem extrinsecã solùm velle tenere se ex parte vestis, quæ plerumque est extrinseca, non tenere se ex parte rei vestitæ.

335 Secunda difficultas: Verùm denominatio Habitûs desumatur à Substantiâ, an potiùs à figurâ vestis? Desumi á Substantiâ opinantur P. Soar. P. Fons. & Patres Conimb. suprà cit. Primò, quia positâ huiusmodi Substãtiâ, & præcisâ quâcunque aliâ formâ res denominatur, & intelligitur vestita. Secundò, quia prædicta Substantia denominat corpus accidentaliter vestitum. v.g. aurum statuæ illam denominat deauratam; non autem apparet aliud Prædicamentum, ad quod huiusmodi accidens logicum reducatur. [*P. Soar. P. Fons. Patres Conimbr.*]

Nihi-

336 Nihilominus probabilius dicendum videtur denominationem desumi á figurâ. Probatur primó, quia vestitum esse, galeatū, clypeatum sunt denominationes huius Prædicamenti: atqui non desumuntur á Substantiâ vestis, galeæ, aut clypei, sed ab eorum figuris. Et hoc ostenditur, quia ad hoc, vt aliquis sit vestitus, galeatus, &c. non attenditur Substātia vestis, galeæ, &c. & parum refert quòd Substantia vestis, aut galeæ sit aurum, vel ferrum; totum negotium consistit in eo, quòd vestis habeat certam figuram: ergo &c. Secundò, quia propria ratio alicuius rei consistit in eo, quo posito, vel sublato primarió tollitur, vel ponitur talis res; sed positâ, vel sublatâ figurâ, v. g. clypei, aut galeæ tollitur, vel ponitur ratio clypei, aut galeæ. Hæc Minor est manifesta, nam huiusmodi indumenta non possunt intelligi absque certâ figurâ, quâ positâ, vel sublatâ, quidquid fit de eorum Substātiâ tolluntur, vel ponuntur: ergo &c. Tertió, quia vestis est quoddam artefactum, cuius materia est Substantia, forma veró figura: atqui denominatio vestis desumitur ab eius formâ. Probo hanc Minorem, quia forma in alijs rebus solet esse precipua ratio specificationis; in hoc autem Prædicamento tota esse debet; quia, cùm vestis sit artefactum, non potest secundùm se totam constituere Prædicamentū, quod debet esse ens per se.

337 Ad primum fundamentum opinionis contrariæ patet responsio ex dictis, ex quibus constat positâ, vel sublatâ figurâ, quæ est forma vestis, ipsam poni, aut destrui.

338 Ad secundum, aduertendum est Substantiam vestis posse dupliciter cōsiderari: primo sub hoc nomine *Auratum, Ferratum, Sericatū* &c. secundo, sub hoc nomine *Vestitum, Galeatum, Loricatum*, &c. Primo modo illa prædicata, licèt reducantur ad Prædicamentum Habitûs, non sunt propria Prædicamenti accidentium; quia concretum accidentale tunc solùm spectat ad Prædicamentum quando eius abstractum ad illud spectat: at verò aurum, ferrum, & similia non spectant ad Prædicamentum accidentis. Secundo modo spectant ad Prædicamentum accidentis, verùm tunc eorū denominationes desumuntur á formâ, vel figurâ Habitûs, non veró ab eius Substantiâ, vt constat ex ipsis nominibus *Vestiti, Clypeati, Galeati*, &c.

339 Hæc pro Metaphysicâ, & Aristotelis Philosophiâ nobis sint satis. Quidquid sit de caducâ hâc, *Illam Philosophiam* (inquit D. Hieronymus, *epist. ad Paulinum*) *addiscamus in terris, quæ nobiscum perseueret in Cælo.* D. Hieron.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERVM QVÆ IN TOTO HOC CVRSV PHILOSOPHICO PER quatuor Tomos dispersæ continentur.

Vtrùm

Aa

An

ratio-

Sequen-

Vide

Intelle-

Quid

An

Argu-

Mm 4 Vtrùm

An

R.

Quid

Speculatio

Quid

Visio Beata.

Visio oculi, Visus.

Vita. Vitalitas. Viuens.

Vtrùm

F I N I S.